Digitized by Google

Digitized by Google

15. 4. 6.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IO. FRANCISCI BVDDEI

THEOL. D. ET P. P. O.

INSTITVTIONES

THEOLOGIAE MORALIS

VARIIS OBSERVATIONIBVS ILLVSTRATAE.

CVM PRIVILEGIO SAC. CAES. MAIESTATIS.



LIPSIAE,

APVD HAEREDES THOMAE FRITSCH,

1727.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DOMINO

FRIDERICO

SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE ET
MONTIVM, ANGRIAE QVOQVE
AC WESTPHALIAE, DVCI,
LANDGRAVIO THVRINGIAE,
MARCHIONI MISNIAE,
PRINCIPI COMITI HENNEBERGENSI,
COMITI MARCAE ET
RAVENSBERGAE,
DYNASTAE RAVENSTEINII
ET DONNAE,

PRINCIPI AC DOMINO MEO
LONGE CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google



SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME,

QVod meae erga TE pietatis & obſequii publicum ſtatuere monumentum, in animum induxi, id non temere, aut impetu quodam, ſed conſilio maturo, rationibusque omnibus probe a me factum eſt, ſubductis. Immo nefas fuiſſet hoc non facere, quam primum opportuna ſe offerret occaſio. Quantum enim

enim ſummi faſtigii, in quo TE Deus collocauit, ſplendore aliis praeſtas hominibus, quos inferiore loco idem ſupremum Numen conſiſtere voluit, tantum inter eos virtute emines, qui dignitate ceteroquin, generisque claritate TIBI pares ſunt. In TE coniuncta conſpicere licet, quae magnam, ſeiuncta etiam, mortalibus auctoritatem, venerationemque conciliant. Imperat ſummae dignitatis decus omnibus obſequium, virtus ad TVI amorem, admirationemque omnes rapit. Prudentiam in TE laudant alii, alii iuſtitiam praedicant, benignitatem rurſus laudibus euehunt alii, alii humanitatem clementiamque, nihil denique, quod labem virtuti illibatae adſpergat, in TE deprehendi, omnes vno fateri ore conguntur. Virtutis autem eminentis tanta vis eſt & potentia, vt, qui eius pulchritudinem perſpiciunt, non poſſunt non ſummo animi cultu proſequi, quos ea ornatos intelligunt. Atque haec ſola me quoque impellere ratio potuit, vt animi, iampridem ſummam venerationem declarare geſtientis, TVARVMQVE virtutum admiratione perculſi, aliquod extare monumentum voluerim, vnde alii, forte & poſteri quidam, cognoſcere queant, omnium, qui vllum virtuti pretium ſtatuunt, TE oculos animosque ad TE conuertiſſe. Atque iſta quidem mihi cum aliis ſunt communia. Accedunt propria, & differre diutius officium prohibent. TVIS enim etiam, SERENISSIME PRINCEPS, auſpiciis, in hanc academiam, ad diuinam ſapientiam, quam theologiam vocant, docendam euocatus, TVAM non ſemel expertus ſum benignitatem, clementiamque

ſingularem. Sub TVA tutela, ceu vmbra, immo clypeo quodam, latitare mihi ſecure licuit, & aduerſariorum, quos liuor & inuidia erga innocentiſſimos quosque armare ſolet, inſultus tuto contemnere. TIBI namque per Numinis propitium fauorem datum, recta a prauis, falſa a veris, a fictis & vanis ſolida, caute diſcernere, vnde veritas pariter ac innocentia in TE praeſidium inuenit certisſimum firmisſimumque. Quo ipſo id facis, quod TVI quoque eſt officii, cum ſupremi Numinis vicibus in ditionibus TVO imperio ſubiectis fungaris, praemiumque amplisſimum a ſupremo rerum omnium iudice merito expectas. Idque agnoſcunt, qui ad TE, SERENISSIME PRINCEPS, ceu ad ſacram anchoram confugiunt: qui licet in Deo, ſupremo iſto rerum omnium moderatore, ſpem omnem atque fiduciam collocent, ſummorum tamen eum imperantium opera, ad protegendos defendendosque innocentes, pariter ac puniendos improbos, ad eccleſiae non minus quam orbis vniuerſi fata ſapientiſſime diſpenſanda, vti, intelligunt. De TVA vero quid dicam clementia, qua aditum ad TE nemini denegas, quem & mihi benignisſime concesſiſti, ſimulque occaſionem, animi corporisque dotes divinas admirandi, ſuppeditaſti? Sed quid hiſce immoror, cum ignarus rerum omnium eſſet, qui dubitare vellet, an cauſſas praegnantes habeant, qui TE norunt, aut tam beati ſunt, vt obſequii cultu TIBI ſint deuincti, ſuam, cur ea, qua poſſunt ratione, pietatem, animumque ſubmiſſum atque deuotum demonſtrare cupiant? De eo potius ſollicitus eſſe debebam, an dignum ſit tam ſublimi faſtigio,

quod

quod offero, animi grati & venerabundi monumentum? Sed hocce TVA pietas ſtatim mihi eximit dubium, SERENISSIME PRINCEPS, quae certum eſſe iubet, ipſum operis argumentum longe vtique nobiliſſimum, conatumque lucem ei affundendi, ſe TIBI prorſus adprobaturum, etſi a me nihil eximii profectum ſit, aut eiusmodi quid, quod TVIS ſubiici oculis mereatur. Quae ad vitam enim chriſtianam ſancte, recte, prudenter inſtituendam pertinent, paucis hocce opere complexus ſum, & luculenter perſpicueque expoſui. Demonſtraui, quae ratio ſit, ſuperatis, quae omnes circumſtant, periculis grauiſſimis, maximisque difficultatibus, in vitae ſanctitate proficiendi: hinc, quid legibus diuinis praeceptum vetitumque, quaeue omnium mortalium erga Deum, erga ſe ipſos, erga alios ſint officia, quid denique chriſtianae prudentiae ratio ab omnibus, praecipue a verbi diuini miniſtris exigat, ediſſerui. Haec ita comparata eſſe, vt ſatis inculcari nequeant, vti nemo temere dubitauerit, ita TE vel maxime, SERENISSIME PRINCEPS, me ſuffragantem mihi hac in re habiturum, certus ſum. Id namque vt pietatis opus eſſe probe intelligis, vt vitae ſanctae ratio ſibi conſtet, ita ipſemet hancce ingrediendo viam, pietatis conſecutus es laudem; eiusque decus cum perſpectum habeas, TVO præcipue fauore dignos cenſes, qui & ipſimet vitae puritati & innocentiae ſtudent, & alios vt eandem conſectentur, fidemque adeo ſuam fructibus comprobent, adhortantur. Accipe igitur, DOMINE CLEMENTISSIME, ſerena mente, hilarique fronte, munus, quod omni licet

ſplendore,

ſplendore, quo ſe commendare queat, deſtitutum, hoc tamen nomine ingratum eſſe nequit, quod votis TVIS, ad regni diuini amplificationem & incrementum tendentibus, ſaltem pro argumenti conditione, intentioneque, ex qua profectum eſt, reſpondet: accipe ſincerae mentis, animique deuotiſſimi, munerisque a TE ſibi concrediti ſimul rationem reddere geſtientis, documentum certiſſimum. Facies hoc ipſo, quod TVA clementia, TVAQVE dignum eſt pietate. Ego vero Deum praepotentem atque immortalem ſupplex ſemper venerabor, vt TE, imperii pariter ac verae eccleſiae columen, Principumque totius orbis decus, Saxonicae gentis ornamentum, ſaluum incolumemque, & omni felicitatis genere cumulatum, in eccleſiae, academiae noſtrae, omniumque hominum, quibus virtus curae cordique eſt, praeſidium & ſolatium, ſuperſtitem quam diutiſſime eſſe iubeat.

SERENITATI TVAE

Ienae die XXIII. Martii
Ann M DCC XL.

ſubiectiſſimus, deuotiſſimusque

IOAN. FRANCISCVS BVDDEVS.

<%> <%>

LECTORI BENEVOLO.

S.

C*Vm ad docendam theologiam in hancce academiam euocatus eſſem, ut munere mihi demandato rite fungerer, nihil mihi prius, nihilque antiquius fuit, quam vt cum reliquis ſacrae doctrinae partibus, eam quae de vita recte inſtituenda praecipit, ſollicite coniungerem, eamque ad ſacrarum litterarum ductum, diligenter explicarem. Non enim eram neſcius, agenda cum credendis arctiſſimo cohaerere nexu, nec ſeiungenda a ſe inuicem eſſe, ſed vt vitae chriſtianae ratio ſibi conſtet, praemittenda & inculcanda ſedulo, quae ad fidem pertinent, vtque fides fructibus dignoſcatur, ſuasque rite explicet vires, non quoque negligenda, quae de vitae ſanctitate integritateque, mediisque eum conſeruandi & augendi, ſcriptura ſacra tradit. Exemplum hac in re mihi praeiuiſſe ipſum apoſtolum Paulum credebam, qui ex vna quidem parte Timotheum ſuum τοὺς βεβήλους καὶ γραώδεις μύθους, euitare, adeoque haereticorum erroribus atque commentis ſe opponere, iubet, ex altera autem parte addit: γύμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν, addita ratione:* corporis enim exercitatio cum ſit ad pauca vtilis, pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſiones habens & praeſentis & futurae vitae, 1. Tim. IV, 7. 8.

In eo itaque cum totus eſſem, vt auditorum meorum etiam hac in re pro viribus conſulerem commodis, haud abs re me facturum arbitrabar, ſi theologiam moralem eadem methodo proponerem, qua philoſophiam practicam in academia Hallenſi, per vndecim annos tradideram. Eam enim multis viris ſapientibus, harumque rerum peritis, ſe adprobaſſe, perſpectum mihi erat atque exploratum. Et ipſa quoque, vt puto, facilitate & perſpicuitate ſe commendat, praeterquam quod plene & iuſto ordine in ea exhibeantur, quae ad morum doctrinam, iuxta rationem ſpectatam, pertinent. Cumque huius rei periculum feciſſem, ipſa experientia didici, feliciter & ex voto hocce inſtitutum procedere, occaſionemque, variis acceſſionibus amplisſimum moralis theologiae campum locupletandi, mihi ſuppeditari.

Hac proinde ratione ſemel iterumque eam theologiae partem, quae de agendis praecipit, docendo ad finem perduxi, non ſine emolumento illorum, qui huncce mecum decurrerunt campum. Cumque, quae diſſeruiſſem calamo excepta ab iis, qui mea vtebantur inſtitutione, latius dimanarent, & in multorum venirent manus, fuerunt, qui ſuaderent & hortarentur, vt ipſemet ſummam eorum, quae propoſueram, luculentis praeceptionibus comprehenſam, luci publicae exponerem. Fore enim, vt perquam commodum

)(*hoc*

hoc illis eſſet, qui meas impoſterum frequentaturi eſſent praelectiones, dum labore cuncta calamo excipiendi, ſubleuari, & ad alios etiam, quibus copia me audiendi fieri nequit, emolumentum aliquod inde redundare poſſet. Quibus aliisque rationibus, cum nihil quod momentum traheret, reponere poſſem, nec vllam temere occaſionem academicae pubis, praeſertim illorum, qui ab ore meo pendent, commoda promouendi, praetermittere ſoleam, facile me induci paſſus ſum, vt tandem in publicam lucem inſtitutiones haſce theologiae moralis, prodire finerem.

Quemadmodum autem philoſophiam practicam omnem, tribus commode comprehendi partibus poſſe exiſtimo, & hac ratione elementa quoque mea philoſophiae practicae concinnavi, ita eadem ratione methodoque theologiam moralem diſpoſui atque partitus ſum. Actiones namque hominis regeniti, quas theologia, quam vocant, practica ſeu moralis conſiderat, triplici ratione ſpectari poſſunt; primo, prout homo regenitus in vitae ſanctitate proficere debet, vt vires in eo ſpirituales augeantur & incrementum capiant; deinde, prout omnes & ſingulas actiones ad legem diuinam componere ſtudet, vt animum gratum beneficiorumque diuinorum in ſe collatorum memorem demonſtret, ſeque filium Dei morigerum, & voluntati patris ſui, qui eſt in coelis, obſequi paratum, oſtendat, & denique, prout prudenter pericula, quibus circumſeptus eſt, declinare incommoda, quae rectum in vita chriſtiana curſum impedire queant, ſuperare, & mediis legitimis finem optimum vbique ad diuini nominis gloriam, ſuamque & aliorum ſalutem promouendam obtinere poteſt. Hinc pro triplici hocce obiecto ſpeciali, ea theologiae pars, quae de agendis praecipit, commode iterum in tres partes diſpeſci poteſt, quas ita ſeorſim ordinis cauſſa tractare licet, & ſi quae in iis traduntur in ipſa praxi ſint coniunctiſſima, aeque ac ipſa agenda & credenda in praxi indiſſolubili vinculo inter ſe ſunt coniuncta.

In prima itaque parte eam adhibui methodum, quae medicorum filiis propria eſt, vt conſiderata primum velut natura hominis regeniti, ad infirmitates ceu morbos illi adhaerentes procederem, tum ſanitatem, ad quam adſpirare debet, deſcriberem, ſigna quoque ſeu characteres, quibus varii hominum ſtatus, aut actiones dignoſci poſſunt, indicarem, & media denique, quibus vita ſpiritualis non tantum conſeruari, ſed profectus & incrementum ſanctitatis, promoueri poteſt, ſubiungerem. Non inſolens eſt, vt morum doctrina hac methodo exhibeatur, quod & alios ante me feciſſe noui: mihi autem in prima hacce parte ideo ea placuit, quod viderem, poſſe per eam apte, concinne, plene, cuncta exhiberi, quae de hocce argumento praecipienda ſunt. Occaſio mihi hinc ſuppeditata fuit, diſcrimen naturae & gratiae paulo fuſius, tum generatim, tum ſpeciatim per omnes & ſingulas

mentis

mentis facultates, cauſſasque praecipuas, quibus originem ſuam varii hominum mores debent, explicandi: quod an hac ratione, & tam diſtincte a quoquam theologorum factum ſit, ignoro. mihi certe nemo, qui hoc eo modo fecerit, innotuit. Quantopere enim mea tractatio ab illorum commentationibus, qui forte de natura & gratia ex inſtituto ſcripſerunt, differat, res ipſa docet, facileque intelligent, qui has cum illa conferre atque componere, operae pretium duxerint. Quod autem paulo prolixior in hocce capite fuerim, nemo mihi vitio vertet, qui ſecum expenderit, diſcrimen naturae & gratiae, vtramque fere in vitae chriſtianae praxi facere paginam. Plurimi namque mortalium in eo falluntur turpiter, quod hocce diſcrimen ignorantes, multis egregiisque virtutibus ſe ornatos putant, quae gratiae, adeoque & fidei ſint documentum certiſſimum, cum tamen mera ſint naturae opera, illique, qui ſe iam beatos putant, fidei tamen ſint expertes, adeoque a vera ſalutis via longiſſime adhuc remoti. Eumque etiam in finem, naturae gratiam imitari geſtientis fallaciam detegere vbique atque demonſtrare allaboravi. Fieri autem hoc commode non potuit, vt non ſubinde ex philoſophia quaedam de mentis humanae facultatibus & operationibus repeterentur, cum gratiae & naturae diſcrimen accurate tradi nequeat, niſi hanc pariter ac illam, penitus perſpectam habueris. Ob noſtram itaque, quam ſequimur, tractandi rationem, hoc prorſus neceſſarium fuit: idque eo magis, quod res ipſa quandoque poſtulauerit, vt paulo plenius noſtram de quibusdam exponeremus mentem, de quibus perperam alii ſentiunt, aut erroneas opiniones fauent, aut quae ab aliis, vel a nobis ipſis alibi, breuiter nimis, aut forte paulo obſcurius fuere propoſita. Interim nihil hic attigimus, quod non vſum certiſſimum praeſentiſſimumque in theologia morali, ipſaque vitae chriſtianae praxi, haberet. Ceterum vt primam hancce noſtrae tractationis partem a reliquis diſcernerem, eam theologiae moralis *ſtrictius ſic dictae, nomine inſigniui, quemadmodum* theologiae moralis *latius ſic dictae nomine, reliquas quoque partes comprehendo. Hanc vero &* theologiam practicam *vocare licet, non quidem a fine, cum eo ſenſu tota* theologia *ſit practica, ſed ab obiecto, quia circa agenda verſatur, vt thetica ſeu dogmatica, circa credenda, vti iam in prolegomenis primae partis, a me eſt obſeruatum.*

Altera itaque noſtrae tractationis pars de officiis hominis chriſtiani, ſeu regeniti, praecipit, ſimulque adeo doctrinam vniuerſam de legibus diuinis tum generatim, tum ſpeciatim ſpectatis, exhibet. Hinc & iurisprudentiae diuinae *nomine nobis venit. Cum enim noſtra aetate plurimi fuerint, qui in legibus diuinis iuxta lumen rationis conſiderandis & inueſtigandis ſtudium induſtriamque plane ſingularem collocauerint, operae pretium duxi,*

eaſdem ſecundum lumen reuelationis ſpectatas, hicce paulo accuratius exhibere. Nimirum, licet lumen rationis quoad principia hic prorſus cum lumine reuelationis conueniat, hoc tamen illi etiam in hocce capite, multis modis praeferendum eſſe, nemo harum rerum vel mediocriter peritus, dubitauerit. Veriſſima namque licet ſint, quae rationis principia de officiis hominum docent, longius tamen adhuc procedit, & plenius de omnibus nos informat lumen reuelationis: quod vel inde conſtat, quod ratio ſibi relicta tantum ſecundum ſtatum naturae corruptae, hominem conſideret, cum contra lumen reuelationis eum quoque ſecundum ſtatum integritatis, & naturae reſtitutae, contemplari poſſit. Vnde manifeſtum, rationi multa minus cognita eſſe, quae reuelatio euidenter & aperte prodit. Accedit, quod ratio in ſe ſpectata, pleraque inſtituta diuina, quibus leges hypotheticae innituntur, ignoret: vnde in multis eam caecutire neceſſe eſt, de quibus diuina reuelatio nos dubitare non ſinit, quod exemplis luculentiſſimis in ipſa tractatione eſt comprobatum. Neutiquam itaque damnamus illorum laborem, qui ad rationis ductum leges diuinas inueſtigare inſtituerunt, immo laudamus magnopere, & commendamus: commentationes quoque eorum, praeſertim quoad concluſiones quaſdam ſpeciales, inſignem illis adferrre vtilitatem, qui leges diuinas ſecundum reuelationem conſiderant, & nobis quoque attuliſſe, lubentes fatemur: modo & id iterum concedatur, quae deficiunt in lumine rationis, addi atque ſuppleri poſſe ex lumine reuelationis, adeoque cognitionem diuinarum legum, ex lumine reuelationis hauſtam, pleniorem, perfectioremque ea eſſe, quae ex lumine rationis proficiſcitur. Vſus iſtius cognitionis, quam lumen rationis ſuppeditat, in negotiis quibuſdam huius vitae, vt pactis, contractibus, federibus, ſimilibusque, ſe exerit, idque tum maxime, ſi nobis cum illis res ſit, qui aut reuelationem non admittunt, aut rationem potius, quam revelationem ſequi conſueuerunt, quod multos illorum, qui ſe chriſtianos adpellitant, facere, ipſa proh! dolor, quemlibet docet experientia.

Methodo hic eadem inceſſi, qua in elementorum philoſophiae practicae parte ſecunda, vſus ſum, & quae non multum diſcrepat ab ea, qua naturalem iurisprudentiam tradidit SAMVEL PVFENDORFIVS. *Poſſe enim & hac ratione, non totam quidem theologiam moralem, ſed eam tamen eius partem, quae de officiis hominum regenitorum praecipit, commode tradi, iam pridem recte viri quidam docti iudicarunt. Fuiſſe quondam* IVSTO CHRISTOPHORO SCHOMERO, *theologo Roſtochienſi, ingenii & doctrinae laude celebratiſſimo, conſtitutum theologiam quandam moralem eadem, qua* PVFENDORFIVS *in iurisprudentia naturali, vſus eſt, methodo, concinnare, nonnulli perhibuerunt, eamque fuiſſe cauſſam,*

cauſſam, cur ſpecimen *iſtud* theologiae moralis, *quod plenius deinceps ſub titulo:* theologia moralis ſibi conſtans, *prodiit, ad finem non perduxerit: quod tamen alii negant, fuitque hac de re inter quosdam magni nominis viros diſputatum. Ego vero, vt litem iſtam meam non facio, ita prorſus mihi perſuadeo, eam, qua* PVFENDORFIVS *vſus eſt in iurisprudentia naturali tradenda, methodum, tam concinnam eſſe, ut operae fecerim pretium, quod eandem in ea theologiae moralis parte, quae de officiis agit, vſus ſim. Quod tamen vt recte capiatur, per methodum hic ſaltem ordinem ac connexionem, praecipue vero accuratam concluſionum ex principiis euidentibus deductionem, non autem res ipſas, aut ipſa principia intelligo. Non enim ex ratione, quod* PVFENDORFIVS *fecit, ſed ex reuelatione, noſtra probamus, quod theologiae proprium eſt, etſi ſubinde, illuſtrationis cauſſa, rationis ſcita in ſubſidium vocemus. Cumque reuelationis lumen perfectius eſſe & plenius, quam rationis, antea dictum ſit, pleniorem etiam noſtram tractationem eſſe oportet, non hominibus quoque quibuslibet, ſed chriſtianis, ſeu regenitis, accomodatam.*

Quod autem ad principia attinet, cum nec nobis ſecundum rationis ductum iurisprudentiam naturalem tractantibus, PVFENDORFII *inſtitutum, ex ſocietatis cuſtodia cuncta deriuantis ſe adprobauerit, nunc ſecundum reuelationem leges diuinas inueſtigantibus, longe ſublimius, idem tamen euidens & adaequatum ſuccurrit principium, vnio videlicet hominum regenitorum cum Deo, ex quo omnia illorum officia accurate & iuſta ſerie, deriuari poſſunt. Hoc ergo operam dedi, vt praemiſſa de legibus ipſis tractatione luculenta, non tantum ſingula regenitorum officia explicarem & ex ſcriptura ſacra cuncta confirmarem ſed ex noſtro iuris diuini principio, vnione ſcilicet cum Deo, omnia ordine deriuarem.*

Praeterea leges diuinas in abſolutas & hypotheticas diuiſi; hypotheticarum nomine illas deſignans, quae inſtitutum aliquod diuinum, vt matrimonium, ſabbathum ſacramenta, dominia rerum, aut ſimile quid, ſupponunt, quae autem eiusmodi quid non ſupponunt, abſolutas adpellitans. Quo ipſo viam mihi inueniſſe viſus ſum, plurimas maximasque difficultates, quae ceteroquin in iuriſprudentia diuina occurrunt, facili negotio ſuperandi. Non enim neceſſe fuerit, leges poſitiuas vniuerſales admittere, cuiusmodi a Deo promulgatas eſſe, facilius dicitur, quam probatur. Quaecunque enim ab aliis ad leges poſitiuas vniuerſales referuntur, longe rectius ita explicari poſſunt, vt partim ex legibus abſolutis, ſed ſecundum naturam reſtitutam ſpectatis, partim ex hypotheticis deriuentur Exemplum praebere poſſunt controuerſiae matrimoniales, in quibus praeſtantiſſimi hactenus viri ingenii periclitati ſunt vires, ſed eo fere ſucceſſu, vt vbi certo

conſiſterent, pedemque figerent, non inuenirent. Sed plana, ni fallor, & expedita omnia ſunt, ſi leges matrimoniales, vti reuera ſunt, hypotheticas, ſupponentes, ex prima matrimonii inſtitutione cuncta deriuemus. Obuiam etiam hac ratione iri poteſt Socinianis & Arminianis, qui, vt probent Chriſtum noui teſtamenti eſſe legislatorem, inter alia exempli loco ſacramenta noui teſtamenti, baptiſmum & ſacram cœnam adferunt. His quod alii ex noſtratibus regeſſerint, ſuo loco dictum eſt, quorum nonnulli eousque progreſſi ſunt, vt leges caerimoniales noui teſtamenti admittendas cenſuerint, ſine vlla quidem neceſſitate, ſacramenta enim, inſtituta ſunt diuina, quibus hominibus beneficium offertur, non leges proprie ſic dictae. Interim quilibet ipſo iure naturali ad ſacramentorum vſum legitimum eſt obligatus, quippe quod praecipit, vt media noſtram ſalutem promouendi a Deo praeſcripta, ſecundum eius voluntatem vſurpemus. Et haſce quidem, ſimilesque leges, quae inſtitutum aliquod praeſupponunt, hypotheticas voco. Quodnam autem inter inſtitutum & legem intercedat diſcrimen, & quod hypotheticarum legum eadem ſit obligandi vis, ac abſolutarum, & quo pacto hac ratione omnibus, quae moueri ſolent, dubiis in iurisprudentia divina occurri planiſſime queat, in ipſa tractatione luculenter, ni fallor, expoſui atque demonſtraui. Vidi equidem haud ita pridem, virum quendam doctiſſimum, in obſeruatione morali, de diſtinctione iuris naturalis in abſolutum & hypotheticum, item de diſcrimine iuſti, honeſti, aequi & decori, *quae* in actis eruditorum Lipſienſibus, ſupplement. tom. IV. ſect. IV. p. 410. *extat, ius diuinum itidem in hypotheticum & abſolutum diſpeſcere; ſed longe alio hoc eum facere ſenſu, quam ego id feci, res ipſa, & meae tractationis, cum eius commentatione collatio, facile quemuis condocere poteſt.*

Vltima denique noſtri operis pars, de prudentia chriſtiana generatim, ſpeciatim de paſtorali, ſeu doctorum eccleſiae, praecipit. Diuerſae vtique quaeſtiones ſunt, an aliquid liceat, an vero etiam conducat? licet haec illam ſupponat, & nihil vtile cenſendum ſit, quod non ſit licitum. Idque ipſe nos iam docuit Paulus apoſtolus, dum πάντα *inquit,* μοι ἔξεστιν ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει, 1. Cor. VI. 12. *Cumque in rebus negotiisque huius ſeculi, vtilitatis non minus ratio haberi ſoleat, quam iuſtitiae aut honeſtatis, in rebus quoque ſpiritualibus, & ad regni diuini amplificationem ſpectantibus, vt idem fiat, par eſt, ne* φρονιμώτεροι *ſint* οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς, Luc. XVI. 8. *Atque hoc eſt, quod paucis in vltima hacce moralis theologiae parte demonſtraui; in qua id porro egi, vt oſtenderem, quo pacto euidentiſſima verae prudentiae principia, ad ſpiritualia applicari queant, vt quilibet chriſtianus ea rite obſeruando, ſuam aliorumque ſalutem,*

cum

Digitized by Google

cum ſucceſſu exoptato promouere poſſit. Potuiſſet idem deinceps in omnibus hominum ſtatibus demonſtrari, ut quae chriſtianae prudentiae in iis rite dirigendis, vis ſit, eluceſceret; ſed cum ita in infinitum fere haecce commentatio producenda fuiſſet, ſatis eſſe duxi, exemplo ſtatus eccleſiaſtici hocce declarare, de quo adeo paulo prolixius egimus, quo pacto in omnibus officii ſui partibus prudentiae quoque leges verbi diuini miniſtri, eccleſiaeque doctores, obſeruare debeant ſummatim exponentes. Ceterum tum in hocce, tum in reliquis operis huius partibus, hinc inde obſeruationes quasdam ſeu annotationes adſperſi, in quibus aut breuius, ac obſcurius dictis lux affunditur, aut dicta quaedam ſcripturae explicantur, aut ſententiae ſingulares virorum doctorum examinantur, aut auctores laudantur, qui argumentum aliquod vberius pertractant. Quae omnia cum ad lectorum commodum ac vtilitatem ſpectent, hoc quoque illis non ingratum fore, ſpero.

Ex dictis itaque quae noſtri inſtituti ſit ratio, quadantenus intelligere licebit: etſi is demum, qui ipſum opus noſtrum, & quidem integrum, perluſtrauerit, accurate, quid in eo praeſtiterimus, perſpecturus ſit. Nec enim cuncta hic indicare, aut ediſſerere licet. Nihil ego hocce qualicunque labore, aliorum in hocce genere ſcriptis longe praeſtantiſſimis, detractum cupio. Ingenue potius & cordate, quae iam ab aliis recte & praeclare dicta aut ſcripta ſunt, laudo, illorumque in eccleſiam chriſtianam merita praedico. Simul tamen peritos harum rerum exiſtimatores, eosque odii & liuoris expertes, intellecturos ſpero, non omnino nihil ad hocce ſtudiorum genus me contuliſſe, ſaltem animum eccleſiae, reique litterariae, cumprimis iuuenum, qui mea inſtitutione vtuntur, commoda, pro viribus promouendi, mihi non deeſſe. Itaque in re, cum id quod officii mei eſt, me praeſtitiſſe credam, immo certo ſciam, de aliorum vt magnopere ſollicitus ſim iudiciis, neceſſe non eſt: iniquos autem cenſores, quibus ſolenne eſt, aliorum arrodere labores, cum tamen meliora quae proferant, non habeant, prorſus contemno, cum iam pridem mihi perſpectum ſit, eiusmodi homines maximum ſuaemet exiſtimationi & famae inurere dedecus, ne dicam, quod peccatis ſe obſtringant grauiſſimis, Deoque dictorum omnium pariter ac factorum rationem ſint reddituri. Faxit Deus praepotens, vt eccleſia ex hocce quoque qualicunque labore, commoda quamplurima, fructusque ampliſſimos, vberrimosque percipiat.

INDEX

Digitized by Google

I N D E X
SERIEM PARTIVM THEOLOGIAE MORALIS
IN HIS INSTITVTIONIBVS EXHIBENS.

PARTIS PRIMAE

Prolegomena: de natura & indole Theologiae moralis, deque adminiculis ſtudio eius inſeruientibus.

cap. I. de natura & gratia.
- ſect. I. de natura & gratia generatim.
- ſect. II. de diſcrimine naturae & gratiae quoad intellectum & habitus intellectuales.
- ſect. III. de diſcrimine naturae & gratiae quoad conſcientiam.
- ſect. IV. de diſcrimine naturae & gratiae quoad voluntatem & virtutes morales.
- ſect. V. de diſcrimine naturae & gratiae quoad facultatem imaginatiuam.
- ſect. VI de diſcrimine naturae & gratiae quoad adpetitum ſenſitiuum & adfectus.
- ſect. VII. de diſcrimine naturae & gratiae quoad mores ex corporis conſtitutione rebusque externis fluentes.

cap. II. de imperfectionibus ac infirmitatibus regenitorum, item de tentationibus, vt & de lucta carnis & ſpiritus

cap. III. de regenitorum ſanctitate & incremento vitae ſpiritualis.

cap. IV. de ſemeiotica theologia, vbi & de dokimaſia ſpirituali.

cap. V. de mediis ſtudium ſanctitatis, incrementumque vitae ſpiritualis promouendi.

PARTIS SECVNDAE

Prolegomena: de natura & indole iuriſprudentiae diuinae, deque adminiculis ſtudio eius inſeruientibus.

cap. I. de actionibus hominum, ſpeciatim regenitorum, prout ad normam ſeu legem dirigendae ſunt.

cap. II. de legibus diuinis vniuerſalibus in genere.

cap. III. de legibus diuinis in ſpecie.
- ſect. I. de officiis hominum erga Deum, ſpeciatim de cultu Dei interno.
- ſect. II. de cultu Dei externo, qua leges tum abſolutas, tum hypotheticas.
- ſect. III. de officiis hominum erga ſe ipſos.
- ſect. IV. de officiis hominum erga alios abſolutis.
- ſect. V. de officiis hominum erga alios hypotheticis.
- ſect. VI. de officiis coniugum, parentum & liberorum, dominorum & ſeruorum.
- ſect. VII. de officiis ſummorum imperantium & ciuium.
- ſect. VIII. de officiis miniſtrorum verbi diuini & auditorum.

cap. IV. de mediis legalibus, quibus ad leges diuinas obſeruandas homines compelluntur.

PARTIS TERTIAE

Prolegomena: de natura & indole prudentiae chriſtianae & theologicae, deque adminiculis eo ſpectantibus.

cap. I. de prudentia chriſtiana.

cap. II. de prudentia eccleſiaſtica & paſtorali in genere.

cap. III. de prudentia eccleſiaſtica & paſtorali in ſpecie.

INSTI-

INSTITVTIONVM
THEOLOGIAE MORALIS
PARS PRIMA.

Digitized by Google



Q. D. B. V.

PROLEGOMENA
DE
NATVRA ET INDOLE
THEOLOGIAE MORALIS DEQVE ADMINICVLIS STVDIO EIVS INSERVIENTIBVS.

Σύνοψις.

Credendorum & agendorum nexus: illorumque neceſſitas ante agenda, §. I.
Agenda a credendis ſeparanda non eſſe, probatur ſcripturae teſtimoniis, §. II.
vi &, ex natura theologiae archetypae, §. III.
Separatim tamen agenda conſiderari poſſunt: unde theologia practica, §. IV.
Theologiae moralis ſtricte ſic dictae, definitio, §. V.
Eſt ſcientia, adeoque cognitio vera, §. VI.
certa, §. VII.
viua & efficax, §. VIII.
hinc & cum ſenſu & experientia ſpirituali coniuncta, §. IX.
eſt porro, ſcientia practica, §. X.
& quidem habitualis, pro principio unico habens ſcripturam ſacram, §. XI.
obiectum eius, atque ſubiectum, §. XII.
Cauſae theologiae moralis, efficiens, meritoria, inſtrumentalis, §. XIII.
Finis, §. XIV.
Adminicula ſummatim indicantur, §. XV.
Scripturae ſacrae lectio, §. XVI.
Naturae, praeſertim reſtitutae, conſideratio, §. XVII.
Lectio aliorum ſcriptorum, quorum magna varietas, §. XVIII.
Quinam ex eccleſiae patribus huc faciant, §. XIX.
Speciatim de Auguſtino, alii que, §. XX.
Scholaſtici quid huc conferant, §. XXI.
Item ſcriptores theologiae moralis ſyſtematici recentiores, apud Pontificios, §. XXII.
Lutheranos, §. XXIII.

Reformatos, §. XXIV.
De Scriptoribus aſceticis, §. XXV.
Item, myſticis: myſticae theologiae origo, §. XXVI.
Purioris, quae a morali non differt, ex ipſa Scriptura ſacra repetenda, §. XXVII.
Commixtio eius cum philoſophia Platonica, §. XXVIII.
In unum corpus redacta eſt a Dionyſio Areopagita, §. XXIX.
Quo pacto in occidentali eccleſia effloruerit, §. XXX.
Scholaſtica theologia occaſionem dedit theologiae myſticae diligentius excolendae, §. XXXI.
Facies ſtatusque theologiae myſticae, poſt reformationem Lutheri, §. XXXII.
Quid in ſcriptoribus myſticis reprehendendum, §. XXXIII.
Quid laudandum, §. XXXIV.
Uſus exemplorum & hiſtoriarum in theologia morali, §. XXXV.
Philoſophia moralis quid huc conferat, §. XXXVI.
Methodus, ratioque primam hancce partem tractandi, §. XXXVII.

§. I.

ETſi ea, circa quae theologia occupatur, in credenda & agenda, diſpeſci ſoleant, * arctiſſimo tamen vinculo haec inter ſe coniuncta ſunt, nec diuelli vlla ratione debent. Credenda namque praecedere debent, niſi quis exiſtimauerit, ambulari homines commode in tenebris poſſe, aut fructum dari ſine arbore. Vult Deus omnes homines ſaluari, ſed ita, vt ad agnitionem veritatis perueniant. *1 Tim. II, 4.* Et ſi quis pie viuere cupit, neceſſe eſt, vt Moſen audiat atque Prophetas. *Luc. XVI, 29.* add. *Prouerb. I, 2. 3. Eſa. XI, 9. Ioan. V, 39. 2 Tim. III. 15. 16. 17.*

* Duobus hiſce capitibus omnem theologiae ambitum, non recentiores tantum, ſed & veteres circumſcribunt. Confeſſor ille Laicus in Concilio Nicaeno, apud SOCRATEM *Lib. 1. c. 5*, ita loquitur: *Chriſtus certe & apoſtoli, artem dialecticam nobis neutiquam tradiderunt, neque inanes fallacias,* ἀλλὰ γυμνὴν γνώμην πίστει καὶ ἀγαθοῖς ἔργοις φυλαττομένην *ſed apertam doctrinam, fide ſeruandam & bonis operibus.* AVGVSTINVS: *In his, quae aperte in Scriptura poſita ſunt, inuenientur illa omnia, quae continent fidem, moresque viuendi, ſpem ſcilicet, atque charitatem: de doctrina chriſtiana lib. 2. cap. 9.* add. LACTANTIVS *lib. 3. de falſa Sapientia; cap. 30.*

§. II.

Ad praxin vero vitae cum credenda comparata ſint, haec, quae coniunctiſſima eſſe debent, ſeparare, nefas fuerit. Eſt namque theologia ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας, ſed τῆς κατ' εὐσέβειαν, & quidem ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου *ſub ſpe, ſeu ad ſpem vitae aeternae, Tit, I, 1. conf. 1 Tim. VI, 3.* idemque eſt *ſpiritus ſcientiae, & reuerentiae Domini, Eſa. XI, 2.* Vnde Chriſtus ait: *ſi haec ſciatis, beati eſtis, ſi iſta praeſtetis, Ioan. XIII, 17.* Scientia, praxi deſtituta, *inflat, charitas autem aedificat. 1 Cor. VIII, 1,* add. *Matth. VII, 21.* item *24. ſeqq. Rom. II, 13. 1 Cor. XIII. 1. 2. Iacob. I, 22. 23. III, 17.*

§. III.

Idem ex natura theologiae archetypae, quae in Deo eſt, patet. Vt enim τὸ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως in eo admiramur,

Rom. XI, 33. ita non minus τὸν πλοῦτον τῆς χρηστότητος αὐτοῦ, καὶ τῆς ἀνοχῆς, καὶ τῆς μακροθυμίας in eo pie veneramur, *Rom. II, 4.* Et vt ſumma omnis praxeos in amore continetur, *Gal. V, 6.* ita Deus eſt ipſe amor *1 Ioh. IV, 8.* Hinc &, cum imago Dei, ad quam conditi ſumus, in nobis reſtauranda eſt, non minus *in cognitione, Coloſſ. III, 10.* quam *iuſtitia & ſanctitate* proficimus, *Eph. IV, 24.* Imago vero diuina, vt omnium perfectiſſime in Chriſto relucet, ita in eo non tantum reconditi ſunt *omnes theſauri ſapientiae & cognitionis Col. II, 3.* ſed idem in omni virtutum genere, ὑπογραμμὸν nobis reliquit, vt veſtigiis eius inſiſtamus, *1 Petr. II, 21.* add. *Matth. XI, 29.* Poſſet idem ex natura & conditione hominis, item ipſa articulorum fidei ſeu credendorum inductione, probari: ſed ea nunc mittimus.

§. IV.

Interim nihil obſtat, quo minus peculiaris theologiae pars conſtituatur, quae ſpeciatim de agendis praecipiat. Etſi enim in praxi vitae chriſtianae, credenda & agenda ſint coniunctiſſima, diſtincte tamen & credenda & agenda, ſtricte ſic dicta, conſiderari poſſunt. Quamuis fieri vix poſſit, vt non in ipſa credendorum tractatione, ad agenda, & vice verſa, in agendorum conſideratione, ad credenda, ſubinde reſpiciatur. Ea vero theologiae pars, quae agenda ſeorſim conſiderat, *practica* vocari ſolet, ab obiecto ſcilicet, non a fine. Ratione finis enim tota theologia practica eſt. Dicitur & *moralis*, voce iſta latius accepta. Etenim, cum agenda ad tres reuocari claſſes queant, * quarum prima ea, quae ad vitae ſpiritualis incrementum pertinent, altera actiones regenitorum ad legem diuinam, tertia, easdem ad regulas prudentiae chriſtianae, exigendas, complectitur, fas nobis fuerit, voce iſta ſtrictius ſumta, quae primae claſſis agenda conſiderat, *theologiam moralem*, adpellitare.

* Eadem hic eſt ratio theologiae, ac philoſophiae practicae. Vtriusque tres commode conſtitui poſſunt partes, pro obiectorum diuerſitate. Pro obiecti enim formalis diuerſitate, diuerſas aut diſciplinas, aut diſciplinae vnius partes conſtitui poſſe, notum eſt. Iam vero aliud obiectum habet theologia moralis ſtricte ſic dicta, incrementum ſcilicet vitae ſpiritualis, aliud iurisprudentia diuina, ſcilicet actiones hominum ad leges dirigendas, aliud prudentia chriſtiana, actiones ad regulas prudentiae chriſtianae ac theologicae componendas. Eodem fere modo philoſophiae practicae tres partes conſtitui, ethicam, homini ad ſummam felicitatem viam monſtrantem, iurisprudentiam naturalem, & prudentiam ciuilem, quarum illa ad leges naturales, haec ad prudentiam ciuilem, actiones hominum componere docet. conf. *elem. philoſoph. pract. pars* 1. *cap.* I. §. 3. Vt vero *ethicae* vox aut generaliter ſumitur pro tota philoſophia practica, quo ſenſu veterum quidam totam philoſophiam in *logicam*, *phyſicam* & *ethicam* diuiſere, vid. DIOGENES LAERTIVS *in vita Epicuri p.* 609. SENECA *epiſt.* 129. aut ſpecialiter pro *prima practicae philoſophiae* parte: ita nunc mihi etiam liceat vocem *theologiae moralis* ſpeciatim pro ea parte vſurpare, quae de vitae ſpiritualis incrementis, mediisque eo ſpectantibus

ſtantibus, praecipit, licet in latiori etiam ſignificatione, iuriſprudentiam diuinam, & prudentiam chriſtianam complectatur.

§. V.

Per theologiam itaque moralem, ſtricte ſic dictam, intelligimus ſcientiam practicam, ſecundum diuinarum litterarum ductum, docentem, quo pacto homines regeniti, in vita ſpirituali ad diuinae imaginis vlteriorem reſtaurationem magis magisque proficere debeant, donec tandem, depoſita poſt mortem omni imperfectione, aeternae & ſummae felicitatis participes fiant.

§. VI.

Scientiam, dum eam vocamus, ſumpta iſta voce in ſignificatione theologica, & vt in ſcriptura ſacra ſumi conſueuit, veram hanc cognitionem eſſe ſupponimus. Falſa enim & erronea cognitio, ne quidem *ſcientiae*, multo minus, *theologiae* nomine digna eſt. Habet haec auctorem Deum, qui mentiri nequit. *Num. XXIII, 19.* Summus eius magiſter ipſe Chriſtus eſt, qui *& vita, & via & veritas eſt, Ioan. XIV, 6.* non excluſo Spiritu Sancto, qui eſt *ſpiritus veritatis, quem mundus accipere nequit, Ioan. XIV, 17.* Procul itaque faceſſere iubemus, omnes haereticorum, aliorumque errores, qui ſiue circa credenda, ſiue circa agenda verſentur, vitae tamen etiam ſanctitati noxii ſunt, licet directe alii, alii indirecte.

§. VII.

Cum enim cognitio vera, vel certa ſit, vel probabilis, hic *certam* intelligi, manifeſtum eſt. Nec enim alia *ſcientiae* nomen promeretur. Diuina nimirum nititur auctoritate, quae fallere nequit. Sermo ille propheticus, ex quo cognitio haec fluit, *βεβαιότερος* eſt, *2 Petr. I, 19.* cui ſi quis fidem habeat, nullatenus decipitur. Locuti enim ſunt viri iſti ſancti, *φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου ibid. v. 21.* Atque ille ipſe Spiritus teſtatur in cordibus fidelium, haec vera eſſe. Cuius teſtimonio nihil certius eſſe poteſt. *Accepimus,* inquit Paulus, *non ſpiritum huius mundi, ſed ſpiritum ex Deo, ἵνα εἰδῶμεν. vt ſciamus, quae a Deo nobis gratificata ſunt. 1 Cor. II, 12.* conf. *Prouerb. XVI, 2. XXI, 2. 2 Cor. IV, 13. 2 Tim. I, 12.* Scepticiſmum itaque omnem, theoreticum pariter ac practicum, procul hinc abeſſe iubemus, qui cum iſta cognitionis diuinae certitudine, conſiſtere nequit.

§. VIII.

Non ſufficit, hanc cognitionem, quae ſcientiae nomine, iuxta ſcripturae ſacrae ſtilum, nobis venit, eſſe veram & certam, requiritur etiam vt *viua* ſit, & *efficax.* Ceteroquin enim parum nobis prodeſſet. Namque omnis cognitio & ſcientia in ſpiritualibus eo tendere debet, vt in

praxi

praxi vitae, viua fiat & ſalutaris: ideoque credenda cum agendis arctiſſimo vinculo coniuncta eſſe, antea demonſtrauimus. Hinc & ſcriptura, veram cognitionem cum praxi operum coniunctam eſſe, docet. De ſe ipſo Chriſtus: *& noui eum & verbum eius ſeruo. Ioan. IIX, 55.* & de hominibus, *ſi haec ſciatis, beati eſtis, ſi iſta praeſtetis. Cap. XIII, 17.* Sic & de verbo euangelii Paulus: *& eſt fructificans, quemadmodum etiam in vobis, a quo die audiuiſtis, & cognouiſtis gratiam Dei in veritate, Coloſſ. I, 6.* conf. *& v. 9. & 10.* Hinc & ſapientia ſuperna *plena dicitur bonorum fructuum, Iacob. III, 17.* Planiſſime Ioannes: *ſi quis dicat, noui eum, & mandata eius non ſeruat, mendax eſt. 1 Ioan. II, 4.* conf. & *cap. III, 6.* it. *Iob. XXVIII, 28.* vt & *Rom. II, 18. 22. 23.*

§. IX.

Qui ita efficaciter & ſalutariter veritatem diuinam cognoſcit, *αἴσθησιν* quoque, hoc eſt, *ſenſum*, ſeu *experientiam* rerum diuinarum habet, *Pſ. XXXIV, 9. Ioan. VII, 17. 1 Petr. II, 3. Ebr. VI, 4 5.* Hinc *ἐπίγνωσιν* & *αἴσθησιν* iungit Apoſtolus *Phil. I, 9.* Quae *αἴσθησις* vt earum rerum eſt, quae experientia ſentiuntur, ita vel maxime in iis adeſſe debet, qui habitum theologiae ſibi vindicant, quamquam nemo qui vera & viua fide praeditus eſt, eius expers cenſeri debeat. * Multum autem referre, an aliquis aliquid cognitione, *vera* quidem, in quantum conceptus eius conceptibus ſcripturae ſacrae conformes ſunt, ſed *mortua*, & *inefficaci*, an contra *viua*, *efficaci*, ſenſuque & experientia ſpirituali, adeoque *ſalutariter*, cognoſcat, conſtat inter omnes, ** & vel ea, quae in rebus naturalibus datur experientia, quemlibet condocere poteſt.

* Bene hoc explicat B. SALOMO GLASSIVS, *agnitio* (*ἐπίγνωσις*) *haec, eſt viua fides in Chriſtum, Tit. 1, 1. Ioan.* XVII, 3. *Eſ.* LIII, 11. *Eam comitatur αἴσθησις ſenſus, hoc eſt, experientia interior animae, ſeu interius Spiritus S. in corde teſtimonium, de gratia Dei, & adoptione ad ſalutem, de quo Rom.* V, 1. 5. IIX. 15. 17. XIV, 17. *Ebr.* V, 17. *Rhetor. ſacr. p.* 357.

** Hinc cum iuxta notiſſimam illam ſtudii theologici regulam, praeter orationem, & meditationem, tentatio quoque theologum faciat, B. LVTHERVS ipſe hoc ita explicat: *docet tentatio non ſolum ſcire, ſed etiam ſentire & experiri certitudinem, veritatem, ſuauitatem, efficaciam & conſolationem verbi, quod id ſapientia ſit ſupra omnem ſapientiam; ſuper Pſ.* CXIX. Quem locum etiam adfert ABRAHAMVS CALOVIVS *in paedia theolog. p.* 75.

§. X.

Scientiam praeterea hanc vocauimus *practicam*. Non ſcilicet *a fine*, quippe quo pacto reuera omnis cognitio & ſcientia theologica, vt antea indicatum, practica eſt, & ea etiam theologiae pars, quae circa credenda verſatur, practica dici poteſt: ſed *ab obiecto*, quia circa agenda verſatur. Cumque etiam iurisprudentia diuina, & prudentia chriſtiana circa agenda verſentur, hoc recte generis loco a nobis poſitum, manifeſtum eſt.

§. XI.

§. XI.

Non qualemcunque etiam ſcientiam practicam, ſed habitualem intelligimus, per quam non tantum qui ea praeditus eſt, proficere in vitae ſpiritualis incremento poſſit, ſed quae ad docendum etiam alios eum aptum reddat, vt homo Dei ἄρτιος ſit, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος *2 Tim. III, 17.* Ab hac enim ſcientia habituali, theologi denominantur, quae denominatio in homines ſimpliciores, & docendi imperitos, non cadit. Principium autem, norma & regula vnica, ſcientiae huius, quam in diſcendo & docendo ſequi debemus, eſt ſcriptura ſacra, * quae abunde ſufficienterque ea omnia tradit, quae non tantum ad credenda, ſed etiam ad agenda pertinent. *2 Tim. III, 16. Rom. XV, 4.*

* Unde quodnam inter theologiam, & philoſophiam moralem diſcrimen, intercedat, patet. Differunt ſcilicet principio cognoſcendi: quod in theologia morali eſt *reuelatio*, in philoſophia *recta ratio*. Ratio vero, cum in hacce parte vel maxime deficiat, & nec mali, peccatorumque originem, ac corruptionis profunditatem, nec media inde eluctandi, & ad veram felicitatem, vitaeque ſanctitatem perueniendi, aut, quod theologiae morali proprium eſt, in ea rite proficiendi, perſpecta habeat, & ea omnia, quæ gratia efficit, in quibus praecipuum moralis theologiæ caput conſiſtit, ignoret, ad multa omnino capita hocce ſe extendere diſcrimen, manifeſtum eſt, conf. quae hac de re dixi, *in elem. philoſ. pract. part.* 1. *cap.* 1. §. 24. *ſqq.* Addi poſſunt, quæ de inſufficientia luminis naturalis ad ſalutem paſſim diſputari ſolent. Qui *legem diuinam*, principium cognoſcendi in theologia morali vocant, de ea ſpeciatim in theologiae moralis parte, quae de officiis praecipit, quamue nos *iurispr. diuinam* vocamus, loquuntur.

§. XII.

Obiectum theologiae moralis, eſt incrementum hominum regenitorum in vita ſpirituali. Subiectum vero, ſcilicet operationis, vt loqui ſolent, ſunt homines regeniti, in quantum in virtute & pietate, ſeu vita ſpirituali creſcere atque proficere poſſunt. Vbi nunc quidem ſupponimus, quod fuſius alibi demonſtratur, cum ante conuerſionem in peccatis homines eſſent mortui, poſt vires in regeneratione per fidem acceptas, eos in vita ſpirituali creſcere, ac proficere poſſe, *Epheſ. III, 16. 19. IV, 13. 14. Phil. I, 9. 1 Ioan. II, 12. 13. 14. 1 Petr. V, 10. 2 Petr. III, 18.* Quemadmodum vero per gratiam, non vero per naturam, homo id habet, quod proficere in vita ſpirituali poſſit; ita ad obiectum hocce legitime tractandum, neceſſe eſt, vt expoſito naturae & gratiae diſcrimine, quae inbecillitates regenitis adhuc adhaereant, indicetur, tum quae vitae illa ſanctitas ſit, ad quam contendere debeant, exponatur, & denique media ſuppeditentur, per quae ſuperatis obſtaculis, remotisque infirmitatibus, in ſanctitate, vitaque ſpirituali proficere queant. Id quod ex ipſa luculentius conſtabit tractatione.

§. XIII.

Ceterum licet homo ipſe per vires ſpirituales in regeneratione acceptas, ad hocce incrementum vitae ſpiritualis aliquid conferre queat,

queat, quia tamen gratiae & quidem cooperantis opus eſt, cauſſa eius efficiens principalis eſt, atque manet Deus triunus, pater *Phil. I, 6. 1 Theſſ. V, 23.* filius *1 Cor. I, 30. Ebr. II, 11. Ioan. XV, 5.* & ſpiritus ſanctus *Tit. III, 5. Rom. I. 4. VIII, 14. 26. 1 Cor. III, 16.* Chriſtus vero non tantum cum patre & ſpiritu ſancto vitam hanc ſpiritualem in nobis producit, auget, conſeruat, ſed ſuo merito etiam eam nobis acquiſiuit. *Ebr. IX, 4. Rom. VI, 6. 8. Gal. III, 14.* Cauſſa denique inſtrumentalis eſt verbum & ſacramenta, *1. Ioh. III, 9. Pſ. CXIX, 11. Luc. VIII, 15. Tit. III, 5. Rom. VI, 3. 5. 1 Petr. III, 21.* accedentibus ex parte hominis variis exercitationum ſpiritualium generibus: de quibus ſuo loco ex inſtituto exponetur.

§. XIV.

Finis proximus, eſt vlterior reſtauratio imaginis diuinae. Licet enim iam in regeneratione deſtructio imaginis ſatanae, & reſtauratio imaginis diuinae incipiat, *Ioh. III, 3. 6.* in renouatione tamen, ſeu ſanctificatione vtraque continuanda, docente diſerte Apoſtolo, *Epheſ. IV. 22.* & *Col. III, 10.* At in hac vita perfecta eius reſtauratio non obtinetur, *1 Cor. XIII, 12. Ebr. XII, 1.* ſed in futura demum vita, *1 Ioan. III, 2.* in qua adeo ſummae & perfectae felicitatis reddimur participes, non vllo noſtro merito, ſed gratia & miſericordia Dei, meritoque Chriſti, vera fide apprehenſo, *Ioan. III, 16. Rom. VI, 23. Epheſ. II, 8.*

§. XV.

Vt in ſtudio theologiae moralis rite aliquis proficiat, non negligenda ſunt ſubſidia, praeter viuae vocis inſtitutionem, huc vel maxime comparata. * Ea ſunt: ſcripturae ſacrae, eorum praecipue librorum, in quibus velut ex inſtituto moralia tractantur, diligens & attenta lectio & meditatio; naturae praeterea, praeſertim reſtitutae, accurata conſideratio, & cum corrupta, ad vtriusque diſcrimen eo rectius intelligendum, comparatio; & librorum denique, quibus hanc theologiae partem veteres pariter ac recentiores inſtruxerunt, cauta & cum δοκιμασίᾳ coniuncta, lectio.

* Quae generatim ſtudio theologico inſeruiunt media, orationem, meditationem, tentationem, nunc ſupponimus.

§. XVI.

Scripturam ſacram nunc non tanquam principium, ſed tanquam fontem vberrimum omnis ſapientiae diuinae conſideramus. Ea ingentes ſolidioris doctrinae theſauros nobis recludit: de vita praecipue hominis recte inſtituenda tam plene nos inſtruit, vt vel eo praecipue argumento, eius ἐξοχὴν prae ſcriptis humanis omnibus, ipſamque θεοπνευστίαν comprobare nonnulli adgreſſi ſint. * Nec vllus ſcripturae

 liber,

liber, qui non aut exemplis, aut praeceptis, dogmatibusque nos inſtruat. Sermones tamen varios ipſius ſeruatoris,** epiſtolasque Paulinas*** vel maxime huic inſeruire inſtituto conſtat: ex veteri etiam teſtamento ſcripta Salomonaea,**** praeſertim ſi vbique ad veros & genuinos chriſtianarum actionum fontes reſpiciatur: ceteroquin pleraque ad eam potius moralis theologiae partem, quae de officiis, deque chriſtiana prudentia praecipit, ſpectare, palam eſt.

* Id ex inſtituto agit VINCENTIVS PLACCIVS, in libro, cui titulum fecit: *philoſophiae moralis plenioris fructus praecipuus* &c. add. quae in compendio hac de re diximus *element. philoſ. pract. part. 1. cap. 6. §. 55. ſqq.*

** Moralem doctrinam ſeu *Ethicam Chriſti*, patrum teſtimoniis illuſtratam, lingua Germanica dedit ERNESTVS SALOMO CYPRIANVS, V. C. Coburgi MDCCVII. 8uo.

*** Etſi enim in grauiſſimis fidei capitibus plerumque occupatus ſit diuinus ſcriptor, nullam tamen occaſionem ad praxin vitae dogmata traducendi, praetermittit.

**** Scripta Salomonaea ob inſignem, quem in moralibus vſum habeant, generatim commendat HENRICVS IVLIVS SCHEVRLIVS *bibliograph. moral. pag.* 97. Quod tamen recte capiendum. Finem ſcopumque eorum non aſſequuntur, qui intra vſus philoſophicos ſubſiſtunt, non aliter, quam Phaedri fabulas, aut Theognidis ſententias ea legentes: nec ſublimius quid ibi quaerentes. Nec alia tamen videtur mens eſſe GABRIELI NAVDAEO, dum Salomonis ſcripta, cum libro ſapientiae & eccleſiaſtico ita commendat: *quorum ſic eſt vniuerſalis doctrina, ſic apta & caſtigata methodus, vt, quemadmodum etiam de oratione dominica dicitur, omnium hominum generi vtiles eſſe poſſint, chriſtianis, ethnicis, philoſophis, religioſis, piis, impiis, ac propterea ſine flagitio in hoc cenſu librorum praetermitti non debent*; *bibliograph. polit. p.* 503. ex edit. Thomae Crenii. Mentem profanam, ſummamque in theologicis imperitiam, clarius prodere non potuiſſet NAVDAEVS, vir alias haud indoctus. Ad vſum ab eo indicatum cum maxime etiam comparata ſint VICTORINI STRIGELII *in prouerbia & Eccleſiaſten commentaria*, quid de iis cenſendum ſit, palam eſt. Fuerunt etiam, qui dogmata Salomonaea in ordinem quendam ſyſtematicum redigere conati ſunt, vt IOSEPHVS HALLVS, cuius extat *ethica, politica & oeconomica Salomonaea*, Anglice ſcripta: ſed in linguam Germanicam conuerſa. Idem inſtitutum fuit auctoris anonymi, qui lingua Gallicana ſcripſit: *conſilia Salomonis, ſiue collecta Salomonis axiomata, maxime neceſſaria homini, vt ſe ipſum ſapienter dirigat*; quae & latino ſermone prodierunt Coloniae Agrippinae, anno MDCXCIV. 12. haud ita pridem etiam in linguam Germanicam translata.

§. XVII.

Naturae praeterea, praeſertim reſtitutae, conſideratio, & cum corrupta comparatio, profectus in hoc ſtudiorum genere, plurimum iuuat.* Naturae autem voce, humanam intelligimus, eadem facultates omnes mentis corporisque connotantes, quas perſpectas accurate habere, earumque diſcrimen, ſi tum in ſumma, in qua omnes naſcuntur homines, corruptione, per educationem, aliasque cauſſas morales naturalesque, mirifice aucta, tum in reſtitutione, quae per Numinis gratiam illis obtingit, ſpectentur, tenere, plurimum profecto refert. Namque, quam ex ipſa rerum conſideratione haurimus, notitiam, accuratiorem ſolidioremque eſſe, quam quae ex humanis libris ſaltem,

tem, aut aliorum relatione accipitur, etiam praeſtantiorum philoſophorum ſcitum eſt.

* Hoc eſt, quod alii dicunt, cum *libro ſcripturae*, coniungendum ſedulo eſſe *librum conſcientiae*. Eoque referenda ſed recte quoque intelligenda ſunt, quae B. IO. ARNDIVS *de magno & interno hominis regeniti theſauro*, ex inſtituto, *lib. 3. de vero chriſtianiſmo*, differit.

§. XVIII.

Vltimum denique locum ſcripta varia & libri eruditorum tenent, quorum in moralis theologiae ſtudio, vſus aliquis eſſe poteſt. Sunt iſti vel veterum eccleſiae doctorum vel recentiorum: & horum iterum ſyſtematici ſunt alii, alii aſcetici, quorſum myſticorum, quos vocant, ſcripta referre licet: nec negligendi, qui exemplis & hiſtoriis hanc theologiae partem inſtruunt promouentque: quemadmodum, & ex philoſophiae moralis ſcriptoribus, nonnulli, ſpeciatim characteriſtici, non omnino nullius vſus ſunt.

§. XIX.

Ex patribus, * primo quidem ſeculo CLEMENS ROMANVS, POLYCARPVS & IGNATIVS, in epiſtolis genuinis, ſparſim quaedam dabunt, cum dogmatibus more apoſtolorum ea, quae ad mores formandos, vitaeque ſanctitatem promouendam pertinent, coniungentes: nonnulla etiam, ſed itidem ſparſim fere, ſeculo ſecundo IVSTINVS MARTYR & IRENAEVS, & ſeculo tertio TERTVLLIANVS, ORIGENES, GREGORIVS Neocaeſarienſis, CLEMENS ALEXANDRINVS, CYPRIANVS: etſi ex his quidam Platonica dogmata, aut alios errores admiſcentes, purioris doctrinae moralis fontes, haud parum coinquinauerint. Seculo quarto BASILIVS M. GREGORIVS vterque, NAZIANZENVS, atque NYSSENVS, CHRYSOSTOMVS, AMBROSIVS, aliique, partim ex inſtituto, partim aliud velut agendo, praeſertim in homiliis, ad hunc ſcopum perquam accommodatis, ſedulo inculcarunt, quae vitae ſanctioris ſtudium promouere poſſunt: ſed omnibus tamen dubiam hic palmam reddit MACARIVS ille Aegyptius, tum in homiliis, tum in aliis opuſculis: earum quippe rerum, quae ad interiorem animi culturam pertinent, callentiſſimus, & hoc nomine a quibusdam inter myſticos ſcriptores relatus.

* Summatim praecipuos patrum, qui nonnulla ad noſtrum inſtitutum ſpectantia ſcripſerunt, indicaſſe ſuffecerit: de quibus prolixius, ſingula illorum ſcripta edifferendo, ago in *hiſtoria critica theologiae moralis*, quam ſelectis quibusdam diſcipulis tradere ſoleo. Recenſet ea ceteroquin etiam GEBHARDVS THEODORVS MEIERVS, in introductione *in vniverſum theologiae moralis, cum dogmaticae, tum pragmaticae ſtudium*. Canones conciliorum, eorumque collectores, idem iungit, & poſt eum alii. At ad eccleſiae diſciplinam comparati iſti fuerunt: quae ad interiorem animi culturam faciunt, inde non diſcas, adeoque ad theologiam moralem, proprie ſic dictam, parum faciunt.

§. XX.

Superſunt AVGVSTINVS & HIERONYMVS, quos ad ſeculum quintum nonnulli referunt: qui vt omnes theologiae partes, ita eam quoque, quae de moribus tractat, variis ſcriptis illuſtrarunt: idque AVGVSTINVS praecipue tanta ingenii felicitate praeſtitit, * vt velut oraculum aliquod occidentalis eccleſiae euaderet, & ex eo tempore, tanto quis, in theologia etiam morali doctior cenſeretur, quanto rectius Auguſtini mentem teneret. Circa officia etiam cum varias quaeſtiones moueret, caſusque dubios euolueret, occaſionem ſcholaſticis praebuit, hiſce eius veſtigiis diligenter inſiſtendi. Certamina praeterea, quae illi tum, aliisue, cum Pelagianis interceſſerunt, ** occaſionem dederunt, doctrinam de gratia atque natura diligentius excolendi, quam in morali theologia vtramque facere paginam, notum eſt, & ex dicendis conſtabit. De reliquis, qui patrum adhuc nomine veniunt, LEONE I. ſeu magno, SALVIANO, ISIDORO, GREGORIO M. aliisque, pro ſeculi, quo vixerunt, conditione, ferendum iudicium.

* Scripta AVGVSTINI pariter ac HIERONYMI moralia, alibi enumero. In praeſenti facere non poſſum, quin libros AVGVSTINI duos, *de moribus eccleſiae catholicae & Manichaeorum* commemorem, in quorum priori, velut compendium aliquod moralis theologiae exhibet, iisdem principiis ſuperſtructum, quibus & nos inſiſtimus. Fundamenti loco ponit, ſolum Deum animae noſtrae ſummum eſſe bonum: indeque concludit, Deum ſupra omnia amandum: virtutes autem nihil aliud quam diuerſos amoris huius diuini modos eſſe, accurate oſtendit.

** De quibus praeter veteres, GERARDVS IOAN. VOSSIVS, HENRICVS NORISIVS, aliique ex inſtituto.

§. XXI.

Cum ſcholaſtica theologia etiam ſyſtematica originem cepit, * cum ad vtramque certis gradibus via ſtrata eſſet. Neque dogmaticam ſaltem, ſed moralem etiam theologiam, ſuis ſyſtematibus complectebantur veteres ſcholaſtici. In qua quidem Ariſtotelicae philoſophiae, legumque eccleſiaſticarum, ciuiliumque, cum theologia ex ſententiis patrum hauſta, mixtura, admodum monſtroſa, ſi quid vel maxime bonae frugis reperiatur, ad hanc, de qua loquimur, moralis theologiae partem parum facit. De officiis enim ſaltem, actionibusque ad leges componendis, variisque hinc reſultantibus caſibus, diſceptabant, de interiori animi cultura parum ſolliciti. Hanc ergo moralis theologiae partem, velut derelictam occupaturi alii, patrum quorundam, qui Platonica puriori doctrinae admiſcuerunt, arripuerunt ſcripta: vnde myſticae theologiae cultura: cuius adeo vt in tractandi methodo, ita in obiecto quoque, a ſcholaſtica,

a ſcholaſtica, magna erat diuerſitas. Scholaſtica enim eam, quae de officiis praecipit, maxime inſtruebat theologiae moralis, latius ſic dictae, partem: quae interiorem animi culturam reſpicit, a myſticis colebatur, de quibus deinceps.

* Conf. IOAN. MICHAELIS LANGII, viri celeberrimi, diſſertatio prooemialis, *de origine & progreſſu theologiae moralis ſyſtematicae*, Io. Conradi Durrii, compendio Theologiae moralis, praemiſſa §. 7 *ſeqq.*

§. XXII.

Syſtematicam docendi theologiam tum dogmaticam, tum moralem, rationem, non tantum retinuerunt Pontificii, ſed & qui poſt felicem eccleſiae a foediſſimis erroribus repurgationem ab illis recedere coacti ſunt, tum noſtrae eccleſiae doctores, tum & Reformati, aliique. Et Pontificiorum quidem, qui moralis theologiae vaſta dedere volumina, ingens eſt numerus, ſiue in Thomam de Aquino commentati ſint, ſiue ſub titulo, *inſtitutionum moralium*, aut de *iuſtitia & iure*, aut de *virtutibus & vitiis*, vel de *quatuor virtutibus cardinalibus* ſimilibusque, ſuum executi ſint inſtitutum. * Praeterquam vero, quod veterum ſcholaſticorum vitia adeo non emendauerint, vt nouis etiam erroribus ea auxerint: ** ad iſtum, quem nobis conſtituimus finem, non pertingunt, officiorum ſaltem exteriorum, & quae huc pertinent, conſideratione, tractationem ſuam circumſcribentes, eoque nomine ſi quid commodi afferre poſſunt, iurisprudentiae diuinae potius ſtudio inſeruientes.

* Praecipuos recenſet GERHARDVS THEODORVS MEIERVS, *in introduct. in theol. moral. ſtud. cap. 9. ſeq.* add. IO. FRIDERICVS MAYERVS *in bibliotheca ſcriptorum theol. moralis Pontificiorum*, Aegidii Strauchii theologiae morali adiecta.

** Nota ſunt recentiorum, quos vocant, Moraliſtarum, ſpeciatim Ieſuitarum dogmata, de aequiuocationibus & reſeruationibus mentalibus, probabili conſcientia, methodo dirigendi intentionem, peccato philoſophico, & reliqua, Romanenſium etiam quibusdam exploſa, ſpeciatim LVDOVICO MONTALTIO, ſeu BLASIO PASCHALI in *litteris provincial.* & WENDROCKIO ſeu NICOLIO, qui notas ad eas ſcripſit, add. quae dixi in *hiſtoria juris natural.* §. 11. *ſeqq.* Huc pertinet liber, gallica lingua ſcriptus: *La Morale des Jeſuites extraite fidelement de leurs livres, &c.* cuius editio tertia anno MDCCII. prodiit. Ceterum quae HVGO GROTIVS *prolegom. oper. de iure belli & pacis* §. 52. in laudem ſcholaſticorum adfert, tanti non ſunt, inducere vt aliquem poſſint, vt credat, multum bonae frugis ex illorum ſcriptis hauriri poſſe.

§. XXIII.

Cum B. MARTINI LVTHERI opera priſtina facies, abſterſis ſordibus, theologiae tum dogmaticae, tum morali reddita eſſet, initio quidem credenda & agenda, vti reuera inter ſe coniunctiſſima ſunt, ita coniunctim etiam tractabant theologi. * Mox conſultum nonnulli putantes, haec ſeorſim tradere, eam praecipue partem, quae de offi-

ciis praecipit, exemplo Scholaſticorum & Pontificiorum, at erroribus remotis, ex genuinis principiis, excolere coeperunt. Vnde haud exiguus illorum numerus, qui *caſus conſcientiae* ediderunt, ** aut *reſponſa* & *conſilia* theologorum collegerunt. Quo ipſo vt omnem moralis theologiae ambitum neutiquam complexi ſunt, ita eam, quae de interiori animi cultura praecipit, partem, pro ſui inſtituti ratione attingere non potuerunt. Qui deinceps compendia aut ſyſtemata theologiae moralis condiderunt, maiori equidem ſtudio hoc argumentum exhaurire aggreſſi ſunt, pauci tamen aut eam partem attingunt, aut ea, qua decet ratione, pertractant.

* Id quod vel PHILIPPI MELANCHTHONIS exemplo patet, qui quidem veteres ſcholaſticos imitatus, in *locis ſuis theologicis*, omnem theologiam moralem complexus eſt, vt facile intelliget, qui, quae de libero arbitrio eiusque viribus, de lege, de peccato eiusque fructibus &c. diſſerit, legerit. MELANCHTHONIS veſtigiis MARTINVS quoque CHEMNITIVS inſiſtit: nec fuit, quantum mihi conſtat, ſeculo decimo ſexto ex noſtratibus theologis, qui moralem theologiam ſeorſim ſyſtematice tractaret. Recte quidem. Nec tamen vituperandi, qui eam ſeorſim tractare coeperunt; modo in praxi maneant coniunctiſſima, quae ſeorſim conſiderantur.

** Nota ſunt de caſibus conſcientiae FRIDERICI BALDVINI, GEORGII KONIGII, ANDREÆ KESLERI, LVDOVICI DVNTE, IO. ADAMI OSIANDRI, IO. CONRADI DANHAVERI, B. FRIDEMANNI BECHMANNI noſtri, aliorumque ex noſtratibus ſcripta, de quibus rectius, vti & de illis, qui reſponſa & conſilia theologica collegerunt, infra, cum iurisprudentiam diuinam trademus, erit dicendi locus. Ad eius, de qua nunc agimus, partis, vberiorem culturam inde parum proficias Interim de illis conf. IO. FRID. MAYERVS in *bibliotheca ſcriptorum theol. moralis Lutheranorum.* Idem dicendum de IO. GEORGII DORSCHAEI *theologia morali*, opere erudito, ſed ab auctore ad finem non perducto, edito autem a MAYERO, an. MDCLXXXV. Nec alio habendae loco inſtitutiones aut compendia theologiae moralis, vt *epitome theologiae moralis* GEORGII CALIXTI, quem primum ex noſtratibus fuiſſe, qui diſciplinae in morem theologiam moralem tractare inſtituerit, auctor eſt GEB. THEOD. MEIERVS *introduct. in theol. mor. ſtud. cap.* 18. IO. CONRADI DVRRII *compendium theologiae moralis*, tertia vice cum eiusdem auctoris annotationibus poſthumis, aliisque acceſſionibus anno MDCXVIII. recuſum, HENRICI RIXNERI *inſtructionum theologia moralis, libri duo:* GEBHARDI THEODORI MEIERI *diſputationes theologicæ, partem primam & ſecundam theologiae moralis exhibentes*, AEGIDII STRAVCHII *theologia moralis*, a IO. FRIDERICO MAYERO, anno MDCCV. luci publicae expoſita. In his & aliis eiusdem generis compendiis & ſyſtematibus erudite quidem, quae ad officia chriſtianorum pertinent, plerumque pertractantur: quae vero ad ἄσκησιν ſpectant, aut praetermittuntur, aut ſparſim ſaltem inſeruntur, nec iuſta explicatione ediſſeruntur. Idem de IVSTI CHRISTOPHORI SCHOMERI, *ſpecimine theologiæ moralis, quo vera & naturalia omnis iuris atque honeſtatis principia eruuntur*, quinque diſputationibus in academia Roſtochienſi propoſito, & anno MDCXC. edito, cenſendum. Praeterquam enim quod vel ex titulo operis iſtud conſtet, tractatio quoque hoc abunde docet: ipſeque *cap.* 1. §. 8. obiectum theologiae moralis directum, id conſtituit, quod immediatae obligationis eſt erga Deum. Elegantioribus interim compendiis citra controuerſiam eſt annumerandum, nec deſunt hinc inde adſperſa, quae theologiae morali ſtrictius ſic dictae, lucem adfundant, vt ex ipſa tractatione noſtra conſtabit. Nouis acceſſionibus auctum, recuſum eſt anno MDCCVII. ſub titulo: *theologia moralis ſibi conſtans.* Plura adhuc, quae noſtro inſtituto, in prima hacce parte, inſeruiunt, ſuppeditat IO. OLEARIVS,

Lipſienſis

Lipſienſis academiae theologus longe celeberrimua, multiſque nominibus de eccleſia noſtra meritus, in *doctrina theologiae moralis totius in vſum incipientium, certis paedine ac methodi limitibus circumſcripta & tabulis 72. comprehenſa: quae cum introductione in theologiam caſualem*, Lipſiae anno MDCCIII. prodiit. Dignam itaque merito eam cenſuit, quam annotationibua ſuis illuſtraret B. FRIDEMANNVS BECHMANNVS noſter, quae anno MDCCIV. lucem adſpexerunt publicam. BARTOLDVS BOTSACCVS theologus Haffnienſis in *medulla theologiae moralis* ſeu *tractatu theologico de irreprehenſibilitate, praetrimis fidelium*, qui itidem anno MDCCIII. prodiit, partem ſaltem doctrinae huiua exhaurit, nec ad omnia, quae hic tradi debenr, ſe porrigit. At integrum moralia doctrinae theologicae campum complecti conſtitutum fuerar B IO. GVIL. BAIERO: morte tamen praepeditus, deſtinata exequi non potuit. Quae reliquit, anno MDCXCVII. lucem adſpexerunt, ſubtitulo: *compendium theologiae moralis, officia hominis chriſtiani tam generalia quam quoad ſingulos ordines, in eccleſia & republica ſpecialia exhibens.* Praecipue itaque illi conſtitutum, de officiis praecipere: non pauca tamen quoque attingit, quae ad ἄσκησιν, interioremque animi culturam pertinent. Supplementum anno MDCCIII. addidit, vir doctiſſimus, nobisque iam antea laudatus, IOAN. MICHAEL LANGIVS. Sed mitto reliqua, quae hic dici poſſunt, in *hiſtoria critica theologiae moralis & caſuiſticae*, vberius ediſſerenda.

§. XXIV.

Apud Reformatos res eodem fere modo geſta eſt. Primi, qui apud eos eruditionis laude inter theologos effloruere, iunctim credenda & agenda tradebant. Qui agenda ſeorſim deinceps conſideranda ſibi ſumpſerunt, de officiis hominum, actionibusque ad leges diuinas componendis, & caſibus conſcientiae, praecipue ſolliciti fuere. * Recentiores quidam in compendiis vlterius progreſſi ſunt, pleniori forma integram theologiam moralem exhibentes: ** quidam vero ex inſtituto τὰ ἀσκητικὰ in ordinem redigere, & ſyſtematica connexione exhibere, conſultum duxerunt.

* Id ſcripta teſtantur caſuiſtica, IO. HENRICI ALSTEDII, GVIL. AMESII, GVIL. PERKINSII, ANDREAE RIVETI, ROBERTI SANDERSONI, aliorumque, de quibus praeter alios IO. FRIDERICVS MAYERVS, *in bibliotheca ſcriptorum theologiae moralis & caſuiſticae, religioni reformatae addictorum.*

** Hoa inter principem ſibi locum vindicat IOAN HOORNBECKIVS, cuius *theologia practica*, Vltraiecti anno MDCLXVIII. edita, aliquoties Ienae recuſa, omnibus fere, ſi errores Reformatorum paſſim adſperſoa demas, in hocce genere dubiam reddit palmam. Pleniſſime enim & ex genuinia fontibus, ſcripturae ſcilicet ſacrae, hocce argumentum tractauit, de iis praecipue immo vnice fere, quae ad interiorem animi culturam ſpectant, ſollicitua. Cumque theologia moralia ſtricte ſic dicta, & a iurisprudentia diuina diſtincta, hocce ſibi argumentum vindicet, nonnulli tamen ex Reformatae eccleſiae doctoribus ſub titulo *aſceticae* hoc, aut partem ſaltem eiua inſigniorem, exhibere maluerunt. Fecit hoc GISBERTVS VOETIVS, cuius τὰ ἀσκητικὰ ſiue *exercitia pietatis*, methodo quadam ſyſtematica diſpoſita, prodierunt, Gorichemi MDCLXIV. 8uo. Definitionem aſceticae is hanc tradit, quod ſit *doctrina theologica, ſeu pars theologiae, quae continet methodum ac deſcriptionem exercitiorum pietatis. Prolegom. p. 1.* De exercitiis vero pietatis nos vel maxime ſolliciti ſumus in theologia morali. Fecit idem PETRVS VAN MASTRICHT, Vltraiectinae academiae theologus, perquam celebris: cuius *theologia theoretico-practica*, Vltraiecti MDCXCIX. lucem adſpexit, in qua praeter *ideam theologiae moralis, hypotypoſin theologiae aſceticae*, ſeorſim exhibet.

§. XXV.

Digitized by Google

§. XXV.

Praeter ſyſtematicos ſcriptores conferendi etiam ſunt *aſcetici*, * quippe quorum nonnulli recte adhibiti, ad vberiorem moralis theologiae culturam plurimum conferunt. Vt enim methodi, quibus ſe circumſcribunt ſyſtematici, leges, & ἀκριβείας conſectatio, tractationem illorum quandoque ieiunam & ſterilem reddit, ita ſi doctrinae maior copia & vbertas, haud raro ex aſceticis haurienda, accedat, perfectius quid & conſummatius inde effloreſcit. Syſtematicorum ἀκρίβεια, ſi quid forte exorbitantis libertatis in aſceticis occurrit, corrigit: vbertas aſceticorum cum viuidiori efficaciorique proponendi modo, coniuncta, ne ſterilis euadat ſyſtematica tractatio, efficit. Vtrobique tamen ſedulo diſpiciendum, ne ſcholae ſaltem aut vanis ſpeculationibus deſtinetur, doctrina, quae vitae vnice inſeruire debebat.

* Solet a nonnullis inter ſynonyma theologiae moralis, *Aſcetica* referri, voce, vt ISAACVS CASAVBONVS, *exercitat.* 2. *contra Baron ſect.* 13. docet, a ludis & certaminibus veterum, ad exercitia ſacra, ſeu ſtudium pietatis, traducta. conf. 1 *Cor.* IX, 24. 1 *Tim.* IV, 7. 8. Recte quidem, ſi de theologia morali ſtricte ſic dicta, vti nos vocem iſtam accipimus, intelligatur. Et ita aſcetici etiam erunt, qui hanc theologiae partem ſyſtematice tractant. Nos vero in ſtrictiori adhuc ſignificatione *aſceticos* in praeſenti ſyſtematicis opponimus: eo nomine illos appellantes, qui non ſyſtematice, ſed methodo liberiori, magisque vitae accommodata, hanc doctrinam, aut in vniuerſum, aut qua certam eius partem, pertractarunt. Cuius quidem generis ſcriptorum magna vbique, non apud nos modo, ſed Pontificios & Reformatos etiam, eſt copia. Pontificiorum quidem digna quae ſint, vt hic commemorentur, ſcripta, a myſticis, de quibus deinceps, diſtincta, pauca inuenimus. Non modo ſuae eccleſiae erroribus, genuinae pietati e diametro oppoſitis, referta ſunt, ſed ineptae cuiusdam & vanae eruditionis, aut eloquentiae oſtentatione, lectores, melioribus adſuetos, offendunt potius, quam inſtruunt. HIERONYMI DREXELII, DIDACI STELLAE, IO. EVSEBII NIEREMBERGII, ſimiliumque, quibus vulgo pretium aliquod ſtatuunt, exemplo hoc patet. Ianſeniſtarum tamen quorundam ſcripta Gallicana excipias, maiori iudicio compoſita. Aſceticos etiam illi vocare ſolent, qui regulas monachis praeſcriptas continent & explicant, quorum nonnullos recenſet IO. MABILLONIVS *de ſtudiis monaſticis p.* 63. *ſeqq.* At illorum apud nos exiguus vſus. Inter Reformatos, magnam in hoc genere laudem conſecuti ſunt Angli, quorum vt alias in omni eruditionis genere, ita in hac etiam parte commendanda eſt induſtria. Hinc RICHARDI BAXTERI, IOSEPHI HALLI, THOMAE GODWINI, DYKII vtriusque DANIELIS & IEREMIAE, LVDOVICI BAYLII, THOMAE BROOCKII, EMANVELIS SONTTOMI, aliorumque concelebrantur ſcripta, in linguam etiam Germanicam tranſlata: quibus ex recentioribus iungendi SCHERLOCKIVS, TILLOTSONVS, aliique. Catalogum praecipuorum, eorum quidem, quorum in Germanicam linguam conuerſa ſcripta extant, IO. GEORGII HOFFMANNI, *oratori ſacro Anglicano*, lingua Germanica ſcripto, praemiſit IO. MARTINVS SCHAMELIVS, Lipſiae anno MDCCVI. 4to. *Bibliothecam* vero quam vocat *Anglorum*, argumentis ab iis pertractatis, ad certos titulos reuocatis, & ſub iis adlegatis auctoribus, locisque in quibus de iis agitur, indicatis, concinnauit MARTINVS KEMPIVS, anno MDCLXXVII. 4to. Negandum profecto non eſt, multa egregie & praeclare dicta in iis occurrere: notaque ſunt magnorum inter noſtrates virorum exempla, qui ad pietatis praxin, ex quorundam horum ſcriptorum lectione, multum ſe profeciſſe, pro-

feſſi

feſſi ſunt: nollemque cum CONRADO TIBVRTIO RANGONE; in libello Germanico, in quo *Quakeriſmum in Quietiſmo* demonſtrare adgreſſus eſt, *cap.* 12. §. 8. horum ſcriptorum lectionem & vſum prorſus damnare: hoc tamen certum, circumſpectione hic quoque vel maxime opus eſſe, ne temere & ſine δοκιμασία quiduis arripiamus. Habent ſuos errores, communes ſectae, cui quisque addictus fuit: habent ſubinde & proprios. Rara etiam multis & pulchra videntur, quae quotidiana & vbiuis obuia, praeſertim ſi ſemotis ornamentis, rem conſideres. A Reformatis, quorum plurimos lubens praetermitto, priusquam diſcedam, facere non poſſum, quin clariſſimi viri OSTERWALDI, merita adhuc concelebrem, quippe qui ſcriptis quibusdam Gallicanis, ſed egregiis, de *cauſis corruptionis in moribus*, item *contra impuritatem*, hanc doctrinae partem ornauit. Ad noſtros venio. Namque tot praeſtantium in hoc genere ſcriptorum copia abundamus, vt domi iam quae vſui ſint, reperiamus abunde, nec apud exteros ea temere quaerenda ſint. Poſt B. MARTINI LVTHERI, HIERONYMI WELLERI, VRBANI REGII, aliorumque quorundam veterum ſcripta, hoc comparata, principem in his locum tribuo B. IOANNI ARNDIO, tum in aliis, tum maxime in aureo & incomparabili opere, de *vero chriſtianiſmo*; quibusdam quidem in locis, a nonnullis heterodoxiae accuſato, ſed a praeſtantiſſimis, & ſumma orthodoxiae laude florentibus theologis dextre explicato, & egregie defenſo. Qua de re non dubitauerit, qui praeter alia, *Apologeticam* illam *Arndianam* a viro quodam docto, lingua Germanica concinnatam, editamque Lipſiae anno MDCCVI. legerit. At praeter ARNDIVM, B. IO. GERHARDVS, PAVLVS EGARDVS, IO. LVTKEMANNVS, HENRICVS MVLLERVS, CHRISTIANVS SCRIVERIVS, PHILIPPVS IACOBVS SPENERVS, aliique quam plurimi, hanc ſpartam egregie ornarunt, editis ſcriptis luculentis admodum & ad pietatis ſtudium, quorſum & moralis theologia vnice collineat, promouendum prorſus accomodatis. Quod ſi quid in quibusdam forte minus accurate dictum occurrat, hoc reliquis eorum meritis condonandum, nec in malignum detorquenda ſenſum, quae innocenter dicta ſunt. Sola ſcriptura vtique infallibilitatis praerogatiua gaudet: reliqua, quorumcunque etiam ſcripta, exigenda ad hanc normam, atque adeo cum δοκιμασία legenda.

§. XXVI.

Ad aſceticos ſcriptores proxime accedunt myſtici, immo a quibusdam inter myſticos etiam connumerantur aſcetici. Quidquid huius ſit, vt myſticorum ſcriptorum non vnum eſt genus: ita non eodem etiam omnes habendi ſunt loco. Et hinc de ipſa quoque theologia myſtica * pronunciandum. Quo nomine ſi nihil aliud, quam ipſa theologia moralis intelligatur, ** vt vocem vix aliter capere poſſunt, qui de puriori theologia myſtica loquuntur, de origine quoque eius aliter ſentiendum, quam cum complexus aliquis Platonicarum chriſtianarumque doctrinarum, de interiori animi cultura, eadem ſignificatur.

* Vocem *Myſtica* a ſacris Gentilium, ſpeciatim Eleuſiniis nonnulli repetunt. Nec inſolens, vt vocabula a ritibus & conſuetudinibus gentilium, ad res diuinas exprimendas transferrentur. Quod ſi veteres chriſtiani ab ethnicis hanc vocem acceperunt, ſenſu innocenti & puriſſimo hoc factum, vt credamus, par eſt. Videndus CASAVBONVS *exercitat.* 16. *contra Baronium n.* 41. Hoc certum, quod verbum μυεῖν, vel μυεῖσθαι, vnde μυστικός, aeque ac vox μυστήριον, in ſcriptura ſacra occurrat. conf. *Phil.* IV, 12. 1 *Cor.* 11, 7. Quidquid huius ſit, chriſtiani ſcriptores, vocem μυστικῶ, quae, *arcanum*, *abſconditum*, ſignificat, ſacrae theologiae, & quidem ei parti quae myſteria, & abditas ac a ſenſu & ratione humana remotas maxime habet res diuinas, adplicuere. Speciatim tamen ea

 theologiae

theologiae pars, quae contemplatur DEVM, & myſterium regenerationis, & hanc inſequentis renouationis chriſtianae, ac vnionis cum DEO myſticae doctrinam complectitur, id nominis accepit. Erudite haec omnia ediſſerit ADAMVS RECHENBERGIVS, *diſſert. de origine theol. myſt. §. 2. ad 8.*

** Ita exiſtimo: theologiam myſticam puriorem & theologiam moralem rem vnam eandemque eſſe. Idem vtrobique finis; idem ſubiectum; media eadem. Nec repugnat, quam nonnulli tradunt, myſticae theologiae definitio, quod ſit *diuina & arcana de Deo rebusque diuinis ſapientia, qua mens hominis regeniti illuminetur, voluntas virtutibus diuinis inſtructa, ab inquinamentis peccatorum purgetur, vt illa Deo arctiſſime vniatur.* Namque & moralis theologia eo tendit, vt in illuminatione qua intellectum, ſanctitate qua voluntatem, magis magisque proficiat homo regenitus, arctiusque cum DEO vniatur. Sunt tamen, qui in ſtrictiori ſignificatione, per theologiam myſticam ſublimiorem contemplationis gradum, aut gratiae diuinae operationes ſingulares, & velut extraordinarias, intelligunt. in latiori ſignificatione, id omne myſticum dici poſſe exiſtimantes, *quod ad ſanctam ſpiritualem & internam vitam aut chriſtianiſmum practicum pertinet.* vid. GOTHOFREDI ARNOLDI *hiſtoria theolog. myſt. cap. 2. §. 5. pag. 19. 20.* Qua quidem ratione, theologia myſtica in latiori ſignificatione conueniet cum theologia morali, in ſtrictiori, ab eadem differet. Verum praeterquam, quod de *ſublimiori illo contemplationis gradu, & operationibus gratiae ſingularibus*, multa adhuc moneri poſſent, ne illuſioni locus concedatur, & cuncta inſuper ad ſcripturae ſacrae regulam ſint exigenda, id probe obſeruandam, difficile eſſe de eiusmodi rebus ita ſcribere, vt illi, qui eiusmodi quid non perceperunt, quod illi, qui haec ſcribunt, perceperunt, aut percepiſſe ſibi viſi ſunt, intelligant. Longe adhuc difficilius, aut ſuperuacaneum etiam videtur, peculiarem inde theologiae partem, a ceteris diſtinctam conſtituere. Bene haec obſeruat auctor libri Gallici, qui Amſtelodami prodiit ſub titulo: *chriſtianiſmus illuſtratus, quoad hodiernas, de Quietiſmo controuerſias.*

§. XXVII.

Nimirum cum totam doctrinam chriſtianam, *σοφίαν Θεῦ ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην*, dixerit apoſtolus *1 Cor. II, 7.* recte quoque pars eius, quae de incremento vitae ſpiritualis agit, eodem nomine venit, & hoc ſenſu myſtica theologia vocatur: idque eo magis, quod eadem dogmata, easdemque loquendi formulas ex ſcriptura ſacra, theologia moralis retineat, quibus myſtica theologia purior gaudet. Vnde & non errant, qui hac ratione ex ipſa ſcriptura ſacra myſticae theologiae originem repetunt, eiusque auctores Chriſtum ipſum atque apoſtolos faciunt, immo ſanctos & patriarchas veteris teſtamenti, arcanae huius ſapientiae participes fuiſſe contendunt. *

* Ecquis enim ignorat de renouatione, incrementisque vitae ſpiritualis, & vnione cum DEO, quae praecipua myſticae theologiae ſunt capita, ipſam nos abunde informare ſcripturam ſacram? Hinc phraſes ſacrae myſticis receptae, *ex Deo naſci*, 1 *Io.* III, 9. 1 *Io.* I, 12. *nouam fieri creaturam*, 2 *Cor.* V, 7. *exuere veterem hominem & induere nouum*, *Epheſ.* IV, 22. 24. *vitam abſconditam cum Chriſto in Deo quaerere*, *Coloſſ.* IV, 3. *Chriſtum in nobis viuere*, *Gal.* II, 20. & quae ſunt eiusdem generis longe plurimae. Mirum itaque non eſt, quod ex ipſa ſcriptura ſacra myſticae theologiae, ſed purioris, origo repetatur. add. BALTHASARIS KÖPKENI *theologia myſtica, ſeu aſcetica Germanice ſcripta, cap. 1.*

§. XXVIII.

Digitized by Google

§. XXVIII.

In primitiua autem eccleſia contigit, vt nonnulli Platonicae philoſophiae innutriti ad ſacra chriſtianorum accederent, & hinc Platonica dogmata, formulasque loquendi chriſtianae religionis ſcitis admiſcendo, aut haereſes portentoſas excitarent, aut moralem myſticamque doctrinam iisdem contaminarent. * Quibus etſi patres quidam ſe oppoſuerunt, ex nimio tamen Platonicae philoſophiae amore, hi ipſi quoque placita quaedam formulasque loquendi Platonicorum retinuerunt, & ſacrae, praecipue morum doctrinae adaptarunt. Hinc in CLEMENTIS ALEXANDRINI, ** aliorumque, maxime aſceticorum, ſcriptis, Platonicas loquendi formulas, ſententiasque, paſſim deprehendere licet, quales etiam apud THEODORETVM, GREGORIVM NAZIANZENVM, CHRYSOSTOMVM, aliosque inveniuntur.

* Sunt, qui myſticae theologiae originem ex philoſophia Platonica deriuant: idque prae ceteris, omnibus viribus agit EHREGOTT DANIEL COLBERGIVS *in Chriſtianiſmo Hermetico-Platonico part.* 1. *cap.* 1. §. 11. *ſeqq. p.* 47. *ſeqq.* Quod de puriori theologia myſtica intelligi nequit, vti iam dictum. Puriorem vero illam per Platonicarum ſententiarum & formularum admixtionem, contaminatam, concedimus. Interim ſi ad ſpecialiora deſcendatur, caute incedendum, ne quid pro Platonico dogmate venditetur, quod tale non eſt: neue quid ideo, quia Platonicum, ſed quia erroneum, reiiciatur: & denique, quo ſenſu ſententia, aut formula quaedam Platonica, a ſcriptore myſtico adhibeatur, diſpiciatur. Id iam monui, in diſſertat. de *καθάρσει Pythagoraeo-Platonica*, quae in *Analectis hiſtoriae philoſ.* extat, §. 19. Qua ratione autem Platonica dogmata in theologiam myſticam recepta & propagata ſint, omnium optime docet IACOBVS THOMASIVS, in *ſchediaſmate de definitione philoſophiae* &c. quod deinceps ſub titulo: *origines hiſtoriae philoſophicae & eccleſiaſticae*, prodiit, §. 39. *ſeqq.*

** Gnoſticis hoc tribuitur, quod Platonicam philoſophiam cum chriſtiana doctrina commiſcentes, variorum errorum produxerint monſtra, ſpeciatim & myſticam theologiam conſpurcauerint. Quod de quibusdam Gnoſticorum facile conceſſerim: namque non vnum fuiſſe Gnoſticorum genus, conſtat. Hoc certum, quod CLEMENS ALEXANDRINVS, ſub verae γνώσεως nomine, quam haereticorum γνώσει ψευδωνύμῳ opponit, ea, quae ad theologiam myſticam pertinent, tradiderit. Idemque, per τὰ κατὰ τὴν ἀληθῆ φιλοσοφίαν ὑπομνήματα, ſubinde memorata, nihil aliud, quam myſticae theologiae placita intelligit, immo hinc inde ipſo τῦ μυστικῦ vocabulo vſus eſt, vt *paedagog. lib.* 2. *cap.* 8. *ſtromat. lib.* 1. *&c.* vt erudite obſeruat RECHENBERGIVS *l. c.* §. 19. In iſtis myſticae theologiae dogmatibus proponendis Platonicae philoſophiae eum aſſumſiſſe placita, formulasque, res ipſa docet, & obſeruatum praeter alios IACOBO THOMASIO *l. c.* §. 46. *ſeqq.* Simile quid in MACARIO ſupra nobis laudato, item ARSENIO, AGATHONE, ANTONIIS, quorum apophthegmata myſtica, POSSINVS refert, in *theſauro aſcetico opuſcul.* 9. aliisque, nonnulli ſibi obſeruaſſe viſi ſunt. De THEODORETO & reliquis, qui ſimiles formulas Platonico-myſticas adhibuerunt, vid. RECHENBERGIVS *l. c.* §. 20. de reliquis eiusdem aetatis ſcil. ſec. 2. & 3. ſcriptoribus, qui pro myſticis aut aſceticis habentur, vid. ARNOLDVS *hiſt. theol. myſt. cap.* 13 & 14.

§. XXIX.

Talia cum hinc inde, & ſparſim in patrum quorundam ſcriptis

reperirentur, ſeculo tandem quarto Dionyſius,* quem vulgo Areopagitam vocant, in vnum corpus ea coire iuſſit, in libro *de theologia myſtica*, qui primum doctrinae huius compendium, & quoddam velut ſyſtema, exhibet, quanquam & in aliis, quae reliquit, ſcriptis, myſtica diligenter inculcet dogmata. Hunc igitur auctorem deinceps reliqui, qui myſticorum nomine veniunt, ducem fere & anteſignanum ſecuti ſunt: quemadmodum nec inter veteres defuerunt, qui annotationibus ſuis & commentariis eum illuſtrarunt.

* Quae de hocce DIONYSIO vulgo diſputari ſolent, nunc non attingo. Nec ad noſtrum hoc inſtitutum pertinet. Ad opera, quae ſub Dionyſii nomine circumferuntur, quod attinet, fuerunt, qui ea Dionyſio iſti Areopagitae ſeu Athenienſi tribuere non dubitarunt, vt PETRVS LANSSELIVS, BALTHASAR CORDERIVS, MARTINVS DELRIO, PETRVS HALLOIX, aliique. Quibus cum praeter alios IO. LAVNOIVS, & IO. DALLAEVS, ille in libro de *duobus Dionyſiis*, hic in peculiari de *ſcriptis, quae ſub Dionyſii Areopagitae & Ignatii nomine circumferuntur*, opere, rationes ſolidiſſimas oppoſuiſſent, lis deciſa videri poterat, niſi noſtra aetate NATALIS ALEXANDER, in *ſelectis H. E. capitibus, ſec. 2. diſſert.* 21 itemque EMANVEL SCHELSTRATENVS, & monachus quidam monaſterii S. Benedicti ad Ligerim, nouas pro Dionyſio iſto in aciem produxiſſent copias, nutanti eius cauſſae, ſuppetias, ſi poſſent, laturi; quibus nuper LAVRENTIVS COZZA acceſſit, in *vindiciis Areopagiticis* Romae anno MDCCII. editis. Quidquid huius ſit, a veritate minime aberrauerit, qui cum viris harum rerum peritiſſimis auctorem horum operum, quae Dionyſii nomen praeferunt, ſub finem ſeculi quarti aut initium quinti, vixiſſe, exiſtimauerit. In libris de *coeleſti & eccleſiaſtica hierarchia*, item *de diuinis nominibus*, aliisque, myſticorum dogmata, placitaque paſſim adſperſit, ſed in eo, quem de *theologia myſtica* ſcripſit, vti dictum, velut ex inſtituto, hocce argumentum tractauit. Hunc ducem & anteſignanum reliquos fere ſecutos, qui myſticam theologiam excoluerunt, ex annalibus eccleſiaſticis ſatis conſtat. Idque tot etiam, qui in eum extant, teſtantur commentatores: quos inter primum locum MAXIMVS confeſſor tenet, ſeculi ſeptimi ſcriptor, qui aliis etiam ſcriptis myſticis innotuit. Ex latinis idem fecere, HVGO DE S. VICTORE, ALBERTVS M. THOMAS DE AQVINO, aliique, ex Graecis PACHYMERES, qui ſeculo 12. paraphraſi Dionyſium illuſtrauit, vt reliquos, praeſertim recentiores, nunc mittam.

§. XXX.

Vt in occidentali eccleſia myſticae theologiae ſtudium efflor eſceret, factum cumprimis opera & ſtudio IOANNIS ERIGENAE, qui & SCOTVS dictus, quippe qui Dionyſii opera in latinum transtulit ſermonem, quod & ſeculo XII. IOANNES SARRACENVS fecit, quo tempore & BERNHARDVS * vixit, qui ſcriptis variis & pro ſeculi conditione egregiis, myſticam theologiam explanauit.

* Tot encomiis eruditorum celebratus eſt BERNHARDVS, vt mea laude nihil illi accedere poſſit. Et licet ſuis non careat naeuis, multum tamen bonae frugis in ſcriptis eius deprehendere licet. Ad theologiam myſticam ſpectant ſermones eius in *diebus dominicis aliisque feſtis*, variaeque *homiliae*, quinque de *meditatione* libri ad Eugenium Papam, & alia, cumprimis autem *ſermones* 86. in *priora tria capita cantici canticorum*.

§. XXXI.

Scholaſtica ſcilicet theologia caput tollente, plurimi quoque fuerunt, qui myſticae theologiae ſtudio ſe traderent. Etenim illa cum ita comparata eſſet, vt ſcholae potius inſeruiret, quam vitae, & ab iis maxime coleretur, qui ingenii doctrinaeque captabant laudem, parum inde ſe percipere emolumenti intelligebant, qui de interiori animi cultura vel mediocriter erant ſolliciti. Nam & quae de morum doctrina praecipiebant ſcholaſtici, vel potius more ſuo diſputabant, & ieiuna nimis erant, & huic ſcopo parum accommodata, maximam etiam partem ad externa officia, aut eccleſiae diſciplinam ſpectabant. * Hinc tanto diligentius a quibusdam myſticae theologiae cultum ſtudium: at ſucceſſu non adeo felici: cum erroribus, quibus iam conſperſa erat ea doctrina, nouos adderent, dogmaticae theologiae corruptelas, quae iam vbique regnabant, etiam inferentes, vel inanibus ſpeculationibus indulgendo, nouos ipſi excogitantes. Fuerunt tamen, qui ſupra ſaeculi captum ſapientes in tanta doctrinae ſcholaſticae & myſticae corruptela, ſalutaria multa, & profutura traderent,** quorumue ſcripta, ſemotis, qui iis adhaerent, naeuis, hodie nonnullis in pretio ſunt.

* Ita ergo licet ſcholaſtica, myſticaque theologia maxime oppoſitae eſſent, per illam tamen huius quoque ſtudium fuit promotum. Taedio ſane ſcholaſticae theologiae, quod rixoſis, quibus referta, contentionibus quaeſtionibusque vanis & ſpinoſis, animus veritatis diuinae amans exatiari non poſſet, multos ad theologiam myſticam excolendam excitatos, recte obſeruat COLBERGIVS, in *chriſtianiſmo hermetico-platonico part.* 1. *cap.* 1. §. 3. *p.* 60. Nec praetermittendum, praeſtantiſſimos ſcholaſticorum, velut in conſcientia de ſcholaſticae ſuae theologiae inanitate, conuictos, etiam myſticae ſimul theologiae ſtudio ſe dediſſe; vt HVGONIS atque RICHARDI DE S. VICTORE, THOMAE AQVINATIS, BONAVENTVRAE, ALBERTI M. aliorumque, exemplo conſtat, quippe quorum plurima extant ſcripta myſtica. De erroribus in horum ſcriptis obuiis, non neceſſe eſt, vt aliquid adiiciamus, cum hoc ſatis conſtet. Id modo notandum, inter ipſos myſticos iam tum interdum certamina enata, vnumue ab alio poſtulatum erroris. Sic IO. GERSON, atro notauit lapillo IOANNEM RVSBROCKIVM inter myſticos ſeculi decimi quarti longe celeberrimum, quem tamen IO. a SCHONHOVEN peculiari apologia defendit, quod & DIONYSIVS CARTHVSIANVS fecit *lib.* 3 *de contemplat.* & GERHARDVS ab HAMONT, *dedic. opp. Rusbroc.* conf. VOETIVS in *aſceticis p.* 77. In HENRICO HARPHIO itidem nonnulli quaedam deſiderant, nec ſine circumſpectione cum legendum monent.

** Huc ex ſeculo 14. praecipue IOANNES TAVLERVS ſpectat, vita pariter ac ſcriptorum praeſtantia commendabilis. LVTHERI, MELANCHTHONIS, aliorumque noſtrae quoque eccleſiae doctorum, de eo teſtimonia ſatis nota. Auctor epiſtolae de *principiis & characteribus myſticorum*, in P. POIRETI *bibliotheca Myſticorum ſelecta*; *habetur*, inquit, *inter myſticos pro auctore quam maxime probato, & primi ſubſellii, cuius ſententiae cum extrema veneratione omnes adſtipulantur, p.* 108. vbi & characterem eius in compendio exhibet. Ex ſequenti ſeculo decimo quinto, commendandi maxime IOANNES GERSON, in variis opuſculis, THOMAS a KEMPIS, tum in aliis, tum maxime egregio, de *imitatione Chriſti* libello, ſi modo is eius auctor; qua de re Romanenſes inter ſe ita dimicant & digladiantur, vt imitationis Chriſti parum ſint memores, & denique auctor

theologiae Teutonicae B. LVTHERO tantopere commendatae, vt ex hoc demum libro, *quid* DEVS, *Chriſtus, homo & omnia* ſint, ſe didiciſſe, libere & ingenue profiteatur. Plura de his non addo, nec licet, niſi inſtituti immemor eſſe velim; faciam id, ſi DEVS voluerit, in *hiſtoria critica theologiae myſticae.*

§. XXXII.

Ortis ſeculo decimo ſexto, quae hodie adhuc vigent, maximis in eccleſia occidentali certaminibus, orbeque chriſtiano in varias ſectas diuiſo, moralis quoque myſticaeque theologiae non una vbique fuit facies. Namque nulla fuit ſecta, quae non theologiae huius haberet cultores, * eam vel eccleſiae, cui addicti fuerunt, placitis accommodaturos, vel nouis etiam erroribus locupletaturos, aut ſaltem veteres errores non reiecturos, ſed nouos potius ex iis deducturos. Hinc porro factum, vt mox a quibusdam reiiceretur tota theologia myſtica, ab aliis defenderetur, aut excuſaretur: ab aliis a puriori, impura & fanatica diſcerneretur, diuerſo iterum reſpectu, prout ex ſuae, cui quisque addictus fuit eccleſiae, hypotheſibus, doctrinae puritatem aeſtimabat.

* Hinc diſtinctius de myſticae theologiae ſcriptoribus, inter noſtrates, Pontificios, Reformatos, & ſic porro, dici poſſet. Nimirum, quod ad noſtrates attinet, nonnulli puriorem illam & genuinam theologiam myſticam excoluerunt, quorſum aſcetici illi ſpectant, ſupra iam a nobis laudati, quos inter poſt LVTHERVM, principem locum tenet B. IO. ARNDIVS. *Poſt Lutherum*, inquit IACOBVS THOMASIVS, *quaſi partitis operis alii ſcholaſticam, alii myſticam magis magisque reformare aggreſſi ſunt (theologiam). E quibus Iohannes Arndius maxime negotium ſibi ſumpſit myſticae theologiae refingendae, in faciem ſaniorem. Georgius* vero *Maior* (ita paucis interiectis pergit) *dum vitas patrum repurgauit, quod quidem factum anno* MDXLIV. *non conſcio tantum, ſed etiam impellente Luthero, Arndio quodammodo praeluſiſſe in opere ſimili cenſendus eſt, in originib. hiſt. philoſ. & eccleſ. p.* 145. Fuerunt vero alii, qui, etſi noſtrae eccleſiae addicti videri voluerint, variis tamen grauiſſimisque erroribus theologiam myſticam contaminando, effecerunt, indigni vt cenſeantur, qui inter noſtrates referantur, quorſum IACOBVM BOEMIVM, VALENTINVM WEIGELIVM, CHRISTIANVM HOBVRGIVM, aliosque, quorum ſcripta ſatis nota ſunt, refero. Inter Pontificios plurimos fuiſſe, etiam poſt Lutheri reformationem, myſticae theologiae cultores, nemo ignorat, niſi cui ignoti fuerint LVDOVICVS BLOSIVS, THERESIA a IESV, FRANCISCVS DE SALES, IOANNES BONA, cardinalis, & ipſe denique ROBERTVS BELLARMINVS, aliique quam plurimi, quorum hoc ſcripta reſtantur. In hiſce praeter errores quosdam impuriori theologiae myſticae proprios, tales etiam, qui omnibus Romanae eccleſiae addictis communes ſunt, reperiri, vel me non monente, quilibet intelligit. Interim nonnulli Romanenſium ex ſua opinione puriorem quandam theologiam myſticam ſtatuentes, aliorum ſuae eccleſiae addictorum, impuriorem damnarunt, quod exemplo MICHAELIS DE MOLINOS, & Cameracenſis archiepiſcopi, FRANCISCI FENELON DE SALIGNAC, ſatis patet. Inter Reformatos myſticae theologiae non defuiſſe cultores, vel GISBERTI VOETII exemplo conſtat, cuius ἀσκητικὰ ſupra iam commemorata nihil aliud, quam theologiam myſticam methodice digeſtam, continent, quanquam etiam in hac cauſa aduerſarium expertus ſit SAMVELEM MARESIVM. Ex Anglis plerique aſcetici, itidem ſupra iam laudati, in hanc claſſem reponi ſolent. Referre huc etiam licet PETRVM POIRETVM, myſticae theologiae celeberrimum reſtauratorem, & ANTONIAE BVRIGNONIAE aſſeclam, ſed errores ſimul grauiſſimos, & iampridem damnatos, iterum

iterum in ſcenam producentem. De Quakeris aliisque, qui itidem eiusdem theologiae cultores videri voluerunt, non neceſſe eſt, vt aliquid addam. De his enim quid ſentiendum ſit, inter omnes conſtat. Ceterum de theologia myſtica dum hactenus egimus, praecipuos quosdam auctores indicauimus: de reliquis, quos enarrare noſtri non fuit inſtituti, poſt MAXIMILIANVM SANDAEVM, & ANDREAM SAVSSAYVM *de myſticis Galliae Scriptoribus*, vid. GOTHOFR. ARNOLDVS in *hiſtor. theol. myſt.* & PETRVS POIRET in *bibliotheca myſticorum ſelecta*.

§. XXXIII.

Et hinc tandem liquet, quid de theologia myſtica, myſticisque ſcriptoribus ſit ſentiendum. Diſtinguenda in illis ſunt vera a falſis, a noxiis vtilia & profutura. Nonnulli principiis quibusdam pſeudomyſticis, prima fronte ſpecioſis, ſed pernicioſiſſimis tamen, inſiſtentes, aut innoxiis peſſime abutentes, ad ea dilabuntur, quae ipſa religionis chriſtianae fundamenta euertunt. * Nonnulli cautius incedentes a craſſioribus eiusmodi erroribus ſibi temperant, at talia tamen aſſumunt, quae accuratius examen vix ſuſtinent. Plurimi etiam errores ſuae, cui addicti ſunt, eccleſiae, myſticae quoque doctrinae admiſcent, caute itaque & cum δοκιμασίᾳ hoc quoque nomine legendi.

* Huc illorum placita referenda, qui e. g. quietem animi eo vsque extendunt, vt nec precibus vacandum, neceſſarium putent, mediaque conſeruandae augendaeque fidei & ſanctitatis prorſus reſpuunt, immo ipſam ſcripturam ſacram infirmis & carnalibus, qui internam Spiritus ſancti vocem audire nondum didicerint, conceſſam contendunt, & quae reliqua ſunt, hinc inde apud quosdam obuia, ita quidem comparata, vt non tantum cum chriſtianae religionis fundamentis pugnent, ſed vitae etiam ſanctitatem euertant, tantum abeſt, vt promoueant, qui tamen myſticae theologiae ſcopus eſſe debebat. Ad alteram claſſem pertinent, qui dogmata quaedam, ſi recte explicentur, veriſſima, vltra, quam par eſt, extendunt, e. g. de amore puro, & alia, in ipſa tractatione paſſim a nobis notanda. Sunt etiam quaedam loquendi rationes myſticis propriae & peculiares, non temere quidem ob ambiguitatem aut obſcuritatem aut vſurpandae, aut imitandae: Interim cum innocentem etiam ſenſum admittant, non reiiciendae, aut in deteriorem detorquendae ſenſum: de quibus vid. BALTHASAR KOEPKENIVS *theol. myſt. cap. 2. p. 82. ſeqq.*

§. XXXIV.

Interim illos, qui ceteris puriores ſunt, inſigniter chriſtianae vitae adiuuare praxin, ſtudioque adeo theologiae moralis egregie inſeruire, apud peritos harum rerum exiſtimatores, poſitum eſt extra controuerſiam. De vitae enim ſpiritualis incremento, de gratiae diuinae in anima hominis operationibus variis, de mediis in renouatione proficiendi, de amore Dei, de abnegatione ſui, ſimilibusque argumentis, circa quae moralis theologia, ſpeciatim ita dicta, occupatur, haud raro tam copioſe, tam profunde, & efficaciter praecipiunt, vt haec ſimiliaque in illis legiſſe, & recte ponderaſſe, neminem pœniteat.

§. XXXV.

§. XXXV.

Cum autem exempla aliorum * vitam egregie inſtruant, ad virtutem excitent, prudentiam augeant: nec in vita ſpirituali, & quae ad eius incrementum comparata eſt, theologia morali, eiusque ſtudio, inſuper habendos eſſe auctores, qui talia exhibent, praeſertim qui in vitis ſanctorum deſcribendis, operam ſtudiumque collocarunt, manifeſtum eſt. Vt enim, quae agenda ſunt, moralis theologia docet, ita quo pacto, quae illa praecipit, agantur, haecce hiſtoriae pars luculenter oſtendit. At cum non omnia eiusdem generis ſint exempla, nec pari prudentia, qui ea litteris conſignant, praediti, ſelectu opus eſt, & accuratiſſima illorum quae proponuntur, diiudicatione.

* Solet moralis philoſophiae triplex tractandi methodus commendari, *dogmatica*, *paraenetica*, & *paradigmatica*. Pari vero ratione & theologia moralis triplici hac methodo tradi non tantum poteſt, ſed & ſolet. Cumque quaelibet aliquid habeat, quo ſe praecipue commendet, difficile ſane eſt iudicare, quae reliquis ſit praeferenda. Dogmatica methodus in ſyſtematicis conſpicitur ſcriptoribus. Paraenetica in aſceticis. Paradigmatica in illis, qui per exempla docent. Quantum in ciuili prudentia exemplorum vis & vtilitas ſit, docent, qui hiſtoriarum hinc pretium aeſtimant, vſumque commendant, IO. ANDREAS BOSIVS, de *comparanda prudentia & eloquentia ciuili*, IO. HENRICVS BOECLERVS in *hiſtoria, ſchola principum*, ISAACVS CASAVBONVS, in *praefatione Polybio praemiſſa*: re ipſa declarare aggreſſus eſt ERASMVS IO. BROCHMANDVS in *ſpecimine ethices hiſtoricae*. In vitae chriſtianae praxi, non minorem exemplorum vim & vſum eſſe, certum eſt. Vnde GEORGIVM MAIOREM, conſilio & inſtinctu LVTHERI *vitas patrum* edentem, hoc ipſo theologiam myſticam, ſeu moralem, reſtaurare voluiſſe, ſupra obſeruatum. Plurimi deinceps, praeſertim ex Pontificiis, in vitis Patrum & Sanctorum edendis ſtudium collocarunt: fructu tamen aut nullo, aut exiguo, inde ad nos redundaturo, quod vera a falſis non ſecernerent, & in iſtis patrum vitis plurima inepta, ſuperſtitioſa, ridicula, pietatisque ſtudium ſuffocatura potius quam excitatura, lectoribus propinarent. Nec a Pontificiis aliud quid facile hac in re ſperandum: ex noſtratibus & Reformatis pauci in huncce ſe dedere campum. Specimen quidem non contemnendum auctor anonymus dedit, qui lingua Germanica *hiſtoriam regenitorum*, anno MDCCI. recuſam in lucem emiſit. Sed vel eius, vt & reliquorum exemplo conſtat, caute hac in re verſandum, adhibendamque hic vel maxime regulam Pauli: *πάντα δοκιμάζετε*.

§. XXXVI.

Tandem & ex philoſophia morali aliquem hic capere fructum licet. Cum enim naturae gratiaeque perſpectum habere diſcrimen, plurimum referat, quis eius vſus ſit, facile intelligitur. Naturam namque depingunt philoſophi, * quaeue & quam variae hominum ſint inclinationes, propenſionesque, quae in iis ſatis iam per adhaerentem & connatam omnibus labem corruptis, magis adhuc corrumpendis, aut vtcunque etiam emendandis, educationis, conſuetudinis, imitationis, aliarumque cauſſarum naturalium moraliumque vis ſit & efficacia, oſtendunt. Quibus omnibus luculenter perſpectis, quantopere a natura

diſtet

Digitized by Google

diſtet gratia, quam nihil naturae valeant vires, cum & quae optima praeſtantiſſimaque videri poterant, iuxta ſpiritualem eiusmodi rerum diiudicationem, vitia ſint, ſplendidaque peccata, niſi gratia correctrix & emendatrix acceſſerit, intelligere licet.

* Certe debebant. Qui enim hoc non agunt ſcriptores ethici, digni non ſunt, qui hic in cenſum veniant. Vnde & liquet, quo loco habendi, qui intra ieiunas de vndecim virtutibus Ariſtotelicis commentationes, ſubſiſtunt: aut ethicam cum iurisprudentia naturali confundentes, vel ἀλλότρια agunt, vel omnino ad ſpinoſas & ineptas Moraliſtarum, quos vocant, quaeſtiones dilabuntur. Quod illorum etiam, qui vulgo praeſtantiores habentur, eſt vitium. Huic itaque, quem nos deſignauimus, fini, cumprimis inſeruiunt, ſcriptores characteriſtici, quorum deinceps ad *cap.* 5. diſtinctius facere mentionem conſtitui. Qui vero *ethicas chriſtianas* ſcripſerunt, aut philoſophiam cum theologia confuderunt, aut ſub hocce titulo, quod theologiae proprium eſt, pertractarunt. Inter Reformatos hoc nomine notus eſt LAMBERTVS DANAEVS, cuius extant *ethices chriſtianae lib.* 3. in quibus ea tamen praecipue attigit, quae iurisprudentiae ſunt diuinae. Ad ordinem enim decalogi de officiis agit, philoſophorum, ſubinde & iuriſconſultorum ſcita in ſubſidium vocans. Propius ad noſtrum inſtitutum accedunt GEORGII GRABOVII *ethica chriſtiana*, & IOAN. PIKERI *aretologia chriſtiana*, cum B. SPENERI praefatione edita; in quibus ea maxime praecipiunt, quae theologia moralis ſtrictius ſic dicta ceteroquin ſibi vindicat.

§. XXXVII.

Noſtrum nunc eſt, quae nobis propoſuimus, perſequi: primamque hanc moralis theologiae, latius ſic dictae, partem ita pertractare,* vt naturae gratiaeque tum generatim, tum ſpeciatim, expoſito diſcrimine, imperfectiones regenitorum, ex naturae reluctantia oriundas, enarremus, tum vitae ſanctitatem, ad quam quotidianis incrementis contendere debent, exhibeamus; ſigna praeterea, quibus naturae gratiaeque opera dignoſcantur, explicemus; & media denique, quibus gratiae vires augeantur, vitaeque ſpiritualis incrementum promoueatur, ſubiungamus.

* Eandem hic ſequor methodum, qua elementorum philoſophiae practicae partem primam conſcripſi. A medicis eam delumſimus: adeo, vt primum caput velut phyſiologiam, alterum noſologiam, tertium hygienem, quartum ſem oticam, quintum therapeuticam exhibeat. Rebus moralibus, praeſertim primae huic parti, eam perquam accommodatam eſſe, iam pridem viri doctiſſimi animaduerterunt. Si vero aliis licet, theologiam tum theticam, tum moralem, methodo vulgari philoſophica tractare, vt a fine ad ſubiectum, & hinc ad media progrediantur, (etſi in theologicis haec methodus difficultate non careat) non erit mihi nefas, aut medicos, aut eos ex philoſophis, qui hanc methodum ſequuntur, imitari.

Q. D. B. V.

CAPITIS PRIMI
DE
NATVRA ET GRATIA
SECT. I.
DE
NATVRA ET GRATIA
GENERATIM.

Σύνοψις.

VOx, natura, quomodo hic accipiatur? §. I.
Facultates mentis complectitur, §. II.
Et propenſiones, tum naturales, tum habituales, §. III.
Corporis quoque diſpoſitionem, §. IV.
Cauſſas praeterea propenſionum morales, §. V.
Omnes denique actus, & motus naturales, §. VI.
Natura hominis corrupta eſt, §. VII.
Qua facultates omnes, ſpeciatim intellectum & voluntatem, §. VIII.
Vnde [illegible] *in ſpiritualibus, §. IX.*
Etiam in naturalibus imbecillitas & imperfectio, §. X.
Corruptionis huius intimae, cauſſae, §. XI.
Quibus nominibus in ſcriptura ſacra exprimatur, §. XII.
Tum in actibus ſingulis tum in ſtatu naturali hominum conſpicitur, §. XIII.
Qui hic in cenſum venit, §. XIV.
Eſtque vel ſecuritatis, vel ſeruitutis, §. XV.
Vtriusque cauſſae, §. XVI.
Status ſeruitutis iterum vel eſt apertior, §. XVII.
Vel occultior, §. XVIII.
Praetextus eius, §. XIX.
Status ſecuritatis, §. XX.
Eſt vel craſſior, vel ſublimior, §. XXI.
Quod in ſtatum ſecuritatis alii, alii in ſtatum ſeruitutis deueniant, ex peruerſa agendi ratione, in negotio conuerſionis, interdum oritur, §. XXII.
Cuius rei ratio exponitur, §. XXIII.
Tranſitus etiam fieri poteſt ex ſtatu ſecuritatis in ſtatum ſeruitutis, §. XXIV.
Et vice verſa, ex ſtatu ſeruitutis in ſtatum ſecuritatis, §. XXV.
Diuiſio ſtatus in beſtialem, humanum & chriſtianum, non conuenit cum diuiſione in ſtatum ſecuritatis & ſeruitutis, §. XXVI.
Ex quolibet ſtatu naturali, immediate tranſitus fit in ſtatum gratiae, §. XXVII.
Vtrique ſtatui, ſecuritatis & ſeruitutis, propria eſt quaedam hypocriſis, §. XXVIII.
Quo nomine quid intelligatur, §. XXIX.
Hypocriſeos varia dantur genera: alia eſt ſtulta & inepta, §. XXX.
alia craſſiſſima, §. XXXI.
craſſa alia, §. XXXII.
alia ſubtilis, §. XXXIII.
alia ſubtiliſſima, §. XXXIV.
Cauſſa hypocriſeos: ea ad omnes vitae chriſtianae actus ſe diffundit, §. XXXV.
Natura, quo pacto in regenitis ſe habeat: facultates naturales, & habitus per ſe non mali, non deſtruuntur, ſed emendantur, §. XXXVI.
Quod probatur, §. XXXVII.
Diuerſitatis, quae in natura conſpicitur, commoda & incommoda, §. XXXVIII.
Vox, gratia, diuerſimode accipitur, §. XXXIX.
Secundum eam, quae hic in cenſum venit, ſignificationem, in praeuenientem, operantem, & cooperantem diſpeſcitur, §. XL.
Gratia cooperans, ſeu inhabitans, de qua hic agendum, quid ſit? §. XLI.
Eſt concurſus Numinis, & quidem totius ſacroſanctae Trinitatis, §. XLII.
Singularis & beneuolus, §. XLIII.

Supponens

Digitized by Google

Supponens iam operationem quandam regenitorum, §. XLIV.
Quae Dei, quae hominis, in hoc concurſu partes ſint, §. XLV.
Obiectum gratiae cooperantis, §. XLVI.
Tum operans, tum cooperans, gratia, aſſeritur, §. XLVII.
Duo hinc in regenitis principia, ſpiritus & caro, §. XLVIII.
Diuerſae gratiae diuinae ſpecies: quoad ſubiectum, alia operans, alia cooperans: illuminans quoad intellectum, ſanctificans quoad voluntatem, §. XLIX.
Quoad modum operandi gratia cooperans in perficientem & adiuuantem, diſpeſcitur: perficientis variae iterum ſunt ſpecies, §. L.
Vt & gratiae adiuuantis, §. LI.
Quoad effectum gratia vel inefficax eſt, vel efficax: ab hac ſufficiens perperam diſtinguitur, §. LII.
Quod gratia & quoad ſtatum, & quoad ſingulas actiones conſiderari poſſit, §. LIII.
Quinam in ſtatu gratiae conſtituti dicantur, §. LIV.

§. I.

CVm vox *naturae* diuerſas, tum apud philoſophos, tum apud theologos habeat ſignificationes,* nobis quidem nunc ita accipitur, vt complexum denotet omnium facultatum, propenſionum, habituumque naturalium, qua mentem, qua corpus, non excluſis cauſſis, ex quibus propenſiones iſtae, habitusque, itemque motus, affectus, actionesque hominum, in quantum moralitatem recipiunt, oriuntur.

* De variis, quas vox iſta apud philoſophos habet, ſignificationibus vid. IO. CHRISTOPHORVS STVRMIVS de *naturae agentis idolo cap.* 1. *tom.* 2. *philoſ. eclect. p.* 359. *ſeqq.* & ROBERTVS BOYLE, in *diſquiſitione de ipſa natura.* Quid nobis ſignificet, ex oppoſito, *gratia*, facile intelligitur. Hinc conferendi, qui ex theologis hoc argumentum tractarunt, quod ex Reformatis FRANCISCVS IVNIVS, ANDREAS RIVETVS, aliique fecerunt, quorum notae de *natura & gratia* commentationes, ad controuerſias tamen maxime de hominis conuerſione, viribusque liberi arbitrii, & praedeſtinatione, capitibusque connexis, comparatae: quod argumentum Pontificii, DIDACVS DE ALVAREZ, PETRVS DE LEDESMA, aliique, ſub titulo de *auxiliis gratiae* pertractant: quod & ex noſtratibus ſub eodem titulo fecit IO. HVLSEMANNVS, & ſub titulo de *natura & gratia*, IVSTVS FEVRBORNIVS, contra Moſen Amyraldum diſputans. Ad noſtrum inſtitutum propius accedit, etſi tractandi modo plane differat, B. SPENERVS in libello Germanico de *natura & gratia*, ad vitae praxin plane accommodato, & multis, ſed ſterilibus, ſcholaſticorum commentationibus, multis modis anteferendo. MALEBRANCHIVS in libello Gallico, de *natura & gratia*, rationem, qua Deus tum in regno naturae, cum in regno gratiae, operatur, ſuis praeſertim hypotheſibus de cauſis ſecundis, tamquam mere occaſionalibus inſiſtens, explicare annititur, parum aut nihil, quod vitae inſeruiat, afferens, ſuisque ſe inuoluens ſubtilitatibus.

§. II.

Manifeſtum itaque eſt, ipſum intellectum & voluntatem cum omnibus ſuis operationibus, actibus, motibusque, phantaſiam quoque & appetitum ſenſitiuum, *naturae* nomine nobis venire. Haec enim prima naturalium operationum, quae in morum doctrina in cenſum veniunt, principia eſſe, conſtat inter omnes.

§. III.

Facultatibus iſtis mentis, non tantum variae per naturam inſunt propenſiones, ſed habitus etiam, induſtria, ſtudio, & conſuetudine acquiſiti accedunt, ex quibus variae itidem hominum profluunt actiones aut aperte malae, aut qua ſpeciem bonae, vt ab imperitioribus pro gratiae effectibus habeantur. Gratiae tamen, cum haec omnia plane oppoſita ſint, merito *naturae* nomine nobis veniunt.

§. IV.

Sed corporis quoque diſpoſitio hic in cenſum venit, *naturaeque* nomine comprehenditur. Pro temperamentorum namque varietate, diuerſitate aetatis, ſexus, aliarumque corporis affectionum, ſanitatis, morbi, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, diuerſas gigni in animis hominum propenſiones, motus oriri atque affectus diuerſos, ipſa omnes condocet experientia.

§. V.

Quemadmodum vero, corporis diſpoſitio, & quae huc pertinent, cauſſae ſunt naturales propenſionum variarum, quae in homine exiſtunt: ita cauſſae praeterea morales variae accedunt, ſiue directe propenſiones habitusque producant varios, vt *educatio, imitatio, conuerſatio, conſuetudo*, ſiue indirecte, vt *honores, dignitates, nobilitas generis, diuitiae, paupertas, eruditio, ignorantia* & reliqua, quae omnia itidem ſub *naturae* notione, heic comprehendimus.

§. VI.

Ex hiſce, quas indicauimus, cauſſis, fontibusque, vt habitus propenſionesque, oriuntur admodum diuerſi: ita habitus atque propenſiones in varios motus, affectus, operationes internas, & externas, ſubinde erumpunt, ſub eadem notione nobis comprehendendas. At motus actionesque non quasuis intelligimus, ſed in genere morum tales, quaeue adeo, ſi ad legem exigantur, bonae aut malae eſſe poſſunt, idque iudicio ſcripturae ſacrae hominisque regeniti, qui tantum *πνευματικὰ πνευματικῶς* diſcernere poteſt, *1 Cor. II, 15.*

§. VII.

Naturam hominis, quam ita deſcripſimus, corruptam penitus & deprauatam eſſe, & experientia docet, & ſcriptura ſacra teſtatur. In omnibus namque facultatibus hominis, & perfectionis, qua gaudere debebant, abſentia, & inclinatio ſumma ad mala quaeuis conſpicitur. Vnde ſequitur & *ἀδυναμία* in ſpiritualibus, & in naturalibus quoque maxima imperfectio.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Facultates hominum omnes, ſpeciatim intellectum & voluntatem, penitus corruptas, & non tantum perfectionibus ſibi debitis destitutas, ſed ad mala quaeuis pronas, vel ex Moſis teſtimonio diſcimus *Gen. VI, 5. & VIII, 21.* vbi *figmentum omne cogitationum cordis humani, tantum malum* dicitur, *omni die.* Voluntatis quippe, quae haud raro cordis nomine venit, aeque ac intellectus, cuius eſt cogitare, ſumma intimaque prauitas indicatur. Vnde & ex corde omnes cogitationes malae prouenire dicuntur, *Matth. XV, 19.* Et Paulus Epheſios, nondum conuerſos, non tantum ἐσκοτισμένες τῇ διανοίᾳ, & alienos a vita Dei vocat, ſed ἄγνοιαν quoque illis tribuit, idque διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν *Epheſ. IV, 18.*

§. IX.

Quae cum ita ſint, in ſpiritualibus hominem naturae viribus nihil poſſe, palam eſt. Cœcus namque, mortuus, & ad omnia ineptus eſt. Homo ψυχικὸς *animalis, naturalis* ſibi relictus, viribusque gratiae deſtitutus, ὐ δέχεται τὰ τῦ πνεύματος τῦ Θεῦ *1 Cor. II, 14.* add. *Ioan. III, 12. Eph. II, 1. 5. V, 8. Rom. VII, 11. 15. 18. 2 Theſſ. II, 10.*

§. X.

Etiam in rebus naturalibus, quo nomine & morales ac ciuiles comprehendo, magnam facultatum mentis eſſe imperfectionem, tot ignorantiae, errorum, infirmitatis in iudicando, ratiocinando, eligendo, conſultando, quae in viris etiam doctiſſimis, conſpiciuntur, exempla, neminem dubitare ſinunt.

§. XI.

Intima illa hominis, qua omnes facultates corruptio, & deprauatio, prout a primorum parentum lapſu deriuatur, *peccati originalis* nomine venire ſolet: quod per naturalem generationem in omnes homines deriuatur, *Pſalm. LI, 7. Ioan. III, 6.* per educationem prauam, conſuetudinem, aliasque cauſſas naturales & morales, mirifice augetur & confirmatur. Quod ſi educatio, aliaeque cauſſae, ad ſupprimenda vitia conſpirent, imminui equidem vtcunque prauarum propenſionum vis, non tamen infringi poteſt, cum hoc demum gratiae opus ſit. Saepe id etiam eo pertinet, vt ſubtiliora vitia non animaduertentes, ſub falſa gratiae ſpecie ſe ipſos decipiant, miſeri mortales.

§. XII.

Corruptio iſta naturae, quam hactenus deſcripſimus, variis nominibus in ſcriptura ſacra inſignitur. Vocatur enim *vetus homo Epheſ. IV, 22. Rom. VI, 6. caro,* hominesque inde *carnales. Io. III, 6. Rom. VIII, 6.*

 Gal.

Gal. V,19. Eph. II,3. caro & ſanguis, 1 Cor. XV,50. Gal. I,16. Matth. XVI,17. caro cum concupiſcentiis ſuis, Gal. V,24. corpus peccati Rom. VI,6. Col II,11. & in quantum in varios motus & affectus, actusque prauos natura haecce corrupta erumpit, *membra terreſtria* huic corpori peccati tribuuntur *Coloſſ. III,5.* Naturae vox varias habet ſignificationes, ut patet ex *Rom. II,14. Gal. II,15. IV,8. 1 Cor. XI,14.15. Iacob. III,7. Iudae v. 10.* ſed ad noſtrum inſtitutum ea praecipue pertinet, in qua adhibetur *Epheſ. II,3.* Qui enim *natura* hic idem eſſe volunt ac *conſuetudine*, oppido falluntur. *

* Per *naturam Epheſ.* II, 3. AVGVSTINVS, aliique veterum & recentiorum, intelligunt ipſam *natiuitatem*, vel, quod eodem redit, *naturam ipſam*, non qualis in primo homine condita eſt, ſed qualis per eius transgreſſionem facta, a ſingulis naſcendo accipitur, vid. AVGVSTINVS *ſerm.* 14. de *verb. apoſt. it lib. 1. retract. cap.* 10. & 15. & paſſim contra Pelagium, Recte ſane. Opponitur enim *h. l.* φύσει τῇ χάριτι *gratiae.* Nam quemadmodum hoc verſiculo dicimur, *natura filii irae*, ita poſtea *verſ.* 8. dicimur, *gratia ſaluari.* Proinde idem eſt hic τῇ φύσει, ac a natiuitate, ab vtero ſumus filii irae, poenaeque diuinae obnoxii, ob peccata, in quibus naſcimur. Sic *Gal.* II, 15. dicitur: nos φύσει Iudaei ſumus: in oppoſitione ad proſelytos, qui non φύσει ſed θέσει Iudaei erant, vt ad *h. l.* B. BALDVINVS, aliique paſſim obſeruant. Fallitur itaque HVGO GROTIVS, dum hanc vocem per *conſuetudinem*, aut *receptum morem* explicat. Cum enim *lib. 2. de iure belli & pacis cap.* 12. §. 26 illud Pomponii: *in pretio venditionis & emptionis naturaliter licere ſe mutuo circumuenire*, attuliſſet, *naturaliter*, inquit, *eo in loco, vt & alibi interdum, poſitum eſt pro eo, quod recepti paſſim moris eſt:* idque exemplis illuſtraturus, ſic inter alia pergit: *ſic idolorum cultores, non autem quoſvis homines,* φύσει ματαίους *appellat ſcriptor libri ſapientiae: &* τέκνα φύσει ὀργῆς *Paulus apoſtolus (Epheſ.* II, 3.) *non tam ex ſua, quam ex Romanorum, apud quos tum viuebat, perſona loquens.* In annotatis tamen ad *h. l.* (*Epheſ.* II, 3.) τὸ φύσει idem eſſe putat, *ac reuera:* φύσει *autem*, inquit, *ſignificat, non opinione, ſed reuera, vt Gal.* IV, 8. ἀληθῶς, γνησίως, *vt hic habet Oecumenius.* Haec GROTII explicatio ipſi diſplicet IO. CLERICO, in re ipſa licet cum Grotio conſentienti, hiſce Pauli verbis labem originalem minime indicari. Prolixe is de voce *natura* agit *art. critic. part. 2. ſect. 1. cap* . Verba Pauli cum attuliſſet, *ad hunc locum*, inquit, *vir ſummus, modo laudatus* (Grotius) *affert Gal.* IV, 8. *vt probet, Paulum hoc velle, Iudaeos fuiſſe reuera filios irae. Sane qui ſunt* φύσει τέκνα ὀργῆς, *reuera ſunt ira digni, nec, ad rem ipſam quod ſpectat, a ſenſu aberrarunt ii ex veteribus, qui ante Grotium ita verba Pauli intellexerunt. At non eſt ea propria vocis ſignificatio.* Lubentes admittimus, quod haec propria vocis ſignificatio non ſit. At a ſenſu etiam tum GROTIVM, tum eos, qui cum eo hoc ita explicant, aberrare, antea allatae rationes docent. Suam vero vir doctiſſimus ita proponit ſententiam: *Vbi agitur de gentibus integris, vt in loco Pauli allegato,* φύσει *ſignificat indolem gentis. Scriptor libri de elocutione, qui Demetrio Phalereo tribui ſolet,* φύσει *inquit,* ἐβραχυλόγουν οἱ Λάκωνες, *natura paucis loquebantur Lacones.* Quod & pluribus Graecorum, Latinorumque in medium allatis locis, comprobare annititur. Nec abnuimus, apud profanos auctores hanc vocis hujus quandoque eſſe ſignificationem. Quid *Eph.* II, 5. ea vox ſignificet, ex ipſo contextu diiudicandum. Loquitur de φύσει corrupta tum Iudaeorum, tum reliquorum hominum. Diſerte dicit: *natura eramus filii irae, vt & reliqui*, ſcilicet homines. Non igitur de indole quadam, huic aut illi genti propria, ſed de corruptione quadam vniuerſali, Iudaeis & ethnicis communi, verba facit. Cuius profecto corruptionis & prauitatis vniuerſalis cauſſa, alia eſſe non poteſt, quam peccatum originale per naturalem generationem in omnes propagatum. Vt gens quaelibet ſuam habeat indolem, aliam Athenienſes, aliam Lacedaemonii, aliam Romani, a conſuetudine, educatione, aliisque cauſſis particularibus prouenit. At communis & vniuerſalis corruptionis, vniuerſalis quaerenda cauſſa, quam cum nomine φύσει hic exprimat Paulus, nihil aliud quam ipſam natiuitatem, & quam per eam omnes habent ad praua inclinationem ea denotare poteſt, quippe per quam in eo ſtatu conſtituti ſunt, vt nihil aliud quam iram diuinam promereantur.

§. XIII.

§. XIII.

Naturae praeterea corruptio, quae ſimpliciter interdum *naturae* nomine venit, tum in *actionibus ſingulis* hominum, tum in eorundem *ſtatu* conſpicitur. Actiones namque omnes, internae & externae, omnesque motus, affectus, *naturales* vocantur, quae *naturam*, non *gratiam*, pro principio habent, idque in regenitis quandoque contingit, ex adhaerente illis imbecillitate vt naturae opus ſit, quod ipſi, niſi diligenter, attendant, ex gratia profluxiſſe facile ſibi perſuadent.

§. XIV.

Nobis de ipſo *ſtatu* hominum, nunc ſermo eſt, qui cum eſt *naturalis*, oppoſitus ſcilicet ſtatui *gratiae*, quidquid in eo homines cogitant, cupiunt, loquuntur, agunt, *naturae eſt effectus*, prauae arboris, prauus fructus, *Matth. VII, 18.* quantumuis egregium, honeſtum, ſplendidum videatur.

§. XV.

Status hominum naturalis, iterum duplex eſt, vel *ſecuritatis*, vel *ſeruitutis*, qui & *legalis* dici ſolet. Quidam enim homines, docente Paulo viuunt χωρὶς νόμȣ, alii ὑπὸ νόμον, quibus opponit ſtatum ὑπὸ χάριν ſub gratia. *Rom. VI, 14.* Ad vltimam claſſem regeniti pertinent, verique filii Dei: quibus adeo, qui oppoſiti ſunt, in duplici hocce diſcrimine ſunt conſtituti.

§. XVI.

Vtriusque ſtatus in quo irregeniti conſtituti ſunt, cauſſa, peccatum originale eſt accedente ἀπιςία *Ioan. VI, 9.* cum fides vera libertatem *Ioan. VIII, 36.* ſpiritumque filialem *Rom. VIII, 15.* largiatur, & ſomnum ſecuritatis excutiat, *Epheſ. V. 14.* hominumque mentes ad abnegandam omnem impietatem, caſtiget. *Tit. II, 12.* Vt tamen nonnulli magis ad ſtatum ſecuritatis, alii magis ad ſtatum ſeruitutis proni ſint, id ex temperamentorum, educationis, aliarumque cauſſarum diverſitate, prouenit.

§. XVII.

Status ſecuritatis iterum non vno modo ſe habet. In quibusdam enim ſecuritas *aperta & proterua* deprehenditur, in aliis eadem *occultior* eſt, & ſub velamine quodam hypocritico latitat. In ſtatu ſecuritatis *apertae* ea omnia cogitat, dicit, agit homo, ad quae amor ſui inordinatus, prauusque affectus eum impellit. Hinc cultus diuini interni & externi neglectus, aut contemptus, effrena libertas in loquendo, violentia affectuum, abuſus ſenſuum & creaturarum, conformatio ad ſchema mundi, & quaeuis opera carnis *Gal. V, 19.* Haec omnia aperte

Digitized by Google

aperte eiuſmodi homo deſignare paratus eſt, niſi forte aut commodum aliquod aliud quid ſuadeat, aut pœnae ignominiaeque metus, vel aliud quid, eum deterreat.

§. XVIII.

Status ſecuritatis *occultior* eſt, quando homo ea omnia, ad quae inordinato ſui amore prauoque affectu ducitur, cogitare, dicere, agere paratus eſt, ſed vt ſpeciem tamen quandam chriſtianiſmi & honeſtatis retineat, & a peccatis grauioribus ſibi temperet. Cultui igitur Numinis externo, vt operi, quod vocant, operato fauent, qui in eo conſtituti ſunt, preces conſueto tempore fundunt, verbum Dei interdum haud illibenter ſibi audire videntur, virtutisque ſpeciem facile adſumunt, vitiaque contraria fugiunt, ſiue hoc ex temperamenti, educationisque, ſiue ex aliarum cauſſarum, naturalium aut moralium conditione, contingat.

§. XIX.

Commodum ex hocce ſtatu ſecuritatis ſubtilioris, hocce ſibi habere videntur, quod vitam tranquille vt putant, & hilariter ſibi tranſigere liceat, triſtitiam omnem fugientes, conſcientia, per iſtam chriſtianiſmi ſpeciem, utcunque pacata, per prauam atque peruerſam ſcripturae interpretationem, auctoritatem moresque aliorum, imbecillitatis aut *ἀδυναμίας πρόφασιν*, vel ignoratae diuinae voluntatis in omnibus ac ſingulis obtentu, aliaque ratione, eludere conantes, quidquid illos erroris conuincere, adamatamque tantopere falſam mentis quietem, perturbare poterat.

§. XX.

Vox *ſeruitutis* interdum late accipitur, vt ſtatum ſecuritatis etiam complectatur. *Ioan. VIII, 34. Rom. VI, 16. 17. 20.* Quo ſenſu & *τὸ ſub lege eſſe*, accipitur *Gal. V, 18 23.* At a nobis *ſtatus ſeruitutis & legalis* in ſtrictiori ſenſu accipitur, diſtinguiturque a ſtatu ſecuritatis. Eſt namque in hoc ſenſu, ſtatus *ſeruitutis* ſeu *legalis*, quando homines legis quidem horrorem perſentiſcunt, idque ex metu irae diuinae, hoc vel illud peccatum forte omittunt, ſaltem ab externis & grauioribus ſedulo ſibi cauent, interim ſaluificae fidei gratia, & amore Dei deſtituti, ex metu ſeruili agunt, quidquid agunt, reuera clandeſtinum aliquod odium erga Deum fouentes, ea prohibentem aut praecipientem, quae prohibita aut praecepta eſſe nollent, quaeue nonniſi inuiti aut faciunt, aut intermittunt, aut omnino fieri vel intermitti non poſſe, exiſtimant. Et hinc in eiuſmodi hominibus *per legem peccatum magis irritari*, dicitur, *Rom. VII, 5. 8.* conf. *Ebr. II, 15. Rom. VI, 14. VIII, 2.*

§. XXI.

§. XXI.

Status ille ſeruitutis & legalis itidem ſuos habet gradus: poteſtque pari ratione in *craſſiorem* & *ſubtiliorem* diuidi. Ille per opera externa in apertam quandoque erumpit ſuperſtitionem, animis mortalium metu & terrore mortis, ad quiduis ſuſcipiendum, facile adducendis, vt conſcientiae conſulant, imminentiaque mala auertant. Hic eo vsque non procedit, ſed ſeipſum interdum ſub *παῤῥησίας*, & filialis fiduciae ſpecie decipit, libertatem interdum quandam in externis affectans, cum tamen ex praua radice cuncta procedant, & in intimis animi receſſibus auerſio a Deo, ſpiritusque ſeruilis regnet. Manifeſtum itaque eſt, huncce ſtatum, & *craſſiorem* & *ſubtiliorem*, mere eſſe hypocriticum. De ſtatu namque ſimili fidelium in tentationibus, hic ſermo non eſt.

§. XXII.

Praeterquam vero, quod naturae conditione quadam, nonnulli ad ſtatum *ſeruitutis* & *legalem*, magis proni ſunt, quam ad ſtatum *ſecuritatis*, accedit peruerſa agendi ratio in negotio conuerſionis, per quam nonnulli in huncce ſtatum deueniunt. Etenim ſi ex comminatione legis horror quidam in anima oriatur, vt de Felice legimus, *Act. XXIV*, 24. 25. tum, ſi eum homines excutiant, in ſecuritatis ſtatum iterum deuoluuntur, ſin non recte eo vtantur, vt in perfectam libertatis legem introſpiciant, *Iacob. I*, 25. ſeruilis inde anxietas oritur, ſtatusque legalis, in *ἐθελοθρησκείαν* tandem variaque ſuperſtitionum genera deſinens, *Coloſſ. II*, 18. 19. 20.

§. XXIII.

Varia autem ratione contingere poteſt, vt ſeipſum aliquis impediat, quo minus in opere conuerſionis ita ſe gerat, vt *in perfectam legis libertatem introſpiciat*. Scilicet, ſi quis in hocce opere parum ſincere verſetur, foueatque *aliquid falſi in corde ſuo*, *Pſalm. XXXII*, 2. 3. *ſeqq.* ſi preces aut negligat, aut intermittat, aut non eo modo adhibeat, quo Deum precari par eſt, *Luc. XIII*, 24. *XVIII*, 1. *Eſ. I*, 15. aut legi tantum inhaereat, intermiſſo genuino & legitimo vſu euangelii, & quae alia ſunt eiusdem generis.

§. XXIV.

Fieri etiam poteſt, vt ex ſtatu *ſecuritatis* aliquis tranſeat in ſtatum *ſeruitutis*, & vice verſa. Cuius rei imaginem nonnulli in filio iſto degenere, ante conuerſionem eius, *Luc. XV*, 13. *ſeqq.* quaerunt. Rationesque huius rei varias afferre licet. Si quis enim per cauſſas equidem naturales pronus ſit ad ſtatum ſecuritatis, at legis comminatione perterrefactus horrorem animo concipiat, nec tamen ſua culpa ad filialem fi-

duciam perueniat, ſero nimis deprehendet, ſe ex ſtatu ſecuritatis in ſtatum ſeruitutis perueniſſe. Quod eo facilius continget, ſi per quaſdam cauſſas naturales in ſtatum ſecuritatis detruſus ſit, at per alias longe validiores ad ſtatum ſeruitutis determinetur, quae ceſſantibus prioribus, vim ſuam exerant.

§. XXV.

Eadem ratione, haud inſolens eſt, vt quis per quaſdam cauſſas naturales in ſtatu ſeruitutis ſeu legali detineatur, ceſſantibus tantiſper, quae in ſtatum ſecuritatis eum detrudere poterant, quae vim ſuam ac efficaciam ſtatim exſerent, ac impedimenta fuerint remota.

§. XXVI.

Solet ceteroquin ſtatus hominis a quibusdam diuidi in *beſtialem*, *humanum* & *chriſtianum*. * Quae diuiſio, ad eam, de qua nobis hactenus ſermo fuit, proxime prima fronte, accedere videtur. Vt enim ſtatus hominis chriſtiani eſt *ſtatus gratiae*, ita ſtatus beſtialis reſpondere videtur *ſtatui ſecuritatis*, & ſtatus humanus *ſtatui legali*. At accuratius rem expendentes, facile diſcrimen ingens deprehendent. Namque *ſtatus*, quem vocant, *beſtialis* & *humanus*, gradibus ſaltem vitiorum differunt, cum ſtatus contra *ſecuritatis*, & *ſeruitutis*, ſpecie differant.

* Fuerunt, qui huius diuiſionis iam apud HIERONYMVM mentionem fieri contenderunt, in libro *de viro perfecto*. Et extat ſane ſub HIERONYMI nomine liber *de viro perfecto*, *tomo* 4. operum eius, *p.* 32. *ſqq.* editionis, quae Francofurti ad Moenum an. MDCLXXXIV. prodiit. Sed HIERONYMO perperam huncce librum tribui, conſtat inter omnes. Et licet auctor, quicunque demum ſit, multis oſtendat verbis, quibus in rebus beſtiis quandoque aſſimilentur homines improbi, eo tamen modo, quo a recentioribus quibusdam fieri ſolet, triplicem huncce hominum ſtatum, non diſtinguit.

§. XXVII.

Vt vero ex quolibet ſtatu naturali immediate tranſitus fieri poteſt ad *ſtatum gratiae*, ita fundamento non tantum caret illorum ſententia, qui ex ſtatu beſtiali ad humanum, & hinc ad ſtatum gratiae, tranſeundum cenſent, ſed in pericula ſe coniicerent, qui hunc obſeruare ordinem vellent, facile aliquando *ſtatum*, quem vocant *humanum*, pro ipſo gratiae ſtatu habituri, indeque in ſtatum aut *ſecuritatis* aut *ſeruitutis ſubtilioris*, prolapſuri.

§. XXVIII.

Eſt naturae quoque fallacis haec indoles, vt ſub ſchemate hypocritico lubens lateat: idque non in iis tantum, qui in *ſtatu ſervitutis*, ſed & qui in *ſtatu ſecuritatis ſubtilioris* degunt, deprehendimus. Hinc vt cuncta eo rectius intelligantur, & naturae corruptae indoles eo melius perſpiciatur, de *hypocriſi*, quae huc faciunt, afferenda erunt.

§. XXIX.

§. XXIX.

Hypocriſin, cui ἀλήθεια *Epheſ. IV. 21.* & εἰλικρίνεια *1. Cor. V, 8.* opponitur, hic non intelligimus particularem alicuius facti, *Gal. II, 13.* ſed vniuerſalem, totius religionis, pietatisque chriſtianae, quaeque adeo non tam homines, quam Deum petit, & quantum in ſe eſt, ludit. Dicitur μόρφωσις τῆς εὐσεβείας *2 Tim. III, 5.* σχῆμα *2 Cor. XI. 13 14.* mendacium. *Apoc XXII, 15.* conf. & *1 Tim. IV, 2. Ier. XII, 2.*

§. XXX.

Non vnum eſſe hypocriſeos genus, omnes facile intelligunt. Poſſunt, ſi praecipuos modos conſideres, quinque eius claſſes conſtitui. Prima illorum eſt, qui pii & religioſi videri volunt, etſi ipſi ſe tales non eſſe agnoſcant, nec ab aliis, ſaltem prudentioribus, pro talibus habeantur. Hanc non *impiam* modo, ſed *ſtultam* & *ineptam* hypocriſin dixeris. Huc & illi pertinent, qui in manifeſtis licet flagitiis viuentes, religionem tamen eiusque veritatem ſibi curae cordique eſſe, aliis perſuadere volunt, conf. *Prouerb. VII, 14. Matth. XXIII, 25. 26.*

§. XXXI.

Altera claſſis illorum eſt, qui pii & religioſi haberi volunt, ab aliis etiam pro talibus habentur, ſaltem ita ſe gerunt, vt pro talibus a quibusdam haberi queant: ipſi tamen in conſcientia conuicti ſunt, tales ſe non eſſe, ſi v. g. in peccatis voluntariis, ſed clandeſtinis, viuant. *Craſſiſſimam* merito hanc hypocriſin dixeris. Huc illos retuleris, qui propter opinionem hominum, quibus ſolis ſe conformare geſtiunt, & probare, hypocriſin affectant. *Matth. VI, 5. XXIII, 5.* aut qui honoris, vel commodi cauſſa id faciunt, vt Iudas, *Ioan. XII, 6.*

§. XXXII.

Tertia claſſis illorum eſt, qui & ſibi ipſis pii videntur, & ab aliis pro talibus vt habeantur, quandoque impetrant, ſed peccatis tamen grauioribus contaminantur, quae tamen ipſi aut pro peccatis plane non habent, aut inter peccata infirmitatis referunt, quibuscum vitae ſanctimonia, bene conſiſtere queat. Referuntur merito huc & illi, qui in cultu externo omne ſolatium quaerunt, *Ierem. VII, 4.* conf. *Iacob. I, 22. Luc. XIII, 26. Marc. VII, 2. 3.*

§. XXXIII.

Quarta claſſis illorum eſt, qui & ſibi ipſis pii videntur, & facile ab aliis quandoque impetrant, ab illis vt pro talibus habeantur, immo magno ſtudio peccata, praecipue externa fugiunt, hoc tamen faciunt ex ſpiritu ſeruili, ſimulque haud raro internis cupiditatibus peccatisque ſub-

ſubtilioribus indulgent, aliosque prae ſe contemnunt, vt phariſæus ille *Luc XVIII, 11.12.* conf. & *Matth. XIX, 20. Subtilem* hanc hypocriſin dixeris.

§. XXXIV.

Vltima denique illorum claſſis eſt, qui & ſibi & aliis pii & irreprehenſibiles videntur, peccata interna & externa ſummo ſtudio fugiunt, cupiditatibus prauis bellum indicunt, ſed iisdem tamen ſub virtutis ſanctitatisque ſpecie indulgent, cum v. g. ex zelo diuino, ſtudioque gloriam Numinis promouendi ſe agere putant, ad quae tamen affectus naturalis, ſed occultus, impellit. Tales ſunt, qui innocentes ex zelo, vt putant diuino, perſequentes, ſe Deo rem gratam facere exiſtimant. *Ioan. XVI, 2.* Hanc merito *ſubtiliſſimam* hypocriſin dixeris.

§. XXXV.

Diuerſas itaque hypocriſeos eſſe cauſſas ſpeciales poſſe, hinc ſua ſponte intelligitur. Namque interdum ex malitia, interdum vero ex ignorantia procedere poteſt, cum quis reuera ſe pium eſſe credit atque ſanctum, cum minime talis ſit. Partialis hypocriſis interdum & ex metu oritur. *Gal. II, 12. 13.* In omnibus quoque vitae chriſtianae actibus hypocriſin quandam, plerumque ex naturae fallacia procedentem, deprehendere licet. Namque & pœnitentia quaedam datur hypocritica, & fides hypocritica, & ſanctitas hypocritica, & preces hypocriticae, &c. Quae omnia naturae corruptae indolem, geniumque demonſtrant.

§. XXXVI.

In regenitis natura ita ſe habet, ut quidquid in ea prauum atque peruerſum eſt, per *gratiam* magis magisque imminuatur: ipſae autem facultates naturales, habitusque, qui per ſe mali non ſunt, non deſtruuntur, ſed emendantur, ſanctificantur, & ad bonum finem diriguntur.

§. XXXVII.

Probatur id primo, ex ipſa indole regenerationis, per quam natura ipſa, ſeu eſſentia hominis, facultatesque naturales non deſtruuntur, ſed affectiones eius, inclinationes, propenſionesque prauæ mutantur, *Ioan. III, 6.* tum, ex doctrina de renouatione ſeu ſanctificatione, iuxta quam vetus homo, h. e. vitia reliqua, facultatibus naturalibus hominis inhaerentia, exuendus eſt & deponendus, *Epheſ. IV, 22.23.24.* & denique ex diverſitate donorum, quae in ipſis apoſtolis, aliisque viris ſanctis conſpiciebatur, & in regenitis deprehenditur, quae plerumque ingenii aliarumque facultatum naturalium diuerſitatem ſupponit, & inde oritur.

§. XXXVIII.

Nimirum, vt ex naturae, hoc eſt, facultatum & propenſionum, quam quisque per generationem aliasque cauſſas, ſortitus eſt, diuerſitate,

tate, diuerſa oriuntur incommoda, tentationesque peculiares, quibuscum regenitis eſt colluctandum: ita donorum quoque virtutumque chriſtianarum mira varietas, ad membrorum corporis Chriſti *συναρμογῶν* mirifico conſenſu conſpirans, inde efflореſcit, ſummam Numinis ſapientiam, luculentiſſimo exemplo demonſtratura. conf. *Coloſſ. II, 19. Epheſ. IV, 15. 16.*

§. XXXIX.

Naturae hactenus explicatae, opponimus *gratiam*. Quo nomine vt conſtet, quid intelligatur, non vnam eius ſignificationem eſſe, obſeruandum. Interdum namque ſignificat propitium & benignum Numinis fauorem, quo mouetur ad ſalutem noſtram procurandam, *Epheſ. I, 7. II, 7. 8. Rom. III, 24. 1 Petr. V, 10.* Qui fauor benignus, alias & *amoris* nomine venit, deſcribiturque *Ioan. III, 16. Rom. V, 8. 1 Ioh. IV, 9.* Significat etiam gratia beneuolentiam Numinis, merito Chriſti prouocatam, ad hoc, vt velit Deus omnes homines ad participationem ſuae gratiae & vitam aeternam, vocare & adducere. conf. *Ioan. XIV, 6. Actor. IV, 12. Rom. III, 24. Epheſ. I, 4. 5. ſqq.* Apud ſcriptores eccleſiaſticos, frequentiſſime ſumitur pro gratioſa Dei in anima hominum operatione, per quam eos conuertit, vitamque ſpiritualem in iis producit, atque conſeruat pariter ac auget. conf. & *1 Cor. III, 10. XV, 10. Epheſ. I, 13.* * Denique & vox gratiae dona diuina denotat, tum *naturalia*, quo ſenſu ipſa natura in ſe abſque corruptione ſpectata, eſt donum, ſeu effectus gratiae diuinae, *Iac. I, 17.* tum *ſpiritualia*, *1 Cor. I, 4. Epheſ. IV, 7. 1 Tim. IV, 14.*

* Tertia haec vocis *gratiae* ſignificatio, admodum tum aliis, tum & IO. CLERICO diſplicet. De vocibus enim obſcuris verba faciens, *art. critic. part. 2. ſect. 1. cap. 8. §. 12. p. 323.* huc etiam refert vocem *gratiae*. *A tempore*, inquit, *Auguſtini vix vlla vox frequentior fuit voce* GRATIA, *vbi ſermo eſt de hominis ad ſaniorem mentem reditu, & vi, cui is reditus debetur. Ea tamen voce quid ſignificetur, cum ab iis quaeritur, qui ea vtuntur, nihil reſponſi perſpicui ferre licet. Hinc factum, vt in Gallia Ieſuita feſtiui ingenii (Bouhours in dialogo, du je ne ſai quoi) non inficete dixerit, gratiam illam diuinam, quae tantum ſtrepitum excitauit in ſcholis, & tam mirabiles effectus in hominum animis edit, gratiam illam adeo efficacem & ſuauem ſimul, quae de duritie cordis illaeſa arbitrii libertate triumphat, nihil eſſe tandem, praeter* NESCIO QVID. *Nec certe ea vox vsquam in ſcriptura eo ſenſu legitur, quamuis caeteroqui ſit πολύσημος. Vbi de Deo ſermo eſt, χάρις gratia eius miſericordiam, aut beneficium quodpiam ſignificat, nusquam arcanum afflatum, quo ſenſu eam intellexit Auguſtinus, popularis ſane orator, ſederiticae imperitus.* Paucis interiectis ita pergit: *nulla definitio vocis* GRATIA, *quae quadret in notionem Auguſtini, dari poteſt praeter hanc: Eſt neſcio quid, quo Deus ex Auguſtini ſententia animos noſtros ad pietatem ineluctabiliter flectit, idque ab omnibus cum noſtris ratiocinationibus, tum iis, quae extrinſecus nobis obiiciuntur, diſtinctum. Si nitaris clariorem notionem adnectere voci* GRATIA, *ea tua erit notio, non Auguſtiniana.* Quae quidem perperam dicta eſſe a viro doctiſſimo, exiſtimo. Quidquid nunc ſit de mente AVGVSTINI, notum eſt, cum de hominis conuerſione, & conuerſorum in ſtudio ſanctitatis progreſſu, vox gratiae adhibetur, eam ſignificare gratioſam quandam Dei in anima hominis operationem,

qua aut conuerſionem eius operatur, aut, poſtquam conuerſus eſt, ad virtutum bonorumque operum exercitium concurrit. Ponamus, in hac ſignificatione vocem gratiae in ſcriptura ſacra non occurrere, res ipſa tamen ſatis clare in ea exprimitur. *Ioan.* VI, 44. XV, 5. *Eph.* I, 13. alibique. Ad eam etiam operationem exprimendam aptiſſima plane eſt vox *gratiae*, cum nemo dubitare queat, quin ea diuini amoris atque beneuolentiae ſit effectus, aeque ac reliqua beneficia, quae in ſcriptura ſacra gratiae nomine quandoque venire, ipſe agnoſcit CLERICVS. Sed id quoque ſine ratione ſumitur, vocem iſtam in ſcriptura ſacra in iſta ſignificatione non occurrere, cum I *Cor.* III, 10. XV, 10. alibique, omnino locum inueniat. Afferunt nonnulli etiam hunc in finem locum *Ioan.* I, 16. & *ex plenitudine eius accepimus χάριν ἀντὶ χάριτος, gratiam*, ſeu gratioſam Numinis in anima noſtra operationem, *propter gratiam*, id eſt, ex mera gratia, propitioque Numinis fauore. Certe per χάριν ipſe etiam HVGO GROTIVS *dona Spiritus S.* intelligit: aliorumque huc collimantes opiniones refert THOMAS GATAKERVS *aduerſar. miſcellan. cap.* 27. ſed huic ego non ſubſcribo ſententiae, cum planior illorum videatur, qui hoc ſibi Ioannem velle aſſerunt, nos pro gratia, ſeu loco gratiae primaeuae creationis ad imaginem Dei, beneficio Chriſti, aliam gratiam reparationis & reſtitutionis ad ſalutem accipere. Praeterea AVGVSTINVS non fuit primus ex antiquis eccleſiae doctoribus, qui voce gratiae in hac ſignificatione vſus eſt, quod vel ex MACARII teſtimoniis, deinceps aſſerendis, conſtare poterat.

§. XL.

Cum igitur a natura *gratia* diſcernitur, in tertia adhibetur vox ea ſignificatione, qua operationem quandam Dei in anima hominis denotat. Ea vero operatio cum diuerſa ſit, pro diuerſa conditione ſubiecti, aliterque ſe habeat circa hominem in ipſo negotio conuerſionis conſtitutum, aliter denique circa conuerſum, diuerſas itidem ſortitur denominationes, ſoletque in *praeuenientem*, *operantem* & *cooperantem* diſpeſci. Alii eodem ſenſu gratiam in *adſiſtentem* & *inhabitantem* diſpeſcunt, ſub *adſiſtente*, praeuenientem & operantem, comprehendentes, cooperantem autem, *inhabitantis* nomine deſignantes, quod in homine operari incipiat, poſtquam iam regenitus eſt, atque fidem admiſit.

§. XLI.

Res ipſa vero docet, de gratia *cooperante*, ſeu *inhabitante*, quam adſiſtentis gratiae continuationem nonnulli dicunt, nobis ſermonem eſſe * cum de principio operationum, quod in regenitis deprehenditur, ſolliciti ſimus. Hanc merito ſingularem, beneuolumque Numinis concurſum dixeris, ad omnes ac ſingulos motus & actiones regenitorum ſpirituales, quibus vita ſpiritualis in iis conſeruetur augeaturue, vt ita magis magisque ad diuinae imaginis reſtaurationem, proficiant.

* Quam nonnulli etiam *gratiam adiuuantem* vocant. A Pelagii enim errore prope abeſſe, qui & operantem, *adiuuantis* nomine comprehendunt, docet IOAN. HVLSEMANNVS, qui & de voce *auxilii*, quo itidem abutuntur ſcholaſtici, idem obſeruat, *de auxiliis gratiae, cap.* 2. §. 18. *p.* 28.

§. XLII.

Numinis dum huncce concurſum dixi, ſacroſanctam intelligo Trinitatem, cum opus ad extra, vt loqui ſolent, ſit, omnibusque adeo

adeo Trinitatis perſonis, conueniat. Hinc & mox patri hoc tribui videas, *Ioan. XV, 2. Ebr. XIII, 21. 1 Theſſ. V, 23. 24.* mox filio, qui non tantum hanc gratiam nobis promeruit *Ebr. IX, 14 Rom. VI, 6. 8. Galat. III, 14.* ſed eam etiam operatur, *1 Cor. I, 30. Ebr. II, 11. Ioan. XV, 5.* immo a quo, ceu capite, membra corporis myſtici, omnem influxum ſpiritualem recipiunt, *Epheſ. I, 23. IV, 15. Coloſſ. II, 19.* Denique & ſpiritui ſancto idque ſpecialiori quadam ratione, ſeu per appropriationem, vt loqui amant, hoc tribuitur. *Rom. I, 4. VIII, 2. 9. 10. 11. 14. Gal. V, 22. Eph. III, 16. V, 9.* alibique.

§. XLIII.

Singularis eſt iſte concurſus ſeu cooperatio, atque beneuolus. *Singularis* quidem, quia a generali Dei concurſu ad omnes ſingulasque hominum etiam malorum actiones, qui partem prouidentiae diuinae conſtituit, plane differt. Idem vero & *beneuolus* eſt, quia miſericordiae amorisque diuini, ſummi & ineffabilis, eſt effectus, hinc & *gratiae* nomine merito inſigniendus. Complectitur etiam ſapientiſſimam, omnium actionum, qua intentionem, qua alias circumſtantias, directionem, in quantum regeniti nullum impedimentum afferunt, & media ſalutis, a Deo praeſcripta, rite vſurpant. Quod & generatim de iſto concurſu, ſeu cooperatione, eſt intelligendum.

§. XLIV.

De regenitis nobis hic ſermonem eſſe, & res ipſa docet, & nomen etiam *cooperationis* indicat. Hinc namque intelligitur, hominem etiam aliquid operari poſſe, quod de irregenito, ceu mortuo in peccatis, dici nequit. Regeniti autem viribus gratiae iam inſtructi ſunt, per quas aliquid operari poſſunt, cum in illis nouus homo ſit, *Epheſ. IV, 24.* noua creatura, *2 Cor. V, 28.* nouus ſpiritus *Rom. VII, 6.* ὁ κρυπτὸς τῆς καρδίας ἄνθρωπος, *1 Petr. III, 4.* Hae tamen vires non ſufficerent, & mox iterum defecturae eſſent, niſi Deus benigno iſto concurſu ſuo eas conſeruaret, corroboraret, augeret, qui bonum iſtud opus & inchoare & perficere poteſt. *Phil. I, 6.*

§. XLV.

Rationem inde perſpicere licet, cur vna eademque actio, mox diuinae gratiae, mox homini ipſi in ſcriptura ſacra tribuatur. Sic Deus dicitur nos purificare *Ioan. XV, 2.* mox purificare nos ipſos iubemur *1 Ioan. II, 3.* & caſtas facere animas noſtras, *1 Petr. I, 22.* Quod ſi vero accuratius huncce Dei hominumque concurſum expendimus, facile deprehendemus, Deum hic agere quod praecipuum eſt, quippe a quo regeniti per fidem in Chriſtum omnem velut ſuccum vitalem recipiunt,

Ioan.

Ioan. XV, 5. hominem vero id maxime, vt impedimenta remoueat, & mediis, quibus gratia diuina, eiusque incrementum obtinetur, recte vtantur. Quod & pleraeque denominationes ſanctificationis, in quantum homini tribuitur, condocent. conf. *Gal. V, 24. Epheſ. IV, 22. Coloſſ. III, 10. 1 Cor. IX, 27. Matth. XVIII, 8. 9.*

§. XLVI.

Occupatur itaque iſta gratia, circa omnes & ſingulos regenitorum motus, affectus, cogitationes, dicta, facta. Quae omnia ideo & ſpiritualium motuum, & actionum nomine, nobis veniunt, quia a ſpiritu ſancto, per media legitime vſurpata, producuntur, ſanctificantur, purgantur, diriguntur. Vnde nec motus ac actiones ex facultatibus naturalibus profluentes nos excludere palam eſt, in quantum in genere morum ſpectantur, ſuntque ſanctificationis, purgationis, directionis ſpiritualis capaces. Finis vero gratiae eſt, vt homo magis magisque ad reſtaurationem imaginis diuinae proficiat, *Epheſ. IV, 24. Coloſſ. III, 10.*

§. XLVII.

Tam luculenter, vt ex hactenus dictis patet, cum ſcriptura ſacra gratiam deſcribat, & a natura diſcernat, in manifeſto grauiſſimoque verſantur errore, qui aut omnem gratiam, operantem & cooperantem, in dubium vocant, naturae viribus cuncta tribuentes: aut fallaci ſermone, gratiae quidem voce vtuntur, ſed ea nihil aliud, quam quod naturae proprium eſt, tegunt. Namque Deum eſſe, qui & *velle in nobis operetur & perficere*, docet Paulus *Phil. II, 13.* qui *bonum opus in nobis inchoet & abſoluat, cap. I, 6. Deum πάσης χάριτος omnis gratiae* eſſe, qui nos *perficiat, confirmet, corroboret, fundet*, teſtatur Petrus, *1 Epiſt. V, 10.* & Chriſtus ipſe diſerte: *ſine me nihil poteſtis facere. Ioan. XV, 5.* Quorſum & paedia illa gratiae, *Tit. II, 11. 12.* & ſapientiae, *Prouerb. I, 23. 30. III, 11. 12. IX, 6.* alibique pertinet.

§. XLVIII.

Atque hinc etiam in regenitis duo haec principia, *ſpiritus*, (cum gratia ſpiritus ſancti opus ſit, ut ſupra probatum) & *caro*, hoc eſt, *natura*, perpetuo ſibi opponuntur, *Gal. V, 16. 17. 18* itemque homo ψυχικὸς & πνευματικὸς *1 Cor. II, 13. 14.* Spiritus mundi, & ſpiritus ex Deo, *ibid. verſ. 12.* Hominesque, qui in Chriſto ſunt, ambulare dicuntur, οὐ κατὰ σάρκα, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα, *Rom. VIII, 1.* & eos, qui ſecundum carnem aut naturam viuunt, ſentire τὰ τῆς σαρκὸς, affectos eſſe vt carnis atque naturae conditio ſuadet, eos vero, qui ſecundum ſpiritum viuunt, τὰ τοῦ πνεύματος. *verſ. 5.*

§. XLIX.

§. XLIX.

Vnica autem licet ſit gratia, pro diuerſis tamen operationibus ſiue ſubiectum, ſiue modum, ſiue effectum ſpectes, diuerſas ſortitur denominationes. * Namque quod ad ſubiectum attinet, praeterquam quod pro diuerſa hominis conditione, alia *operans*, alia *cooperans* ſit, vt iam ſupra obſeruatum, rurſus ſi diuerſas hominis facultates ſpectes, ad *intellectum* alia, alia ad *voluntatem* pertinebit gratiae operatio. Ad intellectum, gratia *illuminans*, hoc eſt, illuminationem, cognitionemque ſpiritualem in conuerſione collatam, perficiens atque augens, *Epheſ. I, 17. 18. III, 18. 19. Rom. XII, 2.* quorſum & vnctio illa ſpiritualis pertinet *1 Ioan. II, 20.* Ad voluntatem, gratia *ſanctificans*, *purificans*, &c. ſi has voces ſpecialius acceperis, ceteroquin enim ad intellectum etiam referri poſſunt.

* Diuerſas gratiae operationes eleganter ex veteribus iam exprimit MACARIVS *hom. 38. p. 473.* λοιπὸν, *inquit*, φωτίζει ἡ χάρις αὐτὸν, ὁδηγεῖ, εἰρηνεύει, ἀγαθύνει τὰ πάντα ὄντα θεῖα καὶ ἐπουράνιος. *Porro gratia ipſum illuminat, dirigit, pacificum reddit, ac bonum efficit, quae gratia per omnia diuina & coeleſtis eſt.* Et de *charitate cap. 6. pag. 142.* οἱ τέκνα Θεοῦ γενέσθαι καταξιωθέντες, καὶ τὸν Χριστὸν ἐν ἑαυτοῖς ἐλλάμποντα ἔχοντες, ἐν ποικίλοις καὶ διαφόροις τοῦ πνεύματος ἄγονται τρόποις, καὶ ἐν τῷ ἀφανεῖ τῆς καρδίας ὑπὸ τῆς χάριτος περιθάλπονται; *qui eo digni habiti honore ſunt, vt filii Dei fierent, & Chriſtum in ſeipſis reſplendentem circumferrent, v rlis & differentibus modis a ſancto reguntur ſpiritu, & in arcano cordis a gratia demulcentur.* Hinc cum varias gratiae diuinae operationes, prolixius ediſſeruiſſet, tandem eleganter concludit: οὕτως ἡ θεία χάρις πολυτρόπως ἑαυτὴν ἐν τούτοις ἐξαλλάττουσα καὶ ποικίλλουσα παιδοτριβεῖν ὥσπερ καὶ γυμνάζειν βούλεται τὴν ψυχὴν, ἵνα τελείαν αὐτὴν καὶ ἄμωμον καὶ καθαρωτάτην τῷ ἐπουρανίῳ παραστήσῃ πνεύματι; *ſic multifariam diuina gratia, ſeipſam varians ac multipliciter transformans, exercere vult ac diuerſe inſtruere animam, vt perfectam ipſam, immaculatam, puriſſimam ſupercoeleſti ſiſtat ſpiritui.* Vnde intelligere licet, non hodie demum, aut nudius tertius gatiam ita diſtingui coepiſſe, prout eam diſtinguimus.

§. L.

Quod ſi modum operandi diuerſum ſpectes, diuerſas gratiae cooperantis ſpecies nonnulli conſtituunt. Solent namque *cooperantem* ſeu *inhabitantem* gratiam iterum in *perficientem* & *adiuuantem* (voce iterum ſpecialius accepta, cum ceteroquin omnis gratia cooperans, etiam adiuuans, dici queat) diſpeſcere. Gratiae perficientis diuerſi iterum ſunt actus, ſpeciesque. Alia namque eſt *conſeruans*, ſeu *cuſtodiens* φυλάττουσα a Paulo dicta *2 Tim. I, 12.* a Petro autem memorabili voce a cuſtodia & praeſidio militari, φρουροῦσα *1 Petr. I, 5.* alia eſt *confirmans*, & *certificans* στηρίζασα τὰς καρδίας *confirmans corda*, & interiorem hominem cum de praeſenti, tum de futura ſalute certum reddens *1 Theſſ. III, 13.* Alia eſt gratia *roborans*, fidem, cum infirma facta eſt, robuſtiorem, firmioremque reddens, eandem ſuſtentans, augens, ut diſcipuli ſeruatoris orabant: *Domine, adde nobis fidem. Luc. XVII, 5.* add. *2 Cor. I, 21. 22.* Alia denique *erigens*, & *conſolans* eſt gratia miſeris & afflictis & ſub iugo

 varia-

variarum calamitatum gementibus ſolatium impertiens, eosque recreans & reficiens. *2 Cor. I,3 4. XII,9. Rom. VIII,26.*

§. LI.

Gratiae adiuuantis, ſpeciatim ſic dictae, diuerſos iterum actus conſtituunt. Huc namque referunt gratiam *purificantem Ioan. XV, 2.* & *caſtigantem Tit. II, 11, 12. augentem ac locupletantem Epheſ. III, 16. ſqq.* item *perficientem*, in quantum per infirmitates hanc vitam comitantes, licet: eadem enim gratia, quae renouationem noſtram incipit, eandem etiam ἐπιτελῆ, abſoluit, & perficit *Phil. I, 6.* Haec vero omnia etiam ſub generali nomine gratiae *ſanctificantis* comprehenduntur. *1 Theſſ. V, 23.*

§. LII.

Quod ad effectum attinet, perperam nonnulli, & ſine omni ſcripturae ſuffragio, gratiam in *efficacem* & *inefficacem* diſtinguunt. Omnis namque gratia in ſe & ſua natura eſt efficax, hoc eſt, reuera id efficere producereque poteſt, quod efficere, ex benigna Numinis, omnes homines ſeruare cupientis voluntate, debebat: quod ſi vero effectus non ſequatur, hominum huic gratiae reſiſtentium, vel mediis non recte vtentium, peruerſitati id tribuendum. *Matth. XXIII, 37.* Vocibus etiam puerorum modo ludunt, qui inter gratiam *ſufficientem* & *efficacem* diſtinguunt: per ſufficientem, aut eiusmodi quid intelligentes, quod naturae viribus peragi poteſt, poſitumque adeo eſt in hominis irregeniti poteſtate, adeoque indignum eſt *gratiae* nomine, aut ſufficientem gratiam eam vocantes, quae *inefficax* ſit, in ſe quidem & ſua natura, hoc eſt, plane nulla. Idem de *irreſiſtibili*, quam nonnulli ſtatuunt, gratia, cenſendum, quae non tantum ſcripturae ſuffragio deſtituitur, ſed eidem plane etiam refragatur. *Matth. l. c. Luc. VII, 30.* *

* conf. HVLSEMANNVS de *auxiliis gratiae, cap. 2. §. 19. ſeq. p. 30. ſeq.*

§. LIII.

Ceterum vt natura, ita etiam gratia, tum ratione *ſtatus*, tum ratione *ſingularum actionum* conſiderari poteſt. Cumque in regenitis ſubiugata quidem, non tamen penitus perdomita aut extincta ſit natura, etiam in quantum corrupta eſt, facile contingit, vt in ſpiritualibus natura gratiam mentiatur, hoc eſt, actio naturalis ſit, quam quis pro operatione gratiae habeat. Vnde neceſſitas, in ſingulis etiam actionibus, *naturam* & *gratiam* diſcernendi, apparet.

§. LIV.

In *ſtatu* vero *gratiae* conſtitutus homo dicitur, quando per regenerationem in eum ſtatum deductus eſt, vt ſpiritus, ſeu gratia in eo dominetur

netur. Licet enim in regenitis duo ſint agendi principia, * *natura* & *gratia*, *caro* & *ſpiritus*, quae inter ſe pugnant: ea tamen id ratione fieri oportet, vt gratia & ſpiritus victoriam referant & dominentur, *Gal. V, 17. ſeqq. 1 Ioan. V, 4.* hinc & caro ſeu natura crucifigitur, *Gal. V, 24.* & ita *lex ſpiritus*, nos liberat a *lege mortis. Rom. VIII, 2.*

* Hoc ἐμφατικῶς explicat MACARIVS de *eleuatione mentis, cap. 13. pag. 128.*

CAPITIS PRIMI
SECT. II,
DE
DISCRIMINE NATVRAE ET GRATIAE QVOAD INTELLECTVM ET HABITVS INTELLECTVALES.

Σύνοψις.

HOmo duabus conſtat partibus eſſentialibus: facultates, animae vel purae, vel mixtae ſunt, §. I.
Purae facultates ſunt intellectus & voluntas, §. II.
Operationes intellectus, §. III.
Quo pacto in ſcriptura ſacra exprimantur, §. IV.
Ratiocinationis, quae inter intellectus operationes eminet, iterum variae ſunt ſpecies, §. V.
Habitus intellectuales, quinam ſint? §. VI.
Intellectus per naturam maxime corruptus eſt, §. VII.
Ad conceptus materiales, de rebus omnibus ſibi formandes, pronus, §. VIII.
Vitia eius in prima operatione. §. IX.
Pronitas ad mala quaeuis, ex voluntatis propenſione orta, in eadem conſpicitur, §. X.
Cognitio mortua & inefficax, itidem inter vitia intellectus, merito refertur, §. XI.
Vitia intellectus in altera operatione, XII.
Errorum in ſpiritualibus, multitudo, & grauitas, §. XIII.
Dubitationis commoda & incommoda, §. XIV.
Determinatio ad mala, quae in iudiciis conſpicitur, §. XV.
Vitia intellectus in tertia operatione, §. XVI.
Determinatio, quae in illa ſe exſerit, ad mala quaeuis, §. XVII.
Corruptio intellectus, in certis ratiocinationum ſpeciebus, §. XVIII.
Item in habitibus intellectualibus, §. XIX.
Ratio, an & quousque corrupta dici poſſit? §. XX.
Hoc nomine aut ipſe intellectus, cum ſuis facultatibus venit, aut principia rationis §. XXI.
Rationis, priori modo acceptae, infirmitas in naturalibus, §. XXII.
Coecitas & ſtultitia in diuinis, § XXIII.
Concrete ſcilicet, & in irregenitis ſpectatae, §. XXIV.
Principia rationis, quae vere talia ſunt, admittuntur, §. XXV.
Principia ſpuria, falſa, carnalia, cum peruerſa verorum principiorum applicatione, reiiciuntur, §. XXVI.
Intima intellectus, ſeu rationis corruptio, in variis vitiis, veritatis diuinae cognitioni oppoſitis, ſeſe exerit, §. XXVII.
Speciatim in ſcepticiſmo theologico, §. XXVIII.
vt & indifferentiſmo religioſum, §. XXIX.
item, naturaliſmo, ſeu rationaliſmo, §. XXX.
& denique in haereſi, §. XXXI.

quae intellectus vitium eſt, licet ad eam concurrat voluntas, §. XXXII.
Quid ratione intellectus ad haereſin requiratur, §. XXXIII.
ratione item voluntatis, §. XXXIV.
Intellectus corruptio intima, cum ſumma voluntatis deprauatione, ſtultitiam gignit ſpiritualem, §. XXXV.
Quo nomine quid intelligatur XXXVI.
Qua ratione cognoſcatur, §. XXXVII.
Cauſſae corruptionis, quae in intellectu conſpicitur, §. XXXVIII.
Ad eas praeiudicia, in rebus ſpiritualibus etiam obuia, referuntur, §. XXXIX.
Impedimenta chriſtianiſmi & conuerſionis ex intellectus corruptione: ſpeciatim ex ignorantia, & falſis conceptibus, §. XL.
ex cognitione inſufficienti, & inefficaci, §. XLI.
ex indiciis falſis & peruerſis, §. XLII.
ex dubitatione, §. XLIII.
ex ratiociniis falſis & peruerſis, §. XLIV.
Intellectus quo pacto ſecundum gratiam ſe habeat? In eo lux ſeu cognitio & ſapientia conſpicitur, §. XLV.
Lucis nomine quid intelligatur, §. XLVI.
Cauſſa eius principalis Deus eſt, §. XLVII.
Hinc quid gratia illuminans ſit, explicatur, §. XLVIII.
Medium illuminationis eſt verbum diuinum §. XLIX.
Subiectum, quod, illuminationis. §. L.
Subiectum, quo, §. LI.
Illuminatio intellectus & emendatio voluntatis, non debent ſeparari, item quo ordine, ſe inuicem excipiant, §. LII.
Qua ratione illuminatio fiat, eademque augeatur & continuetur, §. LIII.
Decreſcere etiam poteſt lux ſpiritualis, & tandem amitti, §. LIV.
extendit ſe ad omnes intellectus operationes §. LV.
Intellectum eiusque facultates & habitus, non deſtruit illuminatio, ſed emendat, §. LVI.
Sapientia duplex eſt, vel hypoſtatica, vel habitualis, §. LVII.
Hypoſtatica, ſeu filius Dei, fons eſt omnis ſapientiae habitualis, §. LVIII.
Sapientia habitualis pertinet ad intellectum, voluntatis tamen emendationem ſupponit, §. LIX.
Prius ex ſcriptura ſacra comprobatur, §. LX.
ſed & poſterius, §. LXI.
Per ſapientiam praecipue cognitio ſeu eruditio dirigitur, §. LXII.
A ſapientia diuina ſeu ſpirituali, quo pacto differat ſapientia humana, §. LXIII.
In quo vtraque conueniat, §. LXIV.
Sapientiae ſpiritualis diuerſi dantur gradus, incrementum, & decrementum, §. LXV.
Omnes itaque regeniti ſapientiae divinae capaces ſunt, ſed in diuerſo gradu, §. LXVI.
Diuerſae eruditionis ſpecies, ex diuerſo eius ad ſapientiam aut humanam aut diuinam reſpectu, oriuntur, §. LXVII.
De prudentia, praeſertim ſpirituali, §. LXVIII.
De reliquis virtutibus intellectus, quarum in ſcriptura ſacra mentio iniicitur, §. LXIX.
Concluditur, in intellectu quoad gratiam conſiderato, imaginis diuinae reſtaurationem reſplendeſcere, §. LXX.
Fallacia naturae gratiam imitantis, quoad lucem ſeu cognitionem, §. LXXI.
Cognitio naturalis, interdum ſpiritualis cognitionis ſpeciem mentitur, §. LXXII.
Fallacia naturae quoad ſapientiam, §. LXXIII.
quoad prudentiam, §. LXXIV.
In donis itaque ſpiritualibus diiudicandis, & a naturalibus diſcernendis, cautione opus eſt, §. LXXV.

§. I.

VT homo ex duabus conſtat partibus eſſentialibus, anima & corpore * arctiſſimo vinculo inter ſe colligatis, ita in anima diuerſae ſunt facultates, quarum alias ſine corporis commercio ſe exerere, quas *puras* dicere moris eſt, alias cum corporis operationibus coniunctas eſſe, quas ideo *mixtas* vocant, notum eſt, poſitumque extra dubium.

* Non

* Non ergo cum illis facio, qui hominem ex tribus partibus eſſentialibus conſtare autumant: licet hi ipſi quoque inter ſe non conſentiant, ſed diuerſimode mentem ſuam explicent. Grauiſſimus citra controuerſiam illorum error eſt, qui ſpiritum ab anima ita diſtinguunt, vt illum diuinae eſſentiae particulam ſtatuant: quam ſententiam ex Platonicorum Stoicorumque lacunis hauſtam, iterum in ſcenam producere, nonnullis volupe fuit: ſolentque eam in rem paſſim allegari IOSEPHVS STELLATVS in *pegaſo ſapientiae* ſiue *introduct. ad ſapientiam veterum cap.* 3. IO. BAPTISTA HELMONTIVS *de ſede animae n.* 17. THEOPHRASTVS PARACELSVS de *creat. homin. p.* 757. aliique. Platonis idem fuiſſe dogma, ſi quis cognoſcere aueat, adeat MARSILIVM FICINVM *comment. in conuiu. Platonis orat.* 6. Hinc vero quidam occaſionem adepti, vlterius progreſſi ſunt, iſtam diuinae eſſentiae particulam labis expertem, ſalutis principium dixerunt, fidem ipſam in ea, & in eius a corporeorum vinculorum liberatione, modum perueniendi ad ſalutem quaeſiuerunt, praecipua hoc ipſo chriſtianae religionis dogmata peſſundantes, atque euertentes. Alii vero ethnica iſta de origine animae commenta merito proſcribentes, praeter mentem & corpus, medium aliquod principium, ad varias, quae in corpore humano conſpiciuntur, operationes rite explicandas, admittendum cenſuerunt: quemadmodum rurſus alii per medium illud principium, quod animam vocant, nihil aliud, quam ſanguinem & ſpiritus animales intelligunt, quo ſenſu tres hominis partes aſſerit BERNARDVS CONNOR in *euangelio Medici articul.* 2. *p.* 7. Quorum licet tolerabilior ſit ſententia, ſine cauſſa tamen & ratione partes hominis eſſentiales multiplicant, cum ſanguis & ſpiritus animales, vel quodcunque operationum corporearum ſtatuatur principium, commode ad corpus, ſeu partem hominis materialem, referatur. Perſpicue & luculenter hoc expediuit S. C. TEVBERVS, in *moderato iudicio de quaeſtione theologica, an dentur tres partes hominis eſſentiales*, Magdeburgi anno MDCCVIII. edito, in quo & *p.* 21. ingenue meam hac de re ſententiam exponit. Ad dicta ſcripturae, quae pro contraria ſententia allegari ſolent, 1 *Theſſal.* V, 23. *Matth.* XXII, 37. 1 *Cor.* II, 14. 15. XIV, 14. *Ebr.* IV, 12. & reliqua, partim laudatus auctor reſpondet, partim facili negotio reſponderi poteſt. Interim legi, ſed & expendi, merentur, quae ad locum 1 *Theſſ.* V, 22. illuſtrandum ex antiqua Ebraeorum Platonicorumque philoſophia, adfert CAMPEGIVS VITRINGA *obſeruat. ſacrar. lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 526. *ſeqq.* vbi ex inſtituto de *duabus partibus mentis, ſpiritu & anima,* agit.

§. II.

Sed id quoque conſtat, meritoque ceu explicatum alibi * ſupponitur, animae ſeparatim, qua puras ſuas operationes conſideratae, duas iterum principes eſſe facultates, *intellectum* & *voluntatem*, quarum quaelibet, diuerſas iterum variaſque operationes habet. Quamquam nonnulli facultatibus puris, memoriam adhuc mentalem addunt, ſub ipſo tamen intellectu, facile comprehendam.

* Vid. *elementa philoſ. pract. part.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 1. § 2. *ſeqq.* Sunt equidem variae doctorum virorum de animae facultatibus ſententiae, in quarum inquirere veritatem, hujus loci non eſt. PETRI cumprimis POIRETI multorum in ſe animos conuertit opinio, idque eo magis, quod integram de eruditione ſyſtema, demonſtrationemque Trinitatis perſonarum in diuinitate, aliaſque magni momenti veritates theologicas, eidem ſuperſtruxerit; vt ex libro de *eruditione vera & falſa*, item ex *cogitationibus eius rationalibus de Deo, anima & malo*, intelligere licet. At accuratius rem conſiderantibus palam fiet, eum diſtinguere, quae non diſtinguenda erant, & praeter neceſſitatem animae potentias multiplicare. *Deſiderium* pariter ac *acquieſcentia* ad voluntatem rectiſſime referuntur, cum illud ſaltem bonum ſpectet, quod adhuc concupiſcimus, haec vero bonum, quod iam obtinuimus. Voluntatem interim noſtram ita comparatam, vt terreſtria & finita bona

 eam

eam exſatiare nequeant, lubentes concedimus, qua de re deinceps. Intellectum porro perperam in mera paſſione, ſeu facultate recipiendi lumen immenſum, conſtituit, & rationem ab eo diſcernit: cum & paſſio quaedam ac actio in intellectu ſe exerat, & haec ſpeciatim rationis nomine veniat. Monenda paucis haec fuerunt: quia horum obſeruatio per omnem theologiae campum late ſe diffundit. PETRI PETITI ſententiam, homini peculiarem vaticinandi facultatem in libro de *Sibylla* tribuentis, ex inſtituto confutaui in *diſſertat. an naturali homines polleant vaticinandi facultate?*

§. III.

Praeterea, intellectu percipere nos ideas rerum, easque inter ſe comparare, adhibita interdum idea tertia, ad reliquarum conuenientiam aut diſcrepantiam oſtendendam, itidem ex philoſophorum ſcholis, & ipſa conſtat experientia, vnde *percipiendi, iudicandi*, voce ſpecialiter accepta, & *ratiocinandi* vim, intellectui tribuere ſolent. Quae etiam, ſi accurate conſiderentur, quemlibet facile condocebunt, intellectum, neutiquam mere paſſiue, ſed omnino etiam actiue, ſe habere, in ſuis operationibus.

§. IV.

Paſſim harum operationum ipſa ſcriptura ſacra meminit, licet diuerſis eas exprimat vocibus. Sic intellectui tribuit actum videndi, ſentiendi, quod cum prima operatione conuenire videtur, *Epheſ. I. 18. coll. 2 Cor. IV, 4. Eſ. VI, 10. Matth. XIII, 14. Rom. XI, 8. Pſ. CXIX, 18.* Nec male huc referas *τὰ αἰσθητήρια Ebr. V, 14.* Alterum intellectus actum, ſcriptura innuere videtur per verba *νοεῖν Matth. XXIV, 15. 2 Tim. II, 7. νόει ἃ λέγω*, conſidera, perpende, iudica, quae dico; *κρίνειν Rom. XIV, 5. Act. XIII, 46. ἀνακρίνειν, διακρίνειν. Luc. XXIII, 14. Matth. XVI, 3.* item per *συνιέναι*, quaſi committere, conferre, *2 Cor. X, 12. Luc. XXIV, 45.* Huc nonnulli etiam referunt *τὸ δέχεσθαι 1 Cor. II, 14.* Ad vltimam denique operationem referas verba *διανοεῖσθαι, λογίζεσθαι, συλλογίζεσθαι Rom. VIII, 18. 2 Cor. X, 11. Marc. II, 8. Luc. V, 21. XX, 5.*

§. V.

Inſignis maxime inter reliquas intellectus operationes eſt ratiocinatio, quae diuerſas iterum ſortitur denominationes, prout aut certis aut probabilibus principiis, aut aliorum teſtimonio & auctoritate nititur, aut etiam ex ſignis communibus aut propriis, aliquid colligit: vnde *ſcientia, opinio, fides*, * *praeſumtio, coniectura*, &c. De conſcientia autem deinceps dicetur.

* Fides hic intelligitur in ſenſu philoſophico, neutiquam theologico. Sumitur equidem & apud philoſophos diuerſimode: interdum ſcilicet pro *conſtantia in ſeruandis promiſſis*; ſic fides dicitur fundamentum iuſtitiae apud HVGONEM GROTIVM *lib. 2. de iure belli & pacis cap. 11.* §. 1. *n.* 4. vinculum ſocietatis apud eundem *lib. 3. cap. 25.* §. 1. *n.* 1 2. Eo ſenſu, Regum fides vim iuramenti habet *lib. 2. cap. 13.* §. 22. Interdum rectum animi iudicium, vel ipſam conſcientiam denotat: quorſum iureconſultorum, de *bona & mala fide*

ſide formulas referas: de quibus SCHILTERVS *manud. philoſ mor. ad iurisprud. cap 7.* §. 12. Cum vero pro ratiocinatione ſumitur, quae auctoritati & teſtimonio alterius innititur, ea hic innuitur ſignificatio. Longe aliter apud theologos eam vocem ſumi, notum eſt: quas ſignificationes nemo ſine imperitia confuderit.

§. VI.

Per inſtitutionem etiam & exercitationem naturalem, perfici vtcunque, & ad certas operationes prompte & dextre edendas, aptior reddi intellectus poteſt; vnde *ſcientia*, *prudentia ſapientia* ψυχικὴ ſeu naturalis, *Iacob. I, 15.* aliique habitus intellectuales, de quibus philoſophi. add. *Luc. XVI, 8.*

§. VII.

Iam ſi, hiſce ita praemiſſis, quo pacto intellectus ſecundum naturam ſe habeat, inquiramus, ſummas maximasque imperfectiones, morbos grauiſſimos, immo nihil niſi ἀδυναμίαν in ſpiritualibus in eo deprehendemus.

§. VIII.

Generatim maximum intellectus vitium eſt, quod ad res materiales corporeasque ſibi repraeſentandas longe pronior ſit, quam ad ſpirituales, & immateriales. Tanta hinc quorundam, immo plurimorum deprauatio, vt de rebus etiam diuinis ſine corporearum rerum imaginibus cogitare nequeant, conceptus adeo cum ſumma Numinis, quod ſpiritus eſt, perfectione neutiquam conuenientes, ſibi formantes. Imperfectioni errorem addunt, qui, non alios homines ſibi conceptus formare poſſe, putant: vt in contrarium contra alterumque extremum procurrunt, qui ad ſpirituales, immaterialesque conceptus longe aptiorem, quam ad materiales, hominem contendunt, & tantum non in angelum, corporis omnis expertem, commutant.

§. IX.

In prima, quam vocant, intellectus operatione imperfectiones varias, ignorantiam, errorem, idearum confuſionem, imperfectionemque ipſa etiam ratio deprehendit. Et licet in naturalibus quoque hae intellectus imbecillitates longe maximae ſint, in ſpiritualibus tamen tantae ſunt, vt homines irregeniti non tantum ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ, ſed omnino σκότος *tenebrae*, dicantur. *Epheſ. IV, 18. V, 8* Speciatim itaque & ignorantia hominibus irregenitis tribuitur, *1 Tim. I, 13 1 Petr. I, 14.* & error, *Epheſ. IV, 22. Rom. I, 27. 2 Petr. II, 18. 19.* Cognitionis autem in ſpiritualibus obſcuritas quaedam & imperfectio, in regenitis etiam adhuc deprehenditur, qui δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι item ἐκ μέρους tantum cognoſcunt. *1 Cor. XIII, 12.*

§. X.

§. X.

Deprehendas quoque in hac intellectus operatione, ob arctiſſimam intellectus & voluntatis, omniumque facultatum connexionem, ſingularem quandam ad mala quaevis pronitatem, homine ſemper promtiore exiſtente, ad eos ſibi formandos conceptus, qui philautiae prauae, & cupiditatibus illicitis quam maxime ſunt conuenientes. *Gen. VI, 5. VIII, 21.* Quod & ſpeciatim in ſingulis fere hominibus conſpicere licet, pro cuiusque indole, diſpoſitione, temperamento. Sic videas nonnullos ad talia de Deo, attributisque diuinis cogitanda, & docenda paratos, quae a crudelitate prope abſunt, abſolutum aliquod reprobationis decretum a ſumma eius perfectione non abhorrere credentes, quod illud ſecundum eas rerum notiones, quas ſecundum ſuam indolem ſibi fingunt, forte in laude poſitum, certe a naturae diuinae excellentia non alienum ſit. Rurſus qui ad miſericordiam ipſi ſua natura proni ſunt, miſericordiam quoque Numinis facile eo vsque extollunt, vt illud iuſtum quoque eſſe, immemores ſint. Videas porro, non pro affectuum modo, ſed pro ſtudiorum etiam diuerſitate, diverſos ſibi homines de rebus diuinis formare conceptus, philoſophicos, mathematicos, mechanicos, politicos, &c. vnde errorum ſaepe nec modus, nec finis.

§. XI.

Cum etiam rerum diuinarum cognitio, iuxta ſcripturam ſacram, *lucem & vitam* coniungentem *Pſ. XXXVI, 9 Ioan. I, 4.* viua & efficax eſſe debeat, naturae corruptae vitium eſt, ſi ea *mortua* ſit & *inefficax*, cognitionis quidem, ſtilo ſcripturae ſacrae, nomine indigna conf. *1 Ioan. II, 3. 9. Ioan. X, 14. 2 Tim. II, 19.*

§. XII.

In altera mentis operatione, non minor ſe prodit naturae noſtrae corruptio, quippe in qua itidem & *error* & *falſitas* in iudiciis, tum ratione *quantitatis*, tum *qualitatis* deprehenditur, praeterea *fluctuatio* ſeu *dubitatio* inconſulta, & intempeſtiua *admiratio*.

§. XIII.

Errorum iudicii, tanta varietas, tanta multitudo eſt in ſpiritualibus, tum in theoreticis, tum in practicis, vt eam vix quisquam mente capere poſſit. Et quantumuis leuis error ſit, corruptae tamen naturae eſt indicium: quantumuis etiam innocuus videatur, in maxima tamen facile homines coniicit pericula, & ad fidei vitaeque ac morum corruptionem plurimum valet. *Kobeleth VII, 26. Sap. X, 5. Iacob. V, 20. 2 Pet. II, 18. 1 Ioan. IV, 6.*

§. XIV.

§. XIV.

Fluctuationis etiam dubitationisque, (vnde tandem ſcepticiſmus) quanta pernicies ſit, conſtat. vid. *Epheſ. IV, 14.* Quam non effugient, qui non ſpiritus ſancti gratia ad certitudinem perducuntur. *Prouerb. XVI, 2. XXI, 2.* Eam tamen dubitationem, quae ad accuratiorem ſui explorationem tendit, neutiquam damnamus, commendante eam ipſo apoſtolo, *2 Cor. XIII, 5.* Etſi enim omnis dubitatio in ſe quaedam ſit imbecillitas, eo tamen intuitu bona eſt, cum ad maiorem conſequendam certitudinem adhibetur.

§. XV.

In iudiciis quoque magna ad praua quaeuis, praeſertim ad temere iudicandum, conſpicitur pronitas. Namque & hic cupiditatum vis ſe prodit: vnde *ἐπιθυμίαις τῆς ἀπάτης*, quibus perit, magisque corrumpitur vetus homo, *Epheſ. IV, 22.* Quare & illis, qui in ſtatu gratiae ſunt, ſemper opus eſt renouatione, *τῷ πνέυματι τῦ νοὸς in ſpiritu mentis noſtrae, ibid. verſ. 23. Col. III, 10.* vt in captiuitatem redigatur omnis cogitatio ad obediendum Chriſto, *2 Cor. X, 5.*

§. XVI.

Ratiociniorum quanta ſecundum naturam ſit prauitas atque corruptio in ſpiritualibus, vel hinc intelligere licet, quod & ſuis ipſa laborent vitiis, & plerumque, quae reliquis mentis operationibus adhaerent, recipiant, iisque innitantur. Nullum praeterea ſophiſmatum eſt genus, quo non increduli, improbique homines ſe decipiant miſere: mox principii petitionem committentes, mox fallacia non cauſſae vt cauſſae, aut a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, mox alia ratione, aut ſibi ipſis, aut aliis illudentes.

§. XVII.

Prauitas illa & determinatio ad praua, vel maxime etiam in ratiociniis eluceſcit. Hinc *ματαιότης τῦ νοὸς* vanitas intellectus *Epheſ. IV, 17.* & de ethnicis Paulus: *ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν Rom. I, 21.* & faciunt voluntatem *τῶν διανοιῶν* mala quaeuis ſuadentium, *Epheſ. II, 3.* Iſti ſunt *σκολιοὶ λογισμοὶ*, peruerſi illi ſyllogiſmi, qui nos procul a Deo ſegregant, *Sap. I, 3.*

§. XVIII.

Quanta naturae deprauatio, in *credulitate, incredulitate, ſuſpicione, calliditate, imprudentia* conſpiciatur, per ſe patet, & aliunde * quoque conſtat. Credulitas partim voluptatis, partim & maxime qui-

dem auaritiae filia, ſuperſtitionis mater eſt: incredulitas, ambitionis plerumque filia, atheiſmi haud raro eſt genetrix. Suſpicionem, cum vitiis connexis inter grauiſſima peccata refert Paulus, *Rom. I, 29.* & cum charitate conſiſtere non poſſe, docet, *1 Cor. XIII, 7.*

* *Elem. philoſ. pract. part. 1. cap. 3. §. 16. ſeqq.*

§. XIX.

Habitus intellectuales, *ſcientia, prudentia*, &c. modo reuera tales ſint, digni que iſto quo veniunt nomine, vt homo iis imbutus, reuera eruditus, prudens, &c. cenſeri queat, ita comparati ſunt, vt accedente gratia, ſanctificari, dirigique ad bonum & ſalutarem vſum queant: at naturae corruptae iuncti, deprauantur & corrumpuntur & ipſi, hominibusque ſaepe occaſionem ſeipſos magis magisque deprauandi, ſuppeditant: indeque fit, vt ſapientia *ἐπίγειος*, & *ψυχικὴ*, tandem fiat *δαιμονιώδης, Iacob. III, 14.* Hinc etiam non multi *σοφοὶ κατὰ σάρκα*, vocationem diuinam acceptant, *1 Cor. I, 26.*

§. XX.

Ceterum complexus ille facultatum ac operationum intellectus, etiam *rationis* nomine venire ſolet: in qua vel maxime naturae corruptionem eluceſcere, contendunt quamplurimi, quibus refragantur alii, rationem quantis poſſunt, laudibus extollentes. Litem vero omnem dirimere haud adeo difficile, modo, quid vtriusque *rationis* nomine veniat, attendamus.

§. XXI.

Diuerſimode namque vox haec accipitur: ſed ad duas ſignificationes principes, quae quidem in cenſum veniant, reliquae reduci poſſunt, * Aut enim ipſae intellectus *facultates*, vel ſi mauis, intellectus ipſe, aut *principia* rationis, hoc eſt axiomata, de quorum veritate nemini dubitare fas eſt, hoc nomine veniunt. Perinde eſt, ſi dixeris, *rationis* vocem ſumi aut *ſubiectiue*, aut *obiectiue*, prout in ſcholis loqui amant.

* Rationem, qua a brutis differimus, alii aliter definiunt; & miſerum eſt, in ipſo limine, & communi intelligendi principio etiam diffidere philoſophos, cum quid illud ſit, quo ſe omnes niti, quodque ſequi ſe gloriantur, indagant. Ita recte IVSTVS CHRISTOPHORVS SCHOMERVS pronunciat, in *theologia morali cap. 3. §. 3. p. 62.* vbi varias rationis definitiones affert: ipſe in eam tandem ingrediens ſententiam, rationem eſſe *facultatem diſtincte reflectendi ſuper conceptus & cogitationes noſtras.* Quo ipſo patet, eum rationem pro facultate accipere, ſeu animi potentia: at nimis arctis eam circumſcribit limitibus, ad reflexiuam cognitionem ſuper conceptus & cogitationes noſtras eam reſtringens: cum per loquendi conſuetudinem vſus vocis latius pateat, & ad totum intellectum, ſi pro facultate accipiatur, rectius referatur. Nos rationis definitionem tradere, neceſſe eſſe non putamus, cum, quid intellectus, quid principia rationis ſint, nemo ignoret: ad haſce vero ſignificationes ceu praecipuas, reliquae facile referri poſſint. Et hinc etiam liquet, quid de lite, quae hac de re inter IO. LOCKII & PETRI POIRETI quosdam defenſores orta eſt, cenſendum

ſendum ſit. LOCKII diſcipulus rationem, vti fidei opponitur, definit, quod ſit *aſſenſus propoſitioni alicui praeſtitus ob propriam eius euidentiam, vel immediatam, vt in principiis, vel mediatam, vt in concluſionibus.* Coniungit itaque velut vtramque ſignificationem, & pro facultate pariter ac principiis ſimul rationis vocem accipit, propoſitionis euidentiam, cui aſſenſus innitatur, ad rationem requirens; deinde, in quantum pro facultate vox accipitur, rurſus ſine cauſſa ad actum quendam facultatis, ſeu aſſenſum, hanc ſignificationem reſtrinigit. Deinceps tamen in ipſa tractatione pro mera facultate vocem rationis accipit,& ita vocis ambiguitate lectori illudit. POIRETI contra defenſor rationem definit per *facultatem, qua homo ex habitis quondam perceptionibus realibus, earumque veſtigiis, multimodas abſentium obiectorum formare ideas, easque iterum ſecum inuicem comparare, componere, diuidere, plurimisque modis conſiderare, conſiderando ab vna ad alias diſcurrere, & ſic nouas notiones alias ex aliis conſtruere, ſeu nouas indies conſequentias nectere, inque eo opere plurimos errores committere, aptus eſt.* Rationem hic pro facultate accipi, patet: at perperam auctorem cum POIRETO rationem ab intellectu diſtinguere, iam ſupra obſeruatum eſt, Breuius antea dixerat, rationem eſſe *facultatem pingentem, vmbratilem, ſterilem:* vnde intellectum ceu facultatem mere paſſiuam, & realem, a ratione diſtinguit; quamvis noſter auctor varias intellectus ſpecies conſtituat, & intellectus actiui nomine rationem complectatur. Quae partim gratis ſumuntur: partim ita comparata ſunt, vt receptae vſitataeque notiones ſine neceſſitate immutentur. Sed noſtra id nunc non adeo refert. conf. *fides & ratio collatae, ac ſuo vtraque loco redditae, aduerſ. principia Io. Lockii &c. p. 25. ſeqq.*

§. XXII.

Priori modo, ſi vox rationis capiatur, expendendae rurſus eius vires ſunt, tum in *naturalibus*, tum in *diuinis*. In naturalibus, quo nomine res etiam morales & ciuiles intelligimus, inſignem eſſe rationis, ſi recte inſtruatur & dirigatur, vim, etſi plurimis circumſcepta etiam ſit imperfectionibus, ex hactenus, vt puto, dictis conſtabit. Et hoc modo rationi ſua conſtat laus, ſicut & habitibus, qui illi perficiendae, & excolendae inſeruiunt.

§. XXIII.

At in diuinis, ratio, hoc modo accepta, coeca eſt, *2 Cor. IV,4.* obſcurata, *Epheſ. IV,18.* tenebrae, *Epheſ. V,8.* οὐ δύναται γνῶναι, *1 Cor. II,14.* immo ἀνόητος eſt, *Tit III,3.* ἀσύνετος, *Rom. I,21.* * Namque non tantum in ſingulis intellectus operationibus maximae deprehenduntur imperfectiones, ſed pronitas illa ad praua accedit, quam identidem in ſingulis intellectus operationibus obſeruauimus: idque ob arctiſſimum omnium animae facultatum, praeſertim intellectus, & voluntatis, inter ſe nexum. ** Quare ſi vel maxime ratio, hoc ſenſu accepta, circa principia in ſe vera verſetur, & ea vt vera admittat, ad minimum in applicatione, ſe inimicam prorſus & aduerſam conſilio Dei de hominum ſalute, demonſtrabit. Atque ita capienda ſunt illorum effata, qui ad ductum ſcripturae ſacrae contendunt, & inculcant: rationem in diuinis veritatibus eſſe remouendam, cohibendam, captiuandam, deteſtandam; idque praeeunte ſcriptura ſacra, *Rom. VIII, 6. 7. 2 Cor. X,5.* coll. *Rom. XVI,16. Coloſſ. II, 8.*

 * Interim

* Interim ratio quantumuis coeca, ſtulta, corrupta, manet tamen ratio, id eſt, ea facultas, qua homo cognoſcit & iudicat: adeo quidem, vt homo nihil omnino, quale illudcunque, ſit, cognoſcere & iudicare valeat, niſi per rationem ſuam, tanquam medium, organon, inſtrumentum omnis cognitionis. Quamobrem ipſae etiam res diuinae, myſteriaque, in quantum cognoſci poſſunt, non aliter, quam ratione, ceu omnis cognitionis organo, cognoſcuntur. Et huc ea pertinent, quae prolixe PETRVS DANIEL HVETIVS diſputat, *fidem, & cum ab homine ſuſcipitur, & poſtquam ſuſcepta eſt, rationis vſum non aſpernari: in quaeſtionibus Alnetanis, de concordia rationis & fidei, lib. 1. cap. 3. p. 35. ſeqq.* Hoc tam manifeſtum, vt negari a nemine queat. Quod ſi probe obſeruetur, ſophiſma ſectatoris illius Lockiani, quo rationis prae fide ἐξοχὴν & praeſtantiam probare annititur, facile dilui poteſt. *Diuina*, inquit, *fidei neceſſario praeſupponit certam ſcientiam, qua, reuelationem illam & teſtimonium, cui innititur, vere procedere a Deo, cognoſcatur. Haec certa ſcientia acquiri debet aut per rationem, aut per fidem: non autem per fidem, alias praeſupponeret ſemet ipſum, & daretur proceſſus in infinitum, ergo per rationem.* Non inquiram, an fidem recte definiverit: cum facile demonſtrari queat, & LOCKII & POIRETI defenſorem hic multum a recto tramite oberrare. Ad argumentum ſaltem quod attinet, moneo, certam illam de ſcripturae ſacrae diuina auctoritate conuictionem acquiri per internum ſpiritus ſancti teſtimonium, quod fidem diuinam in nobis gignit: fides humana acquiritur equidem per argumenta varia, in quibus cognoſcendis & diiudicandis vſus rationis organicus & inſtrumentalis eſt: ſed quid inde? Num ideo ratio praeferenda fidei? inſtrumentum ſcilicet ſeu organon, operi, quod per illud producitur? Minime.

** Rationem per affectus corrumpi miſere, excoecari & deprauari, adeo notum eſt, vt ſuperuacaneum videatur, quidquam addere. Interim exemplo Graecanicorum philoſophorum luculenter hoc oſtendit CAMPEGIVS VITRINGA. *in diſſertat. de philoſophia Graecorum, vitio affectuum corrupta*, quae extat in *obſeruationibus* eius *ſacris lib. 3. cap* 12. *pag. 633. ſeqq.* Summa eo redit: doctrinam euangelii ſiue Chriſti crucifixi, τοῖς Ἕλλησι, Graecis, hoc eſt, Graecorum praecipue philoſophis, μωρίαν ſtultitiam eſſe, Paulus pronunciat 1 *Cor* 1, 23. id innuens, philoſophos in doctrina euangelii non animaduertiſſe nexum & ordinem viarum DEI, DEO dignum: quod nimirum, quae in euangelio de DEO & viis DEI propoſita ſunt, eo ordine eaque ſapientia non perſpexerint eſſe digeſta, vt DEVM putauerint illius doctrinae eſſe auctorem: ſed contra ſibi perſuaſerint, doctrinam illam de iuſtitia DEI demonſtrata in Chriſto crucifixo, omnino eſſe alienam ab iis perceptionibus, quas homines ex communi principio rationis de DEO, eiusque viis h. e. modo & ordine agendi cum hominibus, colligerent. Id ſane clare colligitur ex iis, quae Lucas narrat *Actor.* XVII, 18. Quod ſi iam in cauſſas inquiramus, cur euangelium a Paulo gentibus praedicatum, iis fuerit ſtultitia? alterutrum horum ſtatuendum videtur: vel quod euangelium repugnet *ſanae rationi*, hoc eſt, *rectis & genuinis rationis principiis*, vel quod philoſophorum perceptiones de doctrina religionis *ſecundum ſanam rationem* formatae non fuerint. Prius ſane dici nequit, vt ex dicendis conſtabit, ab auctore vero inde etiam probatur, quod 2 *Cor.* IV, 2. Paulus profiteatur, in euangelio eſſe φανερώσει τῆς ἀληθείας, per quam, qui hanc doctrinam profitetur, ſe poſſit commendare conſcientiae hominum: hoc eſt, veritatem euangelicam non modo non repugnare notionibus purae rationis, ſed etiam veritates, natura nobis cognitas, de DEO & homine, per verbum euangelii excitari & illuſtrari. Siine ea mens in loco citato apoſtoli, non diſputo: res ipſa dubio caret, principiis ſanae rationis doctrinam euangelii non repugnare. Nihil ergo aliud ſupereſt, quam vt concludamus, perceptiones philoſophorum de doctrina religionis ſecundum ſanam rationem formatas non fuiſſe. Si porro quaeras: quae eius rei cauſſa? corruptam prauis affectibus philoſophorum fuiſſe rationem, reſpondet, idque ex ipſa illorum doctrina comprobat. Enimuero, licet interdum de hominum miſeria conquererentur philoſophi, intimam tamen naturae humanae corruptionem perſpectam non habuerunt. Hinc magno in eam iuerunt ſententiam conſenſu, adeſſe homini facultatem recte viuendi, & a vitiis ſe conuertendi ad virtutem, idque propriis viribus. Idcirco Cotta apud CICERONEM: *atque hoc quidem*, inquit, *omnes mortales ſic habent, externas commo-*

Digitized by Google

commoditates, vineta, ſegetes, olineta, vbertatem frugum & fructuum, omnem denique commoditatem, proſperitatemque vitae a diis ſe habere: virtutem autem nemo vnquam acceptam DEO *retulit. Nimirum recte. Propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute recte gloriamur. Quod non contingeret, ſi id* DONVM A DEO NON A NOBIS, *haberemus, lib. 3. de natura deorum.* Paucis & neruoſe SENECA, *ſtultum eſſe*, ait, *bonam mentem a* DEO *optare, cum vnusquisque eam a ſe impetrare poſſit.* Idque & HORATIVS innuit, dum ex Stoicorum diſciplina vitam quidem a Numine petit, at virtutem ſectari, id in ſua eſſe poteſtate profitetur: *det vitam, det opes, aequum mihi animum ipſe parabo lib 1. epiſt.* 18. conſ. & M. AVRELIVS ANTONINVS *lib. 5. de ſeipſo ad ſeipſum* §. 14. & *lib.* 6. §. 15. ac quae prolixius hac de re diſſerui in *diſſert. 2. de erroribus Stoicor. in philoſ. morali* §. 9. Ea ergo cum gentilium animis de viribus hominum naturalibus quoad virtutum exercitium ſederet ſententia, quid mirum, quod euangelii doctrina illis viſa fuerit *μωρία*? Qui homines, recte inquit antea laudatus auctor, libero concipit arbitrio, & facultate ad virtutem & vitium, is ſibi in eo blanditur, quod indoles humana tantopere non ſit vitiata, ac reuera eſt. Is minuit vim peccati, vt ſuam vim extollat ac depraedicet. Id vero ex quo alio oritur principio, quam ex concupiſcentia & affectu, & inordinato amore erga ſe ipſum? Quod pluribus deducit *l. cit* §. 8 *p.* 640. *ſeqq.* In ſententia porro, de *incorrupta bene agendi facultate*, indidicium eſt ſuperbiae peccatoris, qui affectus eſt omni peccatori communis. Quid enim hoc eſt dicere, *poſſum virtuti ſtudere, vbi volo*, ſiue *τὴν προαίρεσιν arbitrium hominis ne quidem ipſos Deos cogere poſſe*, quod Stoicorum fuit? Nihil profecto magis doctrinae euangelii, gratiam DEI, ceu vnicam ſalutis & bonorum etiam operum cauſſam, praedicanti aduerſatur, quam haecce *σοφία* plane carnalis. Haec vero paulo prolixius ediſſerere volui, vt vel hocce exemplo conſtaret, quantopere prauis affectibus deprauetur ratio. Plura vero auctor antea laudatus ſuppeditabit.

§. XXIV.

Nimirum, rationem hoc modo pro ipſis intellectus facultatibus acceptam, conſiderant iſti, non *abſtracte & ratione eſſentiae*, prout eſſe debebat; ſed *concrete, & ratione exiſtentiae*, prout reuera hodie exiſtit in hominibus, iisque non *regenitis*, quippe in quibus ratio iam purificata eſt & ſanctificata, licet omnium imbecillitatum neutiquam immunis, * magisque adeo & magis ſubiuganda, ſed in irregenitis, qui per prauas cupiditates eam magis magisque corrumpunt.

* Hinc Petro qui iam aliquamdiu in ſchola Chriſti verſatus erat, dicebatur: *οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ θεοῦ Matth.* XVI, 23. atque aliis diſcipulis: *o! amentes & tardi corde ad credendum, Luc.* XXIV, 25.

§. XXV.

Quod ſi vero *rationis* nomine veniant ipſa principia rationis, tum cautius incedendum. Sunt ea, in genere ſpectata, duplicia, *formalia*, vt nonnullis loqui placet, ac *materialia.* * Priora, ſcilicet formalia, adeo ſunt vniuerſalia, vt eorum vſus, modo ſit verus ac ſobrius, ſit licitus & plane egregius. Materialia principia, pro diuerſitate rerum & multitudine diſciplinarum, varia ſunt & diuerſa. Omnia vero haecce principia, ſi modo vere principia ſint, ** hoc eſt, requiſita veri principii habeant, vt ſint vera, euidentia, in ſuo genere adaequata, reiici a nemine mortalium poſſunt, multo minus *rationis* nomine veniunt,

cum haec vt corrupta, male ſana, & verbo Dei inimica, damnatur. Vocaueris etiam haec principia recte, *lumen rationis*, quod nomen rationi, priori modo acceptae, perperam tribueris. Intellectus namque veritatem percipit, & apprehendit, vt oculus lumen, adeoque id, quod intellectum illuminat, diſtinctum quid & diuerſum ab intellectu eſſe debet, vid. *Pſ. XXXVI, 10. CXIX, 105.*

* Formalia principia vocantur, quae ad formam modumque rite argumentandi requiruntur: quae vero ad materiam argumentorum pertinent, *materialia* vocari ſolent. De vtrisque accurate agit B. IOAN. MVSAEVS de *vſu principiorum rationis & philoſophiae in controuerſiis theologicis, lib. 2. cap. 2. p. 204. ſqq.* In toto hocce opere erudite contra NICOLAVM VEDELIVM oſtenditur, quis legitimus principiorum rationis in theologia vſus ſit: perperamque ab eodem dictum, demonſtratur, noſtrae eccleſiae theologos, abuſum rationis in Reformatis damnantes, occaſionem Romanenſibus nouam ſuam artem ſeu methodum, qua non alias aduerſariorum ſuorum probationes, quam quae diſertis ſcripturae verbis, reiecto conſequentiarum vſu, nituntur, admittendas contendunt, procudendi ſuppeditaſſe.

** Id quidem probe obſeruandum. Subinde enim contingit, vt aliquid pro principio, ſeu pro clara & euidenti veritate, habeatur, in quo tamen error latet & fallitas. Sed id quoque haud raro contingit, vt quis putet, cum perſpicua aliqua veritate aliquid pugnare, quod tamen cum ea amice conſpirat. Harum obſeruationum cum immemores ſunt mortales, mirum non eſt, quod diuerſa ratione hic agantur in praeceps. Nonnulli pugnam inter rationem & fidem tantam comminiſcuntur, quae non niſi cum alterius partis euerſione, tolli queat. Alii vt pugnam iſtam tollant vel euitent, rationis imperio ſubiicere fidem non dubitant. Atque hoc Socinianis, aliisque, perquam ſolenne eſt, qui myſteriorum omnium expertem religionem chriſtianam eſſe volunt. Scilicet in eosdem, quos ſupra notauimus, ſcopulos impingunt. Principia quaedam rationis fingunt, quae nihil minus ſunt, quam principia. Exempla videre licet in ANDREAE KESLERI *Metaphyſica*, quam vocat, *Photiniana*. Deinde, repugnare aliquid apertae & clarae veritati, ſubinde contendunt, quod tamen amica conſpiratione cum ea conſentit. Vtriusque erroris exempla exhibet HERMANNVS WITSIVS in *diſſertat. de vſu & abuſu rationis*, quae eſt 17. in parte ſecunda *miſcellaneorum* eius *ſacrorum*, §. 17. & 18. Enimuero, pugnam nullam eſſe inter rationem & fidem, quilibet, vtramque paulo accuratius conſiderans, facile intelliget. Idque de ratione, ſi pro facultate eam accipias, ſana & emendata, verum eſt, non minus etiam de principiis rationis veris & genuinis. Non enim ratio, ſed quod in ratione, vtroque modo accepta, corruptum, falſum, erroneum eſt, veritati diuinae repugnat. Et ſanae rationis non minus auctor Deus eſt, quam fidei. *Abſit*, inquit AVGVSTINVS *epiſt. ad Conſentium*, quae eſt 222. *vt hoc in nobis Deus oderit, in quo reliquis animantibus excellentiores creauit. Abſit, inquam, ne ideo credamus, vt rationem accipiamus ſiue quaeramus, cum & credere non poſſemus, niſi rationales animas haberemus, &c.* Sed dum rationi, praeſertim pro principiis ſumptae, iuſtum ita pretium ſtatuimus, eam ſuis tamen ſimul circumſcriptam volumus limitibus. Etenim dum ratio ſeu intellectus, ex notionibus ſibi notis principia iſta ſeu axiomata format, cogitandum, multa eſſe poſſe ignota, & noſtro intellectui non perſpecta. Ideoque mirandum non eſt, quod myſteria fidei, limites iſtos captumque rationis multum tranſcendant. Ideoque neutiquam licet rationi myſteria fidei eo nomine reiicere, quod nihil vnquam iis ſimile in ſuis ideis ac notionibus inuenerit. conf. 1 *Cor.* II, 9. Praeſertim cum vel ipſa ratio doceat, multa in Dei infinitate & conſilio eius latere, quae ipſa per ſe aſſequi non poſſit: Deoque dignum eſſe, ea de ſe reuelare, quae captum noſtrum ſuperant. Praeterea, ſi ponamus, extare reuelationem diuinam, in qua Deus voluntatem ſuam erga homines, viamque perueniendi ad ſalutem hominibus manifeſtauit, quod hodie apud omnes, qui ſe chriſtianos vocant, poſitum eſt, certe eſſe debet, extra controuerſiam, & in ea reuelatione occurrere, quae rationis captum tranſcendunt, manifeſtum eſt, in inquirendo diuinorum verborum ſenſu, non eſſe tum audiendam primo rationem, qui ex ſe de iis

rebus

rebus velit, ſed vnice attendendum, quid ipſa verba, ſecundum regulas hermeneuticas recte explicata, ſignificent. Etenim ſi ratio ipſa de rebus eiusmodi aliquid aſſequi aut ſtatuere poſſet, non opus fuiſſet reuelatione: hoc ipſo igitur, dum Deus ea reuelauit, voluit, vt iis, quae reuelauit, ratio acquieſceret. Recte namque IVSTINVS martyr dixit: οὐ χρὴ γὰρ τοῖς ἡμετέροις ἐνθυμήμασι μετρεῖν τοῦ Θεοῦ τὰ ἔργα, ὑπὲρ νοῦν γὰρ καὶ αἴσθησιν καὶ λόγον τὰ Θεοῦ ἔργα: *non enim oportet cogitationibus noſtris metiri opera Dei, quia ſuper intellectum, & ſenſum, & rationem ſunt opera Dei,* in *confutat. Graecar. quaeſt. p.* 163. Nec minus apposite FRANCISCVS BACO DE VERVLAMIO: *Praerogatiua Dei totum hominem complectitur; nec minus ad* RATIONEM, *quam ad* VOLVNTATEM *humanam extenditur. Quare, ſicut legi diuinae obedire tenemur, licet reluctetur voluntas, ita & verbo Dei fidem habere, licet reluctetur ratio. Etenim ſi ea duntaxat credamus, quae ſunt rationi noſtrae conſentanea, rebus adſentimur, non auctori: quod etiam ſuſpectae fidei teſtibus praeſtare ſolemus. Quanto igitur myſterium aliquod diuinum magis fuerit abſonum & incredibile, tanto plus in credendo exhibetur honoris Deo, & fit victoria fidei nobilior; de augment ſcientiar. lib.* 9. *cap.* 1. *p.* 488 add PETRVS DANIEL HVETIVS in *Quaeſtionibus Alnetanis de concordia rationis & fidei, lib.* 1. *cap.* 4. & 5.

§. XXVI.

Principia vero iſta rationis, ſi quidem vere talia ſint, vti poſita ſunt extra dubium, ita neutiquam negandum, rationem ſeu intellectum non tantum perperam ſubinde in applicatione iis vti, ſed alia etiam principia, quibus in vitae directione vtatur, iis adiungere, quae licet ſibi principiorum loco eſſe neget, reuera tamen ſequitur, ceu vnicam vitae morumque cenſuram, * cuiusmodi illud eſt: quidquid amori proprio, aut amori mundi, conuenit, illud verum & bonum eſt, & quidquid illi repugnat, malum ac falſum eſt, & quae reliqua ſunt, eiusdem generis. Haec principia *implicita* merito dixeris, quod homo ſaepius neſciat, ſe ea ſequi, cum tamen ſequatur vel maxime: item *carnalia*, quod homo naturalis non poſſit non κατὰ σάρκα, viuere i. e. agere, ſentire, iudicare. *Rom. VIII, 9. 12. 13. Epheſ. IV, 22. Geneſ. VI, 3.* Fontem cauſamque rei facile etiam deprehenderit, qui arctiſſimum facultatum animae, ſpeciatim intellectus & voluntatis, nexum, & huius quod in illum exercet imperium, ſecum expenderit. Et ita ſane *ratio*, ſeu intellectus nondum illuminatus, cum falſis ſuis ratiociniis, principiisque carnalibus, & verorum principiorum abuſu prauaque applicatione, merito inter *naturae corruptae* illuſtria documenta refertur, & ceu inimica verbo diuino, proſcribitur.

* Hoc pluribus euincitur, & accurate deducitur, in diſſertatione de *aeſtimatione rationis humanae theologica*, quae ſub praeſidio PAVLI ANTONII, theologi Hallenſis celeberrimi, anno MDCCVIII. prodiit.

§. XXVII.

Luculenter intellectus rationisque deprauatio ſe prodit, in grauiſſimis illis vitiis, quae diuinae veritatis cognitioni oppoſita ſunt, & quo magis damnantur, eo magis hominum peruerſitate retinentur, qualia

qualia ſunt, *ſcepticiſmus*, *religionum indifferentiſmus*, *rationaliſmus*, *haereſis*, *enthuſiaſmus*, *fanaticiſmus*. Aut enim veritatem omnem in dubium vocat ratio, nec certi quid, vbi pedem figat, ſibi inuenire videtur, vnde *ſcepticiſmus*; aut veritatem contemnit, omniaque eodem loco habet dogmata, vnde *religionum indifferentiſmus*; aut reiecta reuelatione ſuae immemor imbecillitatis, viribus ſuis nititur, viamque ad ſalutem ſine duce, ſe inuenire poſſe confidit, vnde *rationaliſmus & naturaliſmus*; aut pro reuelatione per verbum diuinum facta, reuelationes proprias, motus & inſtinctus, quos pro diuinis habet, adſumit, eosque vt doctrinae vitaeque normam ſequitur, vnde *enthuſiaſmus*; aut vana quadam incertaque perſuaſione, omni fundamento deſtituta, nititur, vnde *fanaticiſmus*; aut denique ſcripturam quidem aſſumit, eiusque nititur auctoritate, ſed praue eam interpretatur, & ad errores pertinaciter tuendos, detorquet, vnde *haereſis*.

§. XXVIII.

Scepticiſmum, praeſertim theologicum, * de quo nobis nunc ſermo eſt, grauiſſimum eſſe intellectus morbum, etſi voluntatis vitia ad eum producendum, fouendum, augendum, conferant plurimum, nemo inficias iuerit. Perinde enim eſt, ac ſi veritatem lucemque omnem tollat eiusmodi homo, in tenebris data opera ambulaturus: ſimilisque κλύδωνι θαλάσσης ἀνεμιζομένῳ καὶ ῥιπιζομένῳ, vt eleganter Iacobus loquitur, *cap. I, 6.* idem ἀκατάστατος, *inconſtans in omnibus viis ſuis, verſ. 8.* Procul ab eiusmodi vitio abſunt in ſtatu gratiae conſtituti, obſignati quippe ſpiritu ſancto, *2 Cor. I, 22.* vnde confidenter dicunt: *ſcio, in quem credo &c. 2 Tim. I, 12.* Omnis autem omnino ſcepticiſmus, ſiue in credendis, ſiue in agendis verſetur, ſiue vniuerſalis ſit, ſiue particularis, & ad certa tantum dogmata ſe extendat, inter naturae corruptae opera, morbosque intellectus grauiſſimos, a nobis refertur. add. *Proverb. XVI, 2. XXI, 2.*

* Dantur enim varia ſcepticiſmi genera. Vniuerſalis alius eſt, alius particularis. Et hic iterum aut theologorum & ſcripturae ſacrae, aut philoſophorum ſcita, conuellit & labefactat: idque rurſus vel directe, ipſorum principiorum dubiam reddendo aut veritatem, aut certitudinem, aut indirecte, talia defendendo dogmata, quibus velut per cuniculos ipſorum principiorum certitudo euertatur. Pluribus haec omnia ediſſerui in diſſertat. de *ſcepticiſmo morali*, quae in *analectis hiſtoriae philoſophicae* extat, §. 3. 4. *ſeq.* De diſcrimine inter ſcepticiſmum theoreticum & practicum, *ibid.* §. 16. dictum.

§. XXIX.

Coniuncta quidem haud raro cum ſcepticiſmo eſt, *indifferentia religionum*, ab eo tamen diuerſa. Fieri enim poteſt, vt non tam dubitet de

de religionum veritate, qui eas vno eodemque loco habet, quam eam prorſus neget, ſiue quod nullam omnino admittat ipſe religionem, ſiue coli Numen ſine veritatis cognitione poſſe exiſtimet, ſiue denique diſſentientium a ſua opinione errores, pro innocuis & minime fundamentalibus, certe pro talibus habeat, qui non obſtent, quo minus Deum quis rite colere poſſit. Vnde & varias *indifferentismi religionum* ſpecies, & gradus eſſe conſtat: * cuius & in eo conſtat diuerſitas, quod mox ad plures, mox ad pauciores religiones, ſeſe extendat. Summa inde humani intellectus peruerſitas elucecit, dum nouimus, ſuperſtructos eſſe debere eos, qui ſalutis aeternae compotes fieri cupiunt, ſuper *fundamentum apoſtolorum & prophetarum, lapide angulari exiſtente ipſo Ieſu Chriſto, Epheſ. II, 20.* add. *1 Cor. III, 11.* Vti vnicum ergo ſalutis fundamentum, ita, quidquid cum hocce fundamento conſiſtere nequit, reiectaneum: quique aliud euangelium, quod doctrinae apoſtolorum non conforme, praedicat, anathema eſt. *Gal. I, 7.*

* Eſt nimirum indifferentismus religionum vel vniuerſalis, vel particularis. Vniuerſalis eſt qui omnes religiones, chriſtianam, iudaicam, ethnicam, muhammedanam, vno eodemque loco habet, hoc eſt, omnes contemnit, nec vnam alteri praeferendam cenſet. Idque iterum aut ideo, quod nullam religionem pro vera habet, vel quod ſolam naturalem admittit. Si prius, cum *atheismo* coniunctus eſt indifferentismus: ſi poſterius, cum *naturalismo*, de quo deinceps. Particularis ad eas ſaltem ſe extendit ſectas, quae communi chriſtianorum nomine comprehenduntur: ſed iterum aut ad omnes, aut ad quasdam. Fundamentum praeterea huius indifferentismi diuerſum eſt: namque vel ideo perinde eſſe putant, cui quis addictus ſit religioni, quod ad cultum Numinis ſufficiat amor, aut quod fides actus ſit voluntatis, non intellectus, hoc ipſo ſatis indicantes, ſe nec cultus diuini, nec fidei indolem atque naturam ſatis perſpectam habere: vel ideo, quod veritas ita abſcondita ſit, vt in ea inuenienda omnis fruſtra conſumatur opera, quae eſt ſententia auctoris haud incelebris, qui *commentarium philoſophicum ſuper verba, compelle eos intrare*, ſcripſit, quem PETRVS IVRIEV & ELIAS SAVRINVS, ſed diuerſa ratione, refutarunt. Praeterea alia indifferentismi ſpecies ad ipſam doctrinam, alia ad neceſſitatem hoc vel illud credendi, alia ad externam fidei profeſsionem pertingit. Ad primam claſſem illi pertinent, quos antea memorauimus, qui omnes eodem loco religiones habent, eo quod nullam veram credunt: ad alteram, qui vnam ſententiam veram, alteram falſam credunt, aut credere videri volunt, ſed vt diſſenſum minime in fundamentalibus eſſe contendant, ex quo fonte etiam ſyncretismus, & tolerantia religionum profluit. Denique, quod ad fidei profeſsionem attinet, ſunt, qui de veritate ſuae, quam tenent, doctrinae, & de falſitate doctrinae diſſentientium, non dubitant, fas tamen eſſe putant, ſuam quandoque diſſimulare ſententiam, alteriusque ſententiae adprobationem, qua dogmata, qua ritus, ad certum tempus, aut ſemper prae ſe ferre. Quae tamen turpis rectius hypocryſis, quam indifferentismus religionum, dicitur. In hisce autem indifferentismi ſpeciebus magnam intellectus humani imbecillitatem ſe prodere, manifeſtum eſt. Si enim vera a falſis diſcernere, & veritati ſuum ſtatuere pretium, eaque, quae ad hominum ſalutem & felicitatem pertinent, rite diiudicare, eiusmodi homines didiciſſent, ſtultos eiusmodi & abſonos non admitterent errores. Idque multo magis de ipſo atheismo, craſſioris indifferentismi genitore, dicendum, quod & praeclare iam RICHARDVS BENTLEIVS in *ſtultitia & irrationabilitate atheismi*; & THEODORVS VNTEREICH, in *atheo ſtulto*, aliique demonſtrarunt. Voluntatis tamen plurimum hic conferre prauitatem, negari nequit: praeſertim vbi omni veritatis inquiſitione inſuper habita, in religione

id ſaltem homines ſectantur, quod commodum, gloriam, tranquillitatem externam, adfert, aliorumque illis conciliat fauorem. Facile hinc diuerſas indifferentismi ſpecies itidem discernas, intelligasque, in quibusdam intellectus, corruptionem, in aliis voluntatis prauitatem, mali iſtius cauſſam praecipuam exiſtere. Simul vero patet, cur *religionis prudentum* nomine indifferentismus veniat: quod ſcilicet prudentiae, (ſed carnalis) eſſe exiſtimant, in religionis, opinionumque delectu ita ſe gerere, prout commodis ſuis id vel maxime expediat. Hinc indifferentismum religionum, *animam religionis prudentum*, recte vocat FRIDERICVS ERNESTVS KETTNERVS, de *religione prudentum*; *theſ.* 18. *p.* 17. Eoque etiam pertinet religio *electiua* ſiue *eclectica*; cum ex omnibus ſectis id eligitur, quod cum commodis noſtris, aut ſaltem praeiudicatis conſentit opinionibus. Sed de *indifferentismo religionum* ex inſtituto egit MOSES AMYRALDVS, cuius commentatio lingua Gallicana ſcripta, etiam in Germanicam translata, proſtat.

§. XXX.

Naturaliſmus, quem & rationaliſmum nonnulli dicere ſolent, naturae rationisque ſummam deprauationem ignorat. * Emendatae namque & rectae rationis proprium eſt, imbecillitatem ſuam agnoſcere. Quod ſi faceret, perſpiceret etiam facile, principia rationis, etſi veriſſima, non tamen monſtrare viam veram & ſufficientem ad ſalutem, etſi recte vſurpata manuductionem quandam, ad lumen aliquod certius inueſtigandum, ſuppeditare poſſint. Ratio vtcunque accepta, ignorat Chriſtum, vnicum illum inter Deum & homines mediatorem, ſine quo nemini mortalium ſalus obtingit, *Ioan. III, 16. XVII, 3. Act. IV, 12. 1 Tim I, 15. 1 Tim. II, 5. 1 Theſſ. I, 20. Coloſſ. I, 14. 1 Ioan. II, 2.* Maximam ita rationis infirmitatem, naturaeque profundam corruptionem hoc ipſo produnt, qui ſuis, quod nequeunt, aſſequi viribus contendunt.

* Innoxia, quoad originem *naturalismi* & *naturaliſtarum*, nomina, dudum male audire, & de iis, qui naturae maiores in ſpiritualibus, quam decebat, vires tribuunt, adhiberi coeperunt. Nec vnius generis eſt naturalismus. Sunt, qui tres eius ſpecies, ſubtilem, craſſum & craſſiſſimum conſtituunt. Subtilis illorum eſt, qui cum Pelagio naturae vires in tantum extollunt, in quantum gratiam imminuunt. At cum & hoc non vna ratione fiat, & directe alii ac aperte, alii oblique magis & occulte cum gratiae imminutione naturae vires euehant, ſubtilem hunc naturalismum in varias iterum abire ſpecies, manifeſtum eſt. Craſſus naturalismus illorum eſt, qui hominibus etiam extra eccleſiae pomoeria conſtitutis, & diuina reuelatione carentibus, viam ad ſalutem pandunt. Quanquam & hi non vna omnes via incedant, cum alii ſola rationis ſcita ad hoc ſufficere contendant, alii contra gratiam quandam vniuerſalem aut extraordinariam, illis adiungant: qua de re a me dictum in *diſſertat. de religione naturali contra* PETRVM CHAWINVM *cap.* 1. Craſſiſſimus denique illorum eſt, qui naturam rerum omnium pro Deo habent, vt IVLIVS CAESAR VANNINVS, & BENEDICTVS SPINOZA, &, qui ipſo Spinoza eſt deterior, IO. TOLANDVS, quippe qui ſcripturae ſacrae, ſpeciatim auctori pentateuchi, hanc ſententiam tribuere non veretur, in *originibus Iudaicis*, ipſius *Ἀδεισιδαίμονι* ſubnexis; merito ideo caſtigatus a IACOBO FAYO, in *defenſione religionis*, *nec non Moſis*, *ac gentis Iudaicae*. Vt vero vltima naturalismi ſpecies nihil aliud eſt, quam ipſe atheismus, prima vero Pelagianismi nomine venire ſolet: ita de media nobis praecipue ſermo eſt; eaque, vt & prima vel maxime ex imbecillitatis virium naturalium, ſpeciatim intellectus, ignoratione oritur, adeoque hoc nomine inter intellectus corrupti documenta luculentiſſima, rectiſſime refertur. Sed pluribus veram & genuinam naturalismi indolem illuſtrant IO. DIECMANNVS, theologus

theologus multis nominibus de re eccleſiaſtica & litteraria bene meritus, de *naturaliſmo cum aliorum, tum maxime* IO. BODINI; & B. ADAMVS TRIBBECHOVIVS in *hiſtoria naturaliſmi a prima ſua origine ad noſtra vsque tempora, per ſuas claſſes deducta.*

§. XXXI.

Enthuſiaſmus, cum haud raro imaginationis a recto tramite aberrantis, imperiumque rationis reſpuentis fructus ſit, alio loco commodius explicabitur, & a fanaticiſmo, corruptae ſubinde itidem imaginationis notam praeferente, diſcernetur. * Haereſis itaque ſupereſt, intellectus humani, aeque ac voluntatis, ſi gratiae diuinae moderamen abſit, intimam corruptionem, luculentiſſime ob oculos ponens. **

* De vtroque itaque, enthuſiasmo & fanaticismo, deinceps *ſect.* v. dicetur.

** Vox αἵρεσις, vti notum, iuxta originem ſuam, ſignificat *electionem*, aut *optionem*. Αἵρεσις, inquit ATHANASIVS, dicitur, ἀπὸ τοῦ αἱρεῖσθαί τι ἴδιον, καὶ τοῦτο ἐξακολουθεῖν, *ab eligendo, quando quis proprium quia ſibi eligit, illudque ſequitur; quaeſt.* 38. *de parabolis t. 2. p.* 402. Sed ſi vſum ſpectes, *profeſſionem ſententiae*, ſiue vera ſit, ſiue falſa, quam *ſectam* Latini vocarunt, ſignificat. Idque exempla, in ſequentibus alleganda, docent. Senſim vox iſta nonniſi in vitio poni coepit, ſignificatque errorem, ſiue falſae alicuius ſententiae electionem, defenſionemque pertinacem. Inter loca ſcripturae, in quibus vox haec ita accipitur, quae deinceps allegamus, referri etiam ſolet 1 *Cor.* XI, 19. vbi tamen non tam de doctrinae diuerſitate, quam de ſchismatibus & contentionibus, intelligenda videtur, vt recte quoque ad *h. l.* notauit HVGO GROTIVS. Ita ſane veteres intelligunt. CHRYSOSTOMVS: Αἱρέσεις ἐνταῦθα, οὐ ταύτας λέγει τὰς τῶν δογμάτων, ἀλλὰ τὰς τῶν σχισμάτων: *haereſes appellat hoc loco non eas, quae ſunt circa dogmata, ſed quae ſunt circa ſchismata: homil.* 27. *in priorem ad Corinthios.* Hunc ducem ſequuntur THEODORETVS, THEOPHYLACTVS, PHOTIVS, apud OECVMENIVM, aliique.

§. XXXII.

Licet enim voluntatis quoque peruerſitas plurimum ad haereſin conferat, paucaeque forte nominari haereſes poſſint, quae non ex ambitione, inuidia, liuore, contendendi pruritu, ſimilibusque voluntatis vitiis, ortae ſint: ad intellectum tamen praecipue haereſeos notionem referendam, ſcriptura ſacra luculenter teſtatur, * quae de Iudaeorum ſectis eam adhibet, *Actor. V, 17. XV, 5.* Iam vero vitae quidem inſtituto, & moribus, praecipue tamen opinionibus placitisque Phariſaeos, Sadducaeosque inter ſe diſſenſiſſe conſtat. conf. *Matth. XXII, 23. 24. Actor, XXIII, 8. 9.* Hinc & Iudaei chriſtianorum haereſin memorant, *Actor. XXVIII, 22.* Sic & *2 Petr. II, 1.* & *Iudae verſ. 19. 20.* falſi doctores a prauis quidem moribus deſcribuntur; ſed vt error intellectus haud obſcure ſimul innuatur.

* Quod ad intellectum praecipue haereſeos ſit referenda notio, adeo maniſeſtum eſt, vt, qui hoc negare ſuſtineat, loca ſcripturae, quibus haereſeos, aut haereticorum ſit mentio, parum accurate ſecum expendiſſe, merito cenſeatur. Sed tamen nec id negandum, vitia quaedam voluntatis, cum haereſi ſemper coniuncta eſſe: haereticorumque nomine apud veteres eos demum venire, non qui ex intellectus quadam imbecillitate errant, ſed qui ambitione, inuidia, auaritia, aliisque vitiis concitati, noua diſſeminabant dogmata, &

diſſeminata defendebant. Haec enim ſimiliaque voluntatis vitia, praecipuas eſſe haereſeos cauſſas, & ex hiſtoriarum ſatis conſtat monumentis, & alibi a nobis comprobabitur. Nunc IGNATII ſaltem quaedam adducemus teſtimonia, vt, qualis haereſeos haereticorumque veterum mentibus inſederit notio, inde intelligamus. In *epiſtola ad Epheſios* §. 9. *p.* 179. ex editione THOMAE ITTIGII: τὸ δὲ πλάνης πνεῦμα ἑαυτὸ κηρύττει, τὰ ἴδια λαλεῖ (ἀυτάρεσκον γάρ ἐστιν) ἑαυτὸ δοξάζει (τύφου γάρ ἐστι μεστὸν) ψευδόλογον ὑπάρχει, ἀπατηλὸν, θωπευτικὸν, κολακευτικὸν, ὕπουλον, ὀχλῶδες, φλύαρον, ἀσύμφωνον, ἀμετροεπὲς, αἰσχρὸν, ψοφοδεές. *Erroris autem ſpiritus ſeipſum praedicat, ſua propria dicens, ſibi placens etenim eſt, & ſeipſum glorificat. Acerbus namque eſt, plenus extans falſiloquio, ſeductor, lubricus, ſuperbus, arrogans, verboſus, diſſonus, immenſuratus, nigriformis, tumidus.* Addit: *de cuius operationibus liberauit nos Ieſus Chriſtus, fundans nos ſuper petram tanquam lapides electos.* In *epiſtola ad Magneſianos* §. 9. *p.* 209. ita eos deſcribit: οἱ ἐχθροὶ τοῦ Σωτῆρος, ὧν ὁ Θεὸς ἡ κοιλία οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες, οἱ φιλήδονοι καὶ οὐ φιλόθεοι, μόρφωσιν εὐσεβείας ἔχοντες, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι, οἱ χριστέμποροι, τὸν λόγον καπηλεύοντες, καὶ τὸν Ἰησοῦν πωλοῦντες οἱ τῶν γυναικῶν φθορεῖς, καὶ τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμηταὶ, οἱ χρηματολαίλαπες· ὧν ῥυσθείητε ἐλέει Θεοῦ, διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Inimici Saluatoris, quorum Deus venter eſt, qui terrena ſapiunt, amat res voluptatum, & non Dei, ſpeciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes verbum Dei in tabernis praedicantes, & Dominum Ieſum Chriſtum vendentes, mulierum corruptores, aliena concupiſcentes, & pecuniarum amatores: a quibus eruamini, miſericordia Dei faciente per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Eundem in modum in *epiſtola ad Tralliano*s, §. 6. *p* 149. de haereticis verba facit: εἰσὶ γάρ τινες ματαιολόγοι καὶ φρεναπάται, οὐ χριστιανοὶ, ἀλλὰ χριστέμποροι, ἀπάτῃ περιφέροντες τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, καὶ καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ εὐαγγελίου, καὶ τὸν ἰὸν προσπλέκοντες τῆς πλάνης τῇ γλυκείᾳ προσηγορίᾳ, ὥσπερ οἰνομέλιτι κώνειον κεραννύντες, &c. *Sunt enim quidam vaniloqui & mentis ſeductores, non chriſtiani, ſed Chriſtum mercantes, ſeductione circumferentes nomen Chriſti, & cauponantes verbum euangelii, & venenum erroris commiſcentes dulci blandimento, ſicut oenomelli venenum admiſcentes, &c.* Haec licet ex interpolatis IGNATII epiſtolis deſumta ſint, ſatis tamen oſtendunt, quae veterum mentibus, de haereſi & haereticis inſederit idea. Quae bene obſeruaſſe, noſtra refert, ne ad voluntatem vnice referamus vitium, cuius in intellectu propria ſedes eſt, ſed ne voluntatis hinc excludamus vitia, & homines ex imbecillitate errantes in haereticorum ſtatim referamus numerum, & iis, quae in ſcriptura & ab antiquis eccleſiae doctoribus de haereticis dicta ſunt, per animi quandam praecipitantiam ſtatim applicemus. Legi merentur, quae erudite hac de re diſſerit ELIAS FRICKIVS, vir doctiſſimus, in diſſertat. ſub ELIAE VEIELII praeſidio habita, de *cura veterum circa haereſicos, ſect.* 1. §. 4. *ſeqq p.* 6. *ſeqq.* Ea vero notio haereſeos, quam Pontificii ſcriptores, praeſertim iuris canonici interpretes, ſibi formant, quae eo comparata eſt, vt igne & ferro in homines a doctrina recepta diſſentientes ſtatim ſaeuiatur, inepta plane eſt & ridicula, impia inſuper, cum ad homines innocentes & in doctrina orthodoxos adplicatur.

§. XXXIII.

Non quilibet tamen error, nec quaelibet voluntatis peruerſitas, haereſeos notam alicui ſtatim inurunt, * ſi ex praeſcripto ſcripturae & notionibus recte ſentientium, rem omnem aeſtimare velis. Etſi enim leuiſſimus etiam error, corrupti & deprauati intellectus ſit indicium, vt tamen in haereticorum quis veniat cenſum, eiusmodi errorem foueat neceſſe eſt, qui ipſum fidei fundamentum directe aut indirecte euertat. Ita enim per haereſes manifeſtantur *οἱ δόκιμοι* *1 Cor. XI, 19.* conf. *2 Petr. II, 1. 2. Tit. III, 10. 11.* Idem vlterius confirmari poteſt ex *Rom. XVI, 17. Gal. I, 8. 9. Col. II, 18. 19. 1 Tim. I, 5. 6. 7.* aliiſque ſcripturae ſacrae locis. Cum vero ad fundamentum fidei alia

alia accedant propius, alia longius diſcedant, quaedam etiam ita comparata ſint, vt ignorari ſaluo fidei fundamento, non tamen negari queant, cum alia nec ignorari, nec negari, ſaluo fidei fundamento poſſint, magnam hinc etiam eſſe haereſeos diuerſitatem, ſua ſponte quilibet intelligit.

* Non vno eodemque modo vox *haereticus* ſumitur: nos tamen ſecundum receptum in ſcriptura ſacra, & noſtrorum theologorum ſcriptis, eius vſum, de ea pronunciamus. Sic haereticorum nomine non veniunt ſchismatici. Etſi enim in *can. 6. Concil. Conſtantinop.* & alibi apud veteres, haereticorum quoque nomine ſchismatici veniant, diſtinguendos tamen eos eſſe res ipſa ſatis docet. Iudaei, pagani, Muhammedani, & apoſtatae, qui ad Iudaeos, paganos, Muhammedanos tranſeunt, itidem haereticorum nomine non veniunt. Eſtque omnino diſcrimen inter *apoſtatam & haereticum*, ſi illos, qui accuratius cuncta diſcernunt, ſequi velimus. Quanquam, quod negandum non eſt, veteres hoc diſcrimen non ſemper obſeruent. Sic THEODORVS BALSAMON in *collect. canon. eccleſiaſt. p.* 1292. titulum facit περὶ ἀποστατῶν, & *ſect.* 3. tamen dicit, ὁ ἐξ ὀρθοδόξου γενόμενος αἱρετικὸς, &c. *qui ex orthodoxo factus haereticus fuerit, non verſatur in hominum conſortio, nec teſtis eſt, nec teſtamentum condit, nec haereditates adit, nec poenitentiae locum habet, vti fit in aliis delictis.* Vbi de apoſtatis illi ſermonem eſſe, ſeu illis, qui ad Iudaeos aut paganos deſciuerunt, ex ipſo titulo ſatis patet. Hinc & alibi idem BALSAMON duo facit haereticorum genera, quorum alterum ipſos Iudaeos atque paganos complectitur; *ad can.* 14. *concil. Chalcedon. pag.* 340. Sed latior iſta haereſeos & haeretici acceptio, hic in cenſum non venit. Namque cum de haereticis loquuntur theologi, eos intelligunt, qui inter chriſtianos equidem nomen profitentur ſuum, ſed vt erroribus puriorem doctrinam commaculent, ad eos pertinaciter defendendos prauis ſuis cupiditatibus abrepti. Errores autem, vti dictum, non quilibet ſtatim haereticum faciunt, ſed grauiores, quibus ipſum tandem fundamentum fidei labefactant. Hiſce enim merito limitibus, praeeunte ſcriptura, noſtrates theologi haereſeos notionem circumſcribunt. Id quod rurſus non accurate obſeruatum veteribus. Subinde enim generatim quoſcunque a fide orthodoxa aberrantes haereticorum nomine deſignant. Sic ZONARAS *ad can. 6. Conſtant. pag.* 75. αἱρετικοὺς πάντας καλεῖ τοὺς παρὰ τὴν ὀρθόδοξον πίστιν, δοξάζοντας. Hic canon *haereticos omnes eos vocat, qui contraria orthodoxae fidei ſentiunt.* Et ad *can.* 33. *Laod. p.* 351. αἱρετικοὶ λέγονται οἱ περὶ τὴν πίστιν σφαλλόμενοι: *haeretici dicuntur, qui circa fidem errant.* PHOTIVS *nomocan. ex conſtitut.* 12. *tit.* 5. αἱρετικός ἐστιν, ὁ μὴ ὢν ὀρθόδοξος: *haereticus eſt, qui non eſt orthodoxus.* add. LAMBERTVS DANAEVS, *diſſert. de haereſi*, quam Auguſtini libro de haereſibus, praemiſit, cap. 3.

§. XXXIV.

Voluntatis etiam tanta accedat peruerſitas oportet, vt meliora monentes non audiat, errorem contra eo pertinacius defendat, & media, quibus eluctari ex iſta caligine queat, repudiet. Quae tum maxime intelligitur peruerſitas, ſi in conuincendo eiusmodi homine, licet luculentiſſimae rationes proponantur, opera, quod aiunt, oleumque perdatur. Vnde apoſtoli haec eſt ſententia: *haereticum hominem, poſt vnam alteramque admonitionem, declinato. Tit. III, 10.* *

* Id quod & Ioannes apoſtolus ſuo exemplo ſingulari quadam ratione comprobauit, ſi fides adhibenda iis, quae hac de re veteres, in circumſtantiis non vsque quaque inter ſe conſentientes, narrant. vid. IRENAEVS *lib. 3. cap.* 3. EVSEBIVS *hiſt. eccleſ. lib. 4. cap.* 14. EPIPHANIVS *haereſ.* 30. THEODORETVS *haeret. fabul. lib. 2. cap.* 3. aliique. Sed hac de re alibi.

§. XXXV.

Ex intellectus etiam ſumma corruptione, cum voluntatis perverſitate coniuncta, oritur ſtultitia, maxime ſpiritualis, *1 Cor. III, 19.* luculentis characteribus a Salomone deſignata, *Prouerb. X, 23. XII, 15. 16. XVII, 10. 16. 24. XVIII, 2.* add. *Sirac. XIII, 12. 17. XXI, 17.* Hinc ſi morbos ſoli intellectui inhaerentes *tenebrarum* nomine comprehendi velis, *ſtultitiae* autem, qui ſummam voluntatis ſimul prauitatem, per quam & intellectus ad praua quaeque diſponitur, ſecum coniunctam habent, cuncta intellectus vitia, ad duo haecce ſumma capita, *tenebras* & *ſtultitiam*, quibus ſtilo ſcripturae *lux* & *ſapientia* opponuntur, reuocare poſſes.

§. XXXVI.

Stultitiam autem intelligimus, quae a fatuitate, & inſania diſtincta eſt, cum ex praua corporis, aut organorum diſpoſitione, haec praecipue oriantur vitia. Stultitia nimirum naturalem facultatum mentis vſum, minime impeditum, ſupponit, ſed erroribus non tantum variis contaminatum, verum ob voluntatis prauitatem plane peruerſum. Cumque tanta quorundam ſit malitia, vt in rebus quoque naturalibus talia agant dicantue, quae ipſi rationi repugnant, naturalium quoque hominum iudicio *ſtultitiae* infamiam contrahunt. Alii contra caute euitantes, quae naturalium hominum iudicio repugnant, ſapientiae quadam ſpecie ſtultitiam tegunt, * ſed in ſpiritualibus ſummam intellectus peruerſitatem, ex prauitate voluntatis ortam, oſtendunt.

* Huc itaque illud apoſtoli pertinet, ἡ σοφία τῦ κόσμυ τύτυ, μωρία παρὰ τῷ Θεῷ ἐςι. *Sapientia huius mundi, eſt ſtultitia apud Deum,* 1 Cor. III, 19. Quod THEOPHYLACTVS ad h. l. ita explicat: κἂν πανῦργοι ὦσι καὶ σοφοὶ, ὡς μωροὶ καὶ ἀνόητοι ἐλέγχονται, *etiamſi aſtuti & ſapientes fuerint, tanquam ſtulti tamen & inſipientes arguuntur.* Eorum autem ſapientia, cum reuera ſtultitia ſit coram Deo, mirum non eſt, quod illis rurſus ſapientia DEI videatur ſtultitia. Hinc 1 *Cor.* 1, 21. *dicitur* DEVS διὰ τῆς μωρίας τῦ κηρύγματος σῶσαι τὺς πιςεύοντας *per ſtultitiam praedicationis, ſeruare credentes.* Vocatur ſcilicet praedicatio euangelii μωρία, non quod ſit ſtultitia, ſed quia ἐνομίσθη μωρία, *exiſtimabatur ſtultitia,* ὅτι ἐκλήθη παρὰ τοῖς ἀνοήτοις μωρία, *quia a ſtultis ſtultitia vocata eſt,* vti hunc locum explicat THEODORETVS.

§. XXXVII.

Iſta vero mortalium ſtultitia vt variis documentis, ita manifeſtae praecipue veritatis impugnatione, abſurdiſſimorumque placitorum adprobatione, dictis porro factisque rationis ſummum defectum, maximamque animi improbitatem arguentibus ſe prodit, comitemque habet oſtentationem, iactantiam, fiduciam ſui ipſius, contemtum aliorum, pertinaciam, petulantem aliorum irriſionem, & quae alia ſunt impotentis animi indicia.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Iam vt de cauſſis quoque corruptionis ſummae, quae in intellectu conſpicitur, aliquid ſubiungamus, primam praecipuamque, labem eſſe originalem, clariſſimis ſcripturae ſacrae teſtimoniis conſtat. *Gen. VI, 5. VIII, 21. 1 Cor. II, 14. Epheſ. II, 3. IV, 18.* Accedunt tamen & aliae cauſſae, quarum in augendis & corroborandis intellectus vitiis mira vis eſt, vt educatio, imitatio, conuerſatio, conſuetudo, praeterea ignauia, aliaque voluntatis vitia, in iis ſaltem operationibus, in quibus a voluntate quodammodo intellectus dependet.

§. XXXIX.

Speciatim & praeiudicia, vti iam inſignem corrupti intellectus humani partem ipſa conſtituunt, ita multorum errorum & imbecillitatum maxime in ſpiritualibus etiam ſunt cauſſae: vt praeiudicium auctoritatis, *Io. VII, 48.* conſuetudinis & paterni moris, *1 Petr. I, 18.* receptae hypotheſeos, *Ioan. VII, 12. VIII, 33.* proprii commodi & vtilitatis, *Ioan. XI, 48.* Huc & principia iſta implicita & carnalia omnia, ſupra memorata, quibus in vitae directione homines plerumque vtuntur, pertinent.

§. XL.

Maxima grauiſſimaque ex vitiis intellectus, hactenus commemoratis, chriſtianiſmi, praeſertim conuerſionis, oriri impedimenta, in aprico eſt. Ne quid enim de ipſa rerum diuinarum ignorantia, dicam, certiſſima incredulitatis & impietatis matre, erronei quoque de rebus, praeſertim attributis diuinis, ſpeciatim omnipraeſentia, omniſcientia, iuſtitia, miſericordia, &c. conceptus, & conuerſionem, & vitae purioris inſtitutum, multum ſufflaminant. Subinde enim contingit, vt in peruerſis hiſce conceptibus, aut peccatorum impunitatem, aut excuſationem aut imminutionem, aut ſimile quid, neglecto ordine diuino, quaerant homines, vel ſibi poenitentia opus non eſſe, concludant. conf. *Eſ. LVIII, 2 3. Mich. VI, 6. 7. Hoſ VII, 6. Amos. V, 21. 23.*

§. XLI.

Multum quoque nocet nuda, mortua, & inefficaci cognitione contentum eſſe, nec operam, vt decebat, nauare, vt ea viua & efficax fiat, cum tamen ſpiritualium practicarumque rerum haec ſit indoles, vt ad praxin fidei & vitae tendere debeant. *Matth. VII, 24. ſqq. Iacob. I, 22. ſqq.*

§. XLII.

Iudicia peruerſa & falſa, quantum conuerſioni hominis, vitaeque ſanctae inſtituto adferant impedimentum, res ipſa & experientia quoti-

Digitized by Google

quotidiana condocet. Id principia etiam iſta carnalia, ſupra memorata, quibus plerique in vitae directione vtuntur, teſtantur. Prouerbia huc plurima referas, doctrinae ſalutari e diametro oppoſita, quibus tamen, ceu dictis ſapientum, regulisque non contemnendis, plurimorum vita regitur.

§. XLIII.

De dubitatione, aliisque defectibus, qui in iudiciis deprehenduntur, idem dicendum. Si enim has intellectus imbecillitates rite quis emendare aut dirigere neſciat, vt dubitet, de quibus dubitandum non eſt, dubitare vero nolit, vbi ad veritatis cognitionem dubitatio viam aperire poterat, flexus ſibi diſponet inextricabiles, obſtaculisque, quae non facile ſuperauerit, viam ſalutis circumſepiet ipſe.

§. XLIV.

Ratiociniis pernicioſis atque falſis, cum hominis naturalis, ſibique relicti, intellectus totus ſcateat, mirum itidem non erit, ſi plurima inde conuerſionis, vitaeque bene inſtituendae impedimenta, ſibi obiici ſentiat. Hinc eſt, quod conuertendi cum *carne* ac *ſanguine* deliberent, ſecus, ac Paulus fecit, *Gal. I, 15. 16.* verbumque ſalutis durum nimis minimeque ferendum cenſeant, *Ioan. VI, 60.* indeque a Chriſto tandem prorſus auertantur, *verſ. 66.* add. *Matth. XVI, 22. 23.* De reliquis intellectus vitiis, habitibusque intellectualibus, ſi vſus ſobrius non accedat, idem cenſendum, vt iam ex ſupra dictis conſtat.

§. XLV.

Intellectum hominis hactenus conſiderauimus ſecundum *naturam*. Nunc, quo pacto idem ſecundum *gratiam* comparatus ſit, diſpiciendum. Si paucis, idque ſtilo ſcripturae, ſummam eorum, quae hac de re dici poſſunt, comprehendere velis, dixeris, per gratiam Numinis in intellectu hominis regeniti, deprehendi, *lucem* & *ſapientiam*, cum antea in eo eſſent: *tenebrae* & *ſtultitia*.

§. XLVI.

Vt, quid *lucis* nomine nobis veniat, diſtinctius explicemus, perinde vt in naturali oculi illuminatione ſe rem habere, credimus. Vt enim ibi diſtincta ſunt organon, ſeu oculus, quo lumen recipitur, & lumen ipſum: ita in ſpiritualibus intellectus hominis lumen recipit; lumen vero ipſum eſt euangelium, quod ideo vocatur φωτισμὸς τȣ̃ ἐυαγγελίȣ

τῆς δόξης τῦ χριςῦ, *2 Cor. IV, 4.* Luminis vero eius receptio, ſeu ſalutaris euangelii agnitio, illuminatio, ex parte hominum, paſſiua, dici poteſt.

§. XLVII.

Lumen hocce originem ſuam trahit a Deo ipſo, omnis lucis fonte, adeoque illuminationis noſtrae cauſſa efficiente principali. *Deus* enim, *qui lucem ex tenebris lucere iuſſit, Gen. I, 3. is eſt, qui ἔλαμψεν ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, illuxit animis noſtris, ad claritatem cognitionis gloriae Dei in facie Ieſu Chriſti. 2 Cor. IV, 6.* Hinc & ipſe Deus *lux* dicitur, in quo nullae ſint tenebrae, *1 Ioan. I, 5.* quod & ſpeciatim de patre aſſeritur, *Iac. I, 17. 2 Cor. IV, 6.* & de filio, *Io. I, 4. 5. 9. VIII, 12. IX, 5. XII, 46. Luc. II, 32.* & de ſpiritu ſancto. *Actor. XXVI, 23. Epheſ. I, 17. 1 Cor. II, 10.*

§. XLVIII.

Operatio haecce Dei triunius, quod amoris itidem ſummi effectus ſit, *gratiae illuminantis* nomine venit, per quam adeo benignam intelligimus Dei operationem, qua homini per verbum euangelii facultatem ſalutariter agnoſcendi, & diiudicandi, quae ſunt ſpiritus Dei, confert. Hunc Numinis in hominis intellectum, per verbum euangelii influxum, nonnulli *lumen gratiae,* vocant, quod a *lumine naturae,* & *lumine gloriae,* diſtinguunt.

§. XLIX.

Medium illuminationis, ſeu cauſſa efficiens minus principalis, eſt *verbum diuinum*, * ſpeciatim *verbum euangelii*, quod ideo *lumen* ipſum dici obſeruauims, quo intellectus hominis illuminatur. *2 Petr. I, 19. Pſal. XIX, 8. 9. Iacob. I, 21.* Immediatae vero illuminationes, quae viris quibusdam ſanctis obtigerunt, cum extraordinariae ſint, nobis nunc in cenſum non veniunt.

* Fruſtra itaque nonnulli lumen aliquod immediatum, idque a ratione diſtinctum, omnibusque hominibus conceſſum, vel innatum potius, fingunt. Nota ſunt illorum nomina, qui eiusmodi lumen defendunt, quibus acceſſit etiam auctor libri: *fides & ratio collatae,* qui §. 145. *ſeqq.* ſuam perſpicue hac de re explicat ſententiam: *Deus omnipotentis ſui luminis ſubſtantialis ſcintillam aliquam in tenebroſum hominis fundum iaculatus eſt, & quaſi eidem incorporauit, vt intra ſemet ipſum haberet homo, quidquid ipſi opus eſſet, totum videlicet regnum Dei, in ſeminis velut paruo granulo concluſum, temporis omniumque viciſſitudinum decurſu, magis magisque ſe explicaturum, prout homo libero ſuo gratoque adſenſu, vt bona terra ſeſe eidem aperuerit. Et haec diuini luminis ſcintilla, eſt ipſum illud ſubſtantiale Dei lumen, aeternumque verbum, quod glorioſum regnum Dei in ipſo Deo, ſummamque eius beatitudinem conſtituit, in centro animae pro modulo eius veluti (vt ſic dicam) fixatum. Haec diuini luminis ſcintilla, ſeminis inſtar in terram cordis noſtri proiecta, ſeu aeternum Dei viuumque verbum ſubſtantiale, ab aeterno patre in intimum ſupremi ſpiritus noſtri fundum gratioſe pronunciatum, eſt immediatus & internus ſalutis noſtrae effector, & totius miſerandae noſtrae deprauationis omnipotens reparator.* Quae eiusmodi ſunt, vt

omni deſtituantur fundamento, immo & experientiae & ſcripturae refragentur. Id equidem verum eſt, quod nemo, vt auctor loquitur, ſine lumine quodam diuino aliquid boni cogitare valeat, at inde non ſequitur, lumen aliquod a ratione diſtinctum, omnibus innatum eſſe, cum illud potius, quod per & ex ſcriptura accipimus, ſit verum illud lumen, cuius beneficio boni quid cogitare poſſumus. Homines vero ſcripturae lumine, adeoque & fide, deſtitutos, boni quid cogitaſſe aut egiſſe, eiusmodi quidem, quod DEO placere queat, facilius dicitur, quam probatur. Gentilium itaque exempla procul faceſſant. A lumine porro iſto cum plane diuerſum quid ſit fides, quam Paulus *rerum credendarum ſubſtantiam* vocat, *Ebr.* XI, 1. manifeſtum eſt, quam nihil hocce oraculum ad ſubſtantiale aliquod in homine lumen comprobandum, faciat. Chriſtus equidem in ſcriptura ſacra paſſim lux vocatur. Loca iam ſupra allegauimus, conf. & *Eſ.* IX, 2. LX, 1. XLII, 6. XLIX, 6. *Luc.* II, 32. *Actor.* XIII, 47. Nonnulli huc & referunt *Pſ.* XXXVI, 10. *in lumine tuo videbimus lumen.* Hoc namque THEODORETVS ita explicat: ὑπὸ γὰρ τοῦ παναγίου πνεύματος φωτιζόμενοι, τὰς τοῦ μονογενοῦς σου θεωροῦμεν ἀκτῖνας: *nam a ſancto ſpiritu illuminati, vnigeniti tui radios contuemur.* Cum primis illuſtris admodum locus eſt *Ioan.* I, 9. vbi Chriſtus dicitur τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Quod ita capiunt immediati iſtius luminis aſſertores, ac ſi omnes omnino homines, etiam qui ſcripturae ſacrae vſu deſtituuntur, a Chriſto illuminarentur. Perperam quidem. Etſi enim Chriſtus lux ſubſtantialis ſit cum patre, 1 *Io.* I, 5. ἀπαύγασμα patris, *Ebr.* I, 3. idem tamen ratione hominum dicitur lux ἐνεργητικῶς, quia lucem in illis operatur: at num immediate? Nullibi hoc extat. Namque per verbum ſuum illuminat homines, vt ipſe hoc explicat ſpiritus ſanctus, *Matth.* IV, 16. 17. *Actor.* XIII, 46. 47. At ita, inquis, non omnem illuminat hominem venientem in mundum: quod tamen diſerte Ioannes dicit. Sane illuminare cupit, imo actu per verbum luminis ſui radios ad omnes ſpargit, *Pſ.* XIX, 5. *Rom.* X, 18. licet plurimi lumen hoc repudient, & admittere nolint. Sol lumen ſuum per orbem vniuerſum diffundens, reuera actu omnes illuminat, etſi coeci homines, quique oculos claudunt, non percipiant illud lumen. Ita Chriſtus per verbum lumen omnibus offert, etſi plerique manere in tenebris malint, vt ipſe hoc explicat *Ioan.* III, 19. add. ANTONIVS REISERVS in *Anti-Barclaio p.* 304. Diiudicanda hinc etiam, & recte explicanda ſunt, quae veteres hac de re habent, ſpeciatim MACARIVS, qui prolixe de illuminatione diſſerit, *de libertate mentis cap.* 21. 22. *p.* 211. 212. *ſeqq.*

§. L.

Illuminantur autem omnes homines, qui conuertuntur. *Epheſ.* V, 14. 2 *Cor.* III, 14. 15. 16. 2 *Tim.* II, 25. *Ioan.* VII, 17. Qui vero iam conuerſi ſunt, magis magisque illuminantur, dum in cognitione ſpirituali quotidie proficiunt atque creſcunt. *Epheſ.* I, 17. 18. III, 16. 19. *Coloſſ.* I, 9. 11. *Phil.* I, 9. 2 *Petr.* III, 18. Vnde, quod illuminatio actiua, partim ad *operantem*, partim ad *cooperantem* gratiam referenda ſit, patet.

§. LI.

Pertinet praeterea illuminatio proprie ad intellectum, non ad voluntatem, quod vel ex ipſa voce illuminationis, aliisque ſynonymis, quibus deſcribitur, patet: ſed coniuncta tamen ſemper eſt cum emendatione voluntatis. Quorſum referas, quod *cor excoecatum* dicitur, *Eſ.* VI, 10. item *illuminati oculi cordis. Epheſ.* I, 18. Conuerſio enim, ſeu regeneratio, cuius pars eſt illuminatio hominis regeniti, ad intellectum

aeque

aeque ac voluntatem pertinet, & vtriusque ſupernaturalem immutationem denotat. Hinc lux & vita iter ſe coniunguntur. *Ioan. I, 4 Pſ. XXXVI, 20.* confer. *Ioan. VI, 17.* Statuenda itaque quaedam *ſemiconverſio* eſſet, ſi quis conuerſus eſſe poſſet quoad intellectum, hoc eſt, illuminatus, non tamen quoad voluntatem. Saltem ſtilo ſcripturae, illuminatio ita accipitur, vt voluntatis emendationem includat; ſeu de iis tantum dicatur, qui etiam qua voluntatem, vita ſpirituali praediti ſunt. *Si quis alia ſignificatione, illuminationem quandam irregenitis tribuere velit, ſuo eum abundare patimur ſenſu. add. *1 Ioan. III, 6. Tit. I, 16.*

* Et hinc diiudicari poteſt quaeſtio, an, & quo ſenſu homo impius & irregenitus, illuminatus dici queat? Diſtinguendum namque primo inter illuminationem *actiuam* & *paſſiuam*. Quod ad illam attinet, certum eſt, quod Deus omnes homines per verbum ſuum illuminare velit. Et hoc ſenſu Chriſtus dicitur *lux, illuminans omnem hominem venientem in mundum, Ioan.* I, 6. Quo quidem ſenſu non temere quis impiis & irregenitis illuminationem denegauerit, prouti nempe eſt gratiae praeuenientis. vt nonnulli vocant, operatio, quam ex parte ſubiecti nullus ſequitur effectus, certe non talis, qualis hanc operationem ſequi poterat, & debebat. Sane verbum, circa quod homines impii verſantur, & quod vtcunque cognoſcunt, ipſum lumen eſt, quod eos illuminare poterat, vti antea §. 49. dictum, ſi modo ipſi met vim eius non impedirent, & ſpiritui ſancto reſiſterent, *Actor.* VII, 51. Paſſiue autem ſi vox illuminatio accipiatur, quo pacto accurate loquendo tantum, aliquis *illuminatus* dici poteſt, tum quidem duplici ratione hoc intelligi poteſt: primo, vt quis ea quidem, quae in ſcriptura ſacra reuelata ſunt, capiat, ſed vt minime efficax & ſalutaris ſit haec cognitio; deinde, vt ita veritatem diuinam cognoſcat, vt haec vim ſuam ſimul & efficaciam exerat, adeoque cognitio iſta ſalutaris fiat. Proprie loquendo itaque & ſecundum ſtilum ſcripturae, qui cognitione diuinae veritatis poſteriori modo ſpectata, praeditus eſt, *illuminatus* dicitur. Idque euincunt ea ſcripturae ſacrae loca, quae tum h. l. tum in prolegomenis, § 2. & 3. in medium attulimus, in quibus ea cognitio, quae viua & efficax eſt, κατ' ἐξοχὴν ita dicitur, aut fides, vel praxis vitae chriſtianae a cognitione abeſſe non poſſe, demonſtratur, aut illuminatio, in ipſa conuerſione, & vice verſa, ponitur. Huc & clariſſima Pauli apoſtoli verba pertinent: *eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino, Epheſ.* V, 8. Et ne dubitemus, de conuerſione ſeu regeneratione eum loqui, fructibus eam vult demonſtrari: *tanquam filii itaque lucis ambulate.* Explicat etiam, quales lucis fructus ſint: ὁ γὰρ καρπὸς τοῦ πνεύματος (nonnulli codices habent φωτὸς vnde & SEBASTIANVS CASTALIO vertit *eſt autem lucis fructus*) ἐν πάσῃ ἀγαθωσύνῃ καὶ δικαιοσύνῃ καὶ ἀληθείᾳ: *fructus autem ſpiritus eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate.* Haec itaque poſita ſunt extra controuerſiam. Priori autem modo ſi cognitio ſpectetur, tum quidem verum, quod homo irregenitus ſibi de rebus in ſcriptura ſacra reuelatis conceptus rebus ipſis conformes, formare, & hactenus veritatem cognoſcere poſſit; verum etiam eſt, quod verbum diuinum, quod ita cognoſcit, ſit maneatque verbum diuinum, ſeu lumen diuinum, iuxta ea, quae ſupra diximus, adeoque in generaliori ſignificatione illuminatio dici poteſt, prout omnis veritatis cognitio in quocunque homine ita adpellari poteſt: at tum quidem id non fit ſecundum ſcripturae ſacrae ſtilum & loquendi rationem. Quia vero ſpiritus ſanctus haud dubio grauiſſimas rationes habuit, cur ita loqueretur, nosque hoc ipſo docere voluit, ne ſepararemus, quae inter ſe ſunt, & eſſe debent coniunctiſſima, noſtri quoque eſt officii, ab hacce loquendi ratione, non temere diſcedere.

§. LII.

Quae itaque inter ſe ſunt coniunctiſſima, *illuminatio intellectus*, & *vita ſpiritualis voluntatis*, neutiquam a ſe inuicem ſunt ſeparanda. Quod

vero ad ordinem iſtarum gratiae diuinae operationum attinet, diſtincte, quo pacto primo in regeneratione, tum in renouatione ſe res habeat, ſpectandum: & ad illam quod attinet, actus paedagogici diſtinguendi ſunt a principalibus, quibus vitae ſpiritualis excitatio atque illuminatio, ſtricte & proprie ſic dicta, abſoluitur. Conſiderandum hic quoque, qua ratione partim intellectus a voluntate, partim voluntas ab intellectu in ſuis operationibus, pendeat: qua de re deinceps * ex inſtituto dicetur.

* *ſect. 4. §. 9.*

§. LIII.

Vt vero, quae in intellectu, dum illuminatur, peraguntur, diſtinctius cognoſcamus, obſeruandum, intellectum illuminatum, multa in diuinis cognoſcere, quae antea non cognouit, recte multa cognoſcere, quae antea perperam cognouit, certo praeterea ſcire, ſe recte res diuinas cognoſcere, deque earum veritate, intime ac planiſſime perſuaderi, vt ita homo efficaciter, ad ea quae cognouit, agenda, & in praxin deducenda, moueatur. Et hinc quo pacto illuminationis continuatio, eiusque incrementum ſe habeat, facile intelligitur. *Matth. XI, 25. 27. XVI, 17. 1 Cor. II, 12. 13. 2 Cor. IV, 6. 2 Petr. I, 19. Iacob. I, 22.*

§. LIV.

Quemadmodum autem in intellectu illuminationis datur incrementum, homine in rerum diuinarum cognitione ſpirituali magis magisque proficiente, ita etiam, ſi rebus ſuis non attendat, eiusdem dari decrementum, dubitari nequit; adeo, vt omnino ſtatu gratiae excidens, priſtinis tenebris immergatur. Quod ſi contingat, remanet equidem interdum memoria rerum ſpiritualium, & externa cognitio, forte paulo perfectior, quam illorum, qui nunquam fuere illuminati: omnis tamen iſta cognitio, etſi vera, qua conceptuum cum rebus ipſis conformitatem, mortua tamen eſt, homoque iterum merito hoc ſenſu in caligine & tenebris conſtitutus, dicitur. *Ioan. XVII, 25. 1 Ioan. I, 5. 6.*

§. LV.

Ex dictis etiam colligere licet, per omnes intellectus facultates illuminationem hancce diuinam ſeſe extendere, vt ignorantia & errores in prima & ſecunda mentis operatione magis magisque, pro diuerſo hominum ſtatu, diuerſimode, in maiori aut minori gradu, tollantur, ratiocinia quoque emendentur & in ordinem redigantur, & quae reliqua ſunt. Quod de ſpiritualibus, de quibus nunc loquimur, intelligendum eſt rebus.

§. LVI.

Digitized by Google

§. LVI.

Vitia ſcilicet intellectus, pro ſubiecti & obiecti conditione, emendat gratia, intellectum ipſum eiusque facultates non deſtruit: immo eas potius, in quantum emendari poſſunt, corrigit atque ſanctificat. Id quod & de habitibus intellectualibus, omnique eruditionis ambitu, intelligendum. Eruditio enim per gratiam purificata, & ſanctificata, inſigne eſt hominis regeniti ornamentum, inſtrumentumque diuini nominis gloriam, aliorumque ſalutem promouendi. * Diſcernere vero quid in eruditione, habitibusque intellectualibus vtile, quid noxium, eosque, vti & mentis facultates ipſas, ad legitimum finem, genuino ſeruato vſu, abuſu reiecto, dirigere, hoc enim verae ſapientiae opus, de qua nunc porro dicendum.

* In recepta & vſitata ſignificatione vocem *eruditionis* accipimus, qua veram ſolidamque rerum vtilium & neceſſariarum notitiam ſignificat, ad vſum adeo magis reſpicientes, quam ad originem. Nec enim cauſſam video, cur ab vſitata & recepta ſignificatione ſit diſcedendum. Qui enim cum eruditione plerumque coniunctus eſt abuſus, euitari poteſt, ſi illi, ad mentem ſententiamque veterum ſapientiam directricem adiungamus. Hinc nec improbis ac irregenitis eruditionem denegamus, ſi modo veram ſolidamque rerum neceſſariarum vtiliumque cognitionem habeant: at primo, vitia voluntatis ſaepiſſime obſtare dicimus, quo minus ad veram ſolidamque rerum vtilium & neceſſariarum notitiam in naturalibus perueniant: deinde, ſi eam adepti ſint, illa ad ſuam ſubinde aliorumque perniciem ſaepiſſime vtuntur, niſi gratia ſanctificans & ſapientia directrix, accedat. Notiones autem admodum receptas ſequimur, dum eruditionem & ſapientiam diſcernimus, cum experientia quotidiana doceat, eruditos multos eſſe, qui non ſunt ſapientes. Sed hac de re alibi. Operoſe & diligenter ceteroquin in eruditionis naturam inquiſiuit, & multa notatu digna monuit, vir doctiſſimus IO. CHRISTIANVS LANGIVS, in *protheoria eruditionis humanae vniuerſae*. Quam nos eruditionem vocamus, ea veteribus γνώσεως nomine ſubinde venit. Dupliciter enim vox illa apud eos accipitur: vel generatim pro cognitione & ſcientia omnium hominum, vel ſpeciatim pro ea, quae ſolis fidelibus atque piis eſt propria. Illam CLEMENS ALEXANDRINVS ita deſcribit: ἔστι γνῶσις κοινὴ, ἡ ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμοίως σύνεσίς τε καὶ ἀντίληψις, κατὰ τὸ γνωρίζειν ἕκαστον τῶν ὑποκειμένων, πανδήμως ἐμφαινομένη: *dicitur cognitio communiter, quae eſt in omnibus hominibus, ſimiliter intelligentia & apprehenſio, quae ex cognitione ſingulorum, quae ſubiecta ſunt, publice elucet: lib. 6. Stromat p. 617.* At eam, quae chriſtianis propria eſt, ita deſcribit: ἡ γνῶσις ἀπόδειξίς ἐστι διὰ πίστεως παρειλημμένων ἰσχυρὰ καὶ βέβαιος διὰ τῆς κυριακῆς διδασκαλίας, ἐποικοδομημένη τῇ πίστει, εἰς τὸ ἀμετάπτωτον καὶ μετ' ἐπιστήμης καὶ καταληπτὸν παραπέμπουσα: *cognitio eſt firma ac ſtabilis demonſtratio eorum, quae aſſumta ſunt per fidem, quae per doctrinam Domini ſuper fidem aedificatur, quae transmittit ad id, quod non poteſt excidere & mutari, & poteſt comprehendi ſcientia. lib. 7. Strom. p. 732.* Breuius & clarius dici potuiſſet, chriſtianorum γνῶσιν veram eſſe & viuam, rerum diuinarum notitiam, ex ſcriptura ſacra hauſtam, & cum diuinae ſapientiae, qua rectum eius vſum, directione coniunctam. Et hinc intelligitur, quaenam ſit ψευδώνυμος illa γνῶσις Paulo memorata, 1 *Tim.* VI, 20. Omnis enim vana, falſa, inanis, rerum quantumuis ſublimium, ad oſtentationem comparata, legitimoque vſu & ſapientiae directione deſtituta, ſcientia & eruditio, qualis veterum Gnoſticorum erat, merito hoc nomine venit. Qua de re pluribus a me dictum *in primitiis Ienenſibus*. In alterum extremum prolapſi ſunt Gnoſimachi, ſi fides habenda iis, quae vulgo de illis referuntur. Vt enim Gnoſtici pro Iunone nubem, pro vera cognitione falſam, inanem, vanam amplectebantur, eaque ſe efferebant, ea ſola ſe beatos putabant, ita omnem contra cognitionem eruditionemque reieciſſe dicuntur Gnoſimachi,

vanum & minus neceſſarium exiſtimantes laborem eorum, qui in ſcripturis ſacris aliquam exquirunt ſcientiam. Perperam quidem: cum chriſtianorum ex ſcripturis ſacris hauſta cognitio, gratiae illuminantis donum plane eximium; generatim vero omnis eruditio humana ex eorum genere ſit, quae equidem inter naturae opera numeranda, ſed ea, quae per gratiam diuinam ſanctificari, & accedente ſapientia, ad bonum legitimumque finem dirigi & poſſint & debeant. Legendus hac de re IO. FRANCISCVS PICVS MIRANDVLANVS de *diuinae & humanae philoſophiae ſtudio, lib.* 1. *cap.* 1. vbi ex inſtituto euincit, omnem ſcientiam notitiamque per ſe bonam eſſe, ſed fieri poſſe malam ex accidenti. Nec parum huc faciunt, quae idem habet *cap.* 2. & 3.

§. LVII.

Sapientiae vox vt diuerſimode accipitur, adeo, vt ob ambiguitatem multis obſcura eius notio videatur, ita nobis nunc obſeruandum, quod ſtilo ſcripturae ſacrae alia ſit *hypoſtatica*, alia *habitualis*. Per hypoſtaticam ipſum filium Dei, verum, & eiusdem cum patre eſſentiae Deum, intelligimus: cui merito hoc nomen competit, idque per eminentiam, cum fons ipſe & ſcaturigo ſit omnis ſapientiae habitualis. *Prouerb. VIII. ſeqq. Sap. VII, 25. 26.* collat. cum *Ebr. I, 3. Matth. XI, 19. Luc. XI, 49. 1 Cor. I, 24. 30.*

§. LVIII.

De hypoſtatica autem ſapientia, licet hic nobis non magis ſermo ſit, quam de illa, quae inter attributa diuina locum obtinet, qua ſolus Deus ſapiens dicitur, *Rom. XVI, 27. 1 Tim. I, 17.* conf. & *Rom. XI, 33. Epheſ. III, 10.* commemorare tamen illam neceſſe fuit, vt ad fontem verae ſapientiae habitualis attenderemus, qui eſt Deus triunus, *Iacob. I, 5.* ſpeciatim Chriſtus, qui nobis factus eſt ſapientia, *1 Cor. I, 30.* Ideoque & ſubinde habitualem ſapientiam cum hypoſtatica coniungi in ſacris litteris videas, vt ad arctiſſimum vtriusque nexum, eo diligentius attendamus.

§. LIX.

Habitualis itaque ſapientia, ad intellectum equidem proprie pertinet, ſed ita vt ex voluntatis rectitudine oriatur, ſaltem cum emendata & ad omnem virtutem compoſita voluntate, arctiſſimo vinculo ſit colligata.

§. LX.

Ad intellectum proprie pertinere ſapientiam ex communi, quae omnium fere hominum animis ſedet, notione, patet. Nec vllo temere ſcripturae loco, aliter ſe rem habere, comprobari poterit. Saepius etiam cum eiusmodi vocibus coniungitur, aut per eas explicatur, quae intellectus quandam virtutem, omnium confeſſione denotant, vt *intelligentia, conſilium* &c. *Prouerb. II, 10. III, 13. VIII, 10. 14.*

§. LXI.

At rurſus ſine voluntatis ſanctitate, piaque affectione, nullam eſſe ſapien-

Digitized by Google

ſapientiam, illis ſaltem, qui ex ſcripturae teſtimoniis veram ſapientiae notionem metiuntur, manifeſtum eſt. Luculenter hoc teſtatur Iacobus: *Qui in vobis ſapiens eſt & intelligens, oſtendit bonis moribus ſua opera, cum ſapientiae manſuetudine, cap. III, 13.* & iterum *verſ. 17. At ſuperne oriens ſapientia primum caſta eſt, deinde pacifica, aequa, obſequioſa, pietate, bonisque referta fructibus, ſerena, & minime ſimulatrix.* Idem ex oppoſito etiam ſapientiae patet, *ſtultitia*, cuius infamia nemo, niſi improbus, in ſcriptura ſacra notatur.

§. LXII.

Sapientiae itaque erit officium, cum reliquas mentis facultates, & operationes, & hinc ortas actiones externas, tum praecipue intellectus cognitionem dirigere, vt obiectum legitimum eligatur, vt debito quis circa iſtud modo verſetur, vt inania dimittat, vtilia & profutura conſectetur, finisque, ad quem omnia referenda, cum primis habeat rationem. In his omnibus cum prauis maxime adfectibus a recto tramite in deuia abripiantur homines, ſapientiae eſſe, vt hiſce imponant frenum, & intra limites eos coërceant, nemo non videt.

§. LXIII.

Sapientia habitualis, vel *diuina* eſt, ſeu ſpiritualis; vel *humana*. At illa ſola hoc nomine tituloque digna. Haec vero vmbra ſaltem quaedam ſapientiae eſt, & in iis conſpicitur hominibus, qui per naturae vires, exercitatione vtplurimum & educatione accedente, vtcunque adfectibus imperare didicerunt, ne nimio efferueſcant impetu, aut in delicta grauiora erumpant. Hinc virium intellectus etiam regimen & manifeſtorum intellectus vitiorum, euitatio. Experientia namque conſtat; quo magis continere homines ſibi relicti adfectus in obſequio poſſunt, lapſusque intellectus hinc neceſſario orituros cuitare, eo omnium iudicio eos eſſe ſapientiores.

§. LXIV.

Vti vero vmbraticum ſaltem eſt imperium, quod in prauos adfectus vitiaque voluntatis natura ſibi vindicat, ita vmbratica ſaltem eſt haec ſapientia, verae tamen ſapientiae indolem vtcunque referens & repraeſentans. Haec namque iam ſubactam timore Domini voluntatem ſupponens, *Prouerb. I, 7. IX, 10.* felicius tum in reliquas mentis facultates, tum maxime in intellectum ſingulasque eius operationes, vim ſuam exerit. Vt nulla enim intellectus facultas eſt, quae non interdum voluntatis prauitate ad malum velut determinetur: ita nulla quoque earum eſt, quae non ſapientia directrice opus habeat.

§. LXV.

§. LXV.

Sapientia ſpiritualis ſuos porro habet gradus, incrementa & decrementa, diuerſimode etiam pro ingeniorum, quibus gubernatrix praeeſt, diuerſitate ſeſe exerit. Quod gradus diuerſos, incrementa & decrementa admittat, nemo dubitauerit, qui ſecum cogitauerit, magis interdum aut minus ſupprimi a mortalibus prauos adfectus, qui ad deuia intellectum abripiunt. Ingeniorum quoque diuerſitas, & hinc porro diuerſitas ſtudiorum poſita in aprico eſt; quibus omnibus dum directrix ſapientia accedit, magis quoque aut minus impeditur, effectuum ſapientiae miram varietatem inde oriri, neceſſe eſt. Retuleris huc, quod de ſapientia hypoſtatica dicitur, eſſe in ea πνεῦμα μονογενὲς καὶ πολυμερὲς, *ſpiritum vnicum & multiplicem. Sap. VII, 22.*

§. LXVI.

Nullus itaque eſt hominum regenitorum, qui non ſapientiae ſpiritualis particeps fieri poſſit & debeat, cum Chriſtus omnibus factus ſit ſapientia, 1 *Cor. I, 30.* ſed ſuo modo, ſuoque gradu. Quo excellentior autem eſt intellectus cognitio, eo nobilius ſapientia habet obiectum, & eo ipſa inde eniteſcit illuſtrior. Vnde etiam factum, vt varia rerum cognitione eminentibus, vt eruditionis, ita ſapientiae nomen per eminentiam quandam tribueretur. *

* Hinc nihil vſitatius, quam vt homines eruditi etiam *ſapientes* dicantur. Minus tamen accurate: cum, vti ex ſupra dictis conſtat, ſapiens aliquis eſſe queat, qui non ſit eruditus, & rurſus eruditus, qui non ſit ſapiens. Apud veteres, eruditos ſapientum nomine veniſſe, mirum non eſt, quod exiſtimarent, cum eruditione coniungendam eſſe ſapientiam, hominemque rerum cognitione varia imbutum, ſed non ſapientem, nullo haberent loco. Factum inde, vt ipſa rerum cognitio *ſapientiae* nomine quandoque veniret. Sic CLEMENS ALEXANDRINVS, ἡ σοφία, inquit, ἐπιςήμη ἐςὶ θείων καὶ ἀνθρωπίνων, καὶ τῶν τέτων αἰτίων, *ſapientia eſt rerum diuinarum & humanarum & cauſſarum ipſarum ſcientia, lib. 1. Strom. p. 284.* Quod & repetit *lib. 4. pag. 540.* quemadmodum & eadem ſapientiae definitio occurrit apud ORIGENEM *lib. 3. contra Celſum p. 154.* Eadem ratione vocem ſapientiae ſumit LACTANTIVS, quando *inſtitution. diuinar. lib. 3.* de ſapientia falſa, & *libro* 4. de ſapientia vera agit. Namque per falſam ſapientiam, gentilium intelligit philoſophiam, id quod aperte profitetur *cap. 2. p. m. 167. Huius*, inquit, *libri munus eſt, philoſophiam quoque oſtendere, quam inanis & falſa ſit, vt, omni errore ſublato, veritas patefacta clareſcat.* Per veram autem ſapientiam ipſam intelligit doctrinam chriſtianam, quam & ideo a religione ſeu cultu Numinis diſtinguit. Hinc de vera ſapientia verba faciens, *non poteſt igitur*, inquit, *nec religio a ſapientia ſeparari, nec ſapientia a religione ſecerni; quia idem Deus eſt qui & intelligi debet, quod eſt ſapientiae, & honorari, quod eſt religionis: lib. 4. diuinar. inſtitut. cap. 4. p. 252.* LACTANTIVM ſecuti ſunt alii quam plurimi, vocem *ſapientiae* in eadem ſignificatione adhibentes: quos inter eſt & IO. FRANCISCVS PICVS MIRANDVLANVS, in libris duobus de *ſtudio diuinae & humanae philoſophiae*, ſeu, vt in tractatione ipſa vocat, de *ſtudio diuinae & humanae ſapientiae.* Per *diuinam* enim *ſapientiam*, doctrinam intelligit ex ſcriptura ſacra legitime hauſtam, per *humanam* autem eam, quae ex rationis fontibus principiisque deriuatur. Longe itaque alio

ſenſu

ſenſu ſapientia hoc modo accepta, *diuina* aut *humana* dicitur, quam cum ſumta pro habitu in *diuinam & humanam* diſpeſcitur. Haec omnia probe obſeruaſſe, noſtra multum intereſt, tum ne diſtinctas vocis ſignificationes confundentes erroribus implicemur variis, tum & vt ſcripturae quaedam dicta eo rectius intelligamus. Cum Paulus 1 *Cor.* 11, 6. dicit: σοφίαν λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις, *ſapientiam loquimur inter perfectos*, haud dubie doctrinam euangelii intelligit. Cumque & ceteroquin eruditio ac cognitio, vti obſeruatum, ſapientiae nomine veniat, longe maiori iure doctrina euangelii ita vocatur, quia viam ſimul ad ſapientiam veram, (pro habitu acceptam) monſtrat. Σοφίαν, inquit CHRYSOSTOMVS, λέγει τὸ κήρυγμα καὶ τὸν τρόπον τῆς σωτηρίας, τὸ διὰ σταυροῦ σωθῆναι; *ſapientiam appellat praedicationem & modum ſalutis, ſalutem per crucem partam, homil.* 7. *in prior. ad Corinth p.*279. Eodem referas σοφίαν λόγου, *ſapientiam ſermonis*, ſeu eloquentiam, 1 *Cor.* 1, 17. quod ipſe explicat *cap.* 11, 4. dicens praedicationem ſuam non fuiſſe ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις. Pari ratione, cum de ſapientibus huius mundi ſermo eſt, homines aut eruditione, aut ſapientia habituali equidem, ſed humana, σαρκικῇ, vt apoſtolus vocat 2 *Cor.* 1, 12. praediti, diuinaeque & ſpiritualis ſapientiae expertes, intelliguntur, conf. *Matth.* XI, 25. 1 *Cor.* 1, 20. Sed hac de re plura alibi.

§. LXVII.

Quemadmodum vero rerum diuinarum humanarumque cognitio ſeu eruditio, nobiliſſimum eſt ſapientiae obiectum: ita, ſi iſta eruditio moderatricem hanc ſapientiam non habeat, facile in inanem, falſam, erroneam, pernicioſam, degenerat. Nexus igitur ſapientiae & cognitionis non tantum neceſſarius, ſed diuerſa quoque eruditionis facies, ex diuerſo eius ad ſapientiam reſpectu. Humanarum namque rerum cognitio, quantumuis vaſta & admiranda, ſi omni ſapientiae directione deſtituatur, *vana* prorſus *ſtolidaque* cenſebitur & indigna, quae ſplendido iſto nomine veniat. Si humanae ad minimum ſapientiae directio accedat, *ſplendidior* erit, & prudentum huius ſeculi iudicio, locum ſuum tuebitur. At diuinae ſapientiae praeſidio, ſi diuinarum humanarumque rerum cognitio, veraque eruditio fuerit ſuffulta, tum demum cuncta ſibi conſtabunt, & aliquid, quod hocce nomine tituloque dignum ſit, inde effloreſcet, in quantum humanae imbecillitatis ratio permittit.

§. LXVIII.

Quae de ſapientia diximus, locum fere etiam habent in *prudentia*, & ad eam accommodari facili negotio poſſunt. Prudentiae namque eſt, notiones practicas generales ad res & circumſtantias ſpeciales applicare, adeoque cum ipſa praxi coniuncta eſt. conf. *Matth. VII*, 24. *Luc. XII*, 42. *XVI*, 8. Ea itidem intellectus quidem virtus eſt, ſed cum voluntatis probitate, ſi modo prudentia & non calliditas eſt, debet eſſe coniuncta: diuina praeterea eſt, & humana, quae diuinae quandam vmbram refert, &c. Agetur de ea ſuo loco * ex inſtituto.

* ſcil. *part.* 3. vbi de prudentia chriſtiana, ſpeciatim paſtorali, agemus.

Digitized by Google

§. LXIX.

Quae alias in ſcriptura commemorantur virtutes intellectus, ad ſumma iſta, quae conſtituimus, emendati intellectus capita, facile reuocaueris: quanquam non deſint, qui ſollicite eas diſtinguant. * *Scientia* namque, luci intellectus, ſeu cognitioni, reſpondet: quemadmodum & *intelligentia*, niſi hac velis diſcretionem quandam & diiudicationem rerum ſpiritualium ſignificari, vt quodammodo iudicio illuminato reſpondeat; *conſilium* vero & prudentia pari fere paſſu ambulabunt, certe ad hanc illud retuleris haud immerito. Quamuis non vbique diſcrimen aliquod inter haſce voces obſeruetur. conſ. *Prou. II, 6. XXIV, 3. X, 13. XVI, 21. XI, 14. XII, 5.*

* Intellectus pariter ac voluntatis virtutes quaedam comprehenduntur in illo Eſaiae: *& requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiae & intelligentiae, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiae & timoris Domini, cap.* XI, 2. Haec dona ſeu virtutes PHILIPPVS MELANCHTHON ita diſtinxit: dona Dei verſantur circa tria: circa *diuina*, *vt ſapientia*, quae eſt agnitio Dei ſpiritualis, & *intelligentia*, quae eſt diiudicatio dogmatum, ſpirituum, doctrinae de Deo, vt citius videt doctrinae corruptelam Paulus, quam alius; circa *pericula*, vt *conſilium*, de gubernatione, & *fortitudo*, quae executio eſt conſilii; circa actiones, vt *ſcientia* de moralibus in communi vita, & *timor Domini*, vt conſeruatio bonae conſcientiae. Hanc MELANCHTHONIS diſtinctionem cum retuliſſet MATTHIAS FLACIVS, addit: *de qua diſtinctione iudicent alii: mihi ſane magis per ſe concinna & elegans, quam vel rebus, vel vocabulis, vt in ſacris litteris vſurpantur, per omnia conveniens videtur. Eſt etiam valde vſitatum in ſacris per σωαθροισμὸν plura vocabula congerere, quae non ſemper & per omnia diuerſas res notent, vt ea exactiſſime inter ſe diſcerni opus non ſit: in claue ſcript. ſacr. part. 1. voc. ſapientia, p. 1114. ſeqq.* Cuius iudicio & ego ſubſcribo.

§. LXX.

Summatim tandem ſi complecti velimus, quae de intellectus per gratiam emendatione diximus, eo cuncta tendere deprehendemus, vt imago Numinis, ad quam homo conditus erat, ſed quam per triſtem parentum primorum lapſum amiſimus, in credentibus, etiam qua intellectum, magis magisque reſtauretur. Dubium enim non eſt, quin luce diuina, ſeu excellentiſſima diuinarum humanarumque rerum cognitione, primi hominis intellectus ante lapſum fuerit praeditus, vnde & accedente voluntatis ſanctitate, ſumma & perfectiſſima, non potuit non ſapientia conſummata, omnibusque numeris abſoluta oriri. Nouus itaque homo, quem induere iubentur, qui vitae ſanctitati ſtudent, renouari etiam debet *εἰς ἐπίγνωσιν καθ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτὸν, Coloſſ. III, 10.* conf. *Sap. VII, 17. 21.*

§. LXXI.

Ex dictis cum conſtet, quae intellectus humani *ſecundum gratiam* ſit conditio, nunc quoque *fallaciam naturae*, ſeu *naturam gratiae*

tiae imitatricem, obſeruare licet. Etenim cum hominem chriſtianum illuminatum quoque eſſe debere mortales audiunt, ne iſto titulo ſe indignos fateri neceſſe habeant, falſum aliquod lumen ſibi fingunt, naturalemque ac mortuam cognitionem pro ſpirituali & viua venditant, & ſic ſe quoque illuminatos eſſe concludunt. Sic phariſaei, etſi coeciſſimi mortalium, nullo tamen modo ſe coecos eſſe, ſibi perſuadere poterant. *Ioan. IX, 40. 41.* conf. *Rom. II, 19. 20. Apocal. III, 17.* Huc & ψευδώνυμος illa γνῶσις pertinet, ab apoſtolo damnata. *1 Tim. VI, 20.*

§. LXXII.

Eo facilius autem falluntur homines, quo magis cognitio mere naturalis & mortua, diuinae lucis aut cognitionis ſpiritualis ſpeciem mentitur: quod contingit, ſi multas veritates cognoſcant, craſſioresque, quibus alii circumſepti ſunt, errores, perſpectos habeant & deteſtentur. Vnde ſibi, in tenebris ſe adhuc verſari, nullo modo perſuadere poſſunt; cum tamen tenebras magis adhuc ament quam lucem, *Ioan. III, 19.*

§. LXXIII.

Sapientia quoque *humana*, praeſertim ſi circa ſacra verſetur, haud raro pro *diuina* vult haberi. Eius etiam tanto magis aſſequitur ſpeciem, quo felicius in operationum mentis ſingularum directione procedit: vt ſi externa ſpectes, nullum quandoque diſcrimen appareat. Quorſum educatio, aliaeque cauſſae, quibus ad adfectus ſapientiae inimicos perdomandos, homines inſtruuntur, plurimum faciunt. At intimiores mentis ſi introſpicere receſſus datum fuerit, naturae deprehenderis facile fallaciam, quae tum alias, tum in eo ſe prodit, quod in iſta ſapientia maximopere homo ſibi placeat. conf. *Eſ. V, 21. Prouerb. III, 7. 1 Cor. III, 18. 19.*

§. LXXIV.

Idem de prudentia obſeruandum, quae cum nihil ſaepius minus, quam ſpiritualis ſit, ſpiritualis tamen vult videri. Iſta *pſeudoprudentia*, vel craſſior eſt, vel ſubtilior. Craſſior eſt, cum irregenitorum prudentia plane carnalis ſpeciem prudentiae ſpiritualis impudentiſſime mentitur. Sic ex carnali timiditate orta lenitas vituperabilis erga hoſtes veritatis, prudentiae chriſtianae facile adſumit nomen: quemadmodum barbarus furor, in quosuis diſſentientes ſaeuiens, eodem titulo quandoque ſuperbit, ac ſi tempeſtiue ſerpenti malo obuiam eat. Subtilior eſt, quando etiam regeniti, carnis blanditiis abrepti, bona licet intentione, aliquid agunt, quo rebus ſuis conſulere videantur, quod tamen reuera noxium eſt.

§. LXXV.

Caute proinde incedendum, ne dona ſtatim ſpiritualia & opera gratiae eſſe credamus, quae mera tamen ſaltem ſunt naturae, ad omnem fallaciam compoſitae, opera. Quae tanto maior eſt fallacia, ſi in ſtatu homo hypocritico degat, & a grauioribus ſceleribus ſibi temperet, & non tantum qua intellectum, ſed & qua voluntatem, opera gratiae, licet ipſe filius adhuc irae, ſibi vindicare ſuſtineat.

CAPITIS PRIMI
SECT. III.
DE
DISCRIMINE NATVRAE ET GRATIAE
QVOAD CONSCIENTIAM.

Σύνοψις.

Cvr de conſcientia ſeorſim agatur, §. I.
Conſcientia quid? §. II.
Sitne actus, an habitus, an potentia? §. III.
Conſtat notitia principiorum, & ſcientia facti, §. IV.
Quo ſenſu mox regulae, mox teſtis, mox iudicis rationem habere dicatur, §. V.
Eſt vel vera ſeu recta, vel erronea, vel dubia; vera & erronea, vel certa, vel probabilis, §. VI.
In his omnibus partim ad principia, partim ad facta reſpiciendum, §. VII.
An conſcientia erronea, nomen conſcientiae mereatur? §. VIII.
Ratione concluſionis conſcientia vel bona eſt, vel mala, §. IX.
Quo pacto conſcientia ſe habeat ſecundum naturam: error, dubium, probabilitas, humanae corruptionis documenta ſunt, §. X.
Aliter iſta in regenitis, aliter in irregenitis ſe habent, §. XI.
In irregenitis, ipſam principiorum notitiam ſubinde oblitterari, aut corrumpi, §. XII.
Sed in factorum etiam ſcientia eos per malitiam haud raro errare, §. XIII.
Improbi non erroneam modo, ſed malam etiam, impuram, mordentem conſcientiam habent, §. XIV.
Qui in ſtatu ſecuritatis conſtituti ſunt, conſcientiam habent laxam, dormientem, cauteriſatam, §. XV.
Qui in ſtatu ſeruitutis degunt, anguſtam, dubiam, ſcrupuloſam, §. XVI.
Impedimenta chriſtianiſmi & conuerſionis oriuntur ex imaginaria conſcientiae tranquillitate, §. XVII.
Ex conſcientiae ſcrupuloſitate, & hinc orta falſa conſcientiae tenerae perſuaſione, §. XVIII.
Ex imaginaria conſcientiae bonitate, §. XIX.
Conſcientia ſecundum gratiam ſpectata bona eſt, & pura, §. XX.
Regeniti erroribus, dubiisque conſcientiae, pro viribus obuiam eunt: quaenam ſit conſcientia infirma? §. XXI.
Tranquillitas conſcientiae, quo pacto in iis ſe habeat, §. XXII.
Παιδεία conſcientiae in quo conſiſtat, §. XXIII.
Fallacia naturae gratiam imitantis, quoad conſcientiae bonitatem, §. XXIV.
quoad conſcientiam veram & certam, §. XXV.
quoad tranquillam, § XXVI.
quoad imaginariam conſcientiae paediam, §. XXVII.

§. I.

§. I.

DE conſcientia ſeparatim agimus, non quod eam diſtinctum quid aut diuerſum ab intellectu exiſtimemus, ſed quod inter reliquas intellectus operationes haec maxime inſignis, diligentiorem conſiderationem mereatur, vt quo pacto tum ſecundum *naturam*, tum ſecundum *gratiam* ſe habeat, intelligatur.

§. II.

Conſcientia itaque nobis nihil aliud ſignificat, quam argumentationem hominis de actionibus ſuis ad legem relatis, vt earum hinc aut prauitatem, aut bonitatem colligat. * In ſcriptura ſacra interdum *cordis* nomine venit, *1 Sam. XXIV, 6. 2 Sam. XXIV, 10.* In corde ſcilicet effectus conſcientiae maxime ſentiuntur. conf. & *1 Ioan. III, 20. 1 Cor. IV, 5. Rom. II, 15. Ierem. XVII, 1. Mentis* quoque nomine venit *Rom. XIV, 5.* & aliquando menti iungitur, cum eius quaedam ſit facultas, *Tit. I, 15.*

* Non puto, circa hanc conſcientiae notionem quenquam diſſentire poſſe: & licet aliorum aliis forte verbis conceptae ſint definitiones, eodem tamen res ipſa tandem redit. Minus autem accurate PETRVS CHAVVINVS, conſcientiam dixit *Deum menti noſtrae inſidentem, cumque ea intime differentem*; *de relig. natural. part. 1. cap* 14. Etſi enim Deus per leges ſuas omnino ad omnes homines loquatur, non tamen ipſe Deus, ſed mens hominis leges has diuinas intelligens, expendens & ad eas actiones ſuas diiudicans, *conſcientiae* nomine venit. Sed hac de re plura dixi in *animaduerſionibus in Petri Chauuini librum de religione naturali, cap* 5. Ceterum de variis conſcientiae nominibus, qui plura deſiderat, IOAN. MICHAELIS DILHERRI adeat diſſertationem *de conſcientia*, quae tomo ſecundo *diſſertationum* eius *academic.* praecipue *philologic.* extat, *num.* 18. *p.* 508. *ſeqq.*

§. III.

Sitne conſcientia actus, an habitus, an potentia, fruſtra diſputatur. Manifeſtum namque, in homine ſemper quidem eſſe potentiam de actionibus ſuis ratiocinandi, ſed eam non ſemper in actum erumpere. Quod ſi fiat, recepto loquendi more, argumentatio haec conſcientia dicitur. Idem ſibi volunt, quando dicunt: *conſcientiam expergiſcere, excitari:* vti contra *dormire* dicitur, quando potentia iſta in actum non deducitur. *

* Falſum itaque eſt, quod interdum dicitur, *quosdam conſcientiam non habere*, ſi proprie accipiatur. Vnusquisque enim hominum, hoc ipſo dum rationem, ſeu intellectum habet, hoc eſt, homo eſt, habet etiam facultatem de actionibus ſuis iuxta legem iudicandi: quae facultas licet aliquando lateat, & hoc ſenſu conſcientiam non habeat, non tamen extingui aut amitti poteſt.

§. IV.

Duo in ratiocinatione iſta practica concurrunt, notitia principiorum, & ſcientia facti. Illam συντήρησιν vocare ſolent, * hanc συνείδησιν, ſeu *conſcientiam*, ſumpta voce in ſignificatione ſpecialiori. Principiorum notitia ad omnes quidem leges ſe extendit; ſed nobis nunc

 diui-

diuinae leges, eaeque vniuerſales, praecipue in cenſum veniunt, ** quae nemini mortalium ignotae eſſe poſſunt, ac debent.

* Vox *συντηρήσεως* ſaepe quidem apud recentiores occurrit, & in hoc ſenſu vſurpatur, ſed ſine exemplo veterum, cum nec in ſcriptura ſacra, nec apud alium probatum auctorem in hoc ſenſu adhibeatur, docente IO. COCCEIO ad 2 *Tim.* 1, 15. Ad rem ipſam quod attinet, vnde iſta principiorum notitia, ſi a ſcriptura ſacra diſcedamus, homini obtingat, itemque an, & quo ſenſu admittenda ſint principia innata? diſputari ſolet: ſed agetur hac de re a nobis ex inſtituto in ſequentibus, parte ſecunda, cum de legibus, earumque notitia, verba faciemus. Reuocabimus ibi etiam ſub examen ſententiam & rationes IO. LOCKII, principia quaeuis innata ſtrenue impugnantis, de *intellectu humano lib.* 1. *cap.* 2. Interim conf. IO. SELDENVS, *de iure naturae & gent. iuxta diſciplin. Ebraeorum lib.* 1. *cap.* 9.

** Generatim quidem, quaecunque homini pro norma ſunt, vt ad ea actiones ſuas componere & dirigere obſtrictus ſit, ea etiam conſcientiae pro norma ſunt, vt ſecundum ea de actionibus ſuis, iudicet pronuncietue. Iam vero non tantum leges diuinae, ſed humanae quoque hominem obligant, vt ad eas actiones ſuas componat: immo iuramentis, votis, promiſſis, pactis obligatur, vt ſecundum ea itidem agat: quod ſi ergo hoc non faciat, contra conſcientiam egiſſe merito dicitur. At vero vt ex legibus diuinis omnis obligandi vis, quam leges humanae, pacta, promiſſa, vota, iuramenta habent, oritur; ita haec omnia includuntur, cum lex diuina norma, praecipua vtique & fundamentalis, conſcientiae dicitur. Si enim quaeras, cur legibus humanis obtemperare debeamus, reſpondetur, quia Deus iuſſit. *Rom.* XIII, 1. 2. 1 *Petr.* II, 13. 15. Sic & iuramentis, votis, promiſſis, pactis, obſtringuntur homines, quia Deus iuſſit, vt promiſſa, vota, iuramenta, accurate & religioſe ſeruent. Et hinc diiudicanda, quae hac de re habet DILHERRVS *l. c.* §. 12. *ſqq. p.* 515. *ſqq.* Ideoque & Paulus apoſtolus principia illa practica & quidquid conſcientia pro norma habere poteſt, *legis,* ſcilicet *diuinae*, nomine comprehendit, *Rom.* II, 14. 15. *Gentes legem non habentes, ſibi ipſis ſunt lex: vt qui oſtendant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, vna teſtimonium reddente, ipſorum conſcientia.* Leges autem nullae ſunt ſine legislatore; & omnis praeterea vis & efficacia legum ab auctoritate & poteſtate legislatoris dependet. Hinc & conſcientia, de iuſtitia & omnipotentia Dei intime perſuaſa, ad huncce maxime reſpicit legislatorem, id pro vltimo tandem fundamento ſupponens, quia iuſtiſſimus, ſanctiſſimusque pariter ac omnipotens Deus eſt, ideo legibus eius parendum, poenamque, qui eas migrent, non euitaturos. Deus igitur dicitur *erudire gentes, & docere homines ſcientiam, Pſ.* XCIV, 10. intus nimirum, per dictamen conſcientiae: adeo quidem, vt non poſſit homo quidquam bene agere, niſi de bonitate rei agendae ἐν ἰδίῳ νοῒ πληροφορηθεὶς, firmiter perſuaſus, id Deo gratum eſſe, *Rom.* XIV, 5. Ideo etiam Petrus, conſcientiam hominum vocat *conſcientiam Dei*: *ſi quis patiatur* διὰ συνείδησιν Θεοῦ, *propter conſcientiam Dei,* 1 *Petr.* II, 19. Nimirum non Deo conſcientiam tribuit Petrus: Deus enim proprie loquendo conſcientiam non habet. Conſcientia namque, cum ſit ratiocinatio de actionibus ad legem relatis, ſupponit eum, qui ita de actionibus ſuis iudicat, legibus ſubiectum eſſe: quod de Deo dici nequit. Conſcientia itaque Dei, iuxta HVGONEM GROTIVM ad *h. l.* per metonymiam obiecti, dicitur conſcientia eius, quod quis Deo debet: vel conſcientia de Deo, quia conſcius eſt, id Deum velle, & Deo gratum eſſe, voluntatique Dei obtemperandum eſſe in omnibus. *Certum hoc eſt*, inquit B. GERHARDVS ad h. l. *non intelligi conſcientiam, quam Deus habet, ſed quam homo coram Deo habet, qua cauet, ne Deum offendat. Ergo per conſcientiam Dei intelligitur hoc loco bona coram Deo conſcientia, qua ſolicite cauent ſerui, ne ſua aduerſus heros inobedientia, ſeditione, rebellione, Deum offendant.*

§. V.

Prout in conſcientia, aut notitia iſta principiorum, aut facti ſcientia ſpectatur, diuerſos ſortitur reſpectus, & mox libri & regulae, mox

teſtis,

Digitized by Google

teſtis, iudicis &c. nomine venit. * Intelligere inde etiam licet, quo ſenſu pro norma actionum humanarum a quibusdam habeatur.

* In ſyllogismo namque practico, quo conſcientia velut abſoluitur, maiorem ſi ſpectes propoſitionem, principium aut legem continentem, conſcientia habet rationem *regulae* aut *normae*: ſi minorem, aut notitiam facti, *libri* merito ac *teſtis* nomine venit; quod ſi concluſionis, & hinc porro effectus, rationem habeas, dum aut abſoluitur ſuomet iudicio homo, aut damnatur, ſub *iudicis* ac *tortoris* ſchemate ſiſtitur. Atque hoc ſibi vult Paulus apoſtolus, cum *Rom.* II, 15. actus iudiciales, συμμαρτυρεῖν, κατηγορεῖν καὶ ἀπολογεῖν conſcientiae tribuit. Hinc admodum eleganter GREGORIVS NAZIANZENVS conſcientiam alicubi vocat, οἰκεῖον δικαστήριον. Adſunt namque, ſi ſub hocce ſchemate rem proponere velimus, cliens, aduerſarius, aduocatus, iudex. Pertinent huc illa IVVENALIS *ſatyr.* 13.

- - - - Prima haec eſt vltio, quod ſe
Iudice, nemo nocens abſoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis praetoris vicerit vrnam.
Poena haec eſt vehemens, & multo ſaeuior illis,
Quas aut Caeditius grauis inuenit aut Rhadamantus,
Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Legi etiam merentur, quae hanc in rem differit CHRYSOSTOMVS *homil.* 17. *in Geneſin.*

§. VI.

Cum ratiocinationis etiam diuerſae ſint affectiones, conſcientiae quoque quandam diuerſitatem inde oriri, neceſſe eſt. Conſtat namque, ratiocinationes noſtras vel *veras* eſſe, vel *falſas*; illas iterum vel *certas*, vel *probabiles*, vti hae itidem vel ſub *certitudinis*, vel ſub *probabilitatis* ſpecie fallunt: quemadmodum *dubiae* medium velut inter veras & falſas locum tenent. Hinc igitur & conſcientia alia *vera* ſeu *recta*, alia *erronea*, alia *dubia*; & vere iterum vel *certa*, vel *probabilis*, vti & erronea vel ſub *certitudinis* vel *probabilitatis* ſpecie fallitur.

§. VII.

Vt recta ſit conſcientia, non tantum principiis, ſed factorum etiam ſcientiae, ſua veritas conſtet, neceſſe eſt. * Id quod & de certitudine obſeruandum. Vnde error rurſus & dubium partim ex peruerſo & ambiguo principiorum atque legum ſenſu, partim ex falſa aut incerta factorum, praecipue circumſtantiarum, quae ea comitantur, notitia.

* Si ſcilicet de *actionibus* iam *perpetratis* iudicium ferendum ſit. Ceteroquin enim conſcientia interdum etiam circa *facienda* verſatur, unde a nonnullis in *antecedentem*, & *conſequentem* diſpeſcitur. Alii conſcientiam rei futurae bonam, *ſuadentem*, malam, *diſuadentem*; conſcientiam rei praeteritae bonam *adprobantem*, malam *reprobantem* vocant. Legendus praeter alios hac de re PETRVS CHAVVINVS *de relig. natur. lib.* I. *cap.* 14. vbi ad conſcientiam ſuadentem ac diſſuadentem etiam genium Socratis refert, de quo tamen multa eruditi diſputant. Factorum autem, dum hic facimus mentionem, id non tantum *de actionibus externis*, ſed *internis* etiam, cogitationibus ſecretis, animique adfectibus eſt intelligendum. Namque haec omnia iudicio conſcientiae ſubiacent. De actionibus externis loquitur Salomo *Koheleth* VII, 12. *ſaepe animaduertit*, (h. e. annotauit, teſtatum eſt) *cor tuum* (conſcientia tua) *te quoque maledixiſſe aliis.* Hoc iudicio & teſtimonio

Digitized by Google

monio conſcientiae ſi nitamur, facile aliorum de noſtris actionibus iudicia contemnimus, iuxta illud apoſtoli: ἡ καύχησις ἡμῶν αὕτη ἐςὶ τὸ μαρτύριον τῆς συνειδήσεως ἡμῶν, *gloriatio noſtra haec eſt, teſtimonium conſcientiae noſtrae*, 2 *Cor.* 1, 12. Sed animi quoque adfectus, motusque interni conſcientiae iudicio, vt diximus, ſunt obnoxii. Sic Paulus de ſuo erga Iudaeos amore verba faciens, ad conſcientiae prouocat teſtimonium: *veritatem dico in Chriſto, non mentior*, συμμαρτυρούσης μοι τῆς συνειδήσεώς μυ, *atteſtante mihi ſimul conſcientia mea per ſpiritum ſanctum &c.* Rom. IX, 1.

§. VIII.

Falſam, ſeu erroneam conſcientiam, nonnulli omnino pro conſcientia non habent. * Sed omnis de voce eſt contentio. Indignam quidem eſſe, quae hoc nomine veniat, palam eſt, ſi veram principiorum factorumque ſcientiam, eadem ſignificari praetendas: ſin a veritate & falſitate vtriusque propoſitionis abſtrahas, aliter fuerit pronuntiandum.

* Fuerunt nonnulli, qui negarent conſcientiam erroneam, nomine *conſcientiae* appellitandam, contra quos diſputat HERMANNVS WITSIVS, *in exercitat. de conſcientia an vnquam errante*, quae in *parte ſecunda miſcellaneor. ſacror. eſt* 18. Omnis controuerſia, ſi rem accurate expendas, in meram λογομαχίαν abit. Si enim iudicium tantum rectum & verum de actionibus hominum dignum cenſeas, quod *conſcientiae* nomine veniat, erronea omnino nomen conſcientiae non promerebitur. Quod ſi generatim omne hominis iudicium de ſuis actionibus ad legem relatis conſcientiam vocaueris, quod vſu hactenus obtinuit, nihil obſtat, quo minus & erronea conſcientia, hocce nomine venire queat. Immo apud ipſum Paulum apoſtolum venit 1 *Cor.* VII, 7. *Sed non in omnibus eſt ea cognitio: nonnulli enim cum conſcientia idoli, vsque ad hoc tempus, vt idolis immolatum edunt, & conſcientia eorum infirma cum ſit, inquinatur.* Extra controuerſiam eſt, loqui apoſtolum de *conſcientia erronea*, ſeu de iis, qui per errorem putabant, non fas eſſe veſci idolothytis. Horum conſcientiam infirmam vocat, quod tanta illis non adeſſet cognitio veritatis, quanta ad hunc errorem excutiendum requirebatur. Horum denique conſcientiam inquinari dicit, quod contra conſcientiam, etſi erroneam, nihilo ſecius idolothytis veſcerentur. Ergo & erroneam conſcientiam Paulus pro conſcientia habuit. conf. 1 *Cor.* X, 28. 29. Ceterum in indole ſaltem conſcientiae explicanda nunc verſamur, & quo pacto tum ſecundum naturam, tum ſecundum gratiam ſe habeat. De obligatione autem conſcientiae, quorſum & illuſtris quaeſtio pertinet, an & quovsque conſcientiam erroneam quis ſequi debeat? dicetur ſuo loco, parte huius operis ſecunda.

§. IX.

Ad concluſionem denique ſi attendas, deprehendasque, actionem tuam legi eſſe conformem, conſcientia inde reſultabit *bona* vere talis, ſi in praemiſſis nullus admiſſus fuerit error. Sin deprehendas, repugnare legi actionem tuam, conſcientiam habebis *malam*. Et ita quidem generatim ſe habet conſcientia.

§. X.

Iam ſi diſpiciamus, quo pacto eadem ſe habeat ſecundum *naturam*, & quidem in irregenitis, ſummae deprauationis & hic deprehendemus veſtigia. Ipſa conſcientia erronea, probabilis, dubia, * humanae naturae

Digitized by Google

naturae iam demonſtrant imbecillitatem, cum, ſi labis ea eſſet expers, nec errores, nec dubia, locum haberent.

* Quod de conſcientia erronea diximus, id etiam de dubia eſt obſeruandum, eſſe nonnullos, qui & hanc conſcientiae nomine indignam iudicant. Conſcientiae enim, inquiunt, eſt, aliquid dictare, aut definire, quod de conſcientia dubia, iudicium ſuſpendente, dici nequit. At cum nos conſcientiae vocem in latiori ſignificatione accipiamus, vt omne hominis iudicium, ſiue verum, ſiue falſum, ſiue certum, ſiue incertum, hoc nomine veniat, patet, quod dubia quoque conſcientia, aeque ac erronea, recte conſcientiae nomine veniat. Interim id indicium eſt, conſcientiam erroneam, dubiam, ſcrupuloſam, rectiſſime inter humanae imbecillitatis documenta a nobis referri. Id quod & de probabili cenſendum, praeſertim falſa. Namque conſcientiam probabilem, vel probabiliter veram, vel probabiliter falſam eſſe poſſe, conſtat. Vnde intelligitur, quam incaute agant, qui probabilem conſcientiam generatim actionum normam & cynoſuram ſtatuunt, an & vera, & vere probabilis ſit, inſuper habentes. Facillime etiam hominem in probabilis ſententiae electione falli poſſe conſtat. Sed hac de re, parte ſecunda, plura dicemus, vbi Romanenſium quorundam de probabili conſcientia commenta explodemus. Interim conf. SAMVELIS RACHELII *diſſertatio, de probabiliſmo.*

§. XI.

Reperiuntur equidem & in regenitis eiusmodi quandoque conſcientiae defectus: ſed longe aliter ſe habent in irregenitis. In his enim non tantum vt plurimum cum aliis vitiis coniuncti ſunt, & aut ignauiam, aut malitiam voluntatis ſupponunt: ſed in iis quandoque rebus ſe exerunt, in quibus errare aut dubitare, ſine ſalutis periculo praeſentiſſimo, non licet.

§. XII.

Namque, quod ad ipſa principia attinet, haec per ſupinam negligentiam, aut ſummam malitiam, ab irregenitis interdum non tantum aut ignorantur, aut negantur, ſaltem tacite & implicite, ſed & ſi quodammodo admittantur, haud raro non recte intelliguntur, cum ſenſum legis carnalem, non ſpiritualem, habeant, vt Phariſaei, quos hoc nomine redarguit Seruator, *Matth. V, 20. ſeqq.*

§. XIII.

In factorum ſcientia per ſummam animi peruerſitatem ibidem ſubinde aberrant, ad defendenda, emollienda, excuſanda peſſima facinora proni ſunt, & hinc porro longe alia facie, praeſertim qua circumſtantias, quae, vt grauius leuiusque delictum reputetur, vel maxime in cenſum veniunt, ea ſibi repraeſentant.

§. XIV.

Ita ergo homines improbi, conſcientia, in grauiſſimis etiam peccatis, erronea, ſed errore affectato, adeoque exitiali, gaudentes, praecipiti curſu in perniciem ruunt. Subinde tamen erroris licet, qua principia, qua facta, conuicti, in peccatis tamen pergunt, *malam* atque

Digitized by Google

impuram, mordentemque conſcientiam hoc ipſo ſecum circumferentes. *Tit. I, 15. Ebr. X, 22.*

§. XV.

Praeterea cum homines ſibi relicti aut in ſtatu *ſecuritatis* viuant, aut in ſtatu *ſeruitutis*, diuerſimode naturae deprauatio quoad conſcientiam, ſeſe prodit. Qui enim in ſtatu ſecuritatis degunt, habent *conſcientiam laxam*, aut *dormientem*, hoc eſt, conſcientia illorum per peccata non multum mouetur, idque ideo, quod aut in errore verſantur & ignorantia, non credentes hoc vel illud peccatum eſſe, aut quia per ignauiam actiones ſuas non examinant, aut veritatem denique detinent in iniuſtitia, *Rom. I, 18.* Si per ſummam malitiam & proteruiam dictamen legum diuinarum contemnant & negligant, *cauteriſatam conſcientiam* habere dicuntur, *1 Tim. IV, 2.* * *ἀπηλγηκότες Epheſ. IV, 19. qui dedoluerunt, omnemque conſcientiae ſenſum abiecerunt*; in ſenſum ideo reprobum a Deo dati, *Rom I, 28.* *A cauteriſata conſcientia* nonnulli *ſtupefactam* diſtinguunt, quae in profunda principiorum ignorantia conſiſtit.

* Cauteriorum, vnde metaphora haec deducta, duplex vſus eſt, vt viri quidam eruditi obſervant. Primo enim, macula ſeu nota infamiae cauterio inuritur alicui, qui maleficii convictus, idque vel in fronte, vel in alia quadam corporis parte conſpicua: deinde etiam carcinomata, & vlcera venenata cauterio aduruntur, quae alias ſunt incurabilia. Atque ita κεκαυτηριασμένοι τὴν ἰδίαν συνείδησιν, *conſcientia cauteriati*, dicuntur, quorum animi, callo malitiae ita obducti, vt in rebus peſſimis nullos ſtimulos, nullas punctiones ſentiant, idque, quia contra conſcientiam agere ſueti ſunt. Namque vt cauterio in parte quadam corporis ſenſus doloris adimitur, ita conſuetudine peccandi contingere poteſt, vt conſcientiae reclamantis morſus aliquis non amplius curet & ſentiat. Id veriſſimum etiam eſt de Anti-Chriſti ſatellitibus, de quibus apoſtolus loquitur. Quod contra conſcientiam plerique Romanenſium, viuant, agant, doceant, tot teſtimonia veritatis, quae vis conſcientiae illis expreſſit, a noſtratibus collecta docent. Hoc non obſtante, in hoc inſtituto pergunt, conſcientiae tandem ſenſum amittentes, & reuera κεκαυτηριασμένοι τὴν συνείδησιν. Quod & de aliis, quorum ſimilis eſt conditio, intelligendum.

§. XVI.

Qui autem *in ſtatu ſeruitutis* conſtituti ſunt, ſentiunt ſubinde vim legis diuinae, ideoque habent *conſcientiam anguſtam*, ſed ſentiunt modo ſeruili, vt libenter ea perpetraturi eſſent, quae conſcientia mala eſſe dictitat, modo poenae metus non obſtaret. Hinc vt legis obligationem euitent, dubia varia & ſcrupulos circa eam mouent, non ex alio, ſi rem accurate expendas, fundamento, quam quia inuiti ad legis obſervantiam accedunt.

§. XVII.

Ex iſta conſcientiae, quoad naturam, conditione, maxima grauiſſimaque quoad conuerſionem & rem chriſtianam oriri impedimenta, per

per ſe patet. Praecipuum in *imaginaria* conſcientiae *tranquillitate* conſiſtit. Quia enim forte conſcientiae dormientis, & per errores aliaque ratione conſopitae morſus non ſentiunt, hinc concludunt, ſe bonam & tranquillam habere conſcientiam, atque adeo in ſtatu gratiae eſſe conſtitutos, & non indigere poenitentia. Hinc audacter eos illud Iobi vſurpare videas; *non reprehendet me cor meum* (conſcientia mea) *in omni vita mea, cap. XXVII, 6.*

§. XIIX.

Rurſus alii per nimiam *conſcientiae* falluntur *ſcrupuloſitatem.* Quod illis fere contingit, qui in ſtatu ſeruitutis ſunt conſtituti. Cum enim ſaepius conſcientiae angores & ſcrupulos ſentiant, hoc pro ſigno *conſcientiae tenerae* habent, indeque concludunt, cum circa vitam recte inſtituendam admodum ſint ſolliciti, certiſſimum hoc eſſe fidei ſignum. At cum ex ſeruili ſaltem metu haec omnia proficiſcantur, vellentque libenter, ſi hic non obſtaret, ſuis indulgere vitiis, iſta conſcientiae ſcrupuloſae ſpecie, ſeipſos decipiunt turpiter.

§. XIX.

Contingit etiam, vt homines in ſtatu ſecuritatis, ſaltem ſubtilioris, viuentes, aliquando hactenus conſcientiae rationem habeant, vt a grauioribus delictis atque peccatis ſibi temperent, quo ipſo in eam facile ingrediuntur opinionem, fidei hoc eſſe documentum, quod conſcientiam laedere nolint: cum tamen in alius generis peccatis, ſaltem leuioribus, conſcientiae monita ſtrenue contemnant. Interim, poenitentia & conuerſione ſibi opus non eſſe, inde concludunt.

§. XX.

Secundum gratiam itaque conſiderata conſcientia, primo quidem *pura* eſt, purificata per ſanguinem Chriſti, atque *bona*, hoc eſt, nullis peccatis proaereticis contaminata, idque non per errorem, ſed ſecundum rei veritatem, accurata ſui exploratione praemiſſa. *1 Tim. I, 5. 19. III, 9. 2 Tim. I, 3. 1 Petr. III, 16. 21. Ebr. IX, 14. X, 22. XIII, 18. Iob. XXVII, 6.* Etſi enim credentibus etiam, hominibusque ſanctis, cum variis colluctandum ſit infirmitatibus, ſciunt tamen, quod ὐδὲν κατάκριμα illis ſit, *qui in Ieſu Chriſto ſunt, qui non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulant, Rom. VIII, 1.* *

* Et hinc etiam patet, quod ſoli credentes & regeniti, *conſcientiam certam* habere queant: quippe ad quam requiritur non tantum, vt certo ſciam, actionem meam bonam eſſe, ſed eam etiam Deo placere. Per ſolam autem fidem Deo placemus, & ſine fide Deo nihil placet ac placere poteſt, *Ebr.* XI, 6. Adhaerentes autem fidei imbecillitates conſcientiam hominis regeniti incertam aut dubiam non reddunt, quandoquidem ſe horum condonationem per fidem in Chriſtum impetrare nouit. Et huc etiam refero illud apoſtoli,

Rom. XIV. *verſ. vlt.* πᾶν ὃ οὐκ ἐκ πίστεως, ἁμαρτία ἐστίν. *Quidquid non eſt ex fide, peccatum eſt.* Non equidem neſcio, CHRYSOSTOMVM, OECVMENIVM, AMBROSIVM, alioſque, vocabulum *fidei*, pro recto animi iudicio, ſeu pro *conſcientia recta* hic accipere, vt ſenſus ſit: quidquid fit conſcientia non adſtipulante, peccatum eſt. Quibus etiam HVGO GROTIVS, ad *h. l.* aliique recentiorum, ſuffragantur. Et verum ſane eſt, ſi quis aliquid agat, de quo dubitat, an hocce agere fas ſit, eum grauiſſime peccare, nec a mente apoſtoli id alienum. Quae ſententia tamen apoſtoli ſalua eſt, ſi etiam in eminentiori illa ſignificatione vocem *fidei*, capiamus, qua filialem erga Deum fiduciam merito Chriſti innixam, ſignificat. Primo namque certum eſt, quidquid ex hac fide non proficiſcitur, peccatum eſſe. Deinde, ſine iſta fide, nemo certam conſcientiam habere poteſt. Ea enim fide qui praeditus non eſt, aut per errorem ſibi perſuadebit, ſua opera placere Deo, quae tamen diſplicent, aut anceps & fluctuandus haerebit, an opera, quae tot imperfectiones comites habent, Deo placere queant. Contra qui vera fide, qua meritum Chriſti apprehendimus, praeditus eſt, ſcit ſe habere pacem cum Deo, *Rom.* V, 1. adeoque μετὰ καρδίας ἀληθινῆς ἐν πληροφορίᾳ πίστεως ad Deum accedit. *Ebr.* X, 22. Eum itaque in modum etiam dictum Pauli explicant AVGVSTINVS, *lib.* 4. *contra Iulianum cap.* 3. & *de gratia Chriſti cap.* 26. PROSPER *lib.* 3. *de vita contemplatiua, cap.* 1. & 5. aliique add. IO. ADAMVS OSIANDER *annotat. ad Hug. Grotii lib.* 2. *de iure belli & pacis, cap.* 23. *p.* 1233. *ſeqq.*

§. XXI.

Praeterea, licet intellectus regenitorum, ab infirmitatibus humanis, erroribus (ſed ad fundamentum fidei non ſpectantibus) & dubiis, non plane ſit immunis, in eo tamen omne ſtudium operamque collocant, vt magis magiſque cognoſcant, quae ſit voluntas Dei, bona illa, accepta, & perfecta, *Rom. XII, 2. Epheſ. V, 17. 1 Theſſal. IV, 3.* Quae infirma fidelium ſit conſcientia, hinc intelligitur, quam ne offendamus temere, ſed modeſte corrigamus, & in rectam reducamus viam, noſtri eſt officii, docente Paulo, *Rom. XIV, 15. 20. 1 Cor. VIII, 7. 13.*

§. XXII.

Tranquillitas quoque in regenitis deprehenditur *conſcientiae*, non imaginaria, aut illuſoria, ſed vera & realis, fundata in vera fide in Chriſtum, & in teſtimonio ſpiritus ſancti in cordibus illorum. *1 Ioan. III, 19. 20.* Qua in re ne vnquam fallantur, diligens & indefeſſa δοκιμασία ſui ipſius illis inſeruit. *Pſ. CXXXIX, 23. 24. 2 Cor. XIII, 5.*

§. XXIII.

Nec praetermittere licet παιδείαν, qua in regenitis conſcientia fungitur, admonens ſubinde & commonefaciens eos, ne quid temere admittant, quod contra officium ſit, neue ruant in deteriora. Id *antecedentis*, quam vocant, * conſcientiae officium eſſe, conſtat, cum *conſequentis* ſit, aut abſoluere aut condemnare hominem ob perpetrata. *Rom. II, 15.* Ita vero hoc munere apud regenitos fungitur, vt paediae huic lubentes obediant, ſeque a prauis abſtrahi patiantur. *Tit. II, 11. 12.*

* de qua ſupra, ad §. 7. dixi.

§. XXIV.

§. XXIV.

Gratiam & hic imitatur fallax natura, caute obſervanda. Pura bonaque conſcientia ſi dignoſci regenitos dixeris, prompti ſunt paratique & impii ad eiusmodi quid ſibi perſuadendum. Si enim peccata quaedam, grauiora praeſertim, fugiant, ſuffragante externa fidei profeſſione, nihil ſibi ad conſcientiam puram, bonamque, deeſſe putant. Errorem tamen mox deprehendes, ſi modo attendas, num de externis peccatis ſaltem ſis ſollicitus, an vero etiam de internis; num quaeuis peccata fugias, an certum peccati genus excipias: num ex ſpiritus filialis ductu hoc facias, an metu poenae, vel emolumenti cupiditate vel alia quacunque cauſſa naturali impulſus.

§. XXV.

In ſcripturae etiam, veritatumque diuinarum ſcrutinio, dum naturali ingenii bonitate, accedente praeſertim induſtria, magis nonnulli proficiunt, quam alii, hinc & ab erroribus variis dubiisque felicius ſe expediunt, facilius etiam in eam ſe induci patiuntur opinionem, conſcientia vbique ſe gaudere & vera & certa: cum ſubinde ſecus ſe res habeat, quod πνευματικὰ πνευματικῶς non diiudicent. *1 Cor. II, 14.*

§. XXVI.

De tranquillitate illuſoria conſcientiae, iam obſeruauimus, quod multi ea decipiantur. Qua in re naturae, gratiam imitantis, fallacia vel maxime conſpicitur. Quae eo eſt ſpecioſior, ſi poſt qualemcunque ſed hypocriticam explorationem, conſcientiae tamen ſeruare tranquillitatem, ſibi homo videatur.

§. XXVII.

Conuictionem & reluctantiam conſcientiae, quam homines impii ſubinde experiuntur, cui tamen non obediunt, ſed contemnunt eam potius, habentque inſuper, fruſtra nonnulli pro iſta paedia conſcientiae, quae in regenitis eſt, habent, inde, vt ex horum ſe numero eſſe, inferant. Quod fallacis naturae nouum eſt argumentum.

Digitized by Google

CAPITIS PRIMI
SECT. IV.
DE
DISCRIMINE NATVRAE ET GRATIAE QVOAD VOLVNTATEM VIRTVTESQVE MORALES.

Σύνοψις.

VOluntatis nomine quid intelligatur, §. I.
Quo pacto ab intellectu differat, §. II.
Errant, qui intellectui in capite, voluntati in corde ſedem aſſignant, §. III.
Quid cordis nomine in ſcriptura ſacra indicetur, §. IV.
Obiectum voluntatis, bonum aliquod aut malum eſt, §. V.
In bonis particularibus appetendis, magna hominum eſt diuerſitas, §. VI.
Bonum appetendum, aut malum auerſandum cognitum eſſe debet, §. VII.
Intellectus itaque praecedit voluntatem; a voluntate tamen rurſus certa ratione determinatur, §. VIII.
An & quouſque emendatio atque conuerſio hominis ab intellectu incipiat? §. IX.
Sufficiens & proportionata intellectus ad mouendam voluntatem requiritur cognitio, §. X.
Praecipua voluntatis proprietas eſt libertas: quo nomine quid intelligatur, §. XI.
Circa obiecta indifferentia voluntatem etiam indifferentem eſſe, §. XII.
Obiectum bonum non poteſt non appetere voluntas, & malum auerſari, §. XIII.
Quae voluntatis ratio, quoad bonum appetendum, fuerit in ſtatu integritatis, quae futura ſit in aeterna beatitudine, §. XIV.
quae poſt lapſum ſit, §. XV.
Omni ſcilicet libertate voluntas in ſpiritualibus deſtituitur. §. XVI.
Quod ſcripturae teſtimoniis comprabatur, §. XVII.
Quamdiu etiam in hoc ſtatu manet, nihil boni ab ea proficiſci poteſt, §. XVIII.
In externis tamen & ciuilibus, voluntas omnino gaudet libertate quadam, at imminuta, §. XIX.
Vnde & leges, praemia, & poenae ciuiles locum habent, §. XX.
Quo pacto libertatem in ſpiritualibus homo recuperet, & iterum amittat, §. XXI.
Libertati hominis non obſtat concurſus, aut praeſcientia diuina, §. XXII.
nec fatum aliquod, §. XXIII.
Imperium voluntatis, in quo conſiſtat, §. XXIV.
Extendit ſe ad intellectum, aliasque mentis facultates, §. XXV.
Item ad motus quosdam corporis, §. XXVI.
Per inclinationes voluntatis, moresque, quid intelligatur, §. XXVII.
Quinam mores boni, quinam mali, §. XXVIII.
Adfectus mentales, §. XXIX.
A ſenſualibus ſedulo discernendi, nec confundendi cum ſpiritualibus, §. XXX.
In voluntate ſecundum naturam conſiderata, deprehenditur philautia: quo nomine quid nobis veniat, §. XXXI.
Si pro innato omnibus ſe conſeruandi ſtudio, accipiatur, vitio caret, §. XXXII.
Quis amor ordinatus ſit, §. XXXIII.
Scilicet, cum Deus ſuper omnia amatur, §. XXXIV.
In gradibus amoris aeſtimandis, ad obiectum reſpiciendum; vnde dubium aliquod ſoluitur, §. XXXV.
Quaenam itaque philautia praua & inordinata ſit, hinc colligitur, §. XXXVI
Philautiam prauam, grauiſſimum eſſe voluntatis vitium, §. XXXVII.

Immo

Immo fontem & ſcaturiginem reliquorum vitiorum omnium, §. XXXVIII.
Quod ſcripturae etiam teſtimoniis comprobatur, §. XXXIX.
Propenſiones prauae, ex philautia praua oriundae, ad tria vitia cardinalia, ambitionem, auaritiam, voluptatis cupiditatem, reuocari poſſunt, §. XL.
Tria haecce vitia, cardinalia eſſe, probatur, §. XLI.
Idem aliis quoque rationibus euincitur, §. XLII.
itemque ſcripturae teſtimonio, §. XLIII.
Vitia haec ex philautia praua oriri, demonſtratur, §. XLIV.
Nec obſtat quod quaedam bona apparentia, corpus, quaedam mentem tantum afficere videantur, §. XLV.
Voluptatis cupiditas deſcribitur, §. XLVI.
Cur propenſio, & quidem infinita dicatur, §. XLVII.
Obiectum eius varium & multiplex, §. XLVIII.
In eo fruſtra animi quies quaeritur, §. XLIX.
Quo pacto voluptati deditus ſe gerat in iis, quae ad rectum de Numine ſenſum ſpectant, §. L.
in cultu Numinis, §. LI.
in officiis erga ſeipſum, §. LII.
in officiis erga alios, §. LIII.
in ſtatu coniugali, paterno, & reliquis, §. LIV.
Per ambitionem quid intelligamus, §. LV.
Cur animi propenſio, & quidem infinita dicatur, §. LVI.
Obiectum ambitionis, §. LVII.
ex ſcriptura ſacra declaratur, §. LVIII.
Fruſtra in eo animi quies quaeritur, §. LIX.
Quo pacto ambitioſus ſe gerat in iis, quae ad rectum de Numine ſenſum ſpectant, §. LX.
item in cultu Numinis, §. LXI.
in officiis erga ſeipſum, §. LXII.
in officiis erga alios, §. LXIII.
in ſtatu coniugali, paterno, reliquisque, §. LXIV.
Auaritiae deſcriptio, §. LXV.
Et eum infinitam ac inſatiabilem eſſe animi propenſionem, §. LXVI.
Obiectum auaritiae, §. LXVII.
Variae ſunt auaritiae ſpecies, §. LXVIII.
Animi quies in obiectis auaritiae fruſtra quaeritur, §. LXIX.
Quo pacto homo auarus ſe gerat in iis, quae ad rectum de Numine ſenſum ſpectant, §. LXX.
item in cultu Numinis, §. LXXI.
in officiis erga ſeipſum, §. LXXII.
in officiis erga alios, §. LXXIII.
in ſingulis ſtatibus, §. LXXIV.
Ex tribus iſtis vitiis vnum plerumque dominari, ex eorum autem coniunctione, magnam inclinationum varietatem oriri, §. LXXV.
Varietatis iſtius cauſſae plenius explicantur, §. LXXVI.
Alii, qui ex iſtorum vitiorum coniunctione exſurgunt, effectus, §. LXXVII.
Corruptionis, quae in voluntate conſpicitur, cauſſae: quas inter primum locum tenet peccatum originale, §. LXXVIII.
Accedunt, educatio, imitatio, conſuetudo, & aliae, §. LXXIX.
Concluditur ex dictis voluntatem ſecundum naturam ſpectatam referre imaginem diaboli, §. LXXX.
Plurima praeterea hinc oriuntur chriſtianiſmi & conuerſionis impedimenta: & generatim quidem ex philautia, ſumma cordis fallacia, §. LXXXI.
Impedimenta, quae ex voluptatis cupiditate oriuntur, §. LXXXII.
ex ambitione, §. LXXXIII.
ex auaritia, §. LXXXIV.
Per gratiam voluntas a Deo auerſa, iterum cum eo vnienda eſt, §. LXXXV.
Vnionis huius initium, & media, §. LXXXVI.
termini eius, ſeu quinam inter ſe vniuntur, §. LXXXVII.
modus, §. LXXXVIII.
effectus, §. LXXXIX.
Cum vnione iſta coniunctus eſt amor Dei, cuius comes perpetuus eſt abnegatio ſui, §. XC.
In quibus voluntatis emendatio ſummatim veluti continetur, §. XCI.
Abnegatio ſui in quo conſiſtat, §. XCII.
Per eam philautia praua deſtruitur, §. XCIII.
Vnde neceſſitas eius colligitur, quae & vlterius confirmatur, §. XCIV.
Quid abnegandum? §. XCV.
Fieri debet abnegatio ſui libere, §. XCVI.

Serio

Digitized by Google

Serio, §. XCVII.
Quaedam ita abneganda, vt eorum vſu & poſſeſſione nos abdicemus, in quibusdam abuſus ſaltem euitandus, §. XCVIII.
Conſtans quoque ſit abnegatio ſui, §. XCIX.
Vnde eam agnoſcere liceat? §. C.
Effectus abnegationis ſui praecipui ſunt humilitas, & patientia, §. CI.
Humilitatem ex abnegatione ſui oriri, probatur, §. CII.
In quo conſiſtat? §. CIII.
Quod alia ſit erga Deum, alia erga alios homines, ſed quod vtraque coniuncta eſſe debeat, §. CIV.
Sine humilitate nullam virtutem eſſe, §. CV.
Patientiam itidem ex abnegatione ſui fluere, probatur, §. CVI.
in quo conſiſtat? §. CVII.
Eam itidem reliquarum virtutum comitem eſſe perpetuum, §. CVIII.
Ad patientiam proxime accedunt, manſuetudo, longanimitas, ἀνεξικακία, §. CIX.
Amor Dei deſcribitur, §. CX.
Eſt gratiae cooperantis effectus, §. CXI.
Amandus eſt Deus, quia eſt ſummum bonum, §. CXII.
Aliae rationes cur amandus ſit? §. CXIII.
In eo ſolo vera animi quies inuenitur, §. CXIV.
Vnde agnoſcatur? §. CXV.
Eſt vel concupiſcentiae vel complacentiae, & hic vel amicitiae vel obedientiae, §. CXVI.
Fundamentum huius partitionis, §. CXVII.
Amor concupiſcentiae in quo conſiſtat? §. CXVIII.
item, amor complacentiae, §. CXIX.
Speciatim amor amicitiae, §. CXX.
Et denique amor obedientiae, §. CXXI.
Iſtae amoris ſpecies ſemper coniunctae ſint, neceſſe eſt, §. CXXII.
Amor concupiſcentiae, quo Deus amatur, vel purus eſt, vel impurus: hic in quo conſiſtat? §. CXXIII.
In quo ille conſiſtat? §. CXXIV.
Amor Dei cum abnegatione ſui reliquarum virtutum chriſtianarum mater eſt, §. CXXV.
Virtutis nomine, quid nobis veniat, §. CXXVI.
Vlterius hoc declaratur, §. CXXVII.
Norma virtutis voluntas Dei eſt, quae ſedulo exploranda, §. CXXVIII.
Proprietates virtutis chriſtianae, §. CXXIX.
Scilicet, diligentia, §. CXXX.
Obedientia, §. CXXXI.
Iuſtitia correctrix, §. CXXXII.
Simplicitas, §. CXXXIII.
Sinceritas, §. CXXXIV.
Has proprietates virtutis, ex amore Dei fluere, probatur, §. CXXXV.
Vnicam tantum eſſe virtutem, ex dictis colligitur, §. CXXXVI.
Pro diuerſitate tamen obiecti perſonalis, tres eſſe virtutes cardinales, pietatem, temperantiam, iuſtitiam, §. CXXXVII.
Pietatis nomine quid intelligamus? §. CXXXIIX.
item temperantiae, §. CXXXIX.
vt & iuſtitiae, §. CXL.
officia, quo pacto a virtutibus differant? §. CXLI.
Virtutes omnes inſeparabili vinculo eſſe connexas, §. CXLII.
Concluditur in voluntate, quoad gratiam conſiderata, reſplendeſcere reſtaurationem imaginis diuinae, §. CXLIII.
Fallacia naturae gratiam imitantis, & primo quidem quoad abnegationem ſui, §. CXLIV.
Quo pacto fallacia haec detegatur, §. CXLV.
Fallacia quoad humilitatem & patientiam, §. CXLVI.
Quo pacto detegatur, §. CXLVII.
Fallacia quoad amorem Numinis, §. CXLIIX.
Quo pacto detegatur, §. CXLIX.
Fallacia quoad pſeudo-virtutes, §. CL.
Quo pacto detegatur, §. CLI.
Fallacia quoad pſeudo-pietatem, §. CLII.
Quo pacto detegatur, §. CLIII.
Fallacia quoad pſeudo-temperantiam, §. CLIV.
Quo pacto detegatur, §. CLV.
Fallacia, quoad pſeudo-iuſtitiam, & pſeudo-charitatem, §. CLVI.
Quo pacto detegatur, §. CLVII.
Pſeudo-virtutum cauſſae & origo, §. CLIIX.

Digitized by Google

§. I.

Voluntatis nomine eam mentis facultatem * intelligimus, qua bonum appetimus, malum autem auerſamur. Eaque quod omnes homines, aeque ac intellectu praediti ſint, ipſa quemuis experientia docebit: ex qua etiam, ſi modo ad ſeipſum attendere velit, quam rectiſſime, quid appetere bonum, quid auerſari malum ſit, condiſcet.

* Vocem voluntatis, vel facultatem, vel habitum, vel actum volendi ſignificare, notum. Vt autem a nobis pro facultate accipitur, ita hosce conceptus male a BENEDICTO DE SPINOZA confundi, recte obſeruat IVSTVS CHRISTOPHORVS SCHOMERVS *theol. moral. cap.* 4. §. I. Spinoza nimirum quoties de voluntate loquitur, eam non niſi pro generali & abſtractiuo volendi actu, qui ab actuali quauis voluntate diſtinguatur, ad ſpecies ab indiuiduo, accipit, & accipiendam eſſe cenſet, quaſi nulla peculiaris in animo facultas detur, qua velle actu, & ad aliquid nos determinare, poſſumus. Immo voluntatem (pro facultate acceptam) *non niſi ens rationis eſſe, & nequaquam cauſſam huius & illius volitionis* dicendam, diſerte contendit. *epiſt.* 2. *ad Oldenburgium p.* 399. Quae quorſum tendant, ſcilicet vt omni ſublata libertate, totus mundus in aliquod automaton mathematicum, cuius partes mechanica quadam ratione operentur, commutetur, facile perſpicere licet. Recte autem addit SCHOMERVS: *quemadmodum muſculorum & neruorum in digitis ea vis & potentia eſt ante omnem mentis operationem, vt variis modis flecti poſſint, quae non demum naſcitur, cum actu flectuntur, alioquin ab aliis inertioribus membris ea in re nihil differrent, ita & animo ſuam vim ineſſe oportet, qua voluntatem actualem elicere poteſt, quam non poteſt ſtipes. Ea autem vis, quidquid tandem ſit, & vndecunque proueniat, aut adiuuetur, illud alterum principium eſt, quod in doctrina morali conſideramus, vnde voluntates actuales & habituales fluunt.*

§. II.

Facultatem mentis dum voluntatem diximus, manifeſtum, nos neutiquam illorum ſubſcribere ſententiae, qui animam ex intellectu & voluntate ceu partibus, vel omnino ſubſtantiis diuerſis compoſitam volunt; quippe quod naturae eius ſpirituali & ſimplici repugnat. Vnius namque eiusdemque animae, diuerſae ſunt, pro obiecti diuerſitate operationes, adeoque & δυνάμεις ac potentiae diuerſae, hinc & diverſae denominationes.

§. III.

Multo itaque minus, illorum adprobamus ſententiam, qui omnino ſedibus etiam diuerſis intellectum & voluntatem diſtinguunt, illi in capite, huic in corde domicilium aſſignantes. Licet enim nonnulli voluntatis motus in corde vel maxime ſentiantur, inde tamen eam in corde collocandam, non ſequitur. Nec video, quo pacto cum natura animae ſpirituali haec ſententia conſiſtere queat.

§. IV.

In ſcriptura ſacra equidem voluntas ſubinde *cordis* nomine venit. Etenim, vt alia taceam, cum *cor integrum*, id eſt, ſincerum, ſerium, non ſubdolum aut hypocriticum alicui tribuitur, voluntatem intelligi, res ipſa docet. conf. *1 Reg. XV, 14. 1 Paral. XII, 38. 2 Paral. XXIX, 31. Pſal.*

LXXVIII, 37. Vnde & pii in Pſalmis ſaepius vocantur, *recti corde. Pſ. VII, 11. XI, 2. XXXVI, 11. XCIV, 15.* Eandem tamen hoc fieri ob cauſſam, quod voluntatis ſcilicet motus in corde maxime ſentiantur, conſtat. Voluntatis ſedem in corde eſſe, inde colligi nequit: cum aliae etiam mentis facultates, aut iunctim, aut ſeparatim, ***cordis*** nomine quandoque veniant. * Cum autem in corde fons & ſcaturigo prauarum aut bonarum cogitationum, motuum, affectuum ponitur, totam quidem animam, praecipue tamen voluntatem intelligendam eſſe, contendimus. conf. *Gen. VI, 5. VIII, 21. Matth. VI, 21, XV, 19.*

* Lectu digna ſunt, quae de ſignificatione vocis *cor*, obſeruauit MATTHIAS FLACIVS Illyricus, in *claue, p. 178.* *Ebraei*, inquit, *totum regimen hominis cordi tribuunt, & omnino rationalem animam, in corde collocare videntur, certe perinde ac ſi ea ibi habitaret, cordi omnem vim intelligendi ſimul & eligendi, volendi & agendi, adſcribunt, ſicut etiam vetuſtiſſimi Graeci, praeſertim poëtae, faciunt. Contra philoſophi, animam rationalem, & ita etiam omnem vim intelligendi, volendi ac eligendi, in capite aut cerebro collocant, ſolosque affectus cordi relinquunt. Sin autem velles ſacras litteras, cum philoſophia in hac parte concordare, dicere poſſes, eas ideo tribuere notitias, intelligentiam & electionem cordi, quod in practicis notitiis & electionibus plurimi dominantur affectus aut motus cordis: agere autem ſacras litteras non de ſpeculatiuis, ſed de practicis notitiis, quas Deus vult vel maxime viuas, ardentes ac operoſas eſſe: alioqui eas docere, illas ſpeculatiuas notitias eſſe tantum hypocriſin quandam, & labialem cultum aut honorem. Vt vero declararetur haec ſumma coniunctio affectuum & practicarum notitiarum, adduci poſſet erudita diſputatio Ariſtotelis Ethic. 6 quod ſpeculatiuas quidem notitias (vt ſunt mathematicae) non corrumpant affectus aut habitus mali: at practicas, & prudentiam ipſam, totamque cogitationem gubernatricem, & conſultatricem vitae, prorſus euertant: & ſi quis ſemet prorſus dedat prauis voluptatibus aut cupiditatibus, is mox amittit pia praecepta de moribus, vt, quod propter Deum, ac veram pietatem omnes voluptates, opes ac commoda, atque adeo vita ipſa ſit negligenda. Oſtendit ſane quotidiana experientia, lapſibus & prauorum conſuetudine, mox excuti veras ſalutaresque notitias primae & ſecundae tabulae, atque adeo euangelii ipſius, aut etiamſi vtcunque manent, tamen eſſe otioſas & prorſus emortuas: quas ſcriptura, mortuam ſiue occidentem litteram, & mortuam fidem vocat, 2 Cor. III, 6. Iacob. II, 26. quas non aliter ſaepe hypocritae decantant ex ſuggeſtu, aut alioqui in colloquiis, quam pſittacus ſuum χαῖρε &c.*

§. V.

Obiectum, quod voluntatem mouet, afficitque, vt potentia haec ſeu facultas in actum erumpat, bonum aliquod aut malum eſt. * Illud namque voluntas appetit, hoc auerſatur. Vbi bonum aut malum non abſolutum, ſed relatiuum, intelligendum eſt, hoc eſt, quod nobis bonum vel malum ſit, vel videatur, & ad noſtram conſeruationem ac perfectionem, aut deſtructionem, quacunque ratione faciat, vel facere videatur. Verum enim, an apparens illud bonum ſit, perinde eſt, cum vtroque aeque moueatur voluntas. Vt malum quatenus malum eſt, voluntas appetat, aut bonum quatenus bonum, auerſetur, fieri nequit. Si malum appetat, aut bonum auerſetur, illud boni, hoc mali ſpeciem habeat neceſſe eſt.

* Volun-

* Voluntas itaque a quibuſdam dicta eſt facultas ἀγαθοειδὴς boniformis. vid. HENRICVS MORVS in *enchiridio ethico c. 2. §. 5.* Denominatio facta a potiori: cum hoc ipſo dum bonum appetit, non poteſt non auerſari malum. Ceterum regulam hancce, quod voluntas ſemper feratur in bonum, PLATO intellexit, de bono honeſto, atque inde concluſit, neminem ſponte malum eſſe, nec volentem quenquam labi niſi decipiatur, & ſic omne, quod turpiter fit, fieri ab inuitis. At quod homines ſemper bonum honeſtum ſequantur, eſt contra experientiam, vt recte pronuntiat SCHOMERVS, *theol. moral. cap. 4. §. 17. pag.* 117. Aut ergo errauit PLATO, ad ſolum bonum honeſtum hanc regulam reſtringendo, aut hoc ſibi voluit, ſi homines bonum honeſtum tanquam vnicum & verum bonum agnoſcerent, fieri aliter non poſſe, quam vt illud ament: & ita conditionate ſententia eius intelligenda eſſet. Quidquid huius ſit: generatim ſi bonum ſpectemus, abſtrahendo, num verum an falſum ſit, veriſſimum eſt, quod omnes homines bonum appetant, & malum auerſentur. Et ſic non neceſſe eſt, vt axioma illud vniuerſale, in praeceptum officii mutemus, quippe quod ſine reſtrictione ad bonum verum & honeſtum, admitti nequit.

§. VI.

Et hac quidem ratione apud omnes omnino homines ſe voluntas habet, vt generatim bonum appetat, malumue auerſetur. Sed ſi ad certa bonorum, malorumue genera deſcendas, maximam deprehendes varietatem, auerſante vno, quod adpetit alter. Cuius diuerſitatis ratio non tantum a diuerſa obiectorum repraeſentatione, ſed a propenſionum diuerſitate, quae voluntati per corporis conſtitutionem, conſuetudinem, aliasque cauſſas & naturales & morales inſunt, petenda.

§. VII.

Vt ad appetendum vel auerſandum aliquid, moueatur voluntas, neceſſe eſt, vt obiectum aliquod vel bonum vel malum, a facultate quadam cognoſcente exhibitum, ſentiat: tum enim aut ad iſtud obiectum fertur, ſi bonum fuerit, ſeque velut vnire cum illo cupit, quod *appetere* vocamus, aut illud fugit, ſeque velut retrahit, quod *auerſari* dicimus. Vnde in voluntate aeque ac intellectu & paſſionem & actionem quandam eſſe, eosque falli, exiſtimamus, qui intellectus & voluntatis diſcrimen in eo conſtituunt, quod illa facultas mere paſſiua ſit, haec actiua *

* Ita CARTESIVS, eiusque diſcipuli, LVDOVICVS DE LA FORGE *de mente humana, cap. 11. pag. 72. ſeqq.* ANTONIVS LE GRAND, *inſtitut. philoſ. part. 9. artic. 5.* MALEBRANCHE, *de inquir. verit. lib. 1. cap. 1.* & ex recentiſſimis EDVARDVS ANDALA, *in exercit. academ. in philoſophiam primam & naturalem, part. 1. exercitat. 9. §. 9. 10.*

§. VIII.

Appetere bonum cum voluntas & auerſari malum, niſi a facultate quadam cognoſcente, ſpeciatim ſi obiecta intelligibilia ſint, ab intellectu, bona iſta aut mala exhibita ſint, nequeat, res ipſa profecto, & experientia docet, quod intellectus praecedat voluntatem. Nec enim voluntas appetere aliquid aut auerſari poteſt, quod non cognitum vlla ratione menti aut perſpectum ſit, num bonum an malum ſit. Voluntas

tamen rurſus determinare intellectum poteſt, ad bonum aut malum accuratius adhuc cognoſcendum, immo ad illud ea ratione conſiderandum, qua id conſiderari vult voluntas, ad appetitum ſuum vel auerſationem ſuam aut conſeruandum aut augendum.

§. IX.

Perſpicere hinc licet, quod ab intellectu emendationis fieri debeat initium, ſi is ignorantia & errore adhuc laboret: quemadmodum & illud patet, ea intellectus vitia, quae a voluntate pendent, emendari quam rectiſſime poſſe, ſi & voluntas emendetur. Et id quidem ratio docet. In ſpiritualibus, ſeu conuerſione hominis peccatoris ad Deum, hactenus eadem ratione ſe res habet, quod rerum diuinarum, quarum ad ſalutem neceſſaria eſt cognitio, omnino ad eam praerequiratur, etſi in ipſo deinceps opere conuerſionis ſtricte ſic dictae; ad veritates diuinas accuratius conſiderandas, & ſalutariter cognoſcendas, vt & ad aſſenſum illis praebendum, intellectus a voluntate moueatur, & determinetur, vt hac ratione, & hoc reſpectu, initium eius fiat, a voluntate. *

* Ne in quaeſtione hacce, an hominis emendatio ab intellectu, num vero a voluntate incipiat, diſtinguenda confundamus, quo pacto tum in philoſophicis, tum in theologicis ac ſpiritualibus res ſe habeat, diſtinctim conſiderandum. De emendatione itaque illa qualicunque, qua ad rei ſummam parum proficitur, quam ratio docet, ſi ſermo ſit, certum eſt, quod cognitio rerum appetendarum ac fugiendarum, voluntatis emendationem praecedere debeat. Si enim homo neſciat, quae bona, quaeue mala ſint, quomodo aut bona appetet, aut mala fugiet? Quomodo itaque & voluntatem emendabit? cum emendatio illa in eo conſiſtat, vt bona ſectari, euitare mala, homo condiſcat. Atque illud eſt, quod iam docui *in element. philoſ. pract. part. 1. cap. 2. ſect. 1. §. 29. quod nihil adpetamus aut auerſemur, niſi idem vtcunque nobis cognitum atque perſpectum fuerit*; addita ratione: *ignoti enim nulla cupido.* Quando vero, *in element. philoſ. inſtrument. part. 1. cap. 4. §. 43.* ſcripſi, *emendationem mentis a voluntate inchoandam*, id non abſolute intelligendum, ſed de iis vitiis quae a voluntate in intellectum deriuantur, & in quibus hic ab illa dependet, vt ex proxime antecedentibus, in quibus de praeiudiciis ex praua voluntate ortis, ſermo fuit, luculenter patet: vt adeo, qui aliter haec acceperit, non ſatis ad ea, quae ibi dicta ſunt, attendiſſe, merito cenſeatur. Quod ſi vero ad ſpiritualia quaeſtio transferatur, tum itidem certum, quod earum rerum, quae ad ſalutem ſcitu ſunt neceſſaria, cognitione, inſtructus omnino eſſe debeat, qui ſe ad Deum vult conuertere. Si quis enim quid lex, quid peccatum ſit, quantopere peccatis offendatur Deus, quam nulla alia ratio ſit iram Numinis euitandi, quam ſi meritum Chriſti fide vera amplectamur, & quae reliqua ſunt, ignorauerit, quo pacto ad Deum is ſe rite conuertere aut poenitentiam agere queat, nulla ratione intelligi poteſt. Et ob hac quidem cognitione conuerſio incipit, ſi vocem conuerſionis late accipias, prout actus etiam paedagogicos complectitur. Namque ipſa conuerſio ſtricte ſic dicta in iſta cognitione nondum conſiſtit, cum ea praediti eſſe poſſint, qui tamen non ſunt conuerſi. Interim ad conuerſionem ſtricte ſic dictam, omnino praerequiritur, vti res ipſa docet. Quod ſi vero iſta cognitione praeditus homo ſit, & voluntas efficaciter moueatur, tum demum ſtricte ſic dicta conuerſio incipit, in qua, quo pacto a voluntate moueatur & determinetur intellectus, B. IOAN. MVSAEI potius, quam meis verbis exprimere malo: *a concurſu*, inquit, *Dei ſupernaturali habet eadem* (reuelatio) *quod intellectum ad aſſenſum credendo-*

credendorum & ſui, mouet. Et eo quidem eleuata, ſuperaddit intellectui quaſi lucem ad res fidei, iam apprehenſione ſimplici cognitas, iudicio iis conformi cognoſcendas. Quia tamen eas intellectus non in ſeipſis euidentes, ſed tantum in teſtimonio Dei, eoque ineuidenti cognoſcit, vt certum ſit eius iudicium & aſſenſus firmus, requiritur vt diuinitus eleuata reuelatio longius, & ad voluntatem quoque ſe porrigat, eamque ſimul afficiat, pulſet, & in conſenſum trahat atque adeo id efficiat, VT SVO IMPERIO VOLVNTAS INTELLECTVM AD ACTVM ASSENTIENDI, *absque vlla formidine oppoſiti eliciendum,* DETERMINET. *Motio haec voluntatis,* ita pergit laudatus auctor, *ad imperandum intellectui aſſenſum, a Deo reuelante, eiusque cum ſua reuelatione concurſu ſupernaturali profecta, eſt teſtimonium illud Dei, quod in ſemetipſis habent credentes, & quo ad credendum, quod Deus ipſe in ſcripturis, & per eas loquatur, inducuntur, 1 Io. V, 10. de quo paulo ante egimus pluribus. Chriſtus videtur eam verbo trahendi inſinuare, quando Ioh. VI, 44. dicit: nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum. Nam venire ad Chriſtum hoc loco eſt credere in eum, vt ex praecedente verſ. 35. intelligitur: trahere autem hominem ad credendum in Chriſtum, pertinet potiſſimum ad voluntatem, eſtque eius voluntatem mouere, vt intellectum ſuo imperio ad aſſenſum, credendis iam per reuelationem ei repraeſentatis, & ſimplici apprehenſione cognitis, praebendum, firmiter determinet. Paulus eandem per apertionem cordis, innuere videtur, cum Actor. XVI, 14. dicit, Deum aperuiſſe Lydiae purpurarum venditrici, cor, ad attendendum ea, quae dicerentur. Nam aperire cor ad attendendum, quoad rem eſt mouere, inducere cor, ſeu voluntatem, (quae in ſcripturis frequenter admodum cordis appellatione indigitatur) vt intellectum ad conſiderandum ea quae dicuntur, & ad aſſenſum iis praebendum, applicet & determinet.* Ita quidem MVSAEVS, *in tract. theol. de conuerſ. hom. peccat. ad Deum, diſp. 6. §. 74. 75. p. 385. 386.*

§. X.

Nec qualiscunque ſaltem, ſed ſufficiens & proportionata cognitio praecedere debet ad mouendam, adeoque & emendandam, voluntatem. Ratio ipſa hoc omnes docet, quod obiecti repraeſentatio, ſi aut recte ſe non habeat, aut non ſufficiens ſit & proportionata, in mentis facultatibus nihil efficiat, aut id non efficiat, quod efficere debebat, quod vel ſenſuum & appetitus ſenſitiui exemplo patet. Vnde ſi ad ſpiritualia haec transferantur, palam eſt, conuerti hominem rite non poſſe, adeoque nec ſaluari, niſi eorum omnium, quae ad fundamenta doctrinae chriſtianae pertinent, vera & ſufficienti notitia inſtructus ſit. Quod non ſatis ſecum perpendunt, qui voluntati omnia, intellectui nihil tribuentes, aut illam ſine intellectus opera fide inſtrui, virtutibusque imbui poſſe, perperam exiſtimantes, religionum quandam indifferentiam infelici conatu fingunt. *

* Multiplici ratione haec iſtorum hominum ſententia peccat, qui hoc modo religionum indifferentismum promouere cupiunt. Namque & erroneos de fide ſibi conceptus formant, ac ſi ad ſolam voluntatem ſpectet, cum tamen ſimul ad intellectum & voluntatem pertineat, ad illum quoad notitiam, & aſſenſum, ad hanc quoad fiduciam, immo fidem potius cum amore confundunt: & perperam etiam ſibi perſuadent, ac ſi fides, vt illi eam accipiunt, ſeu amor, vel vllus alius motus, ſine praeuia ſufficiente & proportionata cognitione, excitari in voluntate poſſit. Quae omnia cum partim rationi ipſi, partim & quidem diſerte ſcripturae ſacrae, & primis chriſtianae religionis elementis aduerſentur, vt iis prolixe refutandis immoremur, neceſſe non eſt, praeſertim cum haec ad alium quoque locum ſpectent.

 §. XI.

§. XI.

Praecipua voluntatis proprietas, qua ſi non actu ſemper gaudet, ſaltem gaudere debebat, libertas conſtitui ſolet, adeo vt iuxta quosdam ipſa eſſentia voluntatis in libertate conſiſtat. Libertatis autem nomine eiusmodi intelligimus indifferentiam ad oppoſita, qua omnibus ad agendum poſitis requiſitis, agere aliquis poteſt, vel non agere, hoc item vel alio modo agere. Qui vero libertatem per abſentiam impedimentorum externorum definiunt, diſcrimen quod inter ſponte agere, & libere agere, intercedit, non attendunt. *

* De natura libertatis non vna omnium eſt ſententia. In abſentia impedimentorum ab aliis ponitur, ab aliis indifferentia ad oppoſita. Priori ſententiae ſubſcribunt IO. CHRISTOPHORVS BECMANNVS, *in lin. doctrin. mor. cap.* 6. §. 5. ANTONIVS LE GRAND *inſtitut. phil. part.* 9. *artic.* 5. NICOLAVS GVRTLERVS *inſtitut. theolog. cap.* 9. §. 8. 9. ceterique reformatae eccleſiae doctores, poſteriori praeter theologos noſtrates, SAMVEL PVFENDORFIVS *in element. iurisprud. vniuerſ. lib.* 2. *obſeruat* 20. & alii quamplurimi. Nos ita incedimus. Eum qui per principium aliquod externum ad certum agendi modum determinatur, liberum non eſſe, fatentur omnes. In eo ergo conſenſus eſt, ad libertatem requiri externorum impedimentorum abſentiam. Rurſus tamen nec id negari poteſt, bruta libere non agere, etſi per externum principium ad vnum agendi modum non determinentur. Ad libertatem itaque amplius quid requiritur: ſcilicet indifferentia ad oppoſita, aut ſi mauis, vis quaedam ſeipſum ad certum agendi modum determinandi. Rurſus tamen & id manifeſtum, eos, qui ſeipſos ad certum agendi modum determinant, non carere libertate: qua proprie illi demum priuantur, qui a principio alieno, ſiue in eodem ſubiecto, ſiue extra illud exiſtente, ad certum agendi modum determinantur. Quae cum ita ſint, primo quidem notionem libertatis non eo vsque extendendam patet, vt immunitatem a principio determinante proprio denotet, cum voluntas etiam, cum ab interna rectitudine ad obediendum Deo, hic & nunc determinatur, rectiſſime libera dicatur. Sed tamen nec ad ſolam impedimentorum externorum abſentiam reſtringendam manifeſtum eſt, cum vel hominum brutorumque hoc doceat differentia. Et hinc etiam patet, quid reſpondendum ſit, quando obiiciunt, angelos hominesque beatos, non habere indifferentiam ad oppoſita, v. g. ad peccandum & non peccandum. Ad veram enim notionem libertatis hoc non requiritur. Liber enim is eſt, qui rectum intellectum ſequi, & pro eius iudicio ſe determinare poteſt, non vero liber eſt, qui illum vel non habet, vel ſequi nequit. Praeterea indifferentia ad peccandum, ideo ad notionem libertatis referri nequit, quia imperfectionis tantum eſt libertas, ad damnum contrahendum, ſeque ſua libertate exuendum, vt loquitur SCHOMERVS *theolog. moral. cap.* 4. §. 4. Ceterum IO. LOCKIVS, notionem libertatis in voluntatem plane non quadrare, contendit, quaeſtionemque, *an voluntas hominis libera ſit*, abſonam plane & ridiculam vocat. Immo eodem modo ſe iſtam quaeſtionem habere dicit, ac ſi quis quaerat: *num virtus quadrata ſit?* Nimirum per libertatem, facultatem quandam agendi, hoc eſt, cogitandi vel non cogitandi, mouendi ſe & non mouendi, cum electione vnius prae alio, coniunctam, intelligit. Eaque facultas ſeu potentia, cum agentium ſit, voluntati eam tribui non poſſe exiſtimat, quae & ipſa ſit facultas: niſi dicere velis, facultatis dari facultatem, quod ridiculum ſit. Ita omnes de voluntatis libertate controuerſias vnico velut ictu proſternere ſibi videtur: *de intellectu humano lib.* 2. *cap.* 21. *p.* 281. *ſeqq.* At id ſibi ſumit LOCKIVS, non temere illi concedendum a quibusuis, libertatem eſſe facultatem ſeu potentiam diſtinctam a voluntate. Eſt enim proprietas quaedam voluntatis, in eius operationibus conſpicienda. Putoque omnes intelligere homines, quid illud ſit, cum quaero: an voluntas pluribus propoſitis obiectis vnum poſſit eligere, alterum reſpuere?

cum

eum contra quaeſtionis, *an virtus quadrata ſit?* nullus ſenſus ſit. Et hinc reliqua diiudicari poſſunt. Sed dicendum hic quoque aliquid eſſet de GVILIELMO KING, qui nouam quandam rationem, libertatem voluntatis explicandi, ſibi inueniſſe viſus eſt. *de origine mali cap. 5. ſect. 1 ſubſect. 2 & 3. p. 130. ſeqq.* niſi ſententiam eius iam exploſiſſet IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS *in Manichaeiſmo ante Manichaeos, ſect. 3. §. 30. pag. 446 ſeqq.* Bene vero eſt, quod ipſe agnoſcat KINGIVS, receptam ſententiam (quae voluntati facultatem ſeipſam determinandi tribuit) *libertatem ſtabilire, & communi hominum ſenſui, & experientiae conuenire.* Quae vero ipſe in hac ſententia deſiderat, non magni ſunt momenti, & facile dilui poſſunt. *Voluntas*, inquit, *ſe determinare ſtatuitur, at quomodo id fieri poteſt, non dicitur, nec cui vſui inſeruiat eiuſmodi potentia, ſi admittatur. Immo videtur magis obeſſe, quam prodeſſe hominibus.* Enimuero, ideo neganda res ipſa non eſt, ſi modus operationis non conſtet. Hoc ipſe docuerat KINGIVS *ſupra pag.* 160. *Neganda*, inquit, *res non eſt, quia modus, quo fit, neſcitur: modus, quo ſolis radii oculorum neruos mouendo, conceptum lucis in animo efficiunt, penitus ignoratur: nec magis notum, quomodo ad conceptum mentis & voluntatis nutum, membra corporis agitarentur: nemo tamen haec negat, quia modus, quo fiunt, latet.* Hoc ergo & ſibi hic dictum putet. Miror vero, quod *vſum huius facultatis*, ſibi commonſtrari cupiat, quaſi hicce vſus non ſit maximus, quod vel ipſo fatente auctore, libertatem haec ſententia ſtabiliat. Quem vſum longe maximum eſſe, facile agnoſcent omnes, qui ſecum expendent, quaenam ſequantur, ſi libertas omnis homini eripiatur. Sed mitto reliqua, de quibus luculenter WOLFIVS *l. c.* Id saltem adhuc addo, cum variae ſint *libertatis* ſpecies, quarum praecipuae ſunt *libertas a neceſſitate, & libertas a lege*, non de hac, ſed de illa nobis ſermonem eſſe. Libertatem enim ab omni lege, etiam diuina, cum natura hominis non conuenire, ſuo loco a nobis probabitur.

§. XII.

De libertate itaque voluntatis cum quaeritur, is quaeſtionis ſenſus eſt, an pluribus obiectis propoſitis, voluntas vnum eligere, reſpuere alterum poſſit, nec naturae quadam neceſſitate ad vnum eligendum, alterum reſpuendum feratur. Vbi quidem id dubio, vt puto, caret, ſi obiectum ſit indifferens, & nec boni nec mali rationem habeat, voluntatem quoque manere indifferentem, nec ad vnum prae alio aut eligendum, aut reſpuendum, ferri.

§. XIII.

Quod ſi obiectum aliquod aut bonum aut malum ſit, & reuera ita a mente cognoſcatur ſentiaturue, voluntas bonum quidem non poteſt non appetere, & malum non poteſt non auerſari: porro ſi plura occurrant bona, quorum vnum vehementius afficiat voluntatem, quam alterum, dubium non eſt, quin miſſo hoc, voluntas in illud feratur: quod identidem etiam de malis eſt intelligendum, ſi plura concurrant, quorum alterum vehementius altero, voluntatem percellat. Interim tamen, ſi intellectus oſtenderit bonum aliquod, quod voluntas appetit, reuera non eſſe bonum, & vice verſa, poteſt voluntas ſe vtcunque determinare ad ea agenda, quae ad amorem

iſtum

iſtum imminuendum aut augendum, licet pro diuerſitate circumſtantiarum vario cum ſucceſſu, pertinent. Cumprimis autem ſtatuum diuerſorum, in quibus homines conſtituti ſunt, habenda eſt ratio.

§. XIV.

In ſtatu integritatis, cum nihil adeſſet, quod hominem impediret, quo minus Deum vt ſummum bonum cognoſceret & amplecteretur, non poterat non eundem amare ſuper omnia: quemadmodum & eadem in vita aeterna futura eſt hominis felicitas: quam ſi quis hoc nomine non ſatis perfectam credat, quaenam vera felicitas ſit, neſcire videtur. Libertas interim hominis in vtroque ſtatu ſumma & adfuit, & futura eſt, cum nihil aut fuerit, aut futurum ſit, quod eam aut imminuerit, aut imminuere poſſit, cauſſaque nulla extiterit, cur aliter voluntas ſe determinare debuerit, aut futura ſit, cur ſe aliter determinare debeat.

§. XV.

Poſtquam vero per triſtem primorum parentum lapſum, homo a Deo ad ſe ipſum conuerſus eſt, ſeque & ea omnia, quae ſuis cupiditatibus maxime inſeruiunt, pro ſummo bono habet, ea quoque non poteſt non amare & affectu intenſiſſimo proſequi. Cumque cauſſae diuerſae ſint, vt ſupra iam dictum, cur ex plurimis obiectis vnum homini magis placeat, quam alterum, prout ſcilicet ad iucunda magis, aut decora, aut vtilia fertur, ſuam in his beatitatem quaerens, quamdiu quod placuit, bonum illi videtur, illud quoque non amare nequit. Et quamdiu in eo ſtatu homo verſatur, libertate omni caret, fruſtraque illi dixeris: Deum ſupra omnia amandum. Quod enim pro ſummo bono habet & amat, neceſſario amat. Prout vero amor iſte comparatus eſt, ita & cogitationes, affectus, actiones internae, externae, niſi obſtaculum aliquod aut impedimentum accedat, ſe habent.

§. XVI.

Si intellectus etiam, rectiora edoctus, vel maxime intelligat, non verum, ſed apparens, nedum ſummum bonum eſſe, quod amatur, & media etiam proponat, per quae voluntas ab inordinato iſto amore liberari queat, (quamuis media ad hoc ſufficientia ſola ſcriptura ſuppeditat) ſubinde tamen parum proficit, voluntate etiam ad media iſta legitime vſurpanda nimis exiſtente languida, & a vero ſummoque bono abhorrente. Inclinationes enim ſuas propenſionesque

neſque ad certum bonorum genus, ſiue a corporis conſtitutione, ſiue aliunde ortas, ſubinde potius ſequitur voluntas, quam intellectus repraeſentationem. Vnde omni prorſus libertate in ſpiritualibus deſtitutum hominem, quamdiu nondum conuerſus eſt, intelligitur.

§. XVII.

Atque idem ſcriptura ſacra confirmat, quae hominem nondum conuerſum *ſeruum peccati* eſſe docet, *Rom. VI, 16. mortuum in peccatis, Epheſ. II, 1. Coloſſ. II, 13.* quiue adeo ſolis naturae viribus nihil aut velle, aut operari, poſſit. Vnde & Chriſtus ſeruator dicit: *ſine me nihil poteſtatis agere, Ioan. XV, 5.* Qui & alibi profitetur: *ſi filius vos liberauerit, vere liberi eſtis, Ioan. VIII, 36.* Ex hoc enim libertatis defectu prouenit, quod homo ſeipſum conuertere nequeat, voluntate per ſui ipſius & rerum creatarum amorem a Deo auerſa, donec per eius gratiam iterum ad eum conuertatur. Deus enim eſt, qui *in nobis operatur & velle & perficere, Phil. II, 13.* qui *cor hominum aperit, Actor. XVI, 15. lapideum cor remouet, Ezech. XI, 19. XXXVI, 26. cor nouum in nobis creat, Pſ. LI, 12. reſipiſcentiam dat & agnitionem veritatis, 2 Tim. II, 25.* Ideoque & conuerti homo, non ſeipſum conuertere dicitur, *Pſ. LXXX, 4. 8. 20. Ierem. XXXI, 18.* alibique, aut quando ſeipſum conuertere iubetur, ſenſus eſt, quod diuinae operationi non debeat reſiſtere. conf. *Ezech. XVIII, 31. Ierem. IV, 4.* Qui vero conuerſi ſunt, *liberati ſunt a peccato, ſerui facti iuſtitiae, Rom. VI, 20.*

§. XVIII.

Quemadmodum autem homo ſibi relictus, ſolis naturae viribus ſeipſum conuertere nequit, ita & quamdiu conuerſus non eſt, nihil boni in ſpiritualibus edere poteſt. Peruerſo enim iſto amore ſui, rerumque creatarum, ſemper ad praua cupienda, cogitanda, agenda, niſi impedimento quodam retineatur, abripitur. *Omne* enim *figmentum cogitationum cordis humani tantum malum, Geneſ. VI, 5.* Ex venenato cordis fonte mala tantum ſcaturiunt, *Matth. XV, 19.* Malae arboris boni fructus eſſe nequeunt, *Matth. VII, 18.* add. *Rom. VI, 18. Epheſ. II, 3.*

§. XIX.

Quae de ſpiritualibus diximus, ea ad externa & ciuilia, minime ſunt extendenda. In hiſce quin libertatem, ſed imminutam tamen, homo habeat, dubitari nequit. * Licet enim in bona apparentia, & praeſertim, quae eius propenſioni maxime conuenientia ſunt, ita feratur homo naturalis ſibique relictus, vt ea non amare nequeat, ſi

tamen in certo bonorum apparentium genere amor iſte eousque excedat, vt in peccata externa erupturus ſit, in hominis poſitum eſt poteſtate, aut aliorum bonorum, licet apparentium, aut malorum etiam, quae externa peccata conſequuntur, repraeſentatione, appetitum ſuum ita coercere, ne in eiusmodi peccata externa erumpat. Immo poteſt voluntas, ſi intellectus damna ex inordinato amore in hominem redundatura repraeſentauerit, ſeipſum determinare ad media quaedam vſurpanda, quibus amoris iſtius vis imminuatur, quanquam vera & genuina media nullibi, niſi in ſcriptura ſacra, inueniat. Cuius quidem libertatis varii omnino dantur gradus, prout per educationem, conſuetudinem, aliasque cauſſas aut propenſio iſta ad certum bonorum genus confirmata & radicata, aut contra facultas mentem velut in aequilibrio, quoad actus ſaltem externos, immo & interdum internos, continendi aucta & corroborata fuit.

* In libertate voluntatis recte explicanda duo euitanda ſunt extrema: alterum illorum eſt, qui libertatem hominis nimis extendunt, in ſpiritualibus etiam homini gratiae viribus deſtituto, aliquam concedentes libertatem, id quod faciunt PELAGIANI, & qui illorum veſtigia premunt: alterum illorum, qui omnem plane libertatem homini eripiunt, illum in machinam quandam ſeu automaton commutantes, cuius motus, omnes & actiones mechanica quadam neceſſitate ex certis cauſſis fluant. Atque hoc magno conatu SPINOZA egit, cuius ethica inter alia eo quoque tendit, vt omnem hominis euertat libertatem. Non enim conſiderandum hominem cenſet, vt qui imperium in imperio naturae exerceat, ſed qui in omni etiam cogitationum geneſi, & voluntatis motu, tanquam pars naturae, eius communem ordinem ſequatur, in quo ſemper vnum determinetur ab altero in infinitum, ſecundum modos quibus corpus afficitur. Hinc *part. 1. ethic. propoſ.* 32. docet: *Voluntas non poteſt vocari cauſſa libera, ſed tantum neceſſaria.* Quod ita demonſtrare annititur: *Voluntas, certus tantum cogitandi modus eſt, ſicut intellectus. adeoque (per propoſ. 28.) vnaquaeque volitio non poteſt exiſtere, neque ad operandum determinari, niſi ab alia cauſſa determinetur, & haec rurſus ab alia, & ſic porro in infinitum.* Similia habet *part. 2. propoſ. 9.* item *propoſ. 48. & ſqq.* Fundamentum impiarum iſtarum & abſurdarum hypotheſium, ad illud de ſuccedente ſibi in infinitum, rerum connexione ac dependentia, poſtulatum, tandem redit, quod *part. 1. defin. 2. & propoſ. 21. & 28.* inde probat, quia omne finitum, finitur per aliud eiusdem naturae, adeoque non ex abſoluta natura alicuius attributi fluit, quae aeterna & infinita eſt, ſed quatenus illud aliquo modo affectum eſt. Satis quidem inepte, vt recte pronuntiat B. SCHOMERVS, qui exemplo futilitatem iſtius pſeudo-demonſtrationis aperte oſtendit. *Quae ſubtilitas,* inquit, *ſi in exemplo fiat clarior, eadem eſt, ac ſi diceres: voluntatem v. g. cibi capiendi voluntatem determinatam eſſe, propterea, quia non eſt v. g. voluntas lapidis proiiciendi, ideoque non fluere illam cibi capiendi voluntatem ex abſoluta ſeu vniuerſali & abſtracta natura cogitationis, ſed a voluntate aliqua determinata alia, nempe voluntate proiiciendi lapidis. & ſic in infinitum.* Hinc recte addit: *ita cothurnata haec geometricae demonſtrationis ſapientia in pueriles reſoluitur ineptias, quibus determinatio rei interna cum externa, & haec cum cauſalitate cauſſae efficientis miſere confunditur.* Nec rectius ſe habet altera SPINOZAE hypotheſis, *part. 2. propoſ* 7. ordinem ac connexionem idearum eandem eſſe, ac ordinem & connexionem rerum, *idque ideo, quia cognitio effectus pendeat a cognitione cauſſae,* quod ab eodem auctore *l. c.* demonſtratur. Sed SPINOZAM vna cum HOBBESIO, easdem cum illo tibias inflante, refutauit etiam CLARCKIVS *in orationibus de demonſtratione exiſtentiae & attributorum Dei, prop. 9.* Iungendus his vir cetera doctiſſimus

ctiſſimus

ctiſſimus PETRVS BAELIVS, qui paſſim de hominis ita philoſophatur libertate, vt eam penitus euertere videatur. Huc ſane tendunt principia quaedam, quorum haud obſcure in ſe ſuſcepit patrocinium. Alterum eorum eſt, quod Deus actiones cauſſae liberae praeuidere non potuerit: alterum, quod actiones omnes ipſi Deo adſcribendae ſint, iuxta ſyſtema, quod vocant, cauſſarum occaſionalium, recentioribus quibusdam philoſophis adprobatum. Per vtrumque ſane, libertas hominis labefactatur. Ex priori enim ſequitur, hominem iam antea ad agendum a Deo fuiſſe determinatum, vt, quid acturus eſſet, praeuidere potuerit. Ex poſteriori autem ſequitur, hominem nihil agere, aut agere poſſe, cum homo qua animam pariter ac corpus occaſionem tantum praebeat Deo, potentiam ſuam in homine exercendi, atque per hunc ceu inſtrumentum quoddam operandi. In ea enim, qui ſyſtema cauſſarum occaſionalium defendunt, verſantur opinione, ob arctiſſimam animae corporisque vnionem, Deum ad certorum motuum praeſentiam in anima certas formare ideas, & rurſus ad praeſentiam certorum actuum voluntatis, certos in corpore motus producere. Quae profecto ita comparata eſt ſententia, vt homini nihil omnino, quod agat, relinquat, & plurima quoque incommoda ad ſummam impietatem ducentia, poſt ſe trahat. BAELIO haec, quae indicauimus, recte tribui principia, etſi ſententiam ſuam ex aliorum mente ſubinde diſputando, callide regat, euincit vir clariſſimus, IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS in *Manichaeiſmo ante Manichaeos, ſect.* 3. §. 21. *pag.* 413. qui & in hacce ſententia confutanda ſtudium operamque ſuam haud inutiliter collocauit. conf. §. 22. *p.* 415. *ſeqq.*

§. XX.

Qua libertate poſita, poenae etiam & praemia ciuilia locum habent. Iniuſtum enim ceteroquin foret, punire hominem, niſi in eius poſitum fuiſſet poteſtate, a delictis iſtis grauioribus ſibi temperare. Immo leges quoque fruſtra hominibus praeſcriberentur, ſi in illorum non eſſet poſitum poteſtate, ſuos ad illas componere mores, & a vetitis ſe abſtinere. * Ex quo id etiam conſequitur, legum ciuilium, & quae iis innituntur, poenarum, hanc vim eſſe & efficaciam, in officio vt contineantur homines: emendari inde, niſi per accidens, nequeunt. Nec enim emendatio vera ſperanda, quamdiu homines apparentia bona, pro ſummo bono habent, iisque ſe abripi ad peruerſa quaeuis patiuntur.

* Quod libertate tali, quam explicauimus, in naturalibus, ſeu moralibus & ciuilibus, prout haec ſpiritualibus opponuntur, voluntas gaudeat, variis comprobari rationibus poteſt. ipſa hoc teſtatur ſcriptura ſacra, cum conſilii ſui hominem habere poteſtatem dicit, 2 *Sam. XXIV,* 12. *Actor. V,* 4. 1 *Cor. VII,* 37. ipſaque hoc omnes experientia docet, cum homines, qui aliquid agunt, deliberationes inſtituunt, & ex pluribus obiectis aliquid eligunt. Praeterea, ſi quid eſſet extra voluntatem in nobis, vnde illa determinaretur, vel motus corporis eſſet, quod vult SPINOZA, vel iudicium intellectus, quod ſcholaſtici quidam contendunt cum SOCRATE & PLATONE: at vtrumque perperam dici, neruoſe oſtendit SCHOMERVS *theol moral. cap.* 4. §. 7. *p.* 103. Ad haec accedit argumentum, a poenis & praemiis deſumptum, quo ad libertatem voluntati aſſerendam, vſi ſunt patres, IVSTINVS martyr. *apol.* 1. *pro chriſtianis pag.* 89. & *apol.* 2. *p.* 117. CLEMENS ALEXANDRINVS *lib.* 1. *Strom. pag.* 5. aliique. Perperam autem inde colligit PETRVS CHAVVINVS, ac ſi homo irregenitus in ſpiritualibus etiam libertate quadam gaudeat, *lib.* 2 *de relig. natur. cap.* 3. Non enim ea mens veterum eccleſiae doctorum: neque ex hocce argumento illud fluit. Vt poenae & praemia ciuilia locum habeant, ſufficit libertas quoad externa, ſeu quod homo externas ſuas actiones ad leges componere poſſit. Quod ad diuina & ſpiritualia attinet, cuncta illi peccata in foro diuino recte imputantur, etiamſi libertate

 deſtituatur.

deſtituatur. Per lapſum enim primorum parentum, poſteris eorum omnibus iure meritoque imputatum, homines ipſi in culpa ſunt, vt in hocce ſtatu ſeruitutis verſentur, & per naturae ſuae corruptae conditionem non peccare nequeant. conf. quae hac de re dixi in *animaduerſionibus in Petri Chauuini librum de religione naturali, cap. 2. §. 18.*

§. XXI.

Ad Deum itaque dum conuertitur homo, apparentium bonorum peruerſus & inordinatus amor magis magisque imminuitur, & ita *ſeruitus peccati* pro vitae huius conditione tollitur, homoque libertati reſtituitur; * qua rurſus excidit, ſi, quod fieri poteſt, rerum mundanarum deliciis ineſcatus, eas loco Dei, pro ſummo bono amplectatur & amet. Si quis enim mundum amat, in eo non eſt amor patris, *1 Ioan. II, 15.*

* Non male nonnulli cum BERNHARDO triplicem *libertatem* ſtatuunt: aliam *a neceſſitate*, aliam *a ſeruitute peccati*, aliam *a miſeria*. Haec enim ſi recte intelligantur, hactenus dictis lucem affundere poſſunt. Libertatem a neceſſitate, habet homo etiam poſt lapſum. Libertatem a ſeruitute peccati, habuit ante lapſum, & eam recuperat poſt conuerſionem. Libertatem a miſeria obtinebunt demum fideles poſt hanc vitam. Sed referre libet ipſa BERNHARDI verba: *triplex*, inquit, *nobis eſt propoſita libertas: a peccato, a miſeria, a neceſſitate. Hanc vltimo loco poſitam, contulit nobis in conditione natura. In primam reſtauramur a gratia. Media nobis reſeruatur in patria. Dicatur ergo prima, libertas naturae, ſecunda gratiae, tertia gloriae, de gratia & lib. arbitr. cap. 3.* Eandem diſtinctionem dum refert HENRICVS A S. IGNATIO, homo Romanenſi eccleſiae addictus, ſed ſatis ingenuus, admodum conqueritur de peruerſa iſta moraliſtarum recentiorum agendi ratione, qua libertatem ſaltem a neceſſitate defendant, *explosa libertate a ſeruitute peccati,* (in quantum ea hominibus regenitis competit.) Haec ſcilicet eſt libertas, quam homines huius ſeculi non intelligunt, & parum curant. *Neſcio*, inquit, *cur tanta cum animoſitate nouiores explodant omnem aliam, quam indifferentiae libertatem, tanta etiam contentione Theophilus Raynaudus, Annatus, Antonius Richardus poſt Molinam perſuadere conentur, veram proprieque dictam libertatem neceſſitati in vniuerſum, opponi, non ſeruituti, ideoque libertatem ſeruituti oppoſitam, non veram, ſed metaphoricam & improprie dictam libertatem eſſe, ſolum e ſuggeſtu ſuadendam, non in ſcholis & e cathedra tradendam, vtpote non philoſophicam, nec principiis Ariſtotelicis innixam.* Nimirum, qui indolem peccati, intimamque naturae humanae corruptionem non intelligunt, aut cum PELAGIO eleuant, eos mirum non eſt, liberationem ab hac ſeruitute non magni facere. Interim recte addit antea laudatus auctor: *quaſi vero plura de natura libertatis Ariſtoteles, lumine naturae aſſecutus fuerit, quam apoſtolus Paulus, &c. Quaſi non ipſe, (quod amplius eſt) Chriſtus Ioan. VIII. dicat. ſi vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis; in ethica amoris, ſeu theologia ſanctorum Auguſtini & Thomae Aquinatis, part. 2. lib. 2. cap. 1 p 189.*

§. XXII.

Extra hominem nihil eſt, quod eum libertate ſua ita priuet, vt neceſſitate quadam impoſita, ad bene vel male agendum, adigat. Qui enim cum Numinis aut concurſu, aut praeſcientia, libertatem hominis conſiſtere non poſſe exiſtimant, & in Deum & in homines iniurii ſunt, nec aut concurſus diuini, aut praeſcientiae rationem intelligere videntur. Concurrit enim Deus cum hominibus aliquid agentibus, ſed modo naturae humanae conuenienti. Praeſcientia autem, quod rebus

rebus praeſcitis inferat neceſſitatem, nec ratione, nec exemplo comprobari poteſt, & praeſcientiae indoli repugnat, conf. *Eſ. XLVIII, 8. Deut. XXXI, 20.* *

* Prolixas, quae de concurſu Dei, & praeſcientia eius, num hominum tollatur per eam libertas, inſtituuntur, diſputationes, nunc attingere nolo, quamuis non deeſſent, quae hac de re dici poſſent. Erit alibi de hisce ex inſtituto agendi locus. Quo pacto autem electiones prauae hominum, ex liberi arbitrii abuſu profluentes, cum bonitate & potentia Numinis conſiſtere queant, operoſe explicat GVILIELMVS KING, *de orig. mali, cap. 5. ſect. 5. p. 198. ſeqq.* Digna ſunt, quae legantur, ſed & expendantur, ac rite diiudicentur.

§. XXIII.

Fato praeterea cuidam, qui hominum libertatem ſubiiciunt, ſiue ſidereum, ſiue Stoicum ſit, quid dicant, neſciunt, & aſſerunt, quae probare nequeunt, quaeue & rationi & experientiae repugnant. Aſtrologicae enim artis, praeſertim ſi eo vsque progrediatur, plurimi iam ſatis exploſerunt vanitatem. * Stoicum autem fatum, vel hoc nomine, quod, quid ſit, ab ipſis Stoicis explicari non potuerit, & cum hominis libertate Numinis prouidentiam tollat, iampridem proſcriptum eſt a ſapientioribus. **

* Legendi hac de re HIERONYMVS SAVANAROLA, *aduerſus aſtrologiam diuinatricem,* IO. SARISBERIENSIS, *lib. 2. Polycrat. cap. 19.* IO. PICVS MIRANDVLANVS, *libris 12. aduerſus aſtrologos,* BENEDICTVS PERERIVS, *lib. 2. commentar. in Geneſin.* PAVLVS MERVLA, *lib. 2. cosmograph. generalis cap. 16.* GERARDVS IOANNES VOSSIVS, *theolog. gentil. lib. 2. cap. 48.* DANIEL BARTOLI, *in operibus moralibus, part. 3. lib. 2. cap. 10* GISBERTVS VOETIVS, *diſſertat. de prophetia,* aliique, add. *diſſertatio* noſtra *de cultura ingenii, cap. 1. §. 17. ſeqq.*

** Fruſtra quidem annitente, omnemque mouente lapidem, IVSTO LIPSIO, vt fatum Stoicum defendat, & per illud ipſam prouidentiam diuinam eos intellexiſſe euincat, *phyſiolog Stoicor. lib. 1 diſſertat.* 11. Malignitatem fati Stoici ex inſtituto demonſtrat IACOBVS THOMASIVS, *de exuſtione mundi Stoica, diſſertat. 13. pag. 156. ſeqq.* add. quae dixi *diſſert. 2. de erroribus Stoicorum in philoſ. morali* §. 10. & *diſſert.* 3. §. 4.

§. XXIV.

De libertate voluntatis cum ex dictis conſtet, nunc & de imperio, quod illi tribuitur, aliquid monendum. Eo vero nomine nihil aliud intelligimus, quam eiusmodi voluntatis poteſtatem, qua mentis facultates reliquas in vſum ſuum intendere, & motus quosdam corporis pro lubitu excitare ac determinare poteſt. *

* Improprie itaque dictum eſt imperium, quod voluntati tribuitur. Scholaſtici multas hic ſibi ſine neceſſitate ambages disponunt. Sufficit ſcire, quod experientia omnes docet, intellectum voluntatis quandoque nutum ſequi, itemque motus quosdam corporeos, idque ita ſapientiſſime a Deo eſſe diſpoſitum, cum ad hominis conſeruationem hoc neceſſe ſit, nec plus tamen requiratur. Legendus hac de re ex recentioribus philoſophis PHILARETVS, vel quisquis ſub hocce nomine latitat, *ethic. lib. 1. cap. 3. §. 8. p. 40. ſeqq.*

§. XXV.

In intellectum voluntati imperium aliquod competere, iam ſupra obſeruauimus. Neque hoc ita capiendum, ac ſi voluntas efficere queat,

vt, quod intellectus ita intelligit, hoc ad eius nutum aliter intelligat: vel vt intellectus, quod verum iudicat, falſum iudicare queat, ſi homini ita viſum fuerit. Perinde enim hoc eſſet, ac ſi quis exiſtimaret, perceptionem colorum, quae fit oculis, itidem ad lubitum voluntatis mutari poſſe. Quidquid intellectus verum eſſe intelligit, id non poteſt non vt verum cognoſcere, ſiue id velit, ſiue nolit voluntas. Voluntati hoc ſaltem relictum, intellectum vt determinet, ad rem quandam accuratius aut ſegnius, hoc aut illo modo, conſiderandam: indeque contingere poteſt, vt ad voluntatis lubitum, non vt decebat, intellectus rem conſiderando, eam non recte intelligat, ſed decipiatur, inducaturue in errorem. Et hinc quodnam etiam in facultatem imaginatiuam, ac memoriam, voluntatis imperium ſit, intelligitur. Diiudicare etiam hinc licet, an & quousque ad ſententiam quandam, ceu veram, amplectendam, homo cogi queat.

§. XXVI.

In corporis quosdam motus, qui & inde *voluntarii* dicuntur, voluntati poteſtatem quandam ſeu imperium competere, ipſa quemlibet experientia docet, quemadmodum contra obſcurum valde, quo pacto mens corpus moueat. Rurſus tamen & id conſtat, non competere voluntati imperium in omnes motus corporis. Scilicet, conſultum erat ad hominis conſeruationem, vt manus pedesque mouere poſſet pro lubitu: non aeque, vt pro lubitu ſiſtere poſſet circulationem ſanguinis. Et per hanc facultatem mouendi corpus certasque eius partes, externos quoque ſenſus ad animi corporisque ſalutem dirigere voluntas poteſt, minime autem efficere, vt, quod ſemel ſenſibus percepimus, non ita percipiamus, vt percepimus. Ad vitam recte inſtituendam, hoc obſeruaſſe, plurimum refert.

§. XXVII.

Ex bonorum, praeſertim apparentium, varietate, non poteſt non inclinationum magna oriri diuerſitas. Hoc enim nomine propenſiones iſtas ad certum bonorum genus, quae alicui per naturam inſunt, intelligimus: quae, ſi per conſuetudinem, aliasque cauſſas morales, inducantur, aut ſi iam inſint, confirmentur, corroborenturue, *mores* vocari ſolent. Liceat enim haec ita diſtinguere: quamuis ab aliis hoc diſcrimen non obſeruetur, morumque nomen naturalibus etiam propenſionibus tribuatur.

§. XXVIII.

Quinam *boni maliue mores* ſint, hinc intelligitur. Propenſiones enim eiusmodi per cauſſas morales inductae aut confirmatae ad *bonum verum*,

Digitized by Google

verum, quo nomine *κατ' ἐξοχὴν* Deus ceu *ſummum bonum* venit, & obiecta bono huic ſummo ſubordinata, ſunt *mores boni:* contra propenſiones ad *bona apparentia*, quorum tria ſumma capita, *vtilia, iucunda, decora, 1 Ioan. II, 16.* pro *malis* recte habentur moribus. Hinc vero, quidquid inter actus externos bonorum aut malorum morum nomine venit, originem habet.

§. XXIX.

Actus, in quos propenſiones iſtae tum naturales, tum habituales erumpunt, in bono aliquo appetendo, aut malo auerſando, *affectuum* nomine veniunt, & quidem, cum voluntatem puram hic conſideremus, *mentalium*. A quibus quo pacto mere *corporei & mixti*, ſeu *ſenſuales* differant, aliunde conſtat. *

* Paucis haec attingo, eo quod exquiſitior horum conſideratio ad philoſophorum ſcholas pertineat. Delibanda tamen fuere, vt ordo ſeriesque tractationis noſtrae ſibi conſtaret. Interim vid. GEORGIVS WESENFELDIVS *in georgica animae & vitae, cap. 2. §. 2. 3.* add. VINCENTIVS PLACCIVS *in acceſſionib. ethic. part. 1. cap. 4. §. 9. ſqq.*

§. XXX.

Mentales iſti affectus, vt in ipſa mente, per obiecti intelligibilis repraeſentationem originem habent, ita ſi vehementiores fuerint, ipſum corpus afficiunt. Caute tamen a ſenſualibus diſcernendi, praeſertim in obiectis ſpiritualibus, quae ſpirituales etiam, adeoque mentales affectus producere debent. Quod ſi ſpirituales cenſeantur, quae tamen a ſenſuum commotione originem habent, ſedulo diſpiciendum, ne per naturae quandam fallaciam decipiamur. De diuiſione & varietate horum affectuum ex iis, quae de ſenſualibus affectibus dicuntur alibi, ſtatuendum.

§. XXXI.

Ad voluntatis naturam declarandam pertinent, quae hactenus diximus, & praemittenda fuere, vt, quae dicenda ſunt, eo rectius intelligantur. Iam ergo, ſi, quo pacto voluntas ſecundum naturam ſe habeat, conſideremus, in ea philautiam ſummam, vitiorum omnium prauarumque propenſionum, venenatum fontem, deprehendimus. Quo nomine neutiquam ſpeciem quandam ambitionis, quam nonnulli ita vocare ſolent, * nec ordinatum ſe conſeruandi ſtudium, ſed amorem ſui ipſius peruerſum intelligimus, quo homo cuncta non ad Deum, vt debebat, ſed ad ſeipſum refert, ſuum commodum, honorem, gloriam, voluptatem, quaerit, adeoque tantum non ſeipſum ceu idolum aliquod adorat. conf. *Deut. VIII, 17. Dan. IV, 27.*

* Duplici ſcilicet ratione vox philautia ſumitur. Interdum namque ſpeciatim, eiusmodi animi vitium denotat, quo homo vana quadam ambitione elatus, ſeipſum aliis omnibus praefert, aut ſe meliorem aliis exiſtimat. Huc illud HORATII refero, *lib. 1. ſatyr. 3. v. 23.*

Stultus

Stultus & improbus hic amor eſt, dignusque notari.

Sed pertinet huc quoque illa φιλαυτίας prauae delineatio, quam tradit GVIL. SALDENVS *diſſert. de philautia*, quae tertia eſt *libri* 1. *otior. eius theolog.* §. 16. Generatim autem philautia, in malam quidem partem accepta, omnem amorem ſui inordinatum ſignificat, prout eum in ſequentibus deſcribemus. Nec inuſitatam etiam apud philoſophos hanc vocis ſignificationem eſſe, vel ipſius ARISTOTELIS teſtimonio, *lib.* 9. *ethicor. ad Nicomach. cap.* 8. comprobari poteſt: cuius deinceps producemus verba.

§. XXXII.

Etenim quod ad innatum omnibus, non hominibus modo, ſed rebus creatis, ſe conſeruandi ſtudium attinet, id quidem in ſe & abſtracte ſpectatum, nullum inuoluere vitium, conſtat inter omnes. Nulla namque, cur iſtud ſtudium ſe conſeruandi, malum ſit, adferri ratio poteſt. Praeterea, cum non in hominibus, ſed rebus quoque creatis aliis deprehendatur, id a Deo ipſo illis inditum eſſe, vt concludamus, par eſt. * Conſentit ſcriptura. Paulus enim, cum dixiſſet: *qui vxorem ſuam diligit, ſe ipſum diligit*, addit: *nemo vnquam carnem ſuam odit, ſed nutrit ac fouet eam. Epheſ. V, 28. 29.* Et Salomo: *ſtolidus conſumit carnem ſuam. Kohel. IV, 5.* Quod quidem conſeruandi ſeipſum ſtudium, non tantum ad mentem, ſed & ad corpus ſe extendit. ** Corpore enim non minus quam mente conſtat homo, & vtriusque creatorem Deum veneratur.

* Atque hoc eſt, quod CICERO, tum *tertio de finibus*, tum aliis in locis, ex Stoicorum libris diſſerit, eſſe quaedam *prima naturae*, Graecis τὰ πρῶτα κατὰ Φύσιν. Prima ſcilicet naturae vocat, quod ſimul, atque natum eſt animal, ipſum ſibi conciliatur, & commendatur, ad ſe conſeruandum atque ad ſuum ſtatum, & ad ea, quae conſeruantia ſunt eius ſtatus diligenda: alienatur autem ab interitu, iisque rebus, quae interitum videantur afferre. Hinc etiam, ait, fieri, vt nemo ſit, quin, cum vtrumuis liceat, aptas malis & integras omnes partes corporis, quam easdem vſu imminutas aut detortas habere. Primumque eſſe officium, *vt ſe quis conſeruet in naturae ſtatu &c.* vid. HVGO GROTIVS *de iure belli & pacis lib.* 1. *cap.* 2 §. 1. Eodem pertinent, quae in medium adfert GVIL. SALDENVS, *l. c.* §. 7. dum probat, φιλαυτίαν vt ſic, id eſt, in ſe & per ſe conſideratam, pro peccato non eſſe habendam. conf. omnino auctor libri: *apologie du veritable amour de Dieu, lib.* 1. *cap.* 1. *p.* 2.

** Id non ſine ratione addimus. Fuerunt enim, qui ſapientem maxime φίλαυτον eſſe debere, pronuntiarent, ſed tantum ratione mentis & felicitatis mentalis: corpus indignum exiſtimantes, cuius habeatur ratio. Quae ſententia ex iſto philoſophorum gentilium, originem mali lapſumque primorum parentum ignorantium, errore, mentes in coelo peccaſſe, indeque in corpora tanquam ergaſtula detruſas, vel certe corpus mentis vinculum & carcerem eſſe, orta videtur. Nos rectiora hac de re ex ſcriptura ſacra edocti, corporis quoque gerendam curam nouimus, ſed ita ne animae inde creetur periculum, iuxta monitum Pauli καὶ τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε εἰς ἐπιθυμίας *Rom. XIII*, 14. add. ARNOLDVS WESENFELDIVS, *in georgica animi & vitae, part.* 2. *cap.* 11. §. 8.

§. XXXIII.

Peruerſus itaque ſaltem, & inordinatus ſui amor, in vitio ponitur. Quo nomine vt intelligatur, quid ſignificemus, primo, quid ordinatus ſui amor ſibi velit, explicandum. Nimirum, cum plurima homini ſe offerant obiecta, quae eum ad ſui amorem alliciant atque impellant, quaedam

quaedam quidem ita comparata ſunt, vt odio potius, quam amore digna ſint: quaedam vero ita, vt amari equidem, ſed certo obſeruato ordine, queant. * Quod enim praeſtantius eſt, in amore praeferendum minus praeſtanti, ratio ipſa omnes condocet. Peruerſe itaque agit qui minus praeſtans antepoſuerit praeſtantiori.

* Non male AVGVSTINVS dixit, virtutem nihil aliud eſſe, quam ordinem amoris. Vt autem amor ordinetur, omnino ad obiecta amoris eſt reſpiciendum. Talis enim eſt ordo amoris, qualis eſt ordo rerum in bonitate. Qua de re ſubinde egregie verba facit Hipponenſium praeſul. *Iuſte*, inquit, *lib. 1. de doctrin. Chriſt. cap. 27. & ſancte viuit, qui rerum integer aeſtimator eſt: ipſe eſt autem, qui ordinatam habet dilectionem, ne aut diligat, quod non eſt diligendum, aut amplius diligat, quod minus eſt diligendum, aut aeque diligat, quod vel minus vel amplius eſt diligendum: vel amplius, quod aeque diligendum eſt.* Ex *epiſt. 120. ad Honoratum: ſicut bona ſunt omnia, quae creauit Deus, ab ipſa rationali creatura vsque ad infimum corpus, ita bene agit in his anima rationalis, ſi ordinem ſeruet, & diſtinguendo, eligendo, pendendo, ſubdat minora maioribus, corporalia ſpiritualibus, inferiora ſuperioribus temporalia ſempiternis, ne ſuperiorum neglectu, & appetitu inferiorum (quoniam hinc fit & ipſa deterior) & ſe & corpus ſuum mittat in peius, ſed potius ordinata charitate ſe & corpus ſuum conuertat in melius.* Paucis rem omnem complectitur, *lib. de vera religione cap. 48. Ordo amoris eſt, vt potius potiora, & minus minora diligamus.* add. HENRICVS A. S. IGNATIO, *in ethica amoris, lib. 5. cap. 10. p. 243.* Lectu etiam cum primis digna ſunt, quae hanc in rem adfert vir clariſſimus, CAMPEGIVS VITRINGA, *diſſertat. de concupiſcentia recta & laudabili, obſeruat. ſacrar. lib. 3. cap. 5. §. 6. & 7.*

§. XXXIV.

Inter obiecta itaque amabilia, ceu omnium praeſtantiſſimum, primum merito locum tenet Deus ipſe. Hic enim absque controuerſia ſummum bonum eſt, adeoque ſolus adaequatum & proportionatum obiectum amoris ſummi eſſe poteſt. * Patet idem ex natura illius tendentiae & inclinationis, quae in amore cernitur. Haec enim cum infinita ſit & illimitata, nec vllius rei finitae fruitione impleri queat, ſequitur, Dei ceu infiniti illius boni fruitione eam tantum exſatiari poſſe. Primum ergo inter omnia obiecta amabilia locum tenet Deus: quod & ſcriptura confirmat, quando docet; Deum ſuper omnia amandum eſſe, *toto* ſcilicet *corde, tota anima, & tota mente, Deut. VI, 5. Matth. XXII, 37. Luc. X, 27.*

* Deum eſſe ſummum bonum adeoque ſupra omnia amandum, ex ipſa quoque ratione manifeſtum eſt, multo magis apud chriſtianos, debet poſitum eſſe extra controuerſiam. Sed hac de re deinceps, cum de amore Dei agemus. Nunc id ſaltem addo, quod ipſi gentiles, qui docuerunt, voluntati diuinae in omnibus ita obtemperandum, vt noſtram voluntatem illi ſubiiciamus, omnesque noſtras cupiditates, Numinis voluntati poſtponendas, luculentum huic veritati praebuerint teſtimonium. Talia enim ex iſto principio, quod Deus inter obiecta amabilia primum locum teneat, per pronam conſequentiam fluunt. Plura hanc in rem adfert GVIL. SALDENVS, *diſſert. de philautia* ſupra iam laudata, §. 10. vbi docet, omnem noſtram φιλαυτίαν vt vt in ſe licitam, ſapientiſſimo Dei beneplacito ſubmittendam eſſe, adeo, vt ſi ſimul, quod Deus vult, & nos vellemus, obtineri non poſſet, praeferatur, quod Dei eſt, cedat, quod noſtrum eſt. Illicita namque & inordinata eſt illa philautia, in qua Deus primum locum non tenet. Quod ſi Deus, vt par eſt, primum in amore noſtro locum tenet, huic amori cetera omnia cedant, neceſſe eſt.

§. XXXV.

Quod ſi quis contendat, amorem ſui ipſius, primum, ſummum, & centralem eſſe, cum fons & radix ſit omnium propenſionum & affectuum: immo nullum ſine reſpectu quodam ad amantis felicitatem aut beatitudinem, concipi amorem poſſe, illum hoc perpendere iubemus, quod in gradibus amoris aeſtimandis, non reſpectus ille ad nos ipſos, ſed obiecti praeſtantia in cenſum veniat. Adeoque, ſi obiectum amabile praeſtantia ſua & bonitate, omne illud, quod in nobisipſis deprehendimus, vincat, illud etiam *ſupra nos* amandum. Et ſane, ſi alios homines non infra nos, ſed *aeque ac nos ipſos* amare debemus, *Matth. XXII, 39.* multo magis Deum, ceu ſummum bonum, *ſupra nos* amare debemus. Qui vero, vt hinc ſe expediant, amorem quendam ſine omni ad nos ipſos, aut noſtram felicitatem reſpectu fingunt, naturam *amoris* non ſatis cognitam perſpectamque habere videntur. *

* Fuit & noſtra aetate hac de re diſputatum, ſpeciatim inter MALEBRANCHIVM atque LAMYVM, viros ſcriptis variis, & ingenii praeſtantia, celebres. LAMYVS amorem Dei, in quo vlla noſtrae felicitatis habeatur ratio, impurum pronuntiat. MALEBRANCHIVS contra, amorem ita purum, qui propriae felicitatis nullam rationem habeat, nec eam concupiſcat, eſſe ἀδύνατον. & fruſtra fingi. Immo amorem iſtum ſui, quo quilibet ſeipſum naturaliter amat, aut immenſum illud deſiderium, quo quilibet ad ea, quibus perfectior, felix & beatus reddi poteſt, appetenda, fertur, naturale & vniuerſale principium omnium animae motuum eſſe contendit: voluntatemque, in quantum amare poteſt, nihil aliud eſſe, quam deſiderium ſolidae & verae illius felicitatis, quod Deus nunquam non hominibus imprimat, vt nos illud ad Deum, ceu finem noſtrum vltimum amandum excitet. Noſtra licet parum referat, quis in hoc certamine ſit ſuperior, MALEBRANCHII tamen rationes, ſi ab admixtis falſis hypotheſibus abſtrahamus, potiores eſſe, res ipſa docet. Amor ille indifferens, quem LAMYVS fingit, repugnat notioni communi amoris, quae omnium fere hominum mentibus inſidet. Amorem ſui etiam generatim ſpectatum, ſi nulla ἀταξία accedat haud illicitum eſſe, antea demonſtrauimus. Rationem praeterea ipſam & experientiam ſibi ſuffragantem habet MALEBRANCHIVS, cum aſſerit, deſiderium felicitatis ſeu beatitudinis homini ita inſitum & innatum eſſe, vt deponi & exui nequeat, omnesque homines in omnibus, quae agant, ſiue bona ſint, ſiue mala, beatitudinem quandam aut felicitatem quaerere. Vnde porro recte concludit, Deum quoque ab hominibus ideo amari, quia in eo ſummam ſuam felicitatem inueniant (qua de re tamen in ſequentibus ex inſtituto) eumque amorem, qui omnis reſpectus ad noſtram felicitatem expers fingatur, ἀδύνατον eſſe &c. Praecipuum, quod huic ſententiae opponi dubium poteſt, hoc eſt, quod hac ratione homo non Deum, ſed ſeipſum, aut ſeipſum, ſupra Deum, amare videatur; ſed huic dubio, quo pacto occurri queat, id vero eſt, quod a nobis in hacce theſi oſtenſum eſt. Eodem fere redeunt, quae MALEBRANCHIVS adfert, vt hocce dubium remoueat. Diſtinguit namque *id quod nos impellit* ad amandum, a *fine*, ſeu *principium* neceſſarium omnis amoris, a *termino*, quem homo libere ſibi proponit, & ad quem ceu ſcopum amor tendit atque dirigitur. Si ergo homo ſeipſum aut ſuam felicitatem pro ultimo fine & ſcopu amoris ſui conſtitueret, improbus hic amor foret, dignusque notari. at hoc ab auctore non aſſeritur, ſed hoc ſaltem, quod id quod hominem ad amandum Deum moveat & impellat, ſit propriae felicitatis deſiderium, quod ab amore nullo modo ſeparari queat. Vid. MALEBRANCHII *Traité de l' Amour de Dieu, en quel ſens il doit etre desintereſſé.*

intereſſe. add. ARNOLDVS WESENFELDIVS, *in georgica animi & vitae, part.* 2 *cap.* II. §. 12.

§. XXXVI.

Si ergo amor ſui ab hocce ordine diſcedat, nec homo Deum ſupra ſe, ſed ſeipſum ſupra omnia diligat, peruerſus eſt, atque prauus. * Et talis eſt reuera poſt lapſum omnium hominum ſibi relictorum, nec dum conuerſorum, amor ſui ipſius: qui & cum omnium propenſionum, affectuum, actionumque humanarum fons & ſcaturigo ſit, ** eum non immerito vitiorum quoque omnium, voluntati inhaerentium, fontem dici, conſtat. Adhaerens enim illa philautiae prauitas, non poteſt non in propenſiones omnes, inclinationes, affectus, actus, propagari.

* Nimirum amor in ſe ſpectatus ad eſſentiam voluntatis pertinet: & vt intellectui proprium eſt, intelligere, cognoſcere, iudicare, ita voluntati proprium eſt, amare. Vt itaque intellectus recte ſe habet, non, ſi plane non intelligat, ſed ſi recte intelligat, ita voluntas recte ſe habet, ſi recte amet, eo ſcilicet ordine, quem obiectorum ratio, atque conditio poſtulat. Praeclare AVGVSTINVS: *ipſa dilectio vacare non poteſt. Quid enim de quoquam homine etiam male operatur, niſi amor? Da mihi vacantem amorem, & nihil operantem. Flagitia, adulteria, facinora, homicidia, luxurias omnes, nonne amor operatur? Purga amorem tuum, aquam fluentem in cloacam, conuerte ad hortum. Quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi. Num nobis dicitur, nihil ametis? Abſit. Pigri, mortui, deteſtandi, miſeri eritis, ſi nihil ametis. Amate, ſed quid ametis, videte: in Pſalm.* XXXI.

** Id iam pridem accuratioribus philoſophis obſeruatum, affectus omnes motusque animi, nihil aliud quam amoris eſſe modificationes, & eius quidem quo homo ſeipſum amat. De propenſionibus idem conſtat, adeoque & de virtutibus vitiisque iuxta ea, quae ſupra §. 28. diximus. Idem egregie quoque confirmat B. SCHOMERVS, *in theolog. moral. cap.* 4. §. 27. cuius verba digna ſunt, quae hic legantur: *In omnibus hisce voluntatis affectuumque motibus fundamentalis inuoluitur ſui ipſius amor, quo quisque ſibi bene eſſe cupit, qui ita naturalis eſt, vt ſine contradictione negari nequeat. Dum enim quid cupimus vt gratum & acceptum nobis, & auerſamur aliud vt ingratum, vtique in illius adeptione aut remotione volumus noſtrum gaudium augere, vel animi ſaltem tranquillitatem ſeruare. Ita etiam, qui ſeipſos interficiunt, ea in re finem aut euitationem alicuius mali quaerunt. vid.* 1 *Sam.* XXXI, 4. *Poteſt quidem formalis animi motus, intenſior eſſe in aliud quid, quam in te ipſum, etiam vt alii plus cupias quam tibi, vt ametur Deus ſuper omnia, vt non vita tantum pro fratre ponatur, ſed & cum Paulo & Moſe aliorum ſalutem, ſuo ſummo exitio quis optet redimere: in ipſo tamen acriore amore, fundamentalis inuoluitur ſui ipſius amor, dum id cupis, cuius contemplatio tibi dulciſſima eſt, cuiusque ſuauitate omnem dolorem alium ſperes ſuperatum iri. Atque ita ſemper manet in homine ille niſus, quo ſibi in re volita bene eſſe cupit, &c.*

§. XXXVII.

Talis amor ſui, quod grauiſſimum voluntatis vitium ſit, inde quoque liquet, quod voluntatis recta conſtitutio per eam turbetur, vt per morbum corporis deſtruitur conſtitutio, quo minus ſuas rite edat operationes. Effectus praeterea teſtatur de cauſſa. Quae enim ex philautia

praua fluunt vitia, & peccata grauiſſima, impietas, ſuperbia, iniuſtitia, auaritia, &c. ſatis teſtantur, arborem bonam eſſe non poſſe, cuius peſſimi extant fructus. Quid vero multis? philautia iſta peſſima eſt idololatria, qua homo loco Dei ſe ipſum colit: prohibita adeo praecepto primo, *Exod. XX, 3.* conf. & *Matth. VI, 24.* Hinc & ad omnes homines, etiam ab externo idolorum cultu maxime alienos, pertinet illud apoſtoli: *ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα, ἱεροσυλεῖς, Rom. II, 22.* *

* Legendus hac de re omnino B. IOAN. ARNDIVS de *vero chriſtianismo lib. 4. part. 2. cap. 32.*

§. XXXVIII.

Fontem & ſcaturiginem omnium vitiorum, prauarumque propenſionum, adeoque affectuum & operationum malarum a voluntate dependentium, philautiam prauam eſſe, ex inductione omnium vitiorum moralium patet. * Quemadmodum enim, ex auaritia, voluptatis cupiditate, & ambitione, cuncta mortalium vitia fluunt: ita tria iſta vitia capitalia, nihil aliud ſunt, quam philautiae prauae ſpecies, aut ſi mauis, modificationes, vt ex dicendis conſtabit.

* Ex Ethnicis hoc agnouit ipſe ARISTOTELES, cuius hac de re locus notatu admodum dignus, extat *lib. 9. ethicor. ad Nicomachum, cap. 8.* Proponit ibi quaeſtionem: *πότερον δεῖ φιλεῖν ἑαυτὸν μάλιστα, ἢ ἄλλον τινά, vtrum ſeipſum maxime amare oporteat, an alium quenquam?* Ad quam dum reſpondet, initio obſeruat, vocem φιλαυτίας vulgo in malam partem accipi. *Solent enim*, inquit, *vulgo obiurgari, qui ſui ſunt amantiſſimi, & quaſi ea res cum turpitudine ac dedecore coniuncta ſit, φίλαυτοι, i. e. ſui amantes, appellantur.* Hinc concedit, quod homines improbi omnia ex φιλαυτίᾳ agant: *Videturque homo improbus omnia ſui cauſſa agere, eoque magis, quo ſit vitioſior. Itaque eum criminantur & accuſant, quod nihil agit a ſuis commodis & rationibus alienum.* Hinc porro ſubiicit, etſi aliter vir honeſtus ſe gerere videatur, re tamen accuratius conſiderata deprehendi, etiam virum honeſtum ſui cauſſa agere omnia. *Sibi enim quisque*, inquit, *maxime amicus eſt. Quo fit, ut ſibi ſit quisque maxime diligendus.* Quaenam ergo inter virum improbum & honeſtum ſit differentia, prolixe diſputat, nec ſatis ſe hinc extricare poteſt bonus ARISTOTELES. Cuncta eo redeunt, improbos in rebus turpibus etiam ad ſui commodum reſpicere, illorumque adeo condemnandam eſſe & vituperandam philautiam: virum honeſtum contra, in rebus praeclaris & laude dignis, ad ſeipſum maxime reſpicere. Et hanc minime culpandam eſſe philautiam. *Itaque virum quidem bonum*, inquit, *ſui amantem eſſe oportet. Namque & ipſe ex honeſtis actionibus vtilitatem percipiet, & aliis proderit. Improbum autem ac vitioſum non oportet, & ſibi enim & proximo cuique nocebit, vitioſis animi perturbationibus obtemperans.* Nimirum cum philautia praua vel craſſior ſit, per grauiora vitia ſe prodens, vel ſubtilior, ſub honeſtatis quodam ſchemate latens, illam tantum damnauit ARISTOTELES, hanc laudauit. Subtilioris enim philautiae prauitatem agnoſcere, erat ſupra captum hominis ethnici. Interim id recte agnouit, fontem omnium affectuum, omniumque vitiorum moralium, craſſiorum & ſubtiliorum, eſſe philautiam.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Idem ex ſcriptura ſacra luculenter conſtat. Siue enim primorum parentum lapſum, ſiue lapſorum hominum miſeriam, ſiue eorum reſtitutionem conſideres, cuncta haec euincunt, prauam philautiam malorum omnium, qua voluntatem, fontem eſſe ac principium. Lapſum primorum parentum in eo conſtitiſſe, quod infernalis ſerpentis voci, eſu fructus vetiti Deo ſimiles eos reddendos, docentis, aures praebuerint, & hinc a Deo ad ſeipſos, ſeque ſupra Deum amandos, conuerſi fuerint, conſtat ex *Geneſ. III, 4. 5.* A primis parentibus peruerſus ille, ſtultusque amor ſui, in omnes poſteros fuit propagatus. Hinc non eſt inter eos *intelligens, non eſt quaerens Deum, Pſ. XIV, 2. Rom. III, 11.* Qui vero Deum non quaerit, ſeipſum quaerat neceſſe eſt. Quare & cum reſtituendi ſunt homines in priſtinum ſtatum, neceſſe eſt, vt ad Deum conuertantur, *Actor. XXVI, 20.* & conuerſi, ſeipſos abnegent. Philautiae enim prauae vel maxime oppoſita eſt abnegatio ſui ipſius, tantopere commendata, *Matth. X, 37. XVI, 24. Marc. VIII, 34. Luc. IX, 23.* *

* Atque inde etiam eſt, quod fons & ſcaturigo omnis mali in ſcriptura ſacra ſubinde ἐπιθυμίας nomine veniat, per quam quando vox in malam partem accipitur, ſi ſpeciatim philautiam prauam intelligamus, a vero non aberrabimus. Sic Paulus *Rom.* VII, 7. ſcribit: *peccatum non cognoui, niſi per legem:* τήν τε γὰρ ἐπιθυμίαν οὐκ ᾔδειν, εἰ μὴ ὁ νόμος ἔλεγεν, οὐκ ἐπιθυμήσεις, *concupiſcentiam enim non cognoui, niſi lex diceret, non concupiſces.* Et *Gal.* V, 16. *dico autem, ſpiritu ambulate,* καὶ ἐπιθυμίαν τῆς σαρκὸς οὐ μὴ τελέσητε, *& concupiſcentiam carnis ne perficiatis.* Sic & Iacobus: εἶτα ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν *poſtea concupiſcentia, poſtquam concepit, parit peccatum, cap.* 1, 5. Quibus in locis concupiſcentiam, non tantum vt peccatum, ſed & vt fontem & originem omnis peccati, proponi, cuiuis paulo accuratius loca iſta conſideranti, patebit. Vox equidem ἐπιθυμεῖν generatim ſignificat aliquid appetere, poteſtque & in bonam & in malam partem accipi. In bonam partem ſumitur, cum Chriſtus dicit: *amen dico vobis, quod multi prophetae & iuſti* ἐπεθύμησαν ἰδεῖν ἃ βλέπετε *deſiderarint videre, quae videtis; Matth.* XIII, 17. item cum Paulus ſcribit *Gal.* V, 17. *caro concupiſcit contra ſpiritum,* τὸ δὲ πνεῦμα (*ſcil.* ἐπιθυμεῖ) κατὰ τῆς σαρκὸς *ſpiritus vero* (*concupiſcit*) *contra carnem.* Quando vero in malam vox haec accipitur partem, non tantum ex materia ſubſtrata id facile intelligitur, ſed talibus haud raro epithetis quoque ſcriptores ſacri hanc concupiſcentiam circumſcribunt, quae produnt, ipſos non de omni, ſed de certo quodam genere concupiſcentiae, id eſt, de concupiſcentia praua. loqui. Dicitur namque ἐπιθυμία τοῦ σώματος *concupiſcentia corporis, Gal.* V, 16. ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, *concupiſcentia carnis, Epheſ.* II, 3. ἐπιθυμίαι τῆς ἀπάτης, *concupiſcentiae ſeductionis, Epheſ.* IV, 22. ἐπιθυμία κακή, *concupiſcentia praua, Coloſſ.* III, 5. & ſic porro. *conf.* 1 *Timoth.* VI, 9. 2 *Tim.* II, 22. 2 *Timoth.* IV, 3. *Iacob.* I, 14. *&c.* Iam ergo ſi quaeras, vnde contingat, vt quaedam concupiſcentia bona, quaedam mala ſit, nihil aliud reſponderi poteſt, quam id inde euenire, quod aliquando homines concupiſcentiam ſeu amorem ſuum in obiectum legitimum, & cum plura obiecta adſunt, debito ordine, non dirigant. Tum enim concupiſcentia vocatur praua. Quod ſi vero circa obiectum legitimum, debitoque ordine, & modo, concupiſcentia verſetur, bona erit atque laudabilis. Atque hoc prolixe & ex inſtituto ediſſerit CAMPEGIVS VITRINGA, in *diſſert. de concupiſcentia vitioſa & damnabili, obſeruat. ſacr. lib* 3. *cap.* 6. *pag.* 554. *ſeqq.* vbi prauae concupiſcentiae obiecta ordine recenſet. Quodcunque autem concupiſcen-

Digitized by Google

tiae prauae obiectum fuerit, fundamenti loco ſemper adeſt amor ſui, vt ex ſupra dictis conſtare poteſt. Pone, concupiſcere aliquem diuitias, agros, domos, praedia, honores, imperium, reliqua, quare haec concupiſcit? Quia in his omnibus *ſuum* commodum, vtilitatem, delectationem, ἐξοχὴν, &c. quaerit. Immo ſi nullus amor, nulla concupiſcentia ſine amore ſui eſt, ſequitur, quod in his quoque omnibus amor ſui fundamenti loco ponendus ſit. Merito itaque & κατ' ἐξοχὴν concupiſcentiae, ſcilicet prauae, nomine venit, ſi fuerit inordinatus. Omnes enim concupiſcenriae prauae, in amore ſui inordinato continentur. Quando itaque in decalogo *concupiſcentia praua* condemnatur, *Exod.* xx, 17. *Deut.* v, 21. etiam philautia praua vel maxime, tanquam omnium prauarum cupiditatum mater, condemnatur. Non moramur hic Ebraeorum opinionem, qui praecepto decimo eas tantum prohiberi appetitiones cenſuerunt, quae & quatenus effectum ſortiebantur, & per quas concupiſcentes rerum cupitarum compotes euadebant. Quanquam in duplici rurſus, qui ita ſentiunt, conſtituti ſint diſcrimine: aliis exiſtimantibus, cogitatione & cupiditate ſola non committi peccatum poena dignum, ſi ea effectum non habeat aliis concedentibus, ſola cogitatione & concupiſcentia peccari poſſe, negantibus tamen, *prauam* hanc *concupiſcentiam* animi, in praecepto decimo decalogi prohiberi. Fuiſſe in hac gente, qui prius aſſererent, ex explicatione decalogi, quam Chriſtus ſeruator corruptelis Phariſaicis opponit, *Matth.* v. ſatis patet, & ex KIMCHIO quoque atque ABENESRA obſeruauit HVGO GROTIVS ad *Exod. cap.* xx. Alii vero licet concedant, cogitatione omnino atque concupiſcentia peccari, interdictionem tamen decalogi de *non appetendo*, de illa tantum concupiſcentia, quae effectum ſuum certo ſortitur, interpretantur. MAIMONIDIS haec eſt ſententia atque ABENESRAE, quorum bae de re verba refert CAMPEGIVS VITRINGA, *loco* deinceps *citando*. Altera vero harum ſententiarum abſurda eſt plane & inepta, altera, nullo omnino nititur fundamento. Abſurda eſt ea, quae ſola mente & cupiditate peccari negat: ipſeque iam ſeruator hanc Iudaeorum impietatem profligauit, *Matth. cap.* v. *v.* 21. *ſeqq.* Suntque haud pauci ex ipſis ethnicis, qui eandem damnant. Altera fundamento deſtituitur, cum nulla ratio afferri queat, cur vox ebraea, quae *appetere* vel *concupiſcere* ſignificat, tantum de tali concupiſcentia, quae effectum ſortitur, debeat intelligi. Immo cum in praecedentibus praeceptis, ſexto praeſertim & ſeptimo, extra controuerſiam talis concupiſcentia fuit prohibita, quid neceſſe erat, illam prohibitionem in praecepto decimo repetere? Eſt nimirum obſeruandum, quod in omnibus praeceptis non tantum actus externi, ſed ipſa quoque concupiſcentia, ex qua iſti actus prodeunt, prohibeatur, iuxta interpretationem ipſius ſeruatoris: ſed cum concupiſcentia praua vel actualis ſit, vel habitualis ſeu originalis, & illa iterum vel materialiter, vel formaliter, conſiderari poſſit, in decimo quidem praecepto concupiſcentia originalis, in nono actualis, formaliter ſpectata, in reliquis eadem materialiter conſiderata, prohibetur. Hoc paſſim a noſtratibus theologis oſtenditur, neruoſe autem rem omnem explicat AEGIDIVS STRAVCHIVS in *theologia morali pag.* 320. *ſeqq.* Hic vero a nobis praeter alios diſſentit vir clariſſimus CAMPEGIVS VITRINGA, exiſtimans, in decimo praecepto, ſub quo nonum etiam iuxta ſuorum placita, comprehendit, actualem concupiſcentiam, directe, indirecte autem ſaltem habitualem prohiberi. *Leges enim*, inquit, *verſantur circa actus. Indirecte tamen prohibetur quoque hoc interdicto concupiſcentia habitualis, quatenus actus concupiſcentiae vel producunt habitum concupiſcentiae vt effectum, vel eum ſupponunt tanquam cauſſam: diſſertat. de concupiſcentia vitioſa & damnabili, obſeruation. ſacrar. lib.* 3. *cap* 7. §. 15 Verum cum in reliquis praeceptis, vt diximus, omnis concupiſcentia actualis iam prohibita ſit, iuxta explicationem authenticam ipſius ſeruatoris, *Matth.* v. longe rectius ſtatuitur in decimo praecepto ipſam concupiſcentiam habitualem, ſpeciatim originalem, prohiberi. Nec ſimpliciter verum, leges tantum verſari circa actus. Et ſi de humanis concedatur, non aeque concedendum de diuinis. *Vetatur peccatum originis*, inquit IO. CONRADVS DANHAVERVS, *non vt faciamus illud, ſed vt non inſit, totus contra homo ea ſanctitate illuſtris ſit, quam per lapſum amiſit*: *in colleg. decalog. pag.* 956. vbi plura hac de re. Cum ergo concupiſcentia originalis in hocce praecepto prohibeatur, ipſam philautiam prauam, quae ſummatim omnem concupiſcentiam malam continet, prohiberi neceſſe eſt. Ceterum cum haecce concupiſcentia, ſubinde *concupiſcentia carnis*, item *concupiſcentia corporis* dicatur,

Digitized by Google

dicatur, facile in eam ingredi quis ſententiam poſſit, a corpore non ab anima, eius originem repetendam, quod noſtrae ſententiae vel maxime aduerſaretur, ſed hac de re ex inſtituto deinceps dicemus, *ad* §. 79.

§. XL.

Licet autem praua haecce philautia in vitia infinita fere abeat, vt iam ſupra obſeruatum, poſſunt tamen malae iſtae, quae ex ea oriuntur, propenſiones, ad tria capita, ceu vitia capitalia, philautiae filias, ſed reliquorum vitiorum matres, reuocari; auaritiam, ambitionem & voluptatis cupiditatem.

§. XLI.

Tria haecce vitia, rite explicata, pro capitalibus, ex quibus reliqua fluunt, recte haberi, variis luculenter probari poteſt rationibus. Ad tres namque claſſes bona iſta apparentia, quae philautiam hominis mouent atque determinant, reuocari poſſunt, diuitias ſcilicet, honores & ea bona, quae iucunda ſunt, voluptatemque hominum excitare apta. Pro obiecti autem conditione, varias eſſe propenſiones hominum, inclinationesque, notum eſt. Idem porro ex inductione patet, cum nullum ſit vitium morale, quod non ex vno trium horum vitiorum capitalium, deriuari queat. Suffragatur experientia: quod aut vnum ex hiſce vitiis in homine dominetur, aut quae in eo conſpiciuntur vitia ſingularia, ex horum combinatione reſultent.

§. XLII.

Idem praeterea ex diuerſa corporum conſtitutione videtur comprobari poſſe. Cum enim tria ſint hominum, ad certos mores eos diſponentium, temperamenta: cholericum, melancholicum & ſanguineum, totidem quoque eſſe vitia capitalia, mirum non eſt. Phlegmaticum enim cur in cenſum adeo non veniat, ex dicendis patebit. Quidquid tamen huius ſit: cum temperamentum corporis ad animi vitia aliquid conferre dicitur, neutiquam id ita capiendum, ac ſi ex corporis prauitate animae labes reſultet: cum in hac praecipue mali omnis fontem quaerendum eſſe conſtat. * Immo incertum, annon animae ſeorſim atque ſeparatim ſpectatae, ad certum aliquod bonorum genus ſpecialis ſit inclinatio. Haec nobis minime ſunt explorata. Si ita res ſe non habeat, per corporis conſtitutionem, accedentibus tamen deinceps aliis cauſſis externis, ad certam propenſionem animum determinari palam eſt: ſin vero & anima certas propenſiones habeat, aut fortiores euadent, ſi corporis conſtitutio conſpirauerit, aut debiliores, ſi non conſpirauerit, eodem effectu, qui oriri ſolet, ſi cauſſae diuerſas inclinationes producentes, concurrant.

* Dicitur hac de re infra ex inſtituto *ad* §. 79.

§. XLIII.

§. XLIII.

Idem quoque ſcriptura ſacra confirmat. Luculenta ſunt Ioannis verba: *ὅτι πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ, ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, καὶ ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου, οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ πατρὸς, ἀλλ' ἐκ τοῦ κόσμου ἐστί. 1 epiſt. II, 16.* Vbi, quin generatim omnia vitia cardinalia complectatur, dubium non eſt, cum diſerte dicat: *πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ.* Eundem per *ἐπιθυμίαν τῆς σαρκὸς*, *voluptatis cupiditatem*, & per *ἀλαζονείαν τοῦ βίου*, *ambitionem* intelligere, poſitum eſt extra controuerſiam. Auaritiam quoque hac ratione alibi in ſcriptura ſacra deſcribi, conſtat. conf. *Kohel. IV, 8. Prouerb. XXVII, 20.* *

* Ita praeter alios ex noſtratibus hunc locum explicat IO. CONRADVS DANNHAVERVS in *colleg. decalog. pag. 946.* cuius verba cum mirifice noſtram ſententiam illuſtrent atque confirment, digna ſunt, quae hic legantur: *Concupiſcentia oculorum*, inquit, *eſt auaritia, eius obiecta ſunt aurum, argentum, gemmae, praedia, opes, res curioſae & pretioſae; oculorum dicitur, cum quia ſolos oculos paſcit, tum quia ſolis oculis tenetur, & poſſidetur. Concupiſcentia carnis, eſt guloſitas & luxuria, cuius obiecta ſunt vinum, cibus delicatus, mulier, res venereae: carnis autem, quia hanc titillat, & irritat, & ab hac tenetur ac poſſidetur, vilis, vtpote beſtiis communis, exigua, vtpote cito conſumpta, ſordida, vtpote in ſputa deſinens, in ſtercora, vomitus, vomicas, putredines, febres, dyſenterias, morbos alios: ſuperbia vitae, & ambitio, & faſtus, cuius obiecta ſunt ſuperbae veſtes, palatia, famuli, rhedae, dignitates, magiſtratus, praelaturae:*

Ambitioſus honos, & opes, & foeda voluptas,
Haec tria pro trino Numine mundus habet.

Tres hi ſunt omnium tentationum fontes, quibus prima etiam mater, & Chriſtus tentati, vid. AVGVSTINVS, *lib. 10. confeſſ. cap. 30.* Eandem quoque ſententiam calculo ſuo comprobat HVGO GROTIVS, *lib. 2. de iure belli & pacis, cap. 20. §. 29. n. 3.* & IO. ADAMVS OSIANDER, *ad Hugonis Grotii l. c.* Si aliorum tria haecce vitia tanquam cardinalia agnoſcentium conquirere teſtimonia vellemus, plurima ſane poſſemus in medium proferre, ſed vnum alterumue delibaſſe ſufficiat. PHILO IVDAEVS, in *explicatione decalogi*, omnia mala eſſe dicit, ἐκ ἐπιθυμίας ἢ χρημάτων, ἢ δόξης, ἢ ἡδονῆς, *ex concupiſcentia aut opum, aut gloriae, aut voluptatis.* Nec procul hinc diſcedit LACTANTIVS, cum *lib. 6. diuinar. inſtitution. cap. 5. virtus*, inquit, *eſt, iram cobibere, cupiditatem compeſcere, libidinem refrenare. Id eſt enim, vitium fugere. Nam fere omnia, quae fiunt iniuſte atque improbe, ab his oriuntur adfectibus.* Quemadmodum enim per cupiditatem auaritiam intelligit, ita quae irae tribuit, ad ambitionem irae progenitricem praecipuam, pertinent, quod ſubiecta explicatio docet: *Si enim commotionis huius, quae ira dicitur, impetus retundatur, omnes hominum contentiones malae ſopientur, nemo inſidiabitur, nemo proſiliet ad nocendum. Item, ſi cupiditas temperetur, nemo terra marique graſſabitur, nemo exercitum ducet, vt rapiat & vaſtet aliena. Item, ſi ardor libidinum comprimatur, omnis aetas & ſexus retinebit ſuam ſanctitatem, nemo quidquam pudendum aut patietur, aut faciet. Ergo vniuerſa ſcelera & flagitia, his commotionibus virtute ſedatis, ex hominum vita moribusque tollentur.* Si veterum philoſophorum ἀσκήσεις & exercitamenta, quibus vitiorum compeſcere impetum ſatagebant, conſideremus, huc maxime ea fuiſſe comparata intelligimus, vt ambitioni, auaritiae, & voluptatum cupiditati, obuiam irent, quod luculenter, ni fallor, a me demonſtratum eſt, in *diſſertat. de ἀσκήσει philoſophica.* Atque in monaſtica diſciplina, quae in multis cum ἀσκήσει veterum philoſophorum conuenientiam quandam habet, res eodem fere eſt comparata modo, vt rem omnem accuratius contemplantes, facile deprehendent. Caſtitatis etiam,

paupertatis

paupertatis & obedientiae id ſatis comprobant vota, quibus ſe plerumque obſtringere tenentur, qui vitae monaſticae ſe addicunt: quae quidem hiſce maxime oppoſita eſſe vitiis, patet. Obedientia enim ambitionem, paupertas auaritiam, caſtitas voluptatem coercere, docet. Si philoſophorum porro audire placita lubeat, ipſum ſententiae huius patronum inueniemus ARISTOTELEM. Praeter homines enim θεωρητικὰς ſeu *contemplationi deditos*, triplex hominum genus conſtituit, ἀπολαυστικὸν, quod voluptates ſectatur, πολιτικὸν, quod ad honores adſpirat, & χρηματιστικὸν, quod pro fine habet diuitias. Sententiam ARISTOTELIS eleganter expreſſit HORATIVS *lib.* 1. *carm. od.* 1. idque ad *h. l.* pluribus ediſſerit FRIDERICVS RAPPOLDVS *pag.* 1144. Eodem pertinet, quod vulgo tres claſſes ſententiarum circa ſummum bonum aberrantium, conſtitui ſolent, prima eorum, qui cum Epicuraeis ſummum bonum in voluptatibus corporis conſtituunt, altera illorum, qui illud in honoribus quaerunt, tertia denique illorum, qui illud in diuitiis collocant. Quod documento eſt luculentiſſimo, in triplici diſcrimine quoad propenſiones praecipuas, homines eſſe conſtituros. Scholaſtici quidam doctores, ſpeciatim qui THOMAM DE AQVINO ſequuntur, ſeptem peccata, vt loquuntur, mortalia conſtituunt, ſuperbiam, auaritiam, luxuriam, inuidiam, gulam, iram, acediam, ſeu triſtitiam. vid. HENRICVS A S. IGNATIO in *ethica amoris part.* 2. *cap.* 1. *pag.* 579. At commodiſſime haec ad tria reduci poſſunt. Superbia enim iram ſecum coniunctam habet, auaritia inuidiam & acediam, vti luxuria & gula voluptatis ſunt filiae. Interim idem auctor recte docet, peccata omnia eſſe inordinati amoris modos aut effectus. Ceterum ex recentioribus, hanc doctrinae moralis partem de tribus vitiis cardinalibus, quoad rationes philoſophicas, omnium diligentiſſime excoluit, & aliis vt eam excolerent, exemplo praeiuit, CHRISTIANVS THOMASIVS, vir longe celeberrimus, tum in aliis ſcriptis, tum maxime in *ethica*, Germanico idiomate ſcripta, *part.* 2. *cap.* 7. *p.* 157. *ſeqq.* add. ex theologis B. IOAN. ARNDIVS de *vero chriſtianiſmo l.* 4. *part.* 2. *c.* 33.

§. XLIV.

Ex philautia praua, vitia haecce cardinalia oriri, iam ſupra obſeruatum eſt. * Id vero paulo accuratior harum rerum conſideratio, vnumquemque facile condocebit. Bonum enim quod amatur, relatiuum eſt: nec amatur quidquam, niſi nobis bonum vel ſit vel videatur, hoc eſt, reſpectum ad nos habeat. Iucunda itaque bona ideo amantur, quia nobis voluptatem afferunt: vtilia, quia nobis talia ſunt, & ad noſtram conſeruationem facere videntur: decora, quia iis nos ſupra alios efferimus. Si in iis omnibus nihil eſſet, quod ad noſtram quandam beatitatem, aut felicitatem, licet apparentem, quidquam conferret, ea quoque non amaremus.

* conf. dicta ad §. 38.

§. XLV.

Nec obſtat, quod quaedam ex apparentibus bonis, corpus tantum afficere videantur, cum tamen philautiae ſedes in anima ſit: ſicut quaedam rurſus tantum animam afficere videntur. Cum enim mens arctiſſimo vinculo cum corpore ſit vnita, fieri aliter non poteſt, quam vt quae corpus bene afficiunt, menti quoque grata ſint: immo adeo grata ſunt, vt poſthabitis iis, quae ad eius conſeruationem pertinent, vehementiſſime quandoque mens concupiſcat ea, quae cor-

pori grata ſunt. Rurſus tamen & mentis commotiones, praeſertim ſi vehementiores fuerint, in corpus ſe transfundunt, illudque bene afficiunt.

§. XLVI.

Iam ſi vitia haec cardinalia paulo accuratius conſiderare velimus, (quod noſtra magnopere refert, vt quo pacto voluntas ſecundum naturam ſe habeat, intelligamus.) primo loco ſe nobis offert *ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς*, ſeu *voluptatis cupiditas.* * Hoc itaque nomine non ipſam delectationem, aut voluptatem quandam ſpiritualem, ſed propenſionem voluntatis infinitam, ſignificamus, quo homo vniri cupit cum obiectis, ſenſus internos & externos delectantibus, in quibus tranquillitatem & quietem quaerit, ſed non inuenit.

* Cum *voluptatis* vocabulum diuerſimode accipiatur, ſcilicet pro quauis delectatione, item pro voluptate mentis: hic tamen ſpeciatim pro delectatione ſenſuum, maxime externorum, ſumitur. Cumque ipſa delectatio, ab eius cupiditate diuerſa ſit, *cupiditatem voluptatis*, quam *voluptatem*, dicere maluimus.

§. XLVII.

Propenſionem ſcilicet tum naturalem, tum habitualem intelligimus, quae ſubinde, quoties obiectum eam irritare aptum offertur, nec impedimentum adeſt, in actum erumpit. Actus enim voluptatis in iis etiam deprehenditur, qui ceteroquin voluptati dediti non ſunt. Infinitam eam propenſionem diximus, eo quod ſemper vlterius tendit, nec obiectis, quantumuis multis, & actibus ſaepius continuatis, exſatiari poteſt. Namque *nec oculus videndo, nec auris audiendo, exſatiatur*, teſte Salomone, *Kohel. I, 8.* add. *Prouerb. XXVII, 20.*

§. XLVIII.

Obiectum voluptatis res omnes ſunt, quae ſenſus internos, & externos delectare poſſunt; * quarum vt conſtat, magna eſt varietas. Alii itaque ex voluptati deditis aliis magis rebus delectantur: quidam gulae, alii veneri magis litant: delicias alias alii ſectantur: idque pro varia ratione ſtatus, educationis, conſuetudinis, diuerſimode. Varia hinc & voluptatum genera. Ad internos ſenſus, imaginationem ſcilicet, alia, alia ad externos pertinet, craſſior alia, alia ſubtilior, quaedam palam damnatur, quaedam excuſatur, quaedam laudatur.

* Hinc DIO CHRYSOSTOMVS, *ſerm. 4 de regno p. m. 91.* mores hominum voluptati deditorum, eleganter hunc in modum exprimit: *alter vir, & illius viri genius, voluptatis ſacra colit, & illam deam admiratur, & ſingulari cura illam muliebrem deam veneratur, varius & multiplex: odoribus & guſtatu, viſu denique & auditu aliquo iucundo, contactu ſuaui & molli inexplebilis, lauationibus quotidianis, ſaepe etiam vno die geminis, & vnctionibus, non vt morbo alicui medeatur, dat operam.* Quae ex more & conſuetudine veterum dicta, facile ad noſtri ſeculi genium accomodari poſſunt.

§. XLIX.

§. XLIX.

Quietem animi quod in eiuſmodi obiectis, homines voluptati deditі quaerant, conſtat. Philautia enim ſeu amor ſui, poſtquam verum amoris obiectum, Deum, homo amiſit, ſemper quaerit; in quo adquieſcat. Sed quod in hiſce rebus conſtantem & perennem quietem non inueniat, vel ex earum vanitate, inconſtantia, labilitate, variisque incommodis, quae continuus earum vſus ſecum trahit, conſtat. Vnde voluptas Petro audit: *ἐπιθυμία φθορᾶς, 2 Petr. I, 4* * conf. *Luc. XV, 12. 14. 15. ὁ κόσμος παράγει, καὶ ἡ ἐπιθυμία αὐτοῦ, 1 Ioan. II, 17.* conf. & *Luc. XII, 19. 20.*

* Immo gentilium philoſophis hoc adeo fuit perſpectum, vt homine ingenuo, & ſapiente nihil indignius cenſuerint, quam ſectari voluptatem. Hinc de vanitate, lubricitate, foeditate voluptatum, tot illorum extant ſententiae, tot declamationes, vt integrum inde facile eſſet componere librum. Pleraque in compendio exhibet PETRVS DANIEL HVETIVS, in *quaeſtionibus Alnetanis, lib. 3. cap. 12 & 13* Legi merentur, quae EPICTETVS habet in *enchiridio, cap. 56.* & SIMPLICIVS, *comment.* ad *h. l.* item M. AVRELIVS ANTONINVS, *de ſeipſo ad ſe ipſum, lib. 6. §. 26.* & alibi paſſim.

§. L.

Quam friuole in officiis erga Deum, ſeipſos, & alios ſe gerant, alibi iam obſeruatum eſt. In rebus ſcilicet ad religionem ſpectantibus. incuriam & negligentiam in inquirenda veritate, in iis obſeruare licet; hinc & deſidiae amore inueteratos potius retinent errores, * quam vt laborem accurate in veritatem inquirendi, in ſe ſuſcipiant. Ad ignauiam hancce ſuam tegendam, quae erroribus ſuis repugnant, vt noua, ideoque minime ferenda, damnant: ſibi contra conſtantiae laudem, pacis ac tranquillitatis amorem tribuunt. Sed cum in fundamenta rerum non penetrent, ad ſcepticiſmum etiam interdum proni ſunt: quandoque & ad ſyncretiſmum, ſi vitae iucunde & tranquille tranſigendae magis conducere putent, diuerſas conciliare opiniones, ad minimum diſſentientes tolerare.

* Quadrat in eiuſmodi homines plane illud CORNELII TACITI: *ſubit quippe etiam ipſius inertiae dulcedo, & inuiſa primo deſidia, poſtremo amatur*, in *vita Agricolae cap.* 3. Ceterum rem ipſam, quo pacto ignauia incredulitatis, adeoque errorum grauiſſimorum in religione, ſit cauſſa, pluribus edifſerit IOAN. CLERICVS, in libro Gallico, *de incredulitate, part. 1. cap. 6. p. 103. ſeqq.*

§. LI.

In cultu Numinis, quo pacto ſe gerant homines, *quorum Deus venter eſt, τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες*, facile coniicias. Languidi in eo ſunt, remiſſi, inconſtantes. Reuera Deum non colunt, ſed in cultu, quem verum eſſe ſibi perſuadent, haec illorum eſt indoles: impetu quidem interdum ad preces, aliaſque cultus diuini partes, aut hypocriticam vitae emendationem rapiuntur, at mox iterum in deteriora ruunt,

praeſertim ſi occaſio indulgendi genio, illis ſe offerat. Hinc illud Petri in eos quadrat: *κύων ἐπιςρέψας ἐπὶ το ἴδιον ἐξέραμα· καὶ ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου, 2 Petr. II, 22.* Aſpera quaedam & duriora pro Numinis cultu ſubire plane detrectant, *ἐχθροὶ τοῦ ςαυροῦ τοῦ χριςοῦ, Phil. III, 18.* Cultus tamen externi obſeruantes ſunt, praeſertim ſi voluptatem afferat, ad aliorum etiam hac in re mores & conſuetudinem facile ſe componunt, maxime ſi illorum referat, ne pro impiis habeantur.

§. LII.

In officiis erga ſeipſos, propenſionis iſtius prauae turpitudo non minus ſe prodit. Eo namque vnice intenti ſunt, vt delectationem qua ſenſus, internos & externos, ſectentur, * vitamque iucunde & ſuauiter tranſigant. Quem iſtorum hominum characterem ſcriptura paſſim deſignat. conf. *Eſ. XXII, 13. LVI, 12. 1 Cor. XV, 32. Sap. II, 6.* Vigilantiae porro & laborum, praeſertim diuturniorum, ſunt impatientes, Cretenſium inſtar, *γαςέρες ἀργαί, Tit. I, 12.* incurii externorum, inconſtantes, emaces, & ad profuſionem proni. ** Dum corporis nimiam, animae nullam curam habent, *** praeſentibus adeo intenti, vt neglectis futuris, per ſummam imprudentiam morbos, infamiam, paupertatem, aliaque mala, & incommoda infinita, ſibi attrahant. conf. *Prouerb. X, 4. XIV, 23.* Paucis, de omnibus dici poteſt, quod de vidua voluptati dedita Paulus pronuntiat: *ἡ δὲ σπαταλῶσα ζῶσα τέθνηκε, 1 Tim. V, 6.*

* Inter obiecta externa, quae voluptatem prouocant, cum ea emineant, quae ad libidinem, aut intemperantiam homines irritant, factum inde, vt luxuria, ſeu libido, & gula, ceu eminentiores voluptatis ſpecies vulgo deſcribi ſoleant, vt ſupra ad §. 43. obſeruauimus. Et in hisce ſane voluptatis cupiditas, maxime ſe prodit, & quidem craſſiori quadam ratione: ideo tamen non inſuper habenda obiecta, circa quae voluptas ſubtiliori quodam modo verſatur. Quod libido hominem voluptati deditum praecipue prodat, DIO etiam CHRYSOSTOMVS indicat, dum eiusmodi hominum & huncce characterem conſtituit: *imprimis rei venereae cupiditate furit, & ſunt hoc genus permulta alia flagitia, de quibus reticere ſatius eſt, in quibus ille eodem modo volutatur &c. l. c.* ſcil. *orat. 4. de regno p. m* 92. Quod vero ad exceſſum in cibo ac potu attinet, homines voluptati deditos, circa qualitatem potius, quam circa quantitatem, quanquam circa hanc quoque, peccare, aliis obſeruatum eſt.

** Recte CICERO: *omnino duo ſunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales. Prodigi, qui epulis, & viſcerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum, venationumque adparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut nullam ſint relicturi omnino; de officiis lib. 2. p. m.* 341. editionis Rachelianae.

*** Id DIO CHRYSOSTOMVS ita effert, quod *in ipſum corpus ſaltem deiectos oculos gerat, animum vero & res, quae animo ſubiectae ſunt, non curet quicquam, l. c. p. 97.*

§. LIII.

Vt vero ſibi ipſis maximopere noxii, ita aliis quoque graues ſunt eiusmodi homines. Ad miſericordiam equidem, & humanitatis quaedam officia proni ſunt, nec ex inſtituto temere quenquam laedunt,

laedunt, cum committere nolint, ex quo moleſtia ſibi creari queat. Vnde variarum virtutum, ſed apparentium, *πρόφασις*. Sibi ipſi tamen ita conſulere, vt in aliorum hoc cedat damnum, religioni ſibi non ducent: eamque ob cauſſam & iuſtitiae facile migrant limites, fidem fallunt, pacta violant, mentiuntur, loquacitate ſua multa miſcent, & turbant. Ad apertas & manifeſtas iniurias non laceſſiti, non facile deſcendunt: petulantia tamen ſua facile laceſſunt alios, ad dicteria, & ſarcaſmos proni: aliis tamen, ſi laeſi fuerint, condonant haud difficulter, veniam prompte dantes, quam ipſi rurſus, ſed haud raro fruſtra, expectant ab aliis. Ad amicitiam, praeſertim cum ſui ſimilibus impetu quodam feruntur, quam eadem tamen facilitate abrumpunt.

§. LIV.

Quod ſi in ſtatibus certis conſtituti ſint, nihil profecto praeclari ab iis expectari poteſt. Ad imperandum aeque ac ſeruiendum parum ſunt idonei, ad hoc tamen minus, quam ad illud. Patre, marito, domino, principe, voluptatibus dedito, ad regendos liberos, vxorem, familiam, ſubditos, quid ineptius? Nec ipſi facient, quae officii erunt, nec ab aliis auctoritatis plerumque deſtituti, vt quae ſui officii ſunt, faciant, impetrabunt. Conniuentia, indulgentia, lenitas nimia, immorigeros reddet omnes imperio illorum ſubiectos. Doctorum vero, praeſertim eccleſiaſticorum, quo pacto rite fungentur munere? quippe quos *τύπȣς τȣ̃ ποιμνίȣ* eſſe decet. *1 Petr. V, 3.* Inferiores vero ſi ſint in hiſce ſtatibus, ductum quidem ſuperiorum haud grauatim ſequentur, nec temere mordebunt frenum, ob ignauiam tamen, voluptatumque ſtudium, tarde ſatis aut peruerſe iuſſa ſuperiorum exequentur, eruntque ſpecialiori quadam ratione non *ποιηταὶ*, ſed ſaltem *ἀκροαταὶ τȣ̃ λόγȣ*, *Iac I, 22.* Decori quae apud eos ratio, iam alibi dictum. *

* *Element. philoſ. pract. part. 1. cap. 3. §. 67. add.* DIO CHRYSOSTOMVS *l. c.*

§. LV.

Alterum, quod conſtituimus vitium capitale, *ambitio* eſt. * Quod licet diuerſimode vſurpetur nomen, nos tamen eodem propenſionem voluntatis infinitam intelligimus, qua homo ea omnia, quibus aliis praeferri, ſeque ſupra eos euehere poteſt, appetit, ſeque cum iis vnire cupit, ita vt in eiusmodi rebus animi quietem quaerat, ſed non inveniat.

* Diuerſimode vox *ambitionis* ſumitur. Sunt enim qui ſpeciatim per ambitionem intelligunt inordinatum appetitum honoris aut dignitatis, vt ſi quis ambiat munus, quod rite adminiſtrare nequit, vel honores, quos non promeretur. Sed a nobis in generaliori ſignificatione accipitur, pro ſtudio prauo quocunque modo prae aliis eminendi. Dici itaque & *ſuperbia* poteſt, ſumpta & hac voce in generaliori ſignificatione, prout fere a THEOPHRASTO deſcribitur, quod ſit aliorum omnium praeterquam ſui contemptus, in *chara-*

cteribus morum, p. m. 65. Vbi recte ISAACVS CASAVBONVS ad *h. l. p.* 353. monet, duo omnino mala ſuperbiae ineſſe, *vanam de ſua praeſtantia opinionem, & deſpectum aliorum.* Etenim ſi non vtrumque, prius ſaltem malum in omni eſt ambitione. Quae cum ita ſint, honorem, gloriam, laudem, potentiam, & omnia, quibus aliquis prae aliis eminere & excellentior eſſe ſolet, ad obiectum ambitionis referimus. Nec male ex ſcholaſticis nonnulli ambitionem ſeu ſuperbiam definiunt, *per inordinatum appetitum propriae excellentiae.* vid. HENRICVS AS. IGNATIO in *ethica amoris, lib. 10. part 2. cap. 2. p. 580. ſeqq.* Ceterum tractationi huic de ambitione, inſeruiunt praeter DIONEM CHRYSOSTOMVM, *lib. 4. d. r. gnop. 99. ſeqq.* THEOPHRASTVS in *characteribus morum, cap* de *contumacia* ſeu *ferocia, p. 45.* & *cap. de oſtentatione, p. 62* item *cap. de ſuperbia pag. 65.* & ISAACVS CASAVBONVS, ad *haec loca.* LVDOVICVS MOLINAEVS, in *morum exemplari, p. 120.* item 124. *ſeqq.* ERASMVS IOANNES BROCHMANDVS, in *ſpecimine ethices hiſtoricae, cap. 8. & 9. p. 472. ſeqq* Licet enim non vbique rem acu illi ſcriptores tetigerint, ad naturam tamen indolemque ambitionis rectius intelligendam, plurimum conferunt.

§. LVI.

Animi propenſionem, & quidem infinitam ſeu inſatiabilem eſſe ambitionem, conſtat. Adeo enim gloriae, laudis, imperii, cupiditas exſatiari nequit, vt eum quo potiti ſunt honoris & imperii gradum, occaſionem ſaltem vltra tendendi, eſſe exiſtiment, nec mundus imperandi cupidine lymphatis, ſufficiat.

§. LVII.

Obiectum ambitionis varium equidem eſt & multiplex. Plurima enim ſunt, in quibus ἐξοχὴν quandam, & praeſtantiam, prae aliis quaerunt. Interdum eam in rebus plane ludicris, veſtimentorum certo genere, corporis robore, formoſitate, titulis, &c. quaerunt. Alii ſpecie paulo honeſtiore eam in variis animi dotibus, ſcientia, eruditione, ſimilibusque quaerunt. Hinc illud apoſtoli; *ſcientia inflat, 1 Cor. XIII, 1.* Alii aliud quid arripiunt, quo ſe meliores praeſtantioresque aliis credunt. Praecipua tamen ambitionis obiecta, ad duas claſſes, *gloriam & potentiam*, reuocari poſſunt: vnde duas nonnulli ambitionis ſpecies, *cupiditatem gloriae, & potentiae*, conſtituunt. Ex obiectorum itaque conditione alia ambitio *inepta* eſt & *ridicula*, circa rem ludicram, leuem, nullius momenti occupata: alia vero grauius aut honeſtius, vulgi ſaltem iudicio, habet, ſed ea rurſus, ſi modum, quo hocce vitium ſe exſerit, ſpectes, vel *craſſior* eſt, vel *ſubtilior*, alioſque gradus habet. *Spiritualis* ambitio, itidem ab obiecto ſpeciali denominationem ſortita eſt.

§. LVIII.

Altiora nimirum ſemper cogitant, & cupiunt eiusmodi homines. * Quod eſt ὑψηλοφρονεῖν, oppoſitum τῇ ταπεινοφροσύνῃ *Rom. XI, 20. & XII, 16. 1 Tim. VI, 17. Eſ. XIV, 13.* Inde τετυφωμένοι dicuntur, *2 Tim. III, 4.* Vti humor in corpore ſupra quam oportet egreditur, & loco ſuo

ſuo excedit, ita ſuperbia intumeſcere facit animum, hinc & corpus quoque. Ideoque elatio cordis dicitur, *Deut. VIII, 14. XVII, 20. 2 Reg. XIV, 10. Ezech. XXVIII, 1.* quae elatio ſuper alios, quamcunque ob cauſſam fiat, coniuncta eſt cum contemptu aliorum. Exemplo ſunt, qui *Luc. XVIII, 9. ſibi ipſis confidebant, quod eſſent iuſti*, adeoque aliis ſe praeferebant, ſed & *contemnentes alios.* vid. & *verſ. 11.* Vtrumque & Paulus coniungit, *Gal. V, 26.* ne ſitis *κενόδοξοι alii alios prouocantes.*

* Eleganter DIO CHRYSOSTOMVS: *Hic natura ſua* (de ambitioſo homine loquitur) *neque aquilis, neque gruibus, nec vlli volatilium generi, ſed ſi quis aequiparare velit, illi vehementi, & praeter naturam concitato volatui Icari ſimillimus, &c. l. c.*

§. LIX.

In obiectis iſtis, quibus ſe aliis praeſtare credit, animi quietem homo ambitioni deditus quaerit. Felicem ſe futurum exiſtimat, ſi hunc aut illum honoris gradum conſequi poſſet. Eo ſi potitus fuerit, nihil minus quam felicem ſe cenſet, ad altiora adſpirans. Pericula, labores, incommoda, quae honores, gloriamque & potentiam comitantur, ſatis oſtendunt, quam parum quietis in his omnibus inueniatur, conf. *Actor. XII, 21. 22. 23.* *

* Ea omnia, quae homines ambitioſi concupiſcunt, adeo vana, inania, inconſtantia eſſe, vt indigna ſint, quae homo ſapiens quaerat, tanto conſenſu gentilium quoque docuere philoſophi, vt ingentia hac de re ex illorum teſtimoniis confici volumina queant. Id vero documento eſt certiſſimo, fruſtra in eiusmodi obiectis animi quietem veram & perennem quaeri. Id quod experientia quoque facile quemuis condocebit. Philoſophorum veterum hac de re teſtimonia diligenter collecta exhibet PETRVS DANIEL HVETIVS, in *quaeſtionibus Alnetanis, lib. 3. cap.* 8. Lubens conceſſerim, multos hic ſuae diſciplinae migraſſe leges, nec ſemper ex animi ſententia locutos: multos contra ambitionem gloriaeque cupiditatem ſtrenue declamando, ſapientiae & eloquentiae quaeſiuiſſe laudem. Sed veritati tamen perhibuerunt teſtimonium, ea ſe credere vera prae ſe ferentes, quae experientia ipſa vera eſſe dictitat, & quae ſi falſa dicere voluiſſent, contra rationem & experientiam pugnando, omnem ſapientiae laudem apud homines ratione vel minimum vtentes, amiſiſſent. Tanta veritatis vis eſt, vt ſi vel maxime affectus aliud quid ſuadeat, contra veritatem tamen & experientiam aliquid proloqui, merito erubeſcant ſanae mentis hominis.

§. LX.

Hinc in officiis erga Deum, & iis quidem, quae ad rectum de Deo rebusque diuinis ſenſum pertinent, ita ſe gerit homo eiusmodi, vt ad extremum haud difficulter impietatis gradum ſe adduci patiatur. Singulares namque de rebus diuinis ſententias aut ipſi inueniunt, aut ab aliis inuentas facile amplectuntur, & ſectantur, vt ſupra vulgus ſapere videantur. * Immo eousque ſubinde progrediuntur, vt res manifeſtisſimas, ipſamque Numinis exiſtentiam in dubium vocent, & quandoque, praeſertim ſi periculum abſit, publice propugnent, ne quid ſcilicet cum vulgo, hominibusque ſua opinione ſtupidis, & imperitis,

tis, commune habere videantur. Sectarum praeterea & haereſeon hinc prodeunt conditores, ** cum ad nouas opiniones non minus inueniendas aut amplectendas, quam acriter & pertinaciter defendendas, proni ſunt. Id quod Paulus iam docuit: *ſi quis diuerſam tradit doctrinam, neque ſanis verbis domini noſtri Ieſu Chriſti inhaeret, & doctrinae, quae eſt ſecundum pietatem,* τετύφωται, *inflatus eſt. 1 Tim. VI, 4.* Promtus idem eſt, ad haereſeos notam aliis, etiam innocentibus inurendam, ſi ſuae auctoritati & exiſtimationi ſe hac ratione conſulere poſſe, exiſtimet. Pruritus namque alios vellicandi, contradicendi ſtudium, pertinacia in ſententia ſemel arrepta ſtrenue defendenda, & alia eiusdem commatis vitia, funeſta maximopere eccleſiae, & diuinae veritati noxia, huic hominum generi, fere propria ſunt.

* Eiusmodi hominibus ſymboli loco eſt illud LVCRETII:

Nil dulcius eſt, bene quam munita tenere,
Edita doctrina ſapientum templa ſerena,
Deſpicere vnde queas alios, paſſimque videre
Errare, atque viam palantes quaerere vitae,

de rerum natura, lib. 2. p. m. 35. ex edit. OBERTI GIFANII. Legi etiam merentur, quae eleganter hac de re diſſerit IOAN. CLERICVS, de *incredulitate, lib.* 1. *cap.* 2. *p.* 30. *ſeqq.* Poteſt autem ambitio & alia ratione erroribus occaſionem praebere, dum homines veritatem ab aliis prolatam ſub examen reuocare dedignantur, adeoque in erroribus ſuis permanent. Id multis philoſophorum gentilium circa religionem chriſtianam contigiſſe, nullus plane dubito.

** Non equidem abnuo, poſſe & aliis quem induci cauſſis, vt errorem quendam eligat aut defendat: at rarius illud fieri experientia docet. Immo in aliorum potius militabunt caſtris, quam ſectae caput conſtituent, qui alia, quam ambitione, ad hoc inducuntur cauſſa. Noſtrae ſententiae PAVLVS Apoſtolus ſuffragatur, vti oſtenſum. Idem patribus paſſim, veteribusque eccleſiae doctoribus, obſeruatum. IVSTINVS MARTYR, vel quisquis eſt auctor *quaeſtion. & reſponſ. ad orthodoxos*: δῆλον ἐστιν ὅτι ἐκ φιλοδοξίας ἢ ἀντιπαθείας τῶν αἱρεσιαρχῶν, πᾶσαι αἱ αἱρέσεις τὰς ἀφορμὰς ἐσχήκασι τῆς συστάσεως αὐτῶν. *Manifeſtum eſt, omnes haereſes occaſionem habuiſſe ex ambitione, & mutua inuidia haereſiarcharum, qu.* 4. *p. m.* 394. Conſentit CHRYSOSTOMVS: ἐκ τοῦ μὴ φιλεῖν ἀδελφοὺς τοὺς ἑαυτῶν, ἐφθόνουν εὐδοκιμοῦσιν, ἐκ δὲ τοῦ φθονεῖν ἐφιλάρχουν, ἐκ δὲ τοῦ φιλαρχεῖν αἱρέσεις ἔτεκον. *Quoniam fratres ſuos non diligebant, inuidiae ſtimulis exagitabant bene audientes; ex inuidia dominandi libido oriebatur; ex dominandi vero libidine, haereſes natae ſunt, hom.* 2. *in* 1 *ad Timoth. tom.* 4. *p.* 255. Breuius THEOPHYLACTVS: φιλαρχία τῶν αἱρέσεων μήτηρ: *dominandi libido haereſeon mater eſt,* in *cap.* 5. *ad Galatas, pag.* 483. conf. & ISIDORVS PELVSIOTA *epiſt.* 56. *lib.* 4. *pag.* 441. & qui ex inſtituto hocce argumentum tractauit, B. IO. GVIL. BAIERVS, peculiari *diſſertat.* de *ambitione haereſium cauſſa.*

§. LXI.

Cultum Numinis in ambitionis ſuae inſtrumentum callide conuertunt, exemplo Ieroboami, *1 Reg. XII, 28. 29.* Internum, niſi forte in ſtatu legali & hypocritico ſubtiliori conſtituti fuerint, parum curabunt. Externum rebus ſuis ſcite attemperant. Si ſcilicet expedire ſibi credant, pro piis deuotisque haberi, eum ſummo ſtudio oſtentant, vt cautos etiam quandoque decipiant homines, iisque tales ſe eſſe perſuadeant, quales videri cupiunt.

§. LXII.

Digitized by Google

§. LXII.

Temperantia, laborum tolerantia, parſimonia, fortitudo & conſtantia, magnam quidem excellentium virtutum ſpeciem in officiis erga ſeipſum, praebent: at in iis, qui ambitioni litant, virtutes ſaltem ſunt apparentes, ſplendidaque, ſi dicendum, quod res eſt, vitia. * Animi potius quam corporis curam gerunt, ſed vt ad magna quaeuis, praeclara, excelſa, apti ſint. Ad iracundiam praeterea procliues ſunt, audaces iidem, & ad profuſionem proni, ſi ad gloriam vel laudem hoc facere putent: tempore denique & opportunitate vti norunt, nullam temere elabi ſibi permittentes.

* Id praeter alios recte etiam docet, pluribusque comprobat, ERASMVS IOANNES BROCHMANDVS, in *ſpecimine ethices hiſtoric. cap.* 8. *n.* 5. *Labores*, inquit, *ferre ac pericula ſuſcipere, nemo illorum erat, qui non libenter vellet, aut ſemel ſuſcepta indeſinenter non poſſet ſuſtinere.* Quod ad iram proni ſint eiusmodi homines, & in omnem audaciam prompti, idem auctor condocet.

§. LXIII.

Erga alios iniquisſimi ſunt mortalium: * ſibi omnia, reliquis nihil tribuentes: ipſi imperare cupientes, dura ſeruitutis lege aliis impoſita. Interdum equidem, cum generoſiores videri volunt, alios non temere laedunt: at ſi praerogatiua quaedam & ἐξοχὴ quaerenda, graviſſimis alios afficere iniuriis, eosque mente, ore, facto laedere, contemnere, deprimere, vexare, fidemque fallere datam, ſibi non ducent religioni. Diſſimulatores iidem ſunt, ** ingrati, ad quiduis patrandum, modo imperii, augendaeque aut gloriae, aut potentiae cauſſa fiat, parati. Metui etiam malunt, quam amari, quod metus potentiae & imperii quaedam ſit confeſſio. Amicitiam, vt rebus ſuis expedit, ineunt, initamque, quamdiu hoc ſibi conducere putant, ſeruant, conſilio & hic cuncta potius, quam impetu aut affectu, agentes.

* Paucis cuncta complectitur DIO CHRYSOSTOMVS: *ſint igitur, vt quam breuiſſime dicamus mores eius, contentionis ſtudium, ſtultitia, faſtus, arrogantia, aemulatio, & quae his agreſtibus perturbationibus vicina ſunt maxime l. c.* Ad ſocietatem itaque etiam colendam vel maxime ineptos eſſe eiusmodi homines, alii oſtendunt. Inter ſocialitatis enim leges haud profecto vltima eſt, ne quis ſine ratione, & temere ſe praeferat aliis, qua de re ſuo loco dicetur. Ex veteribus philoſophis idem agnouit, docuitque ARISTOTELES, *Rhetoric. lib.* 2. *cap.* 17. vbi non paruam aut vulgarem, ſed immodicam iniuſtitiam eiusmodi hominibus tribuit. Sunt, ſecundum eius ſententiam, non μικραδίκητοι ſed μεγαλάδικοι.

** Hoc ita exprimit SALLVSTIVS: *ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit, aliud clauſum in pectore, aliud promptum in lingua habere; de bello catil. cap.* 10. Eodem pertinet quod idem de amicitia horum hominum dicit: *amicitias inimicitiasque, non ex re, ſed ex commodo aeſtumant, magisque vultum, quam ingenium bonum habent.*

§. LXIV.

In ſtatibus magna plurimaque ex hocce vitio oriuntur incommoda. Inferiores enim hac indole praediti, contumaces ſunt, immorigeri, iugi impatientes, ad frena mordenda proni. Superiores contra, aſperi ſunt, rigidi, inclementes, delicta grauiſſime puniunt, veniam raro impertiunt, metui volunt. In eccleſiaſtico munere conſtituti, non docere, ſed imperare, ipſis etiam imperantibus cupiunt, *ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, 1 Petr. V, 3.* Paucis: ambitionis vitio laborantes plane intolerabiles ſunt? Deo ideo aliisque hominibus inuiſi. Inter prima namque, quae Deus odit, *oculi elati ſunt, Prouerb. VI, 17.* quare illis etiam obſiſtit, *Matth. XXIII, 12. 1 Petr. V, 5. Iacob. IV, 6.* eosdem deprimit, *Iob. IX, 13. XL, 6. 7. Matth. XI, 23.* Decori denique obſeruantiores aliis ſunt ambitioſi, nec ad hoc inepti, licet & hic vitii iſtius ſatis ſe prodat prauitas, vt alibi exponitur. *

* Videntur repugnare, quae THEOPHRASTVS, locis ſupra ad §. 55. citatis, aliique hac de re habent. Sed qui diſſentiunt, non ſatis attendunt ad diſcrimen morum, qui ex ambitione fluunt, & qui hominum ſunt cum ambitione auaritiam, aliaque vitia, coniungentium. Quod ſi obſeruetur, dictis ſua conſtabit veritas.

§. LXV.

Supereſt *auaritia:* quo nomine non pecuniae ſaltem, ſed rerum quarumuis vtilium, cupiditatem deſignamus. * Pecuniam enim ideo praecipue amant auari, quod eius beneficio, reliqua facile comparentur. Eſt itaque nobis auaritia, infinita voluntatis propenſio, qua ad bona quaeuis terreſtria ſub ſpecie vtilitatis fertur, & cum iis ſe vnire cupit, ita, vt quietem in iis quaerat, ſed non inueniat.

* Ideo & DIO CHRYSOSTOMVS *l. c. p.* 85. amatorem diuitiarum, vocat *genium auri, argenti, terrae, pecorum, & omnium poſſeſſionum cupidiſſimum.* Hinc & vulgo auaritia definiri ſolet, *per inordinatum amorem diuitiarum.* vid. HENRICVS AS. IGNATIO in *ethica amoris lib.* 10. *part.* 2. *cap.* 18. Ex philoſophis auaroſum mores deſcribit THEOPHRASTVS in *characteribus morum cap. de ſordida parſimonia, pag.* 32. item *cap. de illiberalitate, pag.* 60. Quem tamen non vbique rem acu tetigiſſe, iudicabunt facile harum rerum periti.

§. LXVI.

Infinitam hanc, ſeu inſatiabilem propenſionem eodem ſenſu dicimus, quo ambitionem, & voluptatis cupiditatem, ita vocauimus. Quamuis eminentiori fere ratione in auaritia pateat, propenſionem hanc eſſe inſatiabilem: cum in auarum quadret, quod de hydropico dicitur: *quo plus potantur, plus ſitiuntur aquae:* vel vt Salomonis potius teſtimonio vtar: *qui amat pecuniam, non ſatiatur pecunia, Kohel. V, 9.* conf. & *Eſ. V, 8.* Nec id praetermittendum, cum qua voluptatem, ad animalia bruta proxime accedat homo, qua ambitionem

nem ad malos genios, qua auaritiam vtriusque eum deteriorem videri, cum hocce eiusmodi vitium ſit, quod ſi accurate rem aeſtimes, nec in bruta, nec in ſpiritus, qua tales, cadat.

§. LXVII.

Obiecta auaritiae varia itidem ſunt, & fere innumera. Quidquid enim ſub vtilitatis ſpecie homini blanditur, vt eodem ad ſui conſeruationem ſibi opus eſſe exiſtimet, id hominis auari animum ad ſe attrahit, allicitque. Sic nonnulli in agros, domus, praedia, in librariam ſupellectilem alii, alii in alia feruntur, plerique in aurum argentumque, ſeu pecuniam, rerum omnium pretium eminenter continentem. Idque pro diuerſa ſtatus, educationis, conſuetudinis, aliarumque cauſſarum, auaritiam ad certum obiectum determinantium, ratione.

§. LXVIII.

Cum eiusmodi obiectis vnire ſe cupit auarus, hoc eſt, ea tenere, poſſidere, cuſtodire, ceu propria ſibi ſeruare, conf. *Luc. XII, 19.* Pro obiectorum enim diuerſitate diuerſa eſt vnionis cum illis ratio. Interim in iſta proprietate, quam maximopere appetit auarus, qua ſibi ſoli toto niſu quidquid poteſt, vindicat, philautiae prauae vis, vel maxime conſpicitur. Non vnam itaque qua obiecta, qua gradus, eſſe auaritiam, ſpeciatim *ſubtiliorem* aliam, immo *ſubtiliſſimam*, aliam *craſſiorem* eſſe, hinc facile intelligas.

§. LXIX.

Quam praepoſtere in rebus tam inconſtantibus, tam cito perituris, quietem animi auari quaerant, res ipſa ſatis docet. Ecquid enim diuitiis, opibus, inconſtantius? quid labilius? Quid hiſce, ad veram animae tranquillitatem conciliandam, ineptius? * Tempus, priusquam putant, aduenit, quo adimpletum vident illud Iacobi: ὁ πλῦτος ὑμῶν σέσηπε, καὶ τὰ ἱμάτια ὑμῶν σητόβρωτα γέγονεν· ὁ χρυσὸς ὑμῶν, καὶ ὁ ἄργυρος κατίωται, καὶ ὁ ἰὸς αὐτῶν εἰς μαρτύριον ὑμῖν ἔςαι, &c. *Iacob. V, 2. 3.* In compendio Paulus: παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τῦ κόσμυ τύτυ, *1 Cor. VII, 31.* qui & Timotheo diligenter iniungit, diuites huius ſeculi ſedulo vt adhortetur: μὴ ὑψηλοφρονεῖν, μηδὲ ἠλπικέναι ἐπὶ πλύτυ ἀδηλότητι, ἀλλ' ἐν τῷ Θεῷ ζῶντι, &c. *1 Tim. VI, 17.* add. *Ezech. VII, 19. Zephan. I, 18. Luc. XII, 20.*

* Hoc gentilium etiam philoſophis adeo perſpectum fuit, vt iudice SOZOMENO *lib. 6. hiſt eccleſ. cap. 9.* praecipuum in philoſophia fuerit, *contemnere diuitias.* Indignum quippe plane viro ſapiente putabant, in rebus adeo caducis, inſtabilibus fortunae caſibus obnoxiis, animi quietem, ſummumque quaerere bonum. Hinc TVLLIVS, *nihil,* inquit, *eſt tam anguſti animi, tamque parui, quam amare diuitias, nihil, honeſtius magnificentiusque, quam pecuniam contemnere,* de *officiis lib. 1 p. m* 27. Philoſophorum veterum dicta, facta, quibus diuitiarum contemtum ſignificarunt, diligenter collegit PETRVS DANIEL HVETIVS, in *quaeſtionibus Alnetanis, lib. 3. cap. 16.* Quae omnia de incertitudine & vanitate

vanitate quoque diuitiarum teſtantur, quam & prae reliquis SENECA ſaepius ſibi aliisque in memoriam reuocat. Speciatim & *lib. 6. de beneficiis cap. 3.* egregie hac de re verba facit, ad beneficentiam ſuos hoc argumento adhortans, quod diuitiae incertae ſint, beneficiorum contra memoriam nullus temere caſus tollat. *Omnia iſta*, inquit, *quae vos tumidos & ſupra humana elatos, obliuiſci cogant, veſtrae fragilitatis, quae ferreis clauſtris cuſtoditis armati, quae ex alieno ſanguine raptu veſtro defenditis, propter quae claſſes, cruentaturas maria deducitis, propter quae quaſſatis vrbes, ignari quantum telorum in aduerſos fortuna comparet, propter quae raptis toties affinitatis, amicitiae, collegii, foederibus, inter contendentes duos, terrarum orbis eliſus eſt,* NON SVNT VESTRA. *In depoſiti cauſſa ſunt, iam iamque ad alium dominum ſpectantia, aut hoſtis iſta, aut hoſtilis animi ſucceſſor, inuadet; &c.*

§. LXX.

In officiis erga Deum, & quidem ſi primo rectum de Numine ſenſum ſpectes, ad idololatriam & ſuperſtitionem, erroresque quosuis grauiores, quos a tenera aetate imbibit, pertinaciter retinendos, procliuem admodum eſſe auarum, & ratio & experientia dictitat. Iudicii defectus, rerum creatarum amor immodicus, quo facile inducitur, vt his aliquid diuini ineſſe credat, domeſticarum rerum cura, quae accuratius in veritatem inquirere non permittit, ad hoc conſpirant.

§. LXXI.

Deum non colit auarus, ſed Mammona, *Matth. VI, 24.* Nummum aeſtimat pro numine. Hinc *idololatra* dictus, *Epheſ. V, 5. Coloſſ. III, 5. Matth. XIX, 22. Iob. XXXI, 24. Pſ. LXII, 11.* Scilicet, licet Deum verum, cultu etiam interno colere ſibi videatur, peruerſe tamen hoc facit, * vt fortunarum ſcilicet ſuarum ab eo impetret incrementum, ſimilesque ob cauſſas. Ideoque & cultui externo admodum addictus eſt, in ſtatu legali ſi non craſſiori, ſaltem ſubtiliori, plerumque conſtitutus. Cupiditas ſubito diteſcendi, ad magiam, ſimiliaque crimina, facile eum inducit. *1 Tim. VI, 9.*

* Superſtitio itaque auaris eſt propria. Hanc namque recte THEOPHRASTVS per δειλίαν πρὸς τὸ δαιμόνιον, *meticuloſum erga numen affectum*, definit, in *characteribus morum p. m. 47.* conf. & CASAVBONVS ad *h. l.* Nimirum, metus bona ſua amittendi, aut ne ſine ſperato excidat, votique non reddatur compos, hominem auarum ad cultum Numinis ineptum, impellit. Quadrant huc vota & preces hominis auari apud HORATIVM:

– – – O! ſi angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum,
O! ſi vrnam argenti fors qua mihi monſtret, vt illi
Theſauro inuento, qui mercenarius agrum,
Illum ipſum mercatus, arauit diues amico.

ſatyrar. lib. 2. ſatyr. 6. v. 8. ſeqq. Eundem in modum & DIO CHRYSOSTOMVS *l. c.* auarum inducit. *Deos ipſos non amplius eſſe putantem, niſi ei maximos & complures theſauros patefecerint, aut mortes afferant amicorum, & cognatorum, ex quibus haereditates ſubſequantur.*

§. LXXII.

In officiis erga ſeipſum, virtutum quarundam, ſed apparentium ſpeciem in eo deprehendas, laborum patientiam, voluptatum contemptum,

temptum, parſimoniam, &alia. Scilicet, auaritia ipſa illi parſimonia eſt; labores & vigilias tum ſubire paratus eſt, ſi id ad rem faciendam neceſſarium credat; a voluptatibus tum demum ſibi temperat, cum ſumptibus parcit. * Interim nec animae nec corporis curam gerit, prodigus vtriusque, cum opes vtrique praeferat: meticuloſus idem, inconſtans, ad praeclara quaeuis & egregia ineptus, abiectus in aduerſis, deſperabundus interdum, & ad violentas ſibi ipſi inferendas manus, pronus.

* Id DIO CHRYSOSTOMVS *l. c. p.* 88. ita exprimit; *imprimis pecuniae inexplebili cupiditate ardet, & eius conquirendae praeclarus eſt artifex, eamque noctu dieque perſequitur, per omnes eius vias, ceu luna decurrens &c.* add. & ERASMVS IOANNES BROCHMANDVS, in *ſpecim. ethic. hiſtor. cap.* 3. *pag.* 204. & 212.

§. LXXIII.

Erga alios inhumanus eſt, immiſericors, calumniator, inuidus, fraudulentus, perfidus, litigioſus, beneficia nec in alios conferens, nec in ſe collata, grato animo agnoſcens, ad amicitiam prorſus ineptus. Immo nullum ſcelus eſt, in quod auaritia hominem incitare nequeat, & protrudere. * Hoc vel Iudae proditoris exemplo conſtat. *Matth. XXVI, 15.* Hinc furta, ſacrilegia, *Ioſ. VII, 1. Actor. V, 1.* caedes, proditiones, & omne malorum genus.

* Conſentiunt in eo fere omnes, ethnici pariter ac chriſtiani, non temere peſtilentius aut pernicioſius vitium eſſe, anaritia. SALLVSTIVS: *auaritia fidem, probitatem, ceterasque artes bonas ſubuertit: pro his ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere, edocuit;* in *bello catilinar. cap.* 10. Auarum itaque, velut peritus pictor ita delineat DIO CHRYSOSTOMVS *l. c p.* 87. *nunquam ridet* (in eo fallitur) *nunquam facilem ſe praebet, in omnes ſuſpicioſus eſt, improbos cunctos exiſtimat, omnibus diffidit, vultu rapaci praeditus eſt, digitos perpetuo torquet, aut ſuas aut alterius diuitias numerat.* Rem omnem paucis complectitur ipſe apoſtolus, dum auaritiam ῥίζαν πάντων τῶν κακῶν, *radicem omnium malorum vocat,* 1 *Tim. VI,* 10. Quod ita explicat CHRYSOSTOMVS: ὅσα ἂν εὕρῃς κακὰ κἂν ἐν οἰκίᾳ, κἂν ἐν ἀγορᾷ, κἂν ἐν δικαστηρίοις, κἂν ἐν βουλευτηρίοις, κἂν ἐν βασιλείοις, κἂν ὁπουδήποτε, ἐντεῦθεν πάντα ὄψει βλαστάνοντα. *Quaecunque inueneris mala, ſiue domi, ſiue in foro, ſiue in iudiciis, ſiue in curiis, ſiue in regia, ſiue quocunque alio in loco, hinc omnia videbis naſci, homil.* 11. *in epiſt. ad Roman. pag.* 85. Alibi, ſcilicet in *Pſalm. XLVIII.* diuitiarum cupiditatem vocat, τὴν ἀκρόπολιν τῶν κακῶν, *malorum ſummum apicem.* Eadem plane ratione POLYCARPVS, in *epiſtola ad Philippenſes:* ἀρχὴ πάντων κακῶν φιλαργυρία, *initium omnium malorum auaritia.* conf. & CLEMENS ALEXANDRINVS, *paedagog. lib.* 2. *cap.* 3. Peſſimos auaritiae fructus, eadem fere ac nos ratione, enumerat GREGORIVS M. *moral. lib.* 31. *cap.* 17. *De auaritia,* inquit, *proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentiae, & contra miſericordiam obdurationes, oriuntur.* Sed, quid teſtimoniis opus, cum ipſa hoc omnes condoceat experientia?

§. LXXIV.

Noxium denique valde ſingulis ſtatibus eſt auaritiae vitium. Perdit familias, *Prouerb. XV, 27.* rempublicam, *Prouerb. XXIX, 4.* 1 *Sam. VIII, 3.* eccleſiam, vnde tam ſedulo epiſcopos & presbyteros monent apoſtoli, vt ab eo ſibi caueant. 1 *Tim. III, 3. Phil. II, 20. 21.* 1 *Petr. V, 2.* *

 Inſe-

Digitized by Google

Inferiorum equidem in ſingulis ſtatibus non male interdum ſuſtinere videntur perſonam, cum iugi ſint patientes, laborum, ſi neceſſitas iubeat, tolerantes, ad rem familiarem tuendam atque augendam apti: at perfidia ſua, fraudulentia, furacitate, dominis & ſuperioribus ſuis multum interdum nocent. Ad imperandum vero nemo ineptior. Nec venerationem, nec amorem a ſibi ſubiectis facile impetrant. In ſtatu domeſtico, inferioribus denegabunt, quae ad vitam honeſte ſuſtentandam pertinent: princeps eiusmodi laborans vitio, nec miniſtros ſervosque fideles habebit, nec morigeros ſuique amantes ſubditos, quos exactionibus nimiis eneruatos a ſe alienabit, imprudenter praeterea & inconſiderate multa ſuſcipit, quae parum feliciter finit. Decori quam parum obſeruantes ſint auari, iam aliunde conſtat.

* Vnde DIO CHRYSOSTOMVS, omnes hoc vitium deformare, ait, & mirum in modum turpitudinem adſpergere, *ſiue priuatum aliquem*, *ſiue regia forma ceperit*: quod pluribus ediſſerit *l. c.* add. THEOPHRASTVS, in *characteribus morum p.* 32. 33. qui & decorum auarorum attingit, cum *p.* 12. 13. de ἀγροικίᾳ ſeu *ruſticitate*, & *p.* 49. περὶ μεμψιμοιρίας ſeu de *iniqua querulitate*, agit.

§. LXXV.

Iam de tribus iſtis vitiis capitalibus porro obſeruandum, quod licet natura omnibus hominibus iunctim inſint, vnum tamen prae reliquis plerumque emineat, & velut dominetur, primumque obtineat locum. Praeterea, ex trium iſtorum vitiorum cardinalium in vno eodemque homine coniunctione, aut ſi ita loqui liceat, commixtione, eorundemque pro diuerſis ſtatibus, vitaeque generibus, aliisque cauſſis, modificatione, infinitam fere inclinationum & propenſionum, varietatem, oriri neceſſe eſt, vt inter tot homines vix duos deprehenſurus ſis, qui moribus & inclinationibus ſibi prorſus ſint ſimiles.

§. LXXVI.

Nimirum, vt tantae varietatis fontem, paucis deſignemus, primo quidem propenſiones ipſae & iunctim & ſeparatim ſumptae, in vno homine vehementiores, aut debiliores ſunt, quam in altero, idque pro conditione temperamenti corporis, educationis, conſuetudinis, aliarumque cauſſarum. Deinde, ſi eas propenſiones in vno eodemque homine conſideres, easdemque inter ſe conferas atque contendas, eas variis a ſe inuicem diſtare gradibus, deprehendes: ſecunda namque ad primam ſe habere poteſt, vt duo ad quatuor, ad ſex, ad octo, & ſic porro; item vt tria ad ſex, ad nouem, ad duodecim, &c. & ita tertia ſe habere poteſt ad ſecundam. Quemadmodum itaque iam ex eo, quod mox ambitio primum, voluptas ſecundum, auaritia tertium, mox voluptas primum, ambitio ſecundum, auaritia tertium, & ſic porro, locum

teneat,

Digitized by Google

teneat, varietas quaedam oritur, ita ſi graduum iſta diuerſitas ſimul in cenſum veniat, maximam profecto inclinationum particularium diuerſitatem inde exſurgere oportet. Iam ſi his porro omnium iſtarum propenſionum modificationem diuerſam, pro diuerſa hominum aetate, ſexu, ſtatu, addas, quod aliter e. g. ambitio in milite, aliter in mercatore, aliter in principe, ſe exerat, infinitam prorſus & incredibilem iſtam inclinationum varietatem non amplius miraberis.

§. LXXVII.

Coniunctionis iſtius diuerſarum propenſionum, quarum vna interdum aliam temperat, interdum certa ratione modificat, hic etiam effectus eſſe ſolet, vt vitia quandoque minus conſpicua fiant, ſpeciemque virtutum induant. * Rurſus tamen contingit, ſi quae maxime ſibi repugnant, aequali fere gradu coniungantur, vt vitia magis, ſubinde ridicula quadam ſpecie, ſeſe prodant, omniumque oculis offerantur. Vtrumque exemplis luculentis conſtat. Quaenam autem ſingularum iſtarum propenſionum in alias animi facultates, ſpeciatim intellectum vis ſit, iam alibi dictum, dignum tamen, quod expendatur haud perfunctorie.

* Hinc *pſeudo-virtutum*, quibus ſeipſos, alioſque miſere decipiunt mortales, tanta effloreſcit ſeges; de quibus deinceps §. 90. *ſeqq.* Illuſtre huius rei exemplum, in *virtute* quam vulgo *heroicam*, vocant, conſpicitur. Accuratius enim ſi heroum, quos vocant, ALEXANDRI M. IVLII CAESARIS, aliorumque, facinora conſideres, nihil aliud quam eminentem quandam ambitionem, voluptatis cupiditate quandoque temperatam, in illis deprehendes. Hinc enim illa fortitudinis, clementiae, iuſtitiae, humanitatis, ex quibus heros cenſetur, ſpecies. Bella iniuſta, rapinae, oppreſſa libertas, gentium caedes, vrbium ruinae, adulteria, ſcortationes, non obſtabunt, quo minus ſit maneatque *heros*; dignus qui gentibus imperet, cum ipſe ſuarum cupiditatum ſeruus ſit turpiſſimus. Virtutem interim heroicam in eiuſmodi hominibus, qui vix hominum titulo nomineque digni, laudant poetae, oratores, hiſtorici, philoſophi, & quis non? ignorantiae ſcilicet ita ſuae, aut ſtultitiae, documentum, ſapientioribus relicturi.

§. LXXVIII.

Supereſt, vt in tantae corruptionis, quae voluntati hominis inſidet, cauſſas inquiramus. Quas inter primum praecipuumque locum tenet, labes originalis. * Per hanc enim vt intellectus tenebris obfuſcatus eſt, ita voluntas a Deo auerſa, ſuique amore repleta, & hinc ad praua quaeuis & noxia prona eſt. Quidquid enim ex carne natum eſt, caro eſt, *Ioan. III, 6 Pſ. LI, 7.* Qui autem carnales ſunt, τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσι, ea ſaltem *ſapiunt*, adeoque & appetunt, quaerunt, concupiſcunt, quae *carnis* ſunt. conf. & *Iob. XIV, 4. Rom V, 12. 14. Epheſ. II, 3.* Vnde nemo quoque exemptus eſt, cum ex carnali generatione, qualis omnium hominum eſt, non poſſint alii, quam carnales prodire. Et licet per regenerationem, dominium peccati originalis infringatur, penitus tamen, quamdiu viuit homo, extirpari nequit; ideoque & contra

rei-

reliquias eius, motusque carnales, regenitis & ſanctis hominibus, nunquam non pugnandum eſt. *Gal. V, 17. Rom. VI, 12.* In impiis autem & irregenitis dominatur adhuc peccatum originale, adeoque & philautia, & propenſiones prauae hinc ortae, etſi in vno magis hae, in alio aliae: qui ideo prauarum ſuarum cupiditatum ſerui, merito dicuntur. *Rom. VI, 16. 2 Petr. II, 19.*

• Viderunt & gentilium philoſophi, magnam vehementemque in homine ad praua eſſe inclinationem, facile etiam colligere potuerunt, inordinatum ſui amorem omnium vitiorum eſſe fontem, ſed vnde tanta hominum prouenerit corruptio, & ad amoris ordinati turbandos circulos pronitas, id quidem ignorarunt, nec capere potuerunt, aut ſi quid forte tradiderunt, quod ad veritatem quodammodo accederet, id ex traditione, aut commerciis cum Iudaeis accepiſſe videntur. ARISTOTELES in mali huius originem inquirens, ad *τὸ συγγενὲς* prouocat *lib. 3. ethic. cap. vlt.* Stoici culpam omnium malorum in materiam conferebant, in quo & alios gentilium philoſophorum, ſecum habuerunt conſentientes. vid. IVSTVS LIPSIVS *manuduct. ad Phyſiol. Stoic. lib. 1. diſſert. 14 & 15.* Epicurei ſublata diuina prouidentia, mala ſua ſponte oriri docebant. Alii aliter ſentiebant. Cumprimis ſententia illorum, qui duplex aliquod principium, alterum boni omnis, alterum omnis mali fontem, ſtatuunt, a Zoroaſtre, vt creditur, excogitatum, a plurimis gentilium philoſophorum, directe aut indirecte adprobatum, a Manichaeis in ipſam eccleſiam chriſtianam introductum, hinc ab aliis ſubinde arreptum, multorum occupauit animos. Ad originem enim mali omnis explicandam, eam perquam accommodatam eſſe, exiſtimarunt. Quo ipſo illis contigit, vt dum euitare charybdin voluerunt, in ſcyllam inciderent. Nihil enim ad omnem euertendam religionem, pietatemque e medio tollendam, accommodatius, nihil clariſſimis etiam rationis principiis, & ideae, quam de ſumma Numinis perfectione omnes habent, aduerſum magis, quam haec de duplici principio, vtroque quidem independente, ſententia. Quare cum ratio originem mali ignoret, non eo tamen progredi debet, vt admittat, quae ſuis principiis vel maxime aduerſantur, cum ſuae ignorantiae aut imbecillitatis profeſſione, facilius hinc ſe expedire queat. Multo vero minus ſtatuendum, Dei bonitatem in rationis humanae foro, a malitiae labe, ob permiſſum liberi arbitrii abuſum, vindicari nullo modo poſſe, niſi Manichaeorum adprobetur ſyſtema, quem PETRI BAELII errorem, grauiſſimum ſane & admodum noxium, poſt IO. CLERICVM, IACOBVM BERNARDVM, & IAQVELOTIVM, ex inſtituto profligauit, IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, in *Manichaeiſmo ante Manichaeos ſect. 3.* praeſertim §. 14. *ſeqq. p. 369. ſeqq.* qui & in antecedentibus, tum originem, tum vniuerſalitatem huius erroris, de duplici principio, pluribus ediſſerit. Ad Deum originem mali referri non poſſe, ex inſtituto oſtendit GVILIELMVS KING de *origine mali*, etſi ſubinde quaedam immiſceat, quae ſine accuratiori examine non dimittenda: qua de re alibi. Quod vero diximus, rationem, mali genuinam originem ignorare (ex qua ignorantia non potuerunt non foediſſimi theologiae gentilis errores oriri) id profecto res ipſa docet, cum de lapſu tum angelorum, tum primorum parentum nihil certi mortalibus, niſi ex ſcripturae ſacrae indicio, innoteſcat. Hinc & AVGVSTINVS, cum dicentem induxiſſet TVLLIVM, non vt a matre, ſed vt a nouerca natura editum eſſe hominem, in quo tamen velut obrutus ineſſet, ignis quidam diuinus mentis, ſubiungit: *non hoc auctor iſte male viuentium moribus dixit effectum, ſed naturam potius accuſauit. Latebat enim eum, cur eſſet graue iugum ſuper filios Adam, quia ſacris litteris non eruditus, ignorabat originale peccatum, lib. 4. contra Iulianum cap. 12.* Mirum itaque, fuiſſe, qui labem originalem ex lumine rationis deriuare anniterentur. Occurrunt equidem in gentilium, tum poetarum, tum philoſophorum ſcriptis, effata, quae probare videntur, eos notitia huius rei non fuiſſe plane deſtitutos. Illuſtre prae ceteris eſt teſtimonium PYTHAGORAE in *carmin. aureis v. 29.* vbi malum hoc *συνοπαδὸν* vocat, quod cum dicto Pauli *Rom. VII, 21.* confert FRIDERICVS RAPPOLDVS, *comment. in Horatium p. 1152.* Huc & nonnulli referunt, quae poetae, ſpeciatim HORATIVS *lib. 2. ode 3.*

de furto

de furto Promethei referunt: haec enim lapſum primorum parentum adumbrare, autumant. Immo & in eo quod PLATO comminiſcitur, animas mortalium ſimul a Numine conditas, & ob neſcio quod ſcelus deiectas detruſasque in corpora velut carceres eſſe, huius veritatis quaedam ſibi inueniſſe veſtigia, videntur. vid. MARSILIVS FICINVS *comment. ſuper Platon. conuiu. orat. 4. cap. 4.* Verum & incerta haec ſunt, & obſcura: & ſi quid forte veri ſubfuit, nihil aliud inde ſequitur, quam per traditionem aut commercia cum Iudaeis, famam quandam, de lapſu primorum hominum ad eos perveniſſe, vt iam antea obſeruauimus. add. TOBIAS PFANNERVS, *ſyſtem. theolog. gentil. purioris cap. 9. §. 6. ſeqq.* item quae nos hac de re diximus in *diſſertat. de religione naturali contra Petrum Chauuinum, cap. 1. §. 10.* & in diſſertat. 3. de *praecipuis Stoicorum in philoſophia morali erroribus*, §. 5.

§. LXXIX.

Ad innatum tamen hocce omnibus hominibus malum partim augendum & corroborandum, partim modificandum, & quadantenus determinandum, plurimum conferunt, conſtitutio corporis, * educatio, ** imitatio, *** conſuetudo, **** conuerſatio cum aliis, * errores & praeiudicia intellectus. ** Quae omnia cum hodie ad voluntatem hominis ad praua quaeuis alliciendam, conſpirent, haec vero iam ſua ſponte ad ea prona & longe propenſiſſima ſit, profundam & intimam eius corruptionem, ſatis inde intelligere licet.

* In corpore, non in mente, mali originem quaerendam eſſe, nonnullorum hodie eſt ſententia, immo veterum plurimorum fuit. Maxime mirandum, fuiſſe & inter Iudaeos, qui huic ſententiae adſtipularentur. Auctor celebris libri COSRI, de corpore Adami, ita verba facit, vt omne diſcrimen, quod inter noſtra & illud intercedit, oriri innuat, *a temperamento ſeminis paterni*, aut a *ſanguine materno*, vel a *ciborum & nutrimenti qualitate*, vel a *diaeta & regimine in annis educationis & pueritiae*, vel denique a *mutationibus aeris, maris & terrae.* Peccati habitualis nulla ibi mentio. Digna ſunt verba, quae legantur & expendantur *part. 1. §. 95. pag. 49.* ex editione IOAN. BVXTORFII. Eadem eſt ſententia MOSIS MAIMONIDIS, cuius hac de re verba ex *More Neuochim part. 3. cap. 8.* adferre lubet: *Quod autem inquit Salomo: mulierem ſtrenuam quis inueniet? perſpicua & clara eſt parabola, quod videlicet, cum homini contingit materia bona & conveniens, quae ei non praeualet, nec diſpoſitionem eius corrumpit aut deſtruit, pro ſingulari dono Dei ſit agnoſcendum & habendum. Summa rei eſt: materia bona & conueniens facile regi poteſt.* Quae verba cum & CAMPEGIVS VITRINGA retuliſſet, recte addit: *clara eſt horum verborum ſententia. Materiam concipiunt hi doctores, vnicum eſſe omnis corruptionis fontem & fomitem. Deſcribunt illam, vt hoſtem, qui mentem impugnat: neque tamen omnibus (licet longe maximae hominum parti) adeſſe hanc vitioſitatem. Volunt, eam non tantum hunc impugnare magis, alium minus, ſed & aliquando euenire, vt homini parum noceat; obſeruationum ſacrar. lib. 3. cap. 9. §. 4. p. 607.* qui & praecedenti *cap. 8.* pluribus, luculentioribusque adhuc teſtimoniis, hanc Iudaeorum eſſe ſententiam euicit: quod & IO. COCCEIVS iam obſeruauit, in *ſumm. theol. cap. 24. §. 21.* ne quid nunc de RAYMVNDO MARTINI dicam, atque CHRISTOPHORO HELVICO, quorum ille copioſe hac de re diſſerit in *pugione fidei part. 3. diſſertat. 2. cap. 6.* hic vero in diſſert. de *proteuangelio*, quae inſerta eſt *bibliis criticis*. Quam corrupta Iudaeorum de peccato, ſpeciatim de peccato originis, ſit doctrina, hinc apparet. Et ſane de grauiſſimo hocce doctrinae coeleſtis capite, iam tempore Chriſti & apoſtolorum minus recte eos ſenſiſſe, haud obſcuris indiciis, ex hiſtoria euangeliſtarum & epiſtolis Paulinis, colligere licet. Hauſerintne Iudaei hanc doctrinam a gentilibus, nunc non disquiram: hoc certum, gentilium philoſophorum, ſaltem plerorumque, ſpeciatim Platonicorum & Stoicorum hypotheſin, de materia omnis mali fonte, huic ſententiae

tentiae occaſionem praebere: immo hanc ex illa non poſſe non fluere. Gentiles autem in huncce prolapſos errorem, quod mali originem ignorarent, iam ſupra nobis obſeruatum eſt. add. IACOBVS WINDETVS *de vita functorum ſtatu, ſect.* 3. *p.* 32. *ſeqq.* Hodie eandem ſententiam inter alios propugnant, qui ex ARMINII ſchola prodierunt, vt videre licet apud PHILIPPVM A LIMBORCH *theolog. chriſt. lib.* 3. *cap.* 4. *p.* 178. *ſeqq.* Verum non in corpore, ſed in mente praecipuam mali ſedem collocandam eſſe; rationibus quam plurimis condoceri poteſt, & ſcriptura quoque luculenter teſtatur. *Interno enim*, inquit ipſe ſeruator, *ex hominum corde*, (h. e. mente, praecipue voluntate,) *prodeunt prauae cogitationes, adulteria, ſtupra, caedes &c. Marc.* VII, 21. Paulus τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς vocat ἔχθραν εἰς Θεὸν *inimicitiam aduerſus Deum*, *Rom.* VIII, 7. Inimicitia autem aduerſus Deum, menti competit, non corpori. Idem, *mentis noſtrae ſpiritu nos renouari* iubet, mentem praecipue corruptam eſſe, haud obſcure innuens, *Epheſ.* IV, 22. Ideoque & in homine ad imaginem Dei reſtaurando requirit, τὴν καθαρὰν καρδίαν & συνείδησιν ἀγαθὴν, 1 *Tim.* 1, 5. Quae & ratio eſt, quod conuerſio peccatoris in ſcriptura vocetur καθαρισμὸς τῆς καρδίας, *Actor.* XV, 8. Nec aliter res ſe habere poteſt. Cum enim Deus homini primo corpus dederit ſanum (qua de re, nemo ſanae mentis dubitauerit) omnis inordinati motus ſanguinis ac ſpirituum expers, & totum ſubiectum arbitrio atque imperio mentis, non poteſt illius ἀκρασία aliunde ortum trahere, quam a mente, ac proin vitioſitas in mente prius concipienda eſt, quam in corpore. Nec obſtat, quod ſcriptura ſacra in corpore ſedem peccati paſſim ſtatuere videatur. Subinde enim praua concupiſcentia *carnis* ἐπιθυμία σαρκικὴ, *concupiſcentia carnalis*, vel τοῦ σώματος, *corporis*, vocatur, vt loca ſupra iam allegata condocent. Enimuero, ſi arctiſſimum, qui inter corpus & animum intercedit, nexum conſideres, per quem adeo contingit, vt motus mentis in corpus, & corporis motus in mentem deriuentur, rationem facile perſpicies, cur corpori quandoque tribuatur, quod menti eſt proprium. Corpus itidem per peccatum maxime corruptum non negamus: id proh dolor experientia quotidiana, & inordinati corporis motus, quemuis condocere poſſunt. Sed originem peccati, praecipuamque ſedem, in anima quaerendam contendimus. Animi autem iſta labes in corpore, interdum per corpus, maxime ſe exſerit. Praeterea per corporis conſtitutionem, vehementer innatum iſtud malum augetur, & certa ratione etiam determinatur, vti ſupra (§. 42.) dictum. Vnde abunde ratio patet, cur corpori quandoque haec concupiſcentia tribuatur, quae proprie tamen, & praecipue in mente ſedem habet. Laudandus hic iterum CAMPEGIVS VITRINGA, qui luculenter & erudite hac de re diſſerit, *obſeruation. ſacrar. lib.* 3. *cap.* 10. *p.* 614. *ſeqq.*

** Educandi namque liberos ratio, quae hodie vulgo obtinet, valde corrupta eſt & deprauata. In ea namque non id agitur, vt praui affectus, aut tollantur, aut imminuantur, ſed vt ſuſcitentur potius, magisque corroborentur. Hine mox voluptate infantes permulceri & allici, mox ad ambitionem & aemulationem indicatis honoribus, excitari, mox propoſitis praemiis, aut dum opes ceu res magni momenti laudantur & euehuntur, auaritiam in illis incendi videas. Immo tota educatio eſt continua affectuum concitatio, vnde tandem auaritiam, ambitionem, & voluptatis cupidinem admodum in illis firmari, hominesque magis magisque adſueſcere, vt Deum reliquis omnibus poſtponant, mirum non eſt. Qua in re ſumma profecto mortalium imprudentia ſeſe prodit. Recte namque ſi in liberorum educatione atque prudenter ſeſe gerere vellent, omnis illorum huc tendere cura deberet, vt prauorum vis affectuum quouis modo imminueretur, quod per ipſorum affectuum, qui in tenera aetate ſe produnt, legitimam directionem haud difficulter obtineri poſſet. Legiſſe forte poenitebit neminem, quae hac de re habet MALEBRANCHIVS, de *inquirenda veritate, lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 8. & cumprimis OSTERWALDVS, in libro Gallicano idiomate ſcripto, de *fontibus corruptionis, quae hodie inter chriſtianos regnat, &c.*

*** Obſeruatum eſt nonnullis, innatum velut a natura omnibus hominibus eſſe ſtudium aliquod alios imitandi; idque pluribus confirmat MALEBRANCHIVS, *de inquir. verit. lib.*

lib. 2. *part.* 3. *cap.* 1. *pag.* 226. *ſeqq.* Idem iam PLATO intellexiſſe videtur, dum in *Timaeo* dixit, nihil ſine exemplo recte apteque fieri poſſe: atque propterea Deum ipſum in mundo hoc condendo, menti ſuae ideam expreſſiſſe. Digna ſunt hac de re, quae hic legantur QVINTILIANI ex *lib.* 10. *inſtitut. orator. cap.* II. verba: *atque omnis vitae ratio ſi conſtat, vt quae probamus in aliis, facere ipſi velimus. Sic litterarum ductus, vt ſcribendi fiat vſus, proni ſequuntur. Sic muſici docentium, pictores opera priorum, ruſtici probatam experimento culturam, in exemplum intuentur. Omnis denique diſciplinae initia ad propoſitum ſibi praeſcriptum formari videmus.* Et nihil profecto frequentius, quam vt homines, vitia & virtutes aliorum imitentur, quin & geſtus, veſtimenta, ſermonem, & alia. In cauſam autem huius rei inquirenti, cur tam proni ad alios imitandos ſint mortales, non alia ſe offert, quam ipſa philautia, ſed amor ſui ipſius. Id bene expreſſit QVINTILIANVS, dum dixit *l. c.* facere nos velle, *quae probamus in aliis.* Quae enim nobis diſplicent in aliis, ea neutiquam imitamur. In iis itaque, quos imitamur, aut imitari cupimus, praeſtans quid & eximium nobis deprehendere videmur, ſtatumque noſtrum meliorem fore credimus, ſi iis hac in re ſimus ſimiles. Id quod philautiae profecto documentum longe manifeſtiſſimum. Nec obſtat, quod vitia etiam aliorum imitemur. Qui enim hoc faciunt, in ipſis vitiis eximium quid & praeſtans ſibi deprehendere videntur: qua in re licet iudicii imbecillitatem prodant, oſtendunt tamen, ſe reuera credere, fore ſe ſua opinione praeſtantiores, ſi eiuſmodi hominibus ſint ſimiles. Imitationem itaque non vnius eiuſdemque eſſe generis, hinc intelligitur. Namque cum ipſa philautia, vel praua ſit, & inordinata, vel ordinata, laudabilem quoque eſſe oportet imitationem, quae ex hac progreditur, illaudabilem, quae illi originem debet. Porro ſanum intellectus vt accedat iudicium, neceſſe eſt. Si enim aliquid praeſtans & eximium credimus, quod eiuſmodi non ſit, aut quod vlla ratione aſſequi nequeamus, partim praua, partim inepta hinc oritur imitatio: in quam illud HORATII quadrat: *o! imitatorum ſtultum pecus &c.* Hominum vero ſibi relictorum ea eſt indoles, vt quae in vitio poſita ſunt, maxime eximia, praeſtantia, & pulchra putent, ideoque & ad ea imitanda, natura ſunt proniſſimi. Hinc inter cauſſas quibus morum corruptio mirifice augetur, rectiſſime refertur imitatio. Contra, ſi imitatio recte ſe habeat, inter media proficiendi in virtute, & vita ſancta, haud vltimum occupat locum: qua de re ſuo loco. Interim conf. *Matth.* XI, 29. XVI, 24. 1 *Cor.* IV, 16. XI, 1. *Epheſ.* V, 1.

*** Quantum conſuetudo valeat, illi intelligunt, qui conſuetudinem *alteram naturam* dicere conſueuerunt. Per conſuetudinem fit, vt anthropophagi carne humana ſine horrore veſcantur, quem morem alii, vt plus quam ferinum, deteſtantur. Quanto maior conſuetudinis vis erit, ſi prauae per eam corroborentur propenſiones, quae per naturam homini inſunt; & experientia quoque docet, quam difficulter exuantur habitus vitioſi, quibus per longum temporis tractum homines adſueuerunt.

* Praeclare SENECA: *Sumuntur a conuerſantibus mores: & vt quaedam in contactos corporis vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit. Ebrioſus conuictores in amorem vini traxit: impudicorum coetus, fortem quoque, & ſi liceat, virum emolliit: auaritia in proximos virus ſuum tranſtulit; de ira lib.* 3. *cap.* 8 conf. & 1 *Cor.* XV, 33.

** Vt enim praeiudicia moralia & principia rationis carnalia, ex voluntatis prauitate ſubinde naſcuntur, ita ad voluntatis vitia augenda, fouenda, corroboranda, vel maxime comparata ſunt: immo huc vnice tendunt. Quam diu itaque homines praeiudiciis faſcinati, exiſtimant, ſe cupiditatibus ſuis indulgendo recte agere, nec aliter agere poſſe, ſtrenue in iis pergunt. Referas huc illud ſeruatoris: *lucerna corporis eſt oculus. Quod ſi fuerit oculus tuus ſimplex, totum corpus tuum erit lucidum. Sin fuerit oculus tuus nequam, totum corpus tuum erit tenebroſum. Si igitur, quod in te lumen eſt, tenebrae ſunt, quantae erunt ipſae tenebrae, Matth.* VI, 22. 23. Iudicium ſcilicet intellectus eſt oculus mentis. Quod ſi igitur iudicium mentis corruptum fuerit & deprauatum, tenebras profecto craſſiſſimas, ignorantiam & errores, inde oriri oportet: quibus cum mens repleta eſt, eo ſecurius in omni cupiditatum genere homo progreditur. confer. HVGO GROTIVS, ad *Matth. l. c.*

 §. LXXX.

Digitized by Google

§. LXXX.

Ex hactenus dictis etiam qualis hominum voluntas ſecundum naturam ſit, manifeſtum eſt. * Quae ſi ſummatim complectamur, hominem, qua voluntatem etiam in ſpiritualibus longe eſſe miſerrimum, mortuum in peccatis, ſeruum prauarum cupiditatum, nec amplius imaginem conditoris ſui, ſed diaboli, a quo ſeductus eſt, circumferre, deprehendemus, *Ioan. VIII, 44. 2 Petr. II, 4. Iud. verſ. 6.*

§. LXXXI.

Neque tantum per iſtam naturae corruptae conditionem, miſerrimus eſt homo, ſed plurima inſuper ex iſta voluntatis deprauatione oriuntur impedimenta, quae conuerſionem eius, per quam ab iſta miſeria liberari poterat, impediunt. Ex philautia ſcilicet generatim ſpectata, ſumma cordis humani oritur fallacia, qua homo ſeipſum turpiter decipit, qua etiam ad miſeriam ſuam quouis modo tegendam, excuſandam, emolliendam, defendendam, pronus eſt. conf. *Ierem. XVII, 9. 10.*

§. LXXXII.

Speciatim, quod ad eos attinet, qui voluptatum cupiditate tenentur, plurima ſibi ipſis diſponunt impedimenta, quo minus ad mentem meliorem adduci queant. Ob leuitatem enim ſummam animi, vix vnquam, aut raro admodum, ſtatum ſuum expendunt, verbumque diuinum, ea qua decebat, animi attentione, meditantur: per bonam intentionem ſe facile decipiunt, cumque non temere alios laceſſant, ſe minime malos eſſe credunt. Voluptates, quas expetunt, naturales admodum eſſe, ſibi perſuadent, a quibus nemo facile abhorreat: in iis quod modum excedant, humanae eſſe imbecillitatis. Quare, ſi vel maxime verbum Dei aliquando recipere videantur, hoc tamen per ſpinas voluptatum mox ſuffocatur, *Luc. VIII, 7. 14.* add. *Actor. XXIV, 25.*

§. LXXXIII.

Qui ambitione laborant, iis ob conſiliorum, quibus emergere annituntur, copiam negotiorum, ſtudiorumque molem, ſemper tempus aut occaſio deeſt, aut de ſua miſeria ſerio cogitandi, aut verbum diuinum meditandi, conf. *Luc. VIII, 5.* Iidem monitoribus ſunt aſperi, & caſtigationum impatientes: hinc contra eos, qui ad meliorem frugem eos perducere laborant, ſubinde inſurgunt, irritantur, obnituntur. Iuſtitiae externae, temperantiae, aliarumque virtutum apparen-

parentium ſpecie, ſibi ipſis facile imponunt, ſe minime ex illorum numero eſſe, qui poenitentia opus habeant, exiſtimantes, *Luc. XVIII, 11.* Sententiarum denique in religione ſingularium electio, earundemque ad aucupandam gloriam pertinax propugnatio, maximun conuerſionis impedimentum, eiusmodi hominibus adfert.

§. LXXXIV.

Nec minoribus premuntur incommodis auari. Diuitiarum, rerumque huius ſeculi cura, non permittit, vt ſerio de ſalute ſua ſint ſolliciti. Pertinacia, & cordis durities, hiſce hominibus propria eſt. Ob hanc itaque, accedente plerumque ſuperſtitione, ad quam proni ſunt, verbum ad fundum cordis raro penetrat, *Luc. VIII, 6. 13.* Non minus externi cultus diligens & ſuperſtitioſa obſeruatio eos decipit, vt ſe iam in ſtatu gratiae conſtitutos exiſtiment. Accedit ſpecies virtutum adparentium, temperantiae, parſimoniae, aliarum, aliquando & praeſertim ſi in ſtatu ſeruitutis ſpiritualis conſtituti ſint, rigidioris iuſtitiae.

§. LXXXV.

Hactenus voluntatem hominis ſecundum ***naturam*** conſiderauimus. Nunc quo pacto eadem ſecundum ***gratiam*** comparata ſit, diſpiciendum. Vbi initio id ſupponendum, quemadmodum per lapſum primorum parentum, & hinc in omnes homines propagatum peccatum originale, homo a Deo, quocum ante lapſum arctiſſime vnitus fuerat, ſeiunctus & ſeparatus prorſus eſt, *Eſ. LIX, 2. 1 Ioan. I, 6. Epheſ. II, 12. 13. IV, 18.* ita eundem ad hancce vnionem cum Deo, iterum eſſe perducendum. Vt enim in vnione, vel cupiditate ſe vniendi cum bonis apparentibus, ſumma hominis conſiſtit miſeria, ita in vnione cum Deo, ceu vero eoque ſummo bono, * ſumma hominis conſiſtit felicitas.

* Deum ſummum hominis eſſe bonum, ceu notum, & exploratum omnibus ſupponimus. Eiusmodi enim id eſt, vt nemo ſanae mentis de eo dubitare poſſit & debeat. Si quis enim rationem *boni*, praeſertim relate ſpectati, conſideret, & hinc ex variorum bonorum inter ſe inſtituta comparatione colligat, quid ad ſummum bonum requiratur, facile deprehendet, nihil eſſe in hocce vniuerſo, in quod ſummi boni notio quadret, praeter ſolum Deum. Atque id a me oſtenſum pluribus, in *element philoſ. practic. part.* 1. *cap.* 4. §. 20. *ſeqq.* Quodſi quibusdam credimus, ipſis gentilibus haec veritas cognita fuit atque perſpecta. Apud Aegyptios Mercurius, quem vocant Triſmegiſtus, profanum errorem iudicauit (vt nonnulli perhibent) ſi aliud quid praeter Deum *bonum* vocetur, cum nihil in hoc vniuerſo, ſi Deum excipias, ſua natura bonum ſit. Id quod pluribus ediſſerunt PHILIPPVS MORNAEVS, *de verit. chriſtian. relig. cap.* 19. LAVRENTIVS PIGNORIVS, in *characterib. Aegypt. cap.* 1. *ſeqq.* AVGVSTINVS STEVCHVS EVGVBINVS, de *perenni philoſophia*, aliique. add. HERMANNVS WITSIVS, in *Aegyptiacis lib.* 1. *cap.* 2. Pythagoram idem docuiſſe, nonnulli ſibi perſuadent. Etſi enim THEODORETVS, de *curandis Graecor. affectionibus lib.* 11. autumet, Pythagoram ſummum

mum hominis bonum in exactiſſima numerorum ſcientia poſuiſſe: cum tamen Deum ipſum per numerum certum deſignauerit, colligunt inde nonnulli, eum hac doctrina ad Deum reſpexiſſe. Accedit enim, quod aliquando explicatius mentem ſuam prodiderit, aſſerendo, finem huius vitae contemplationem eſſe, contemplationis Deum, beatitudinem vero hominis, Deum fieri. Hinc & HIEROCLES docet, finem Pythagoricae philoſophiae eſſe, *vt homo in primum ſtatum reſtituatur & Deus fiat, in carm. aurea Pythag. cap.* 19. add. IO. SCHEFFERVS *de philoſ. italica cap.* 7. *p.* 43. IO. MEVRSIVS in *denario Pythagorico cap.* 2. & 3. Confirmat idem BOETHIVS de *conſolat philoſ. lib.* 1. *proſ.* 4. vbi illud ἕπου θεῷ *Pythagoricum effatum*, quod quotidie menti ſuae fuerit obuerſatum vocat. De Platone teſtatur CLEMENS ALEXANDRINVS, *ſtromat. lib* 2. *p.* 403. quod in eadem fuerit ſententia. *Plato*, inquit, *philoſophus finem ponens beatitudinis, dixit, eum eſſe Dei aſſimulationem, quantum eius fieri poteſt.* Clarius adhuc AVGVSTINVS: *cedant philoſophi omnes Platonicis, qui non dixerunt, beatum eſſe hominem fruentem corpore, vel fruentem animo, ſed fruentem Deo, lib.* 8. *de ciuit. Dei cap.* 8. Quod ad Stoicos attinet, qui prae ceteris in morum diſciplina regnare ſibi videbantur, illorum quoque ſententia non procul inde recedere videtur. Zeno quidem Cittieus, ſectae huius conditor, finem bonumque vltimum eſſe dixit, ὁμολογουμένως ζῆν, *conuenienter viuere.* Id quod de virtute, vtpote, quae ſibi ſemper conſtat, capit SENECA, *epiſt.* 74. Cleanthes autem Zenonis mentem velut explicaturus, addidit vocem *naturae*, aſſeruitque adeo, vltimum finem eſſe, ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν, *conuenienter naturae viuere.* Naturae autem voce Stoici nihil aliud quam ipſum Deum deſignabant. Ita SENECA: *quid aliud eſt natura, quam Deus & diuina ratio, toti mundo & partibus eius inſerta; lib.* 4. *de beneficiis cap.* 7. *add. lib.* 2. *quaeſtion. natural. cap.* 45. Nihil itaque frequentius in illorum ſcriptis, quam ſuos adhortari, vt *Deum ſequantur*, vt *Deum imitentur.* Chryſippus quidem, non de natura communi, ſed propria, hoc Stoicorum de ſummo bono effatum, capiebat. Sed facile inter ſe conciliari poſſunt. Quod enim generatim per ὁμολογίαν extulit Zeno, illud determinauit Cleanthes. Chryſippi natura propria eſt pars eſſentiae diuinae, ipſius naturae communis, quam aſſeruit Cleanthes. Sunt denique, qui & ARISTOTELEM illis addunt, qui Deum ipſum pro ſummo bono agnouerunt. Idque ex eo colligunt, quod *lib.* 2. *Metaphyſic. cap.* 5. fateatur, quod Deus ſit βέλτιον τῆς ἀρετῆς. conf. MORNAEVS *loc. cit.* & qui totum hocce argumentum diligenter tractat R. MAGNVS DANIEL OMEISIVS, in *diſſertat.* de *fruitione Dei ceu ſumma hominis felicitate.* Et haec quidem omnia de conſenſu philoſophorum gentilium cum chriſtianis, in doctrina de ſummo bono ſplendide ſatis dicuntur. Non tamen, niſi caute admodum, & cum grano quodam ſalis accipienda ſunt. Quae enim prima fronte conſentire videntur, accuratius conſiderata, maximopere diſſentiunt. Primo namque de Deo ipſo, quem ſummum bonum dicunt, non recte ſentiunt gentiles. Immo tales de eo ſibi conceptus formant, qui a ſumma prope abſunt impietate, cum ipſa natura eum confundentes, aut a materia, ea, qua decet ratione, non ſeparantes. Quod Stoicorum exemplo luculenter patet, de quibus porro conferenda, quae dixi *diſſertat.* 2. *de erroribus Stoicor. in philoſ morali* §. 2. Deinde, de hominum cum Deo vnione & communione non recte ſentiunt: ſaltem ita loquuntur, vt mutationem quandam hominum in naturam diuinam ſtatuere videantur. Qui error, vt ex priori quodammodo fluit, ita fanaticismi fons praecipuus merito cenſetur. conf. COLBERGII *chriſtianiſmus hermetico-platonicus part.* 1. *cap.* 1. Quanquam non deſint, qui dictis quibusdam philoſophorum, hac in re meliorem ſenſum tribuant. Denique, ſi vel maxime & de Deo, & de noſtra cum eo vnione recte ſentirent philoſophi iſti, media tamen, per quae ad vnionem cum Deo aditus patet, eos neſciuiſſe, certum eſt. Nos inde colligimus, partem veritatis innotuiſſe gentilibus, quam tamen commentis variis corruperunt. Nobis hac de re certiora conſtant. Deum namque ſummum bonum eſſe, & ratio a figmentis gentilium purgata docet, & ſcriptura teſtatur luculenter. *Diligere* namque *Deum iubemur ex toto corde, toto animo, tota mente, Deut.* VI, 5. *Matth.* XXII, 37. Id quod in ſummum tantum bonum quadrat. Ideoque & Ieremias dixit: *pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum. Bonus eſt dominus ſperantibus in eum, animae quaerenti illum, Threnor.* III, 24. 25. & Dauid, *Pſalm.* LXXIII. 25. 26. *Quis mihi eſt in coelo!*

coelo? & tecum nolo (quenquam) in terra. Defecerat caro mea, & cor meum: robur autem cordis mei, & pars mea eſt Deus in ſeculum. conf. & Gen. XV, 1. *Pſalm.* XVIII, 2.

§. LXXXVI.

Initium huius vnionis fit in conuerſione hominis peccatoris ad Deum, quippe qua a tenebris ad lucem, & a poteſtate ſatanae ad Deum conuertitur, *Actor. XXVI, 18.* Quemadmodum vero per contritionem omne id, quod nos a Deo ſeparat, aboletur, ita per fidem *Chriſtum induimus*, & cum eo quam arctiſſime vnimur. *Gal. III, 27. Ioan. VI, 56. XIV, 23. XV, 5.* Vnde & vnionis huius eadem media eſſe conſtat, quae ſunt producendae, augendae, & confirmandae fidei, verbum ſcilicet & ſacramenta. *Ioan. XIV, 23. 2 Petr. I, 3. 4. Gal. III, 27. 1 Cor. X, 16. 17. XII, 13.* Simulque & id patet, in ſanctificatione hanc vnionem continuari, vti iuſtificationem iam ſupponit. Quare & vnio haec opus gratiae diuinae eſt, nec a ſolis naturae viribus expectanda. *Epheſ. IV, 18. Ioan. XIV, 23.*

§. LXXXVII.

Vniuntur autem ex vna quidem parte, Deus triunus, *Ioan. XIV, 23. 2 Cor. VI, 16. 17. 18.* ſpeciatim Chriſtus ſecundum vtramque naturam, diuinam & humanam, *1 Cor. VI, 17. Epheſ. I, 22. 23. III, 17. IV, 15. V, 30. 32.* qui ideo *ſponſus, Ioan. III, 29. Matth. IX, 15. XXV, 5. 6. 10. caput corporis ſui, Epheſ. I, 22. IV, 15. vera vitis, Ioan. XV, 1. vita noſtra, Coloſſ. III, 4. panis vitae, Ioan. VI, 35.* dicitur: ex altera parte, homines credentes, *Eſ. LVII, 15. 1 Petr. I, 4. Epheſ. III, 17.* qui ideo *templa Dei & ſpiritus ſancti, 1 Cor. III, 16. 17. VI, 19. ſponſa Chriſti, Ioan. III, 29. Matth. IX, 15. corpus Chriſti, Epheſ. I, 23. membra corporis eius, cap. V, 30. τὰ κλήματα, Ioan. XV, 2. 5.* dicuntur.

§. LXXXVIII.

Modus huius vnionis plane ſingularis eſt, & myſticus: &, ſi nonnullos audias, non in omnipraeſentia ſaltem diuina, qua Deus rebus creatis omnibus adeſt, nec in donis ſaltem aut operationibus diuinis, quarum fideles facti ſunt participes, ſed in arctiori quadam fidelium, quoad ſubſtantiam ſuam, cum ſubſtantia totius SS. Trinitatis, incluſa etiam ſubſtantia carnis Chriſti, vnione conſiſtit. * *Ioan. XIV, 23. XVII, 21. Gal, II. 20.* Quod & imaginibus vnionis inter coniuges, caput & membra & reliquis, comprobari poſſe exiſtimant: a quibus tamen alii ex noſtrae eccleſiae theologis diſſident. Quidquid huius ſit, eam ratione modi, nec *eſſentialem*, nec *ſubſtantialem* eſſe conſtat, etſi ratione termini a quo, duabus ſcilicet ſubſtantiis vnitis, *ſubſtantialis*, vocari ſoleat.

* Inter noſtrae eccleſiae doctores hac de re diſputatum eſſe conſtat: habetque vtraque ſententia, tum ea quae nouam ſubſtantiae diuinae approximationem negat, tum quae eam aſſir-

adfirmat, magni nominis theologos, defenſores. Prioris etiam defenſionem non ita pridem erudite ſuſcepit IOAN. IACOBVS MVLLERVS, theologus quondam Auguſtanus, in tractatu, de *vnione myſtica ad normam ſcripturae ſacrae & analogiam fidei exacta*, anno MDCCIV. edito; eiusdemque tractatus *vindiciis*, anno MDCCVI. luci publicae expoſitis. Nec deſunt vtrique parti argumenta, quibus ſententiam ſuam probabilem reddant: his quidem omnipraeſentiae diuinae indolem, quacum noua quoad ſubſtantiam approximatio, pugnet, vrgentibus: illis τῷ ῥητῷ ſcripturae, cum Deus ad fideles *venire*, *accedere*, in illis *manere*, *habitare*, dicitur, inſiſtentibus. Reſpondent etiam, qui nouam ipſius ſubſtantiae approximationem defendunt, omnipraeſentiae diuinae rationem non obſtare, quo minus talis approximatio ſubſtantiae detur, quod pluribus oſtendere conatur IO. ADAMVS SCHERZERVS, in *breuiar. Hulſemann. cap. 2. theſ. 26. p. 145. ſeqq.* Addunt denique, quod ſi occurrant, quae ratio capere nequeat, cogitandum, ipſam omnipraeſentiam diuinam rationis captum multum ſuperare; quod & B. IO. GERHARDVS ex inſtituto demonſtrat, *loc. de Deo §. 183.* Interim certe cauendum, ne ſententia illorum, qui ipſius ſubſtantiae approximationem defendunt, eo vsque extendatur, vt in alterum extremum, quod WEIGELIANORVM, ſimiliumque hominum eſt, prolabamur. Etenim, etſi WEIGELIVS extrema vnienda, recte retineat, eiusmodi tamen vnionis fingit modum, quo identitas emergat diuinae ac humanae ſubſtantiae, hac in illam eſſentialiter commutata, perinde ac baculus *Aaronis* in ſerpentem, *Exod.* VII, 10. & ſubſtantia aquae in vinum, *Ioh.* II, 9. conuertebatur. Hinc SCHWENCFELDII, STIFELII, aliorumque effata, mutationem quandam humanae naturae in diuinam arguentia, & quae hominum ſunt, Chriſto ipſi tribuentia, communi recte ſentientium calculo damnata. Quantopere vero noſtrorum theologorum ſententia diſtet ab iſtorum errore, ex inſtituto docent THVMMIVS, in *impietate Weigeliana, error. 61. p. 139. ſeqq.* NICOLAVS HVNNIVS, in libello germanico contra Weigelii & Paracelſi theologiam ſcripto, *motiu. 10. n. 821. ſeqq.* aliique quamplurimi. add. SCHERZERVS in *breuiar. Hulſemann. cap. 14. p. 920. ſeqq.* vbi id, quod diximus, hanc vnionem, non ratione modi, ſed ratione termini a quo, ſubſtantialem dici poſſe, vberius confirmat. Nos plura non addimus, cum controuerſias tractare, polemicae theologiae ſit proprium.

§. LXXXIX.

Effectus huius vnionis cum Deo, praecipui, ſunt, communio cum Deo, *1 Ioan. I, 3. 6. 7. 2 Petr. I, 4.* * ſpeciatim cum Chriſto, quocum adeo fideles, circumcidi, crucifigi, mori, dicuntur, *Coloſſ. II, 11. Gal. II, 19. Rom. VI, 3.* participatio ſpiritus Chriſti ad incrementum in ſpiritualibus, & perſeuerantiam in fide, conſtantiamque in aduerſis, *Eph. III, 16. 19. Coloſſ. I, 11.* communio fidelium inter ſe, veraque φιλαδελφία, *1 Ioan. I, 3. 6. 7. 1 Cor. XII, 12. 13. 2 Petr. I, 7.*

* Ieiune nimis hanc κοινωνίαν τῆς θείας φύσεως HVGO GROTIVS, praeeuntibus Socinianis, explicat, de imitatione diuinae bonitatis. Nihiloſecius eodem redit & ſententia HENRICI HAMMONDI, quam in paraphraſi huius loci expreſſit. Noſtrates potius monent, κοινωνίαν ſeu communicationem ſupponere vnionem, quae omnino intercedit animae fideli cum Deo, & participationem aliquam diuinorum ἰδιωμάτων vi gratioſae iſtius vnionis, ſiquidem omni plenitudine diuina repleamur, per inhabitationem Chriſti in cordibus noſtris per fidem, *Ephes.* III, 19. pro natura myſticae & ſpiritualis vnionis. Nulla quidem hic fingenda eſt eſſentialis μεταμόρφωσις, quae ne quidem in hypoſtatica vnione, longe arctiori, locum habet, nec tamen ſola qualitatum mutatio, & imaginis diuinae quaedam reſtauratio, exhaurit hanc κοινωνίαν. Poſſidemus enim ipſammet diuinam naturam ſecundum gratioſam ἐνοίκησιν *Ioan.* III, 23. *Ephes.* III, 17. & participes reddimur diuinorum ἰδιωμάτων. Ita rem omnem clare & perſpicue explicat CALOVIVS *ad h. l.* Egregie quoque B. LVTHERVS eidem CALOVIO laudatus: *Quid eſt natura Dei? aeterna veritas,*

tas, iuſtitia, ſapientia, aeterna vita, pax, gaudium, & voluptas, & quidquid boni nominari poteſt. Qui ergo naturae diuinae particeps ſit, ille haec omnia conſequitur, vt viuat in aeternum, & aeternam pacem, gaudium, & voluptatem obtineat, vt ſit mundus, iuſtus, & omnipotens, contra diabolum, mortem, & peccatum. add. B. GERHARDVS ad *h. l.*

§. XC.

Praecipue autem cum vnione iſta coniunctus eſt *amor Dei*, *Ioan. XIV, 23.* qui comitem perpetuum & indiuulſum habet, *abnegationem ſui ipſius*. Enimuero, ſi quis cum Deo vnitus ſit, & magis magisque cum eo vniri cupiat, neceſſe eſt, vt eum ceu ſummum bonum amet: nemo vero Deum ceu ſummum bonum amabit, qui ſeipſum adhuc ſupra omnia amat. Sui ergo abnegatione opus, vt Deum rite amemus.

§. XCI.

Voluntatis itaque cum Deo vnitae, & adeo per gratiam emendatae ratio in hiſce duobus, *amore Dei, & abnegatione ſui,* maxime conſpicitur, virtutibus reliquis omnibus facili negotio inde deriuandis, vt philautia omnium vitiorum, qua voluntatem, mater eſt. Amore enim Dei nos perpetuo ad Deum, ſeu ſummum bonum, conuertimus, & ad eius voluntatem nos componere ſtudemus: abnegatione noſtri propullulantem philautiam coercemus, & ita labem, quoad fieri poteſt, ceteroquin virtutibus noſtris adhaeſuram, euitamus. Haec paulo diſtinctius, initio ab abnegatione ſui facto, conſiderare iuuabit.

§. XCII.

Per abnegationem ſui, intelligo eiusmodi operationem ſpiritus ſancti in anima fidelium, qua homo regenitus, agnita philautiae prauae ſumma turpitudine, nihil ſibi, ſed omnia Deo tribuit. Eam dum ſpiritus ſancti operationem diximus, non naturae, ſed gratiae eam opus eſſe innuimus. Ex ſolis enim naturae viribus nemo ſeipſum magis abnegare, quam diligere Deum poteſt. Gratiae autem opera, vt Deum triunum, ita ſpeciatim ſpiritum ſanctum, auctorem agnoſcere, iam ſupra commonſtratum eſt. In hominibus vero iam regenitis cum abnegatio ſui ſpectetur, hi omnino etiam per vires in regeneratione collatas, ad ſui abnegationem concurrunt, adeoque rectiſſime homo eiusmodi ſeipſum abnegare dicitur. Vnde ſimul patet, ſi homines naturales, quemadmodum & de ipſis ethnicis narratur, * virtutis cauſſa incommoda quaedam, bonorum iacturam, corporis afflictiones, ſimiliaque, in ſe ſuſcipiunt, hoc minime pro abnegatione vera habendum. Accedit, quod haud raro gloriae, aut alterius commodi temporalis conſequendi cauſſa, id faciant.

* Vid. PETRVS DANIEL HVETIVS *in quaeſtionibus Alnetanis, lib. 3. cap. 7. & 8.* add. *diſſertatio noſtra de* κοινῇ *philoſophica*, quae in *analectis hiſtor. philoſoph. extat.*

§. XCIII.

Vt recte abnegatio ſui procedat, neceſſe eſt, vt philautiae naturalis turpitudinem, cum deteſtatione homo agnoſcat: tum ſane ſua ſponte inde fluet, vt ſibi nihil amplius, ſed Deo omnia tribuat: vt non ſuum commodum, honorem, voluptatem, ſed vnice gloriam Dei quaerat. Quemadmodum enim philautia, reuera foediſſima idololatria eſt, quo homo ſeipſum, & ſui cauſſa res creatas omnes, ex quibus vtilitatem, commodum, voluptatem capere poteſt, adorat: ita vt Deo incipiat honorem ſuum reddere, neceſſe eſt, vt idolum hocce in cordibus hominum deſtruatur. Vnde & praeceptum de vno eoque vero Deo colendo, & ſupra omnia amando, abnegationem ſui requirit. vid. *Deut. VI, 4.5.* collat. cum *Matth. XXII, 37. Marc. XII, 30. 1 Cor. VIII, 5.6.*

§. XCIV.

Et hinc abnegationis ſui neceſſitas apparet: quae inde etiam conſtat, quod toties ab ipſo ſeruatore, diſerte profitente, diſcipulum ſuum eſſe non poſſe, qui ſeipſum non abnegauerit, ſit inculcata & commendata. *Luc. IX, 23. XIV, 26. Matth. X, 37.38. XVI, 24.* Hinc & beatos praedicat *pauperes ſpiritu*, eorumque regnum coelorum eſſe, dicit *Matth. V, 3.* add. *Tit. II, 12. Deut. XXXIII, 9.* Patetque idem exemplis Abrahami, *Geneſ. XII, 1.* Moſis, *Ebr. XI, 24.25.26.* Iobi, *Iob. I, 21.* ipſius ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui licet omnis peccati eſſet expers, ſua ſponte ſe diuinae maieſtatis ſplendore atque vſu abdicauit, *Rom. XV, 3. Phil. II, 6.7. 2 Cor. VIII, 9.*

§. XCV.

Abneganda ſunt omnia, quibus homo ſibi ipſi placet, in quibus commodum ſuum, gloriam, voluptatem quaerit. Speciatim ratione intellectus, abneganda omnis ingenii praeſtantia, eruditio, ſapientia, eloquentia, *1 Cor. I, 17.19.20. ſeqq. II, 1.* quoad voluntatem, & appetitum ſenſitiuum, omnia iſta bona apparentia, quae cupiditatibus noſtris abblandiuntur, & philautiam irritare apti ſunt, voluptates, & quae his inſeruiunt, *Tit. II, 12.* diuitiae, opes, & quae commodum afferre videntur. *1 Tim. VI, 9. Ebr. XI, 26.* honores, *Ebr. XI, 25 Phil. III, 4.5.7.8.* Praeterea omnes homines, quantumuis ſint proximi, amici, parentes, liberi. *Matth. XIX, 29. VIII, 22. Deut. XXXIII, 9.* Ratione corporis abneganda ſunt, ſanitas, robur, formoſitas, ipſa denique vita, *Luc. XIV, 26.* adeoque & omnia ea, in quibus ſibi viuere videntur homines. Nimirum abneganda ſunt non tantum, quae per ſe illicita ſunt, & praua, ſed & ea, quae amare haud nefas, * at quae amore inordinato, hoc eſt ſupra Deum amantur, vt cor hominis, iis ceu idolis adhaereſcat.

* Non

* Non itaque omnem amorem ſui, ſed prauum, tollit abnegatio ſui; nec omnem aliorum hominum, aut rerum creatarum, ſed inordinatum. Paucis, ipſa ἀταξία exulare debet ab omni amore, eoque tendit ſui ipſius abnegatio. Non itaque eousque haec extendenda eſt, vt per eam homo ἀπαθὴς & ad omnia indifferens, eſſe cenſeatur. At alterum enim hocce extremum nonnulli, in ſui ipſius abnegatione progreſſi ſunt, vt non moderandos, ſed extirpandos affectus naturales, etiam non illicitos, cenſuerint. Quo ipſo a Stoicorum indifferentia prope abſunt, ex quorum mente EPICTETVS: ἀλλὰ διεγνωκὼς ὅτι πᾶν τὸ ἀποβησόμενον ἀδιάφορον· καὶ οὐδὲν πρὸς σε ὁποῖον δ' ἂν ᾖ. *Sed conſtitutum eſſe oportet, nihil inter quemuis euentum intereſſe, neque ad te pertinere eum cuiuscunque modi, enchirid. cap. 39.* Pyrrhonii quoque atque ſceptici, ſimilem, licet ex alio fundamento, iactitabant indifferentiam. Rectius ſapere chriſtianos decebat. Neque enim in Chriſto aut apoſtolis ſimile quid obſeruamus. Amorem, laetitiam, triſtitiam, aliosque affectus naturales in iis deprehendimus: ſed redactos in ordinem, nec voluntati Numinis vllatenus repugnantes. Veterem hominem, hoc eſt, prauos affectus, vitiaque, ex praua philautia fluentia, exuere & crucifigere ſcriptura iubet, *Eph.* IV, 22. *Rom.* VI, 6. itemque carnem cum ſuis concupiſcentiis, *Gal.* V, 24. non autem amoris recti motus ordinatos. Naturam, absque vitio ſpectatam, non tollit, ſed emendat gratia, vti ſupra demonſtratum. Diſputat hac de re ex inſtituto GVILIELMVS SALDENVS, *diſſert. de philautia, otior. theolog. lib.* 1. *exercit.* 3. §. 8. *ſeqq.* add. omnino IVSTI CHRISTOPHORI SCHOMERI *theologia moralis cap.* 8. §. 22.

§. XCVI.

Ad modum quod attinet, fieri debet abnegatio ſui, *libere.* Qui enim neceſſitate quadam coacti res ceteroquin ſibi charas deſerunt, eas minime abnegare cenſendi ſunt. Simplex enim rerum derelictio, & abnegatio, neutiquam vnum idemque ſunt. Deſerimus multa, ſed inviti: quae abnegamus, ab iis ſponte, propter Chriſtum, animum abducimus; lubenter dimittimus, quae retinere poteramus. Ideo Ebraeos laudat apoſtolus, quod direptionem bonorum ſuorum ſuſtinuerint, μετὰ χαρᾶς, *Ebr. X, 34.* & Moſen, *quod maluerit mala perpeti,* (μᾶλλον ἑλόμενος συγκακουχεῖσθαι) *cum populo Dei, quam temporariam peccati recreationem habere, Ebr. XI, 25.*

§. XCVII.

Fieri praeterea debet *ſerio*, vt non tantum animum ab obiectis, quae abneganda ſunt, auertamus, ſed in quantum ad philautiam nos irritant, & motus prauos excitant, odio etiam proſequamur. *Luc. XIV, 26.* Immo ſi aliter euitare motus inordinatos nequeamus, res ipſas ſeu obiecta, quae eos excitant, remoueamus, etiamſi hoc cum maximo incommodo noſtro, atque dolore, coniunctum ſit, *Matth. V, 29. 30. XVIII, 9.* quae eſt crucifixio carnis & cupiditatum noſtrarum, *Gal. V, 24.*

§. XCVIII.

Vt dubiis omnibus hic occurratur, obſeruandum, obiecta abnegationis eſſe duplicia: quaedam ita comparata ſunt, vt poſſeſſio illorum non tantum licita, ſed quodammodo neceſſaria ſit: quaedam vero nec

neceſſaria ſunt, nec licite poſſidentur. Haec ita abneganda, vt plane ea remoueamus, & ab illorum poſſeſſione abſtineamus: illa vero retineri quidem poſſunt qua poſſeſſionem & vſum, ſed euitandus abuſus, nec animo illis adhaerendum, *Pſ. LXII, 11. opulentia quodſi abundet, ne apponatis animum;* add. *1 Cor. VII, 29. 30. 31.* Excipiendi vero certi caſus ſunt. Namque vbi diuini nominis gloria hoc exigit, aut ſingulare Numinis praeceptum accedit, vt prompte ipſa rerum poſſeſſione nos abdicemus, omnino abnegatio ſui poſtulat. conf. *Matth. IV, 20. 22. XIX, 21.*

§. XCIX.

Conſtans, denique & *firma*, debet eſſe abnegatio ſui, ne quod proverbium habet, de canibus, reuertantur ad vomitum. *2 Petr. II, 22.* Nemo enim coronatur, niſi ad finem vsque perſeuerauerit. *Apoc. II, 10.* Incipit equidem abnegatio ſui quodammodo in ipſa conuerſione, in qua homo a vanis idolis, atque adeo a ſeipſo, ad Deum conuertitur; *Actor. XIV, 15. 1 Theſſal. I, 9.* ſed in opere demum ſanctificationis, ſeu renouationis, maxime ſe exerit, *Tit. II, 12.* in quo ad finem vitae usque eſt continuanda.

§. C.

Abnegationem itaque ſui agnoſcas, ſi quis non quaerat, quae ſui, ſed quae Chriſti ſunt, *Phil. II, 21.* aut quae aliorum ſunt, *1 Cor. X, 24.* ſi quis non ſibi ipſi placeat, *Rom. XV, 3.* nec aliis hominibus placere ſtudeat, ſed Chriſto, *Gal. I, 10.* ſi quis cum carne & ſanguine non conſultet, ſeu in rebus ad gloriam diuinam, animaeque ſalutem ſpectantibus, corruptae rationis conſilia non ſequatur, *Gal. I, 17.* nulla in re, ſi Deum excipias, toto animo acquieſcat, vel innitatur, *1 Cor. VII, 29.* rerum ablationem patienti animo ferat, *Iob. I, 21.* & quae reliqua ſunt eiusdem generis.

§. CI.

Effectus abnegationis ſui, varii ſunt. Certa enim ratione ad omnes virtutes chriſtianas concurrit, cum virtutis nomine indigna ſit, quae ex philautia praua procedit, cui remedium adfert abnegatio ſui, conf. *1 Tim. I, 5.* Praecipui tamen abnegationis effectus ſunt, *humilitas* & *patientia*, virtutes admodum inſignes, ſimulque reliquarum virtutum, ſi genuinae ſint, comites perpetui & indiuulſi.

§. CII.

Humilitatem ex abnegatione ſui oriri, res ipſa docet. Quemadmodum enim ex philautia ſuperbia, ita illa per abnegationem ſui repreſſa, non poteſt non oriri humilitas. Si quis enim ſerio agnoſcat,

nil

nil niſi malum in nobis, hoc eſt, carne noſtra eſſe, *Rom. VII, 18. Geneſ. VIII, 21.* & ſi quid forte boni habeat, id ſoli Deo acceptum ferendum, *1 Cor. IV, 7.* & ſi omnia etiam praecepta Numinis ſeruauerit, ſe inutilem tamen ſeruum eſſe, *Luc. XVII, 10.* adeoque ſoli Deo omnia, ſibi nihil tribuendum, quae abnegationis ſui vera & genuina ratio eſt, is mox aliis ſe praeferre deſinet, immo vt indignum beneficiis omnibus, ita reliquis etiam hominibus multum ſe inferiorem, agnoſcet.

§. CIII.

Conſiſtit namque humilitas in iuſta ſui depreſſione: adeoque miſeriae ſuae, imbecillitatisque ſupponit agnitionem. Hac enim agnita, ſeipſum magni aeſtimare homo deſinet, adeoque alios ſe praeſtantiores facile credet, nec aegre feret, eos ſibi praeferri. Animi itaque proprie eſt humilitas, *Matth. XI, 29. Dan. V, 22.* licet vultu, geſtibus, *Luc. XVIII, 13.* habitu, *Iob. XLII, 6.* ſermone, *Gen. XVIII, 27.* actionibus, *2 Sam. VI, 22.* ſe prodat. Externa vero humilitatis ſpecies, quae eſt ſine vera humilitate animi, mera foediſſimaque eſt hypocriſis.

§. CIV.

Humilitas illa ſe exerit tum erga Deum, tum erga alios homines. Erga Deum humilis eſt, qui ſibi ſuisque viribus nihil tribuit, ſeque indignum plane omnibus beneficiis diuinis reputat. *Mich. VI, 8. Eſ. LVII, 15. Luc. XVIII, 13. 1 Petr. V, 6.* Erga alios homines, qui aliis neutiquam, niſi in quantum ordinis ratio poſtulat, praeferri cupit, aliosque ſe praeſtantiores, meliores, digniores eſſe credit, eosque adeo ſibi ipſi praefert, iuxta monitum Pauli: ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν, *Phil. II, 3.* Si quis vero humilem erga Deum ſe ferret, qui tamen humilis non eſſet erga alios, ſuam palam proderet hypocriſin.

§. CV.

Humilitatem aeque ac abnegationem, reliquarum virtutum omnium comitem eſſe, patet, cum ſine ea Deo nihil placeat. *Reſiſtit* enim *Deus ſuperbis, humilibus autem dat gratiam. 1 Petr. V, 5.* add. *1 Petr. III, 4.* Temperantia, caſtitas, fortitudo, charitas, & eminentiſſimae quaeque virtutes, indignae ſunt virtutum nomine, ſi humilitas abſit. Gratiſſima itaque Deo eſt humilitas, multumque in ſcripturis commendata, & ampliſſimis ornata promiſſionibus. *Eſ. LVII, 15. 1 Sam. II, 3. 4. 5. Luc. I, 52. 53. Matth. XI, 25. 2 Cor. VII, 6. 1 Petr. V, 5. Iacob. IV, 10.* add. & *Deut. XXVI, 5. 1 Sam. XVI, 11. Pſalm. LXXVIII, 70.*

§. CVI.

Alter abnegationis ſui effectus praecipuus eſt *patientia*. Eam vero ex abnegatione ſui fluere, facile intelligitur. Qui enim ſibi nihil tribuit, iureque ſibi nihil deberi credit, patienti feret animo, ſi voluptatibus, diuitiis, honoribus, gloria, carendum ſit. Contra, qui iniuriam ſibi fieri putat, ſi talia non adſint, aut denegentur, is demum bonorum eiusmodi apparentium abſentiam aegro feret animo. Hinc impatientia.

§. CVII.

In latiori itaque vocem patientiae accipimus ſignificatione, qua non tantum iniuriarum aut afflictionum, ſed incommodorum quorumuis, ex bonorum apparentium abſentia oriundorum, tolerantiam ſignificat. Patientiam enim agnoſcas, cum fortunarum iacturam lubenti animo ſuſcipimus cum Iobo, *Iob. I, 21.* & Ebraeis ad Chriſtum conuerſis, *Ebr. X, 34.* ignominiam cum Dauide, *2 Sam. XVI, 10.* incommoda quaeuis, repudiata ἁμαρτίας ἀπολαύσει, cum Moſe *Ebr. XI, 25.*

§. CVIII.

Patientiam igitur itidem virtutum reliquarum comitem eſſe, ipſa eius nos condocet indoles. Si paupertatem rerumque inopiam perpeti paulisper mortales poſſent, auaritiam citius compeſcerent: nec voluptati tam facile ſe dederent, ſi famem, ſitim, aliaque pati incommoda didiciſſent: ambitionem facilius infringerent, ſi ferre contemptum, aut ignominiam poſſent. Ergo ad continentiam, temperantiam, humilitatem, fortitudinem, ceterasque virtutes omnes, nihil aeque neceſſarium, quam patientia. Vnde neceſſitas quoque patientiae intelligitur, quae & alibi paſſim in ſcriptura ſacra commendatur, *Rom. V, 3. Iacob. I, 2. 3. 4. Ebr. XII, 1.*

§. CIX.

Si charitati erga alios patientia adſit, vti adeſſe omnino debet, *manſuetudo* inde oritur, ſeu πραότης, quae cum humilitate paſſim coniungitur, *Matth. XI, 29. Epheſ. IV, 2.* itemque μακροθυμία ſeu *longanimitas*, quae cum manſuetudine inter fructus ſpiritus collocatur, *Gal. V, 22.* conf. & *Gal. VI, 1. 1 Cor. IV, 21. XIII, 4. 5.* & denique ἀνεξικακία, ſeu *defectuum* in aliis *tolerantia*, *2 Tim. II, 24. 1 Cor. IV, 12.* add. *Gal. VI, 1. 2 Cor. XI, 20. Rom. XV, 1.*

§. CX.

Abnegatio ſui ipſius cum eo tendat, vt philautia praua magis magisque imminuta, & eneruata, amor Dei excitetur, qui cum vnione noſtra cum Deo non poteſt non eſſe coniunctus, de eo itidem nobis nunc dicendum eſt. Eo vero nomine * propenſionem voluntatis infinitam intel-

Digitized by Google

intelligimus, qua homo Deum ceu ſummum bonum amplectitur, & in eo veram animi quietem quaerit, ac inuenit.

* Eodem tendit definitio charitatis, quam tradit AVGVSTINVS, *lib. 3. de doctrina chriſtiana, cap. 10. Charitatem*, inquit, *voco, motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum.* Etſi enim generatim charitatem definiat, ſimul tamen, quid Amor Dei ſit, ſignificat, & quo pacto omnis amor ordinatus fiat, ſi primo loco Deus, & propter Deum reliqua omnia amentur, condocet.

§. CXI.

Per amorem itaque Dei non actum, ſed propenſionem habitualem, nunquam non in actum, in quantum humanae vitae imbecillitas permittit, erumpentem, intelligimus. * Quae propenſio cum nemini per naturam inſit, a gratia eam proficiſci neceſſe eſt. Deus ſane eſt, qui per ſpiritus ſancti gratiam, nos non tantum ad ſe trahit, & allicit, ſed ſui etiam amorem ingenerat. Namque *charitas ex Deo eſt, & vnusquisque amans ex Deo natus eſt, & nouit Deum, 1 Ioan. IV, 7. & qui Deum amat, iam ab eo agnitus eſt, 1 Cor. VIII, 3.* Hinc & *2 Theſſ. III, 5.* apoſtolus Dominum orat, *vt dirigat corda illorum in amorem Dei.* **

* Dum amorem Dei non nudum actum, ſed propenſionem habitualem eſſe ſtatuimus, illorum nos opponimus errori (qui in praxi vitae chriſtianae haud eſt infrequens) qui affectum quendam, aut motum tranſitorium, ſaepe & imaginarium, ſtatim pro vero & genuino amore Dei habent. Multo vero minus, cogitatio amoris pro amore ipſo habenda, vt imperite & pernicioſe multi faciunt, qui amorem Dei in quadam cogitatione collocant, qua Deum a nobis amari profitemur. *Verus amor pondus quoddam eſt voluntatis in rem amatam, non ingenii commentatio, quae poteſt quidem iſtius amoris comes eſſe, ſed ab illo late disiungitur. Quam multae matres vel ardentiſſime filios diligunt, quam multae vxores maritos ſuos, quibus tamen nunquam venit in mentem, eiusmodi verbis aut cogitationibus amorem ſuum teſtificari! Veriſſimos illae amoris actus exercent, dum filios aut coniuges ſollicite & amanter curant, dum illis aegrotis anguntur, conualeſcentibus gaudent, periclitantibus metuunt, abſentes deſiderant. Has formas, aliasque innumeras, induit terrena charitas, ex qua nobis coeleſtis intelligenda, non minus ipſa variis affectibus multiplex.* Ita eleganter rem exprimit WENDROCKIVS, ad *Montaltii litteras prouinciales, not. 4. in epiſt. 10. ſect. 1. p. 293.* Rurſus dum in propenſione amorem collocamus, neutiquam propenſio, quae in actum non erumpat, cogitanda. Quanquam vero propenſio, quae, quoad fieri poteſt, in actum non erumpat, vix cogitari queat. Interim non defuerunt ex lepidiſſima Moraliſtarum, quos vocant, Pontificiorum gente, qui hoc inculcarent, amari Deum cenſendum, etſi nullus vnquam actus amoris edatur: aut, vt illorum verbis vtar: *mortali piaculo praeceptum de amando Deo non violare, qui nullum vnquam diuini amoris actum eliciat.* Hanc ANTONII SIRMONDI, & ſociorum, ſententiam, prolixe & accurate refellit WENDROCKIVS *l. c. p. 292. ſeqq.* Vt vero errorem ſuum pallient eiusmodi homines, abuti ſolent diſtinctione, inter amorem *affectiuum* & *effectiuum*. Affectiuum dici putant, qui intra affectum ſubſiſtat; qui opere ipſo, & ſine affectu ſe prodat, effectiuum. Perperam quidem. Quo pacto enim effectiuus amor ſine affectiuo eſſe queat, intelligi nequit. Qui in ſano ſenſu hanc diſtinctionem adhibent, eam ita intelligunt, quod amor affectiuus is ſit, qui in voluntate & animo remanet, nec in exteriores actus ſe diffundit: amor autem effectiuus idem ſit interior animi affectus, quatenus in externos actus funditur. Ad rem ipſam quod attinet, amorem ſeu charitatem, cum fide arctiſſimo vinculo connexam eſſe, conſtat. Vt ergo fide eos, qui in ſtatu gratiae ſunt, & ſine interruptione eſſe cupiunt, nullo temporis momento excidere oportet, ita neque amore Dei excidere oportet, ſed vtriusque habitum continuum ſeruare, actus omnes noſtros dirigentem (adeoque nunquam non in actum erum-

erumpentem) 1 *Ioh.* IV, 16. *Ioan.* XV, 9. *ſeqq.* Sic per omnem vitam ſe amari iubet Deus, *Deut.* XI, 1. & XIX, 9. & anathema dicitur non amanti Ieſum Chriſtum, 1 *Cor.* XVI, 22. Haec cum recte quoque obſeruaſſet IVSTVS CHRISTOPHORVS SCHOMERVS, porro addit: *Quare miramur inſignem vecordiam, non tantum Antonii Sirmondi Ieſuitae, qui amoris diuini non tam praeceptum, quam conſilium agnoſcit, aut ſi omnino praeceptum, non rigoris tamen, ſed clementiae, id eſt tale, quod impune negligere liceat, ſed & plerorumque inter Pontificios moraliſtarum, qui eum per habitum charitatis diuinitus infuſum ſe coram Deo iuſtificari, & conſequenter etiam ſaluari docent, non tamen habitum, ſed actus tantum tranſeuntes ſub praeceptum cadere ſtatuunt, quod apud Thomam 2. 2. p. 31. ſeqq. frequenter occurrit; adeoque nec ſemper hoc charitatis praeceptum obſeruatu neceſſarium eſſe, ſtatuunt. theolog. moral. cap. 7. §. 8. p. 305.*

** Non aliorum itaque, quam errore Pelagiano imbutorum poteſt eſſe ſententia, dari amorem Dei naturalem, in ſtatu naturae lapſae, quam merito profligat WENDROCKIVS ad *Montaltium p. m.* 313. Si ad praxin vitae attendas, multos dari, qui, etſi irregeniti ſint, ſibi tamen perſuadent, ſe amare Deum poſſe, certum eſt.

§. CXII.

Obiectum itaque amoris huius Deus eſt, ceu ſummum hominis bonum. Solum vero Deum ſummi boni nomine tituloque dignum eſſe, iam ex ſupra dictis conſtat. add. *Matth. XIX, 17.* Vnde & eum ſupra omnia amandum eſſe, ſequitur. * In ſolo itaque Deo, qui eum amat, omnem delectationem ſuam quaerit, & cum eo arctius vniri cupit. *Pſ. XVIII, 2. 3. LXXIII, 25. 26. XXXIV, 9. 1 Cor. VI, 17.*

* Sequitur hinc, amorem Dei *ſummum* eſſe debere. Pro ratione enim obiecti, quod nos ad amandum mouet, amor quoque intenditur. Si ergo obiectum ſummi boni habet indolem, amorem quoque, quo in illud ferimur, ſummum eſſe oportet. Id vero vt recte intelligatur, in amore rite aeſtimando, tum ad obiectum, ſeu id, quod diligitur, tum ad ſubiectum, ſeu hominem diligentem, reſpiciendum eſt. Si obiectum reſpiciatur, fatendum, nullum in hominibus aut rebus creatis eſſe poſſe amorem, qui perfecte reſpondeat obiecto, ſeu quo amari Deus dignus eſt: ſin vero ſubiecti habeatur ratio, ſummus is amor dicitur, cum quis tantum amat, quantum poteſt, etſi obiecti cognitio & praeſtantia plus adhuc exigeret. Et tum quidem iterum ad duplicem hominum ſtatum eſt reſpiciendum: alio enim ſenſu in ſtatu integritatis, alio in ſtatu poſt lapſum amor hominum, ſed regenitorum, ſummus dicitur. In ſtatu enim integritatis ſummus erat amor Dei ſecundum rigorem legis. In ſtatu autem poſt lapſum ea minime expectanda perfectio, interim laudantur fideles, quod ex *toto corde* Deum ament, vel amauerint, & amore equidem intenſiue ſummo, ſed prout in hunc ſtatum, tot infirmitatibus, & imbecillitatibus circumſeptum, cadit. Multis enim imperfectionibus laborare amorem hominum credentium, cum ſcriptura experientia teſtatur, adeo, vt aliquando a feruore ſuo plane remittat, *Matth.* XXIV, 12. *Apoc.* II, 4. Amor autem intenſiue ſummus, etiam comparate ſummus eſſe debet, adeo, vt nullum obiectum, quodcunque demum ſit, ea ratione ametur, qua Deus eſt amandus. Solus enim Deus habet rationem ſummi boni, vltimique finis: adeoque ſolus propter ſeipſum, reliqua omnia propter Deum, amanda ſunt. Hic eſt amor recte ordinatus, ſi quis Deum propter Deum, non propter ſeipſum, ceu vltimum amoris finem diligat. Deus enim omnium rerum & principium & finis eſt, qui omnia condidit propter ſeipſum & ad gloriam ſuam, *Prouerb.* XVI, 4. *Rom.* XI, 36. Recte AVGVSTINVS: *neque enim ad aliud Deus referendus eſt,* (id eſt, non propter aliquid a ſe diſtinctum, finaliter amandus) *quoniam omne, quod ad aliud referendum eſt, inferius eſt, quam id ad quod referendum eſt, quaeſt. lib.* 83. *quaeſt.* 33. Et *lib. 2. de ſermon. domini in monte cap.* 25. *Quaecunque res propter aliquid aliud quaeritur, ſine dubio inferior eſt, quam id, propter quod quaeritur.* Prolixe admodum & ex inſtituto hoc euincit HENRICVS A S. IGNATIO, in *ethica amoris part. 1. lib. 6. cap. 1. ſeqq.* qui non tantum ex patribus, ſed & *cap. 12. & ſeqq.* ex ſcriptura ſacra, ſpecia-

tim

Digitized by Google

tim & 1 *Petr.* IV, 8. 1 *Cor.* X, 31. *Matth.* VI, 33. hancce comprobat ſententiam. Sua ſponte vero inde ſequitur, omnem amorem rerum creatarum, quo quis finaliter & propter ipſas eas amat, inordinatum, atque adeo prauum eſſe. Atque hoc eſt, quod AVGVSTINVS, *lib. 1. de doctrina chriſtiana, cap. 4. ſeqq.* docet, ſolo Deo *fruendum*, rebus autem creatis omnibus ſaltem *vtendum* eſſe. *Frui enim*, inquit, *eſt, amore alicui rei inhaerere propter ſeipſum: vti autem, quod in vſum venerit, ad id, quod amas, obtinendum referre, ſi tamen amandum eſt.* Totus in hocce argumento eſt, quem antea laudauimus, HENRICVS A S. IGNATIO, per integrum fere librum ſeptimum, in quo de amore creaturarum ordinato agit, & ex inſtituto probat, nullam rem creatam per ſe & finaliter diligi poſſe, vt non amoris ordo turbetur. Nos autem porro addimus, vt rerum creatarum omnium, ita & noſtri ipſorum amorem iure meritoque cedere amori ſummo Numinis. Immo hunc ſummum non eſſe, niſi ille cederet. Neque vt nobis ipſis, ſed vt Deo placeamus, par eſt. *Rom.* XV, 1. Neque etiam nos propter nos ipſos, ſiue primum creati, ſiue a ſtatu mortis redemti, & ad vitam electi ſumus, ſed propter Deum, ad eius gloriam augendam. 1 *Cor.* XI, 7. *Epheſ.* 1, 6. 1 *Petr.* II, 9. Aequum itaque etiam eſt, vt non noſtram vnquam gloriam, ſed diuinam expetamus, *Pſalm.* CXV, 1. & quidquid inter bona noſtra reputamus, Deo acceptum feramus, 2 *Cor.* IV, 7. 1 *Cor.* XV, 10. & ad auctorem eo nomine magis amandum, referamus, *Ierem.* IX, 23. *ſeqq.* vt ſic vltimato nobis omnis de Deo ſit gloriatio 1 *Cor.* I, 31. 2 *Cor.* X, 17. Rem omnem iterum praeclare expedit AVGVSTINVS: *magna quaedam res eſt homo, factus ad imaginem & ſimilitudinem Dei, non in quantum mortali corpori includitur, ſed in quantum beſtias rationalis animae honore praecellit. Itaque magna quaeſtio eſt, vtrum frui ſe debeant homines, an vti, an vtrumque. Praeceptum eſt enim nobis, vt diligamus inuicem, ſed quaeritur, vtrum propter ſe homo ab homine diligendus ſit, an propter aliud. Si enim propter ſe, fruimur eo: ſi propter aliud, vtimur eo. Videtur autem mihi propter aliud diligendus. Quod enim propter ſe diligendum eſt, in eo conſtituitur vita beata. Cuius etiamſi nondum res, tamen ſpes eius nos hoc tempore conſolatur. Maledictus autem, qui ſpem ſuam ponit in homine.* (*Ierem.* XVII, 5.) *Sed nec ſeipſo quisquam frui debet, ſi liquido advertas, quia nec ſeipſum debet propter ſeipſum diligere, ſed propter illud, quo fruendum eſt. Tunc quippe eſt optimus homo, cum tota ſua vita pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhaeret illi. Si autem ſe propter ſe diligit, non ſe refert ad Deum, ſed ad ſeipſum conuerſus, non ad incommutabile aliquid conuertitur. Et propterea iam cum defectu aliquo ſe fruitur, quia melior eſt, cum totus haeret atque conſtringitur incommutabili bono, quam cum inde vel ad ſeipſum relaxatur, &c.* de *doctrina chriſtiana, lib.* 2. *cap.* 22. add. quae ſupra diximus §. 35.

§. CXIII.

Praeterquam vero, quod Deus ſummum bonum ſit, aliae quoque rationes ad eius amorem nos adducere debent. Ipſe namque prius nos amauit, *1 Ioh. IV, 19.* amore aeterno, ante iacta fundamenta mundi, *Epheſ. I, 4. 5.* & perpetuo, *Ier. XXXI, 3.* & maxima beneficia in nos contulit, adeo, vt filium ſuum vnigenitum pro nobis in mortem traderet. *Ioan. III, 16. Rom. VIII, 32.* Accedit, quod amantes ſe non poſſit non iterum amare Deus. *Prouerb. VIII, 17. Ioan. XIV, 23.* *

* Quocunque oculos animumque tum in regno naturae, tum in regno gratiae conuertimus, ſtatim deprehendimus argumenta, quae ad amorem Numinis nos alliciant. Eleganter AVGVSTINVS: *coelum & terra, & omnia, quae in eis ſunt, ecce! vndique mihi dicunt, vt te amem, nec ceſſant dicere omnibus, vt ſint inexcuſabiles. lib.* 10. *confeſſion. cap.* 6. Copioſe autem, & magna cum emphaſi, more ſuo, rationes, quae nos ad amandum Deum inducere debeant, ediſſerit B. IOAN. ARNDIVS, de *vero chriſtianiſmo lib.* 1. *cap.* 28.

§. CXIV.

In Deo etiam vera animi quies quaeritur recte, & inuenitur. In rebus creatis eam fruſtra quaeri, experientia docet. Summum bonum tantum, quod Deus eſt, propenſionem iſtam in infinitum tendentem, exſatiare poteſt. * In eo itaque, ceu vero & genuino amoris centro, veram quietem homo inuenit. Nec quidquam eſt, quod ſummi huius boni perennem poſſeſſionem, ſi modo homo mediis gratiae recte vtatur, dubiam aut incertam reddere queat. ** Hinc ſi Deo modo fruatur, reliquis omnibus facile carere poteſt. *Pſalm. LXXIII, 25. 26.*

* Non multum equidem ſcholaſticis doctoribus delector: THOMAM tamen de AQVINO non plane contemnendum puto, qui aliquando haud inconcinne de rebus grauisſimis loquitur. De eo, quod in ſolo Deo veram quietem & tranquillitatem homo inueniat, ita philoſophatur: *beatitudo eſt bonum perfectum, quod totaliter quietum reddit appetitum, alioquin non eſſet vltimus finis, ſi adhuc aliquid reſtaret appetendum. Obiectum autem voluntatis eſt vniuerſale bonum, ſicut obiectum intellectus eſt vniuerſale verum. Ex quo patet, quod nihil poſſit quietam reddere voluntatem hominis, niſi bonum vniuerſale, quod non inuenitur in aliquo creato, ſed ſolum in Deo, quia omnis creatura habet bonitatem participatam. Vnde ſolus Deus voluntatem hominis implere poteſt, ſicut dicitur Pſalm.* CII. *qui replet in bonis deſiderium &c.* 1. 2. *quaeſt.* 2. *art.* 8.

** Doctrinae chriſtianae, prae philoſophia gentilium, maxima hinc eluceſcit praeſtantia. Quo pacto enim conſtans, perennis, & perpetua ſummi boni eſſe poſſit poſſeſſio, (quod tamen ad veram felicitatem requiritur) philoſophi neutiquam aſſequi poterant, & hinc ſuae doctrinae imbecillitatem vel maxime prodebant. Propius equidem, quam reliqui, ad veritatem accedere videtur PLATO, quando *in Epinomide, ſub init.* ita diſſerit: *impoſſibile arbitror, homines, quamdiu hic viuunt, felicitatem ac beatitudinem hic aſſequi, exceptis paucis, illam ſcilicet qui deguſtant. Bona tamen ſpes eſt, vt poſt mortem ea omnino conſequatur, quorum deſiderio accenſus, pro viribus optime egit vitam, atque exegit.* Initium equidem, ſeu *primitias* (*Rom.* VIII, 23.) beatitudinis, at non naturae viribus, ſed ſola fide in Chriſtum, homines in Chriſtum credentes in hac vita accipiunt: ſed plena & conſummata beatitudo poſt hanc vitam demum in iis conſummatur. *Coloſſ.* III, 4. 1 *Ioan.* III, 2. Id non incerta quadam perſuaſione, ſed fide certiſſima tenent. Vt vero viam ad felicitatem veram ignorauit tum PLATO, tum reliqui, ita quae de animae immortalitate ac vita beata poſt hanc vitam expectanda aliquando tradunt, incertis apud eos nitebantur fundamentis. Ideoque nec de perennitate verae felicitatis certi eſſe poterant. Nos de his omnibus ex ſcriptura ſumus certisſimi: quae docet nec per mortem ſummi boni poſſesſionem tolli, quippe quae tranſitus ſaltem ſit ad vitam. *Ioh.* VIII, 51.

§. CXV.

Cognoſcitur amor Dei, ſi verbo Dei, rebusque diuinis omnibus, delectemur, *Pſ. XLII, 2. 3. LXIII, 1-7. LXXXIV, 2. 3.* peccatum omne, quippe quod Deo tantopere diſplicet, *Pſ. V, 5.* ſedulo fugiamus. *Pſalm. CXIX, 128.* obedientiam noſtram in ſeruandis eius mandatis Deo probemus, *Ioan. XIV, 23. 24. 1 Ioan. V, 3.* pro nominis diuini gloria aſpera quaeque ſubire, non detrectemus, *Actor. XXI, 13. Rom. VIII, 36.* Dei cauſſa & alios homines diligamus. *1 Ioan. IV, 20.*

§. CXVI.

§. CXVI.

Solent nonnulli amoris varias conſtituere ſpecies, eumque in amorem *concupiſcentiae & complacentiae*, & hunc iterum in *amicitiae & obedientiae*, diſpeſcere. * Addunt quidam amorem *vnionis:* ſed omnis amor Dei vnionem cum Deo iam ſupponit, & ad arctiorem cum eo vnionem tendit. Reliquae etiam amoris ſpecies reuera tantum modificationes amoris ſunt, ex obiectorum diuerſa repraeſentatione ortae.

* Notiſſima quidem haec & hodie maxime celebrata eſt amoris diſtinctio. Non tamen vno eodemque modo explicatur. Id quod obſeruandum puto, ad varias, quae hac ſuper re ortae ſunt, contentiones, rite componendas. Nonnulli *amorem concupiſcentiae* ſemper in malam partem accipiunt. Idque iterum diuerſa ratione. Namque interdum, voce hac ſtrictius accepta, per amorem concupiſcentiae intelligunt amorem bonorum temporalium & ſenſibilium. Interdum vero, voce iſta latius accepta, eum concupiſcentiae amorem vocant, qui pro obiecto habet bona quaecunque conducentia ad felicitatem, tam animae, quam corporis, tam ſpiritualia, quam corporalia. Eiusmodi amorem vtroque modo acceptum, illicitum eſſe, contendunt: hactenus quidem recte, ſi homo bona iſta, praecipue ſpiritualia, propter ſe & finaliter diligat. vid. HENRICVS A S. IGNATIO, in *ethica amoris part. 1. lib. 5. cap. 2. pag. 234. ſeqq.* Non multum hinc diſcedere videtur IVSTVS CHRISTOPHORVS SCHOMERVS, quando diſcrimen inter amorem amicitiae & concupiſcentiae, ita explicat: *amor amicitiae*, inquit, *eſt qui fertur in obiectum ſimpliciter, vt ſeruandum vel augendum; concupiſcentiae, qui fertur in obiectum, vt vſu vel poſſeſſione ſui non tantum nos, ſed & alios augent. Ille* (amor amicitiae) *praecipue in perſonas: hic promiſcue etiam in bruta, & res inanimatas cadit. Quod amicitia amatur, amatur quidem propter ſe, quod concupiſcentia, propter vtentem vel poſſidentem.* Hac ratione amorem concupiſcentiae, ceu illicitum, reiicere videtur SCHOMERVS, ſed ſubiuncta explicatio efficit, vt aliter ſentiam: *ſed vterque amor iterum reſpici poteſt, vel vt iucundus per ſe, cum in illo vel rei, vel vſus & poſſeſſionis eius, amore acquieſcimus, vel vtilis, cum ab alio fine, qui magis amatur, voluntas noſtra menſuram accipit, i. e. cum in amicitiae amore, non quidem obiecti, ſed amoris tamen vſus & vtilitas reſpicitur. Dum autem non differre dicimus vtrumque amorem, niſi ab eo, quod praecipue reſpiciunt, concludimus, quod non differant realiter, niſi quousque obiectum ſuum non omni ex parte aequaliter reſpiciunt; theolog. moral cap. n. §. 3. pag 296.* Sunt tamen alii, qui paulo aliter voces iſtas accipiunt, &, ni fallor, diſtinctius hac de re philoſophantur. Per amorem ſcilicet concupiſcentiae, intelligunt amorem ſui cum deſiderio vniendi ſecum ea, quae ad bene eſſe ſuum pertinent, ſpectatum. Quatenus vero illud, quod ſibi conueniens ſuaeque nunc inclinationi quam ſimillimum eſt, etiam in aliis animaduertit, eoque magis, quam verſus alia aliosue propendet, *amor complacentiae, iuxta illos vocatur.* Monentque ſimul, complacentiae hunc amorem, tantum ad alios ſe extendentem, accurate diſtinguendum a complacentia, quae omnem amorem antecedit, & nonniſi voluptatis quaedam eſt species. Ita quidem ARNOLDVS WESENFELDIVS, in *georgica animi & vitae part. 2. c. 9. §. 4.* Et ita nos quoque has voces accipimus, vt ex ipſa tractatione patet.

§. CXVII.

Nimirum, cum ſummis & infinitis Deus gaudeat perfectionibus, tria tamen praecipue in eo conſiderare poſſumus, * ad amorem noſtrum erga eum excitandum. Primo, tanquam ipſum ſummum bonum ſpectari poteſt, in cuius fruitione noſtra conſiſtat felicitas: deinde, ipſa naturae diuinae excellentia, quae tanta eſt, vt, quidquid perfectionum cogitari poteſt, in eminentiſſimo gradu contineat, noſtrum

Digitized by Google

in ſe conuertere animum poteſt: denique, & vt auctor conditorque huius vniuerſi conſiderari poteſt, cui vitam, & cuncta, quae poſſidemus, debeamus, indeque ad obedientiam omnibus numeris abſolutam praeſtandam, obligati ſumus.

* Non enim ſine ratione factum eſſe, vt cenſeamus, par eſt, quod Deus ſub diuerſis reſpectibus ſe reuelauerit. Omnes enim iſti reſpectus in eo conſpirant, vt eo fortius ad amorem Numinis nos excitent, atque inflamment. Et licet in praxi coniunctiſſimi ſint, ſeorſim tamen conſiderati poſſunt, quemadmodum & amor ipſe certam inde accipit modificationem. Quae tamen rurſus ita accipiendae ſunt modificationes, ne vna alteram tollat aut euertat, ſed vt ad amorem Dei perficiendum, quantum fieri poteſt, amica conſpiratione inter ſe conſentiant. Atque hoc eſt, quod alii docent, ad amorem Numinis requiri, vt ſit *adaequatus ex parte obiecti*, atque ex omnibus illis cauſſis procedat, ex quibus nobis amandi obligatio eſt, quas in Deo reuelatio ſcripturae detegit: ita quidem, vt quemadmodum nullae in nobis animi vires ſunt, quin occupati debeant in amore Dei, ita nihil in Deo cognitum ſit, quin a nobis omni ſtudio ametur. Bene hac ratione rem exprimit I. C. SCHOMERVS, *theol. mor. cap.* 8. §. 15. *p.* 317. qui & Quietiſtas, quos vocant, hoc nomine reprehendit, quod omnes rationes formales obligationis noſtrae, quibus Deum, vt paſtorem, medicum, patrem, dominum reſpicimus, tanquam puri amoris impedimenta negligere & abiicere iubeant, vt ſic tandem omni ſuo neruo atque fomite amor ſpolietur.

§. CXVIII.

Cum ergo Deum, ceu ſummum noſtrum bonum, in cuius fruitione omnis noſtra felicitas verſetur, amamus, amor dicitur *concupiſcentiae*. In meliorem itaque partem hanc vocem ſumi, manifeſtum eſt. Ita Dauid dilexit Deum: *intimis viſceribus diligam te, Iehoua; firmitas mea, Iehoua petra mea, & propugnaculum meum, & liberator meus, Deus rupes mea, ad quem me recipiam, clypeus meus, & cornu ſalutis meae, editus locus meus, Pſ. XVIII, 2.3.* Et Abrahamum ad eiusmodi amorem excitauit ipſe Deus: *ego ſum clypeus tuus, & merces tua magna valde, Geneſ. XV, 1.* add. *1 Cor. II, 9.*

§. CXIX.

At cum ſumma numinis perfectio, excellentia, pulchritudo nos in eius amorem rapit, (namque, & quae pulchra ſunt, amamus) * vocatur *amor complacentiae*. De eo rex ſanctiſſimus Dauid loquitur *Pſ. LXXIII, 25 26. quis mihi in coelis, & praeter te nullo delector in terra &c.* Hicce amor nos impellit, vt ſolum Deum dignum omni gloria & honore iudicemus, eiusque nomen & gloriam vbique agnoſci & praedicari cupiamus, *Apoc. IV, 10.11. dignus es Domine, qui accipias gloriam, & honorem, & virtutem*, conf. & *cap. VII, 12.*

* Eleganter hac de re BASILIVS in *aſceticis cap.* 2. *Quid autem pulchritudine Dei praeclarius? quid magnificentia Dei gratius & iucundius excogitari poterit? quodnam deſiderium animae adeo vehemens eſt, & graue, atque id eſt, quod animae ab omni malitia repurgatae a Deo inditur, quae & ex vero dilectionis affectu dicit: quoniam dilectione vulnerata ſum. Pulchritudinis Dei fulgor omnino indicendus, & inenarrabilis eſt. Nec ſermo illum poteſt exprimere,*

mere, nec auditus cuiusquam percipere. Et ſi luciferi fulgorem dixeris, aut lunae ſplendorem, vel ſolis lucem, omnia imparia ſunt ad gloriae diuinae ſimilitudinem, & minus ad verae lucis collationem faciunt, quam ſi obſcura, inamoena, & tenebricoſa nox, sereniſſimae meridiei conferatur.

§. CXX.

Amorem *complacentiae*, in amorem *amicitiae & obedientiae* diſpeſci, ſupra diximus. * In illo praeter excellentiam & praeſtantiam eius, qui amatur, accedit, quod ab eo iterum amari cupiamus. ** Id namque & natura amoris quemuis docet, vt ab eo, quem ob ſingularem praeſtantiam amamus, iterum amari cupiamus. Vnde ad hunc amorem amantium aequalitas non requiritur: adeoque nec ſumma inaequalitas inter Deum & homines obſtabit, quo minus amor amicitiae inter eos locum habeat: praeſertim cum Chriſtus non dedignetur homines *fratres* appellare, *Ebr. II, 11.* quemadmodum & Abrahamus *amicus Dei* appellatus eſt. *Iac. II, 23.* conf. & *Eſ. XLI, 8. 2 Paral. XX, 7.* Hinc & Chriſtus ipſe ad apoſtolos: *non voco vos ſeruos, ſed amicos meos, Ioan. XV, 15.*

* §. 116.
** add. WESENFELDIVS, in *georgica animi & vitae, part. 2. cap. 10. §. 21. ſeqq.* vbi pluribus & ex inſtituto haec ediſſerit.

§. CXXI.

Denique & *amore obedientiae* amandus eſt Deus. Si enim cogitemus, eum auctorem conditoremque huius vniuerſi, praeſertim hominum, eſſe, hominumque ſpiritum & vitam ab eo dependere vnice, ad obſequium mandatis eius praeſtandum, nos obligatos eſſe, facile deprehendemus. Iam ergo ſi amamus Deum, & nos etiam inſuper ad obediendum ei obſtrictos intelligimus, prono promptoque hoc faciemus animo, ad exemplum Chriſti ſeruatoris. *Ioan. IV, 34.* Et hic eſt *amor obedientiae*, de quo *Eſ. LVI, 6. ad diligendum nomen Iehouae, vt ſint ei ſerui,* & *1 Ioan. V, 3. haec eſt dilectio Dei vt praecepta eius ſeruemus;* & Chriſtus ipſe, *amici mei eſtis, ſi feceritis, quae vobis praecipio, Ioan. XV, 14.* add. *cap. XIV, 23. XV, 10.*

§. CXXII.

Iſthaec amoris diuini ſpecies, coniunctae inter ſe ſunt, non ſeparatae, nec ſeparandae. Reuera enim amoris noſtri, vt ſupra diximus, quaedam ſaltem ſunt modificationes. Falluntur itaque, qui amore v. g. concupiſcentiae ſe recte amare Deum putant, ſi tamen eundem non etiam ament amore obedientiae. *Si mea,* inquit ſeruator, *praecepta ſeruaueritis, manebitis in amore meo, vt ego mei praecepta patris ſeruaui, & in eius amore maneo. Ioan. XV, 10.*

§. CXXII.

De amore equidem *concupiſcentiae*, diſputari ſolet, * an eo omnino amandus Deus ſit? Eſt vero obſeruandum, amoris huius diuerſos dari gradus, aliumque *purum*, alium vero *impurum eſſe*. Impurus eſt, ſi quis Deum propter bona temporalia amat, qui hypocriticus plane amor eſt, & hoc nomine plane indignus. ** Sic Iudaei Chriſtum propter panes, & quod iis ſaturati eſſent, amabant. Deinde & ille impurus amor eſt, ſi quis propter dona ſpiritualia, & aeternam beatitudinem, Deum amet, ita quidem, vt vel tantum, vel primo ſaltem loco, ſuam beatitudinem ſeu felicitatem quaerat. *** Pugnant haec cum iis, quae ſupra docuimus, Deum ſupra omnia eſſe amandum. *Matth. XXII, 37.*

* Et noſtra aetate hac de re diſputatum acriter, etiam olim ſententia de amore Dei puro, ſingularia habuit fata. Conſtat namque, iam inter Iudaeos, ante Chriſtum natum, Antigonum Sochaeum ſapientiae laude clarum, docuiſſe, Deo non ita obediendum eſſe, vt ſerui dominis obediunt, ſpe mercedis. Quod Sadock atque Baithus, Antigoni diſcipuli, ita intellexerunt, ac ſi dixiſſet, Deo ſeruiendum eſſe ſine ſpe retributionis: & hinc porro collegerunt, nullas poenas, nulla quoque poſt hanc vitam expectanda eſſe praemia, animas hominum cum corpore perire, & quae reliqua erant, Sadducaeorum, quibus originem dederunt, placita. Regula Antigoni, quae diſcipulis errandi occaſionem praebuit, extat in *Pirke Auoth. cap.* 1. De reliquis ipſe pluribus expoſui, in *introduct. ad hiſtor. philoſoph. Ebraeor. pag.* 68. Fuerunt deinde ex patribus, qui eandem doctrinam de amore puro vrgerent, ſed ita, vt myſticis ſcriptoribus eam iterum vltra, quam par erat, extendendi, praeberent occaſionem. Cum primis hac de re inſignis apud CLEMENTEM ALEXANDRINVM extat locus, *lib.* 4. *Stromatum pag.* 532. dignus omnino, qui hic legatur: ὁ δὲ ψιλῇ κλήσει καθ᾽ ὃ κέκληται ὑπακούων, οὔτε διὰ φόβον, οὔτε διὰ ἡδονὰς ἐπὶ τὴν γνῶσιν ἵεται. οὐ γὰρ περισκέπτεται εἴ τι λυσιτελὲς ἔξωθεν ἕπεται κέρδος ἢ ἀπόλαυσις αὐτῷ, ἀγάπῃ δὲ τοῦ ὄντως ὄντος ἐραστοῦ ἑλκόμενος, καὶ πρὸς τὸ δέον ἀγόμενος, θεοσεβεῖ. ὅθεν, οὐδ᾽ εἰ καθ᾽ ὑπόθεσιν ἐξουσίαν λάβοι παρὰ τοῦ Θεοῦ πράττειν τὰ ἀπηγορευμένα, ἀτιμώρητός τε ὤν, οὐδ᾽ εἰ μισθὸν τὰ μακάρων ἀγαθὰ λήψεσθαι ἐπὶ τοῖς δὲ ἐπαγγελίαν προσλάβοι, ἀλλ᾽ εἰ καὶ λήσεσθαι τὸν Θεὸν ἐφ᾽ οἷς πράττει πεισθείη, ὅπερ ἀδύνατον πρᾶξαι παρὰ τὸν λόγον τὸν ὀρθὸν ἐθελήσαι ποτ᾽ ἂν καὶ ὄντως καλὸν καὶ αἱρετὸν ἐξ ἑαυτοῦ, καὶ ταύτῃ ἀγαπητὸν εἶναι ἅπαξ ἑλόμενος. *Qui nudae vocationi, quatenus vocatus eſt, obedit, is neque propter timorem, neque propter voluptatem tendit ad cognitionem. Non enim conſiderat, an aliquod vtile lucrum, vel delectatio aliqua extrinſecus conſequatur, ſed tractus amore eius, quod reuera eſt amabile, eoque ad officium actus, pius Dei cultor eſt. Vnde nec ſi ſingamus, poteſtatem ſibi a Deo factam eſſe agendi ea, quae prohibita ſunt, citra vllam poenam, neque ſi propterea beatorum bona accepturum eſſe promiſſum ei fuerit, ſed nec ſi perſuaſum habueris, fore, vt Deum lateant ea, quae geris (quod quidem fieri non poteſt) in animum vnquam inducturus eſt, vt aliquid agat praeter rectam rationem, cum id, quod eſt vere honeſtum & ex ſeipſo eligendum, & ea ratione expetendum, amandumque, ſemel elegerit.* Quod quidem CLEMENTIS effatum, rite acceptum, recte omnino ſe habet, & rem, vti eſt, exponit. Fuerunt tamen deinceps, ex myſticis, quos vocant, ſcriptoribus, qui vltra tenderent, limitesque amoris puri ita coarctarent, vt ipſam fere amoris indolem atque naturam euerterent. Fecit id noſtra cumprimis aetate FRANCISCVS de SALIGNAC FENELON archiepiſcopus Cameracenſis, in libro, cui titulum fecit: *explication des maximes des Saints ſur la vie interieure.* Quinque is amoris, quo Deum amamus, ſpecies conſtituit: prima eſt, cum tantum ob bona temporalia Deus amatur, quem amorem

tem merito, *pure ſeruilem*, dicit: altera eſt, cum Deus tantum vt medium, aut inſtrumentum, noſtrae felicitatis amatur, quem iſte *amorem concupiſcentiae*, vocat, (voce quidem iſta aliter accepta, ac nos eam accipimus) tertia eſt, quando Deum propter ipſum Deum equidem amamus, ſed ita, vt noſtrae felicitatis amor primum adhuc locum obtineat; & eum quidem amorem vocat, *amorem ſpei*. Quarta amoris ſpecies eſt, quando praecipue quidem & primo loco Deum propter ipſum amamus, ſed vt noſtrae tamen etiam beatitudinis, in ipſius fruitione obtinendae, habeamus rationem. Vltima denique amoris ſpecies eſt, cum Deum nulla noſtri commodi, noſtraeque felicitatis, ratione habita, tantum propter ipſum Deum amamus: & hunc demum *amorem purum, perfectamque*, dicit, *charitatem, l. c. pag.* 9. 10. Quid vero de hacce Cameracenſis archiepiſcopi ſententia, quae cum aliis quibusdam ſcriptoribus myſticis illi communis eſt, ſentiendum ſit, ex iis, quae hoc loco diſputamus, facile liquet. Priores tres amoris, quas conſtituit, ſpecies, indignas eſſe, quae amoris nomine veniant, facile largimur. Quartam vero, quod pro amore impuro habet, in eo vel maxime fallitur, cum iſtum amorem ipſa ſcriptura ſacra iniungat atque commendet. Quinta, ipſam naturam amoris euertere videtur: cum ſupra ſatis a nobis oſtenſum ſit, nullum ſine vllo reſpectu ad ſeipſum, eſſe amorem poſſe. Idque praeter alios, qui hac in cauſſa ſcripſerunt, luculenter oſtendit auctor libri: *Apologie du veritable amour de Dieu*, cumprimis *lib.* 2. *cap.* 1. 2. 3. Puri eiusmodi amoris exemplum FENELONIVS, & qui cum illo ſentiunt, ſibi inueniſſe viſi ſunt, in exemplo Pauli, optantis anathema eſſe a Chriſto pro fratribus ſuis: ηὐχόμην, inquit, αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου, *Rom.* IX, 3. Quae quidem apoſtoli verba difficultate non carent. Id namque poſitum eſt extra controuerſiam, votum hoc neutiquam praecipitanter ac temere conceptum, aut ſine matura animi deliberatione prolatum, multo minus inane, aut ſani conſilii expers eſſe. Rurſus tamen & illud exploratum, non licere cuiquam, voto ſe aliquo a ſalutifera Chriſti communione ſegregare, & damnatorum, i. e. hoſtium Chriſti ſtatui aggregare, quippe qui non ſolum miſerrimus, ſed & propter deſperationem, odiumque Dei, longe eſt ſceleratiſſimus. Ad hancce itaque tollendam difficultatem, non vnam viri docti ingreſſi ſunt viam. Minime omnium audiendi ſunt, qui Paulum de tempore phariſaeiſmi ſui loqui putant, aut anathema de morte violenta, aut annihilatione, interpretantur. Nec rem acu tangunt, qui ſeparationem ab eccleſia intelligunt, etſi in hac ſententia verſetur IO. SELDENVS, de *ſynedr. lib.* 1. *cap.* 8. atque HENRICVS HAMMONDVS, in *paraphraſi ad h. l.* Diſerte enim apoſtolus dicit, optare ſe anathema eſſe ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, *a Chriſto:* quo ipſo quin ſeparationem a Chriſto, ſtatumque adeo damnationis, innuat, dubitari nequit. Nec aliter hoc capi poteſt, niſi claris ac luculentis apoſtoli verbis vim inferre velis. At qui optare hoc potuit apoſtolus, dicis, quod in ſe illicitum videtur, immo quod cum ipſa charitate Dei pugnat, & ordine etiam amoris, ab ipſo Deo conſtituto? Nec dicam, quod ſui ſubſtitutionem pro Iudaeis, ſine iniuria Chriſti, optare non potuerit, quippe cui ſoli ob dignitatem perſonae & mediatorii muneris, talis ſubſtitutio conuenit. Sed planiſſima cuncta erunt, omnesque euaneſcent difficultates, ſi obſeruemus, tacitam in verbis Pauli ſubeſſe conditionem, neque abſolute eum optare, vt fieret anathema a Chriſto, ſed conditionate, poſito, ſi fieri poſſet, & hoc optare fas eſſet. Idque ex ipſa voce ηὐχόμην, *optarim*, liquet, vti iam accurate obſeruauit PHOTIVS: οὐδὲ γὰρ εἶπεν, εὔχομαι χωρισθῆναι, ἀλλ' ηὐχόμην ἄν τουτέστιν, εἰ δυνατὸν ἦν, εἰ συνέβαινεν θείῳ πόθῳ πόθον ἔνθεον ἐκνικηθῆναι ἐμοί· θεοπρεπὴς θεσπέσιον ἔρωτα παρηνδοκίμει, καὶ τοῦτον ὑπελθεῖν ἠγωνισάμην *Non enim dixit*, opto ſeparari, *ſed* optarem, *hoc eſt, ſi poſſibile eſſet, ſi fieri poſſet, vt deſiderium diuinum diuino deſiderio vinceretur: ſi amor decens Deum diuinum amorem tranſcenderet, hunc ego vt ſubirem.* Et iterum: Ηὐχόμην ἄν. εἰ ἐνεδέχετο, εἰ ἐνεχώρει, εἴ τις ἦν ἀπόστασις, σωτήριος, θεῷ χαριζομένη συνάφειαν, εἴ τις χωρισμὸς συνδέων σφοδρότερον, εἴ τις ἀλλοτρίωσις οἰκειοῦσα τελειότερον. *Optarem ſi concederetur, ſi liceret, ſi apoſtaſia aliqua ſalutaris eſſet, quae cum Deo coniunctionem procuraret, ſi qua ſeparatio arctius conſtringat, ſi qua alienatio perfectius vniat.* Quae PHOTII effata hac de re adfert HERMANNVS WITSIVS, in *exercitat. ad Rom.* IX, 3. quae extat *miſcellan. ſacrorum tom.* 2. *pag.* 52. *ſeqq* Et idem quidem auctor Pauli mentem haud incommode ita exprimit: *tam immenſa & incredibili charitate fratres meos Iſraelitas, populum perenni foedere Deo nexum, proſequor, vt quando ad eam felicitatem attendo, a qua exciderunt, eamque miſeriam, in quam ſe praecipitarunt, aeternae meae ſalutis diſpendio, ſi quidem*

quidem id ſaluo Dei beneplacito (immo ſalua iuſtitia & ſanctitate diuina) *fieri poſſit, redemptos cuperem, vt gloria Dei in vniuerſi potius populi ſalute, quam in mea priuata luculentiſſime fulgeret.* Eadem ratione votum apoſtoli ex noſtratibus explicant AEGIDIVS HVNNIVS, & ABRAHAMVS CALOVIVS, ad *h. l.* Licet autem amor Pauli ardentiſſimus ex hiſce verbis intelligatur, locumque omnino habeat, quod recte a nonnullis dictum, *affectus amantium cum exardeſcit, ad impoſſibilia procedit*: non tamen id ſequitur, quod myſtici nonnulli volunt, Paulum reuera optaſſe ſuam a Deo ſeparationem, adeoque ſuppoſuiſſe, ſe amare Deum poſſe, etſi damnatus eſſet, & ab omni felicitate ac beatitudine, quam fruitio Dei parit, remotus. Hoc Paulus hiſce verbis minime innuit, adeoque fruſtra hinc exemplum amoris eiusmodi, quem ſtatuunt, puri, petitur.

** Referas huc illud AVGVSTINI: *ſi propterea amicum amas, vt praeſtet tibi vel pecuniam, vel aliquod commodum temporale, non illum amas, ſed illud, quod praeſtat. homil.* 38.

*** Bene rem omnem explicat BERNARDVS, *de diligendo Deo*: *non enim*, inquit, *ſine praemio diligitur Deus, etſi absque praemii intuitu diligendus ſit. Vacua namque vera charitas eſſe non poteſt, nec tamen mercenaria eſt. Quippe non quaerit, quae ſua ſunt. Affectus eſt, non contractus, nec acquiritur pacto, nec acquirit, ſponte afficit, & ſpontaneum facit. Verus amor ſe ipſo contentus eſt. Habet praemium, ſed id, quod amatur.* Plura in eodem BERNHARDI tractatu, de *diligendo Deo*, occurrunt, quae hanc doctrinam mirifice illuſtrant.

§. CXXIV.

Quod ſi vero quis Deum ita amet, vt primo quidem propter ipſum Deum, ſeu quia ſummum bonum, dignusque ſit, qui ſupra omnia ametur, eum amet; tum vero & quia ſuam in eo inueniat beatitudinem, eius amor neutiquam impurus dici debet. Namque eiusmodi amorem in ſcriptura ſacra praecipi, & commendari, iam ex ſupra dictis conſtat. Amor vero, in quo nullus plane reſpectus ad beatitudinem, videtur ipſam amoris naturam euertere, qui ſemper pro obiecto, bonum aliquod relatiuum habet. Vnde & in amore complacentiae, eiusque ſpeciebus, eiusmodi reſpectus omnino ſupponitur. Nec obſtat, quod ita philautia quaedam in amore Dei locum habeat, cum non omnis philautia praua ſit, ſed inordinata ſaltem, vt ſupra demonſtratum, * vbi illis etiam, qui in contrarium currentes, in omni amore concupiſcentiae, philautiae primum locum tribuendum putant, ſatisfactum. **

* §. 32. *ſeqq.*

** Hoc namque ſi verum eſſet, omnino omnis amor concupiſcentiae proſcribendus eſſet: ſed reſponſum eſt ad hocce dubium, §. 35.

§. CXXV.

Inter praecipuos amoris diuini effectus referimus, quod reliquarum virtutum chriſtianarum mater ſit. * Ex amore enim diuino eas fluere, vt hic vnionem cum Deo per fidem in Chriſtum ſupponit, certum eſt. Vnde ſimul patet, quod ex parte hominis, fides primum virtutum chriſtianarum fundamentum & principium ſit, quippe ex qua amor Dei, cum amore aliorum hominum hinc fluente, ſummam totius legis

legis continens. *Matth. XXII, 37. 39.* Quo pacto vero abnegatio ſui itidem, ſed *priuatiue*, remouendo inordinatos philautiae motus, ad virtutes omnes chriſtianas concurrat, ex ſupra dictis iam conſtat.

* Perperam de virtute philoſophantur, qui eam pro medio perueniendi ad ſummum bonum habent, quod non pauci faciunt in libellis ethicis, qui communi & recepta methodo conſcripti ſunt. Saltem cum theologorum ſcitis haec ſententia conſiſtere nequit. Cum enim per naturam nemo virtutem habeat, quo pacto per virtutem ſummam obtinebit felicitatem? Taceo alia ἄτοπα, quae hanc ſententiam conſequuntur. Nec multo melius ſentiunt, qui virtutem pro parte ſummi boni habent. His forte Ariſtotelis pluris eſt auctoritas, quam recta ratio, aut ſcripturae teſtimonium, ſi modo & iſti Ariſtotelis recte aſſequuntur mentem. Nobis cum perſpectum & exploratum ſit, Deum eſſe ſummum bonum, idque ſuper omnia amandum, ſi homo felix eſſe cupiat: amorem vero ſine ſtudio ſe conformandi ad Numinis voluntatem eſſe non poſſe, non poſſumus non ita ſentire, virtutem eſſe conſequens ſeu fructum amoris, vti hic ex fide in Chriſtum, per quam cum Deo vnimur, reſultat. Ideoque & in ſcriptura virtutes, fructus ſpiritus vocantur, *Gal.* v, 22. & 2 *Petr.* 1, 5. iubemur ſuppeditare in *fide virtutem*. Supponit ergo virtus iam hominem credentem, iuſtificatum, cum Deo vnitum: adeoque felicitatis ſummae, hac ratione inchoatae, fructus eſt & conſequens. Qui autem virtutem pro medio habent perueniendi ad ſummam felicitatem, ab errore pontificiorum, bona opera inter cauſſas ſalutis referentium, vix ſe liberabunt. Ceterum cum ſpecialia virtutum nomina frequentiſſima ſint in ſcriptura ſacra, nomen generale rarius occurrit. Vtitur tamen eodem Paulus *Phil.* IV, 8. Cum enim varia chriſtiano homini officia conſectanda commendaſſet, ſcilicet τὰ ἀληθῆ, σεμνὰ, δίκαια, ἁγνὰ, προσφιλῆ, εὔφημα, addit, εἴ τις ἀρετὴ *ſi quae virtus, & ſi quae laus, hoc cogitate.* Sic & 2 *Petr.* 1, 5. fideles iubentur in fide ſua ſuppeditare, vel exhibere ἀρετὴν, *virtutem.* De etymologia vocis ἀρετή. noſtrum de virtute conceptum, haud mediocriter confirmante, vid. METHODIVS apud PHOTIVM *cod.* 237. *p.* 960. In eodem *cap.* 1. *epiſt.* 2 *Petri v.* 3. virtus etiam Deo tribuitur: ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν δεδωρημένης, διὰ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς, διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς. Diſplicet THEODORO BEZAE virtutem Deo tribui: ideo vltima verba ita vertit, *qui vocauit nos ad gloriam ac virtutem*, notatque: τῆς ἀρετῆς *nomen, nemo non videt, quanto melius conueniat hominibus, quam Deo, cui potius tribuitur* δύναμις, *id eſt potentia, ſeu poteſtas, vel* κράτος. At bene obſeruant alii, ἀρετὴν apud LXX. interpretes ſaepe idem eſſe, ac δύναμιν: adeoque citra controuerſiam Deo recte tribui. conf. & 1 *Petr.* II, 9.

§. CXXVI.

Per virtutem autem nihil aliud intelligo, quam conſtans & ſerium ſtudium, ſe in omnibus ad voluntatem Numinis componendi. * Deum enim qui amat, ei non poteſt non nihil prius, nihil antiquius eſſe, quam vt ei placere, & ad eius nutum voluntatemque ſe componere cupiat. Amor autem vt ex fide procedit, nec naturae opus, ſed fructus ſpiritus eſt, ita de virtute non poteſt non idem pronuntiari. vid. *Gal. V, 22. 2 Petr. I, 5. Ebr. XI, 6.* Hinc etiam eſt, quod Paulus pro Epheſiis ſuis ſe orare dicit, vt *impleantur omni plenitudine Dei*, i. e. virtutibus, quae ſunt dona Dei, *cap. III, 19.* conf. *Rom. XV, 13. Phil. I, 9.*

* In ſcholis itaque theologorum, immo ne philoſophorum quidem, locum non inuenit recepta illa, & multorum errorum genetrix definitio, quod virtus ſit *habitus electiuus conſiſtens in mediocritate, frequenti bonarum actionum exercitio comparatus.* Enimuero

 bonarum

Digitized by Google

bonarum actionum exercitio quod virtus, proprie & accurate ſic dicta, acquiri poſſit, experientiae repugnat, multo autem magis rationibus theologicis Multo rectius ex ipſis gentilibus PLATO in *Menone* docuit, virtutem neque natura, neque doctrina, neque exercitatione parari, ſed Dei donum eſſe: qua iu re conſentientem ſecum habet HOMERVM, cuius hac de re verba adfert FRIDERICVS RAPPOLDVS, Lipſienſium quondam theologus doctiſſimus, *comment. in Horatium p.* 809. 810. Ex recentioribus etiam philoſophis, virtutem per habitum recte definiri, negant HENRICVS MORVS *enchirid. ethic. lib.* 1. *cap.* 3. & ARNOLDVS GEVLINGIVS *eth. tract.* 1. *cap.* 1. *p. m.* 35 Nec abludunt, qui preces, ceu efficaciſſimum medium, virtutes comparandi, etiam ex gentilibus commendant. EPICTETVS de compeſcendis affectibus ita verba facit: *certamen quidem magnum eſt, opusque plane diuinum. Dei igitur memineris, eum inuoca opitulatorem & auxiliatorem, quemadmodum nautae Dioſcuros, eum in tempeſtate nauigant. Quae enim maior tempeſtas, quam quae oritur ex imaginationibus violentis, ipſamque rationem elidentibus. add.* ARRIANVS *comment. lib.* 2. *cap.* 1. Multo luculentius ſcriptura ſacra nos hac de re inſtruit, dum Deum donorum ſpiritualium, virtutumque omnium, auctorem & cauſſam efficientem oſtendit, vt iam ex locis allegatis, conſtat, & Pauli porro teſtimonio confirmatur, Deum eſſe, aſſerentis, qui in nobis & *velle* operetur, & *perficere ſecundum beneplacitum ſuum, Phil.* II, 13. eſſe quidem διαιρέσεις ἐνεργημάτων, ſed vnum eundemque eſſe Deum, qui operetur omnia in omnibus, 1 *Cor.* XII, 6. vnde & Iacobus: *omne bonum donum, omneque perfectum munus* ἄνωθέν ἐστι *ſuperne eſt deſcendens a patre luminum cap.* 1. 17. Interim & homo regenitus per vires gratiae in regeneratione acceptas, & cum aſſiſtentia ſpiritus ſancti, ſuo modo ad virtutem concurrit, & hinc pro cauſſa ſecunda & ſubordinata virtutis recte habetur. Ideo & iubentur regeniti operam dare virtuti, *Phil.* IV, 8 conf. & 2 *Petr.* I, 5. Ceterum in antea allata, vulgoque recepta, virtutis definitione, illud quoque deſiderandum, quod virtutem conſiſtere dicat in mediocritate. Perperam ſane. Non id nunc vrgebo, quod HVGO GROTIVS prolixe oſtendere annititur, non omnes virtutes duo habere extrema, alterum in exceſſu, in defectu alterum, in *prolegom. oper. de iure belli & pacis* §. 43. fruſtra quidem renitente, & vulgarem ſententiam infeliciter tuente, ad *h. l.* GRONOVIO. Id modo obſeruo, mediocritatem conſequens ſaltem eſſe virtutis, non autem ipſam formalem eius rationem conſtituere. conf. PHILARETVS *ethic. lib.* 1. *part. poſt. cap.* 1. §. 1. *pag.* 139. Plana autem cuncta ſunt & perſpicua, ſi, vti fecimus, per conſtans ſeriumque ſtudium in omnibus ad voluntatem Numinis ſe componendi, virtutem definiamus. Eodem redit, ſed paulo plenius rem exhibet definitio, quam tradit B. IO. GVIL. BAIERVS noſter, quod *virtus ſit habitualis inclinatio voluntatis, ad agenda ea, quae lex diuina homini renato conuenire docet, & cauendi, quae illa prohibet, cum habitua obedientia appetitus ſenſitiui coniuncta, ad ſanctimoniam vitae, Deique gloriam.* Quo ſenſu eam *habitualem inclinationem* appellitet, pluribus ipſe explicat, docetque, non poſſe virtutem *habitum*, proprie loquendo, vocari: notatque, a B. GERHARDO virtutem deſcribi per *ſtudium bonorum operum*, quod eodem redit: *compend. theolog. moral. part.* 3. *c.* 4. §. 9. De virtute autem morali, non intellectuali, nobis hic ſermonem eſſe, res ipſa, & tractationis noſtrae ordo, docet.

§. CXXVII.

Conſtans & ſerium ſit hocce ſtudium, neceſſe eſt. Namque impetus ſaltem aliquis aliquando faciendi, quod rectum eſt, qui mox iterum ceſſet, virtutis nomen neutiquam promeretur. Multo minus actio, non ex fide, nec ex amore Dei, ſed gloriae forte cupiditate, aliiſque cauſſis carnalibus procedens, hocce nomine digna eſt. Sed in omnibus quoque homo virtuti deditus, ſe ad Numinis componere voluntatem annititur. In quibusdam enim qui hoc faciunt,

faciunt, non in omnibus, ſatis oſtendunt, ſe rem ſerio non agere. Hypocritarum character eſt, miſſis grauioribus, leuiora ſaltem ſectari, *Matth. XXIII, 23.*

§. CXXVIII.

Voluntas itaque Numinis, ad quam ſe componere ſtudent, illis cognita & explorata eſſe debet. Hanc vero, licet lumen rationis vtcunque nobis manifeſtet, longe tamen certius, plenius, accuratius cognoſcitur ex ſcriptura ſacra. Chriſtianorum autem eſt, operam dare, vt magis magisque in eam inquirant, & quae ſui ſint officii, condiſcant, *Rom. XII, 2. 2 Theſſ. IV, 3.*

§. CXXIX.

Proprietates virtutis, quas alii *modos virtutis*, nonnulli *virtutes primitiuas*, vocant, variae ſunt. * Nonnullae namque ex *abnegatione ſui* fluunt, aliae *ex amore Dei*. Ex *abnegatione ſui* fluunt *humilitas*, & *patientia*, de quibus ſupra dictum. Ex *amore Dei* fluunt: *diligentia, obedientia, iuſtitia correctrix:* quibus *ſimplicitas* adhuc, atque *ſinceritas*, addi poſſunt.

* ARNOLDVS GEVLINGIVS atque PHILARETVS, vt vir quidam doctus vocari voluit, quatuor proprietates virtutis conſtituunt, *diligentiam, obedientiam, iuſtitiam correctricem, & humilitatem:* ille quidem in *tractatu ethic. 1. p. m.* 44. hic autem *ethic. lib. 1. part. poſt. cap.* 2. & horum ego ſecutus ſum veſtigia, *element. philoſ. pract. pars* 1. *cap.* 4. §. 52. *ſeqq.* HENRICVS MORVS, quas nos proprietates virtutis vocamus, *virtutes primitiuas* appellitat, earumque tres conſtituit, *prudentiam, ſinceritatem, patientiam, lib. 2. enchirid. ethic. cap.* 2. & 3. Sed prudentia ad virtutes intellectuales pertinet. Reliquae rem omnem non exhauriunt. Plures conſtituit IO. CHRISTOPHORVS BECMANNVS, vir celeberrimus, *modos* vocando, quod nos *proprietates* dicimus: ſcilicet *vnitatem, inuariabilitatem, ſinceritatem, integritatem, ſedulitatem, in lin. doctrin. moral. cap.* 13. §. 2. *ſeqq.* Quae nos hac de re tradimus, ita comparata eſſe cenſemus, vt nec deſint neceſſaria, nec adſint ſuperflua. Nolim hac ſuper re cum quoquam contendere: interim haſce proprietates obſeruaſſe, ad veram virtutis indolem dignoſcendam, hypocriſinque, quae hic late regnat, detegendam, multum iuuat.

§. CXXX.

Per *diligentiam* ſedulo, & indefeſſa opera, ad voluntatem diuinam attendimus, *Mich. VI, 8. Ieſ. VIII, 20.* & poſtquam eam cognouimus, ſtrenue, quae noſtri officii ſunt, executioni damus, nec operae aut labori parcimus, vt deſtinata peragamus; ſummo praeterea ſtudio nos ab iis omnibus auertimus, quae in cognoſcenda, aut adimplenda voluntate diuina, nos impedire poterant. vid. *2 Corinth. VII, 11. VIII, 16. Tit. II, 14.*

§. CXXXI.

Obedientia eſt prompta executio eius, quod diuinae voluntati conforme eſſe intelleximus, ſiue praecipiat aliquid Deus, ſiue vetet. Vnde duas obedientiae partes eſſe conſtat; primo facere ea, quae

 Deus

Deus vult, & praecipit, & omittere ea, quae non vult & vetat. In conuenientia itaque & conformitate cum diuina voluntate, cum obedientia conſiſtat, eam quoque vt ſequamur, par eſt: *Matth. VI, 10. XXVI, 39. Pſ. XL, 9. 1 Theſſ. IV, 3. 1 Petr. II, 15.* neutiquam autem voluntatem noſtram, *Hoſ. XIII, 2.* nec aliorum vel hominum, *Actor. IV, 19. 20. Ezech. XX, 18. 19. 2 Chron. XVII, 4.* vel etiam angelorum, *Gal. I, 8.* multo minus receptam conſuetudinem. *1 Petr. I, 18.*

§. CXXXII.

Per *iuſtitiam correctricem* intelligimus ſtudium actiones ſuas tam accurate ad voluntatem diuinam conformandi, vt nec in defectu, nec in exceſſu peccetur. Actionum enim moralium haec eſt indoles, vt accuratiſſime cum lege conuenire debeant: quod ſi vel minimum ab ea deflectant, non amplius bonae, ſed malae ſunt. Quare duas nonnulli iuſtitiae correctricis partes conſtituunt, *puritatem*, quae reſecet, quod nimis eſt, & *perfectionem*, quae ſuppleat, quod minus eſt. Sic Paulus corporis rationem habere iubet, ſed ita, ne concupiſcentiae prauae alimentum praebeatur. *Rom. XIII, 14.* Temperantiae ſtudendum, ſed vt ſanitatis, quantum ſine animae periculo fieri poteſt, habeatur ratio. *1 Tim. V, 23.*

§. CXXXIII.

Inter virtutis proprietates merito etiam refertur *ἁπλότης, ſimplicitas*, tantopere in ſcriptura commendata. Ea ſcilicet in virtutum exercitio, omnem dolum, prauitatemque intentionis, abeſſe iubet, nihilque aliud, quam gloriam Dei, aliorumque ſalutem, omni commodorum temporalium intuitu procul remoto, quaerit. Hinc Paulus gloriatur, ſe *ἐν ἁπλότητι καὶ εἰλικρινείᾳ Θεοῦ, in ſimplicitate & ſinceritate Dei*, apud Corinthios vixiſſe; *2 Cor. I, 12.* cui *verſ. 17.* *ἐλαφρίαν, leuitatem, & conſilium carnale*, opponit. conf. *2 Cor. VIII, 2. IX, 13. XI, 3. Act. II, 47. Col. III, 22. Matth. X, 16.*

§. CXXXIV.

Non multum a ſimplicitate differt, immo iuxta quosdam plane conuenit, *ſinceritas*, quae omni hypocriſi remota, cuncta ex animi ſententia, ſine fraude, ſine dolo, coram Deo hominibusque, agere atque dicere docet. Dicitur aliquando *ἀλήθεια*: eoque pertinet, *ambulare in veritate*; *2 Ioan. v. 4. 3 Ioan. v. 4. Epheſ. IV, 15.* Hinc & cum *εἰλικρινείᾳ ἀλήθεια* coniungitur, *1 Cor. V, 8.* add. *2 Petr. III, 1.*

§. CXXXV.

Ex amore Dei haſce virtutis proprietates fluere, vel leuior ſingularum conſideratio vnumquemque docebit. Amor enim ſi verus ſit,

ſit, excuſſa ignauia, & attentionem ſeu diligentiam excitat, & ad obedientiam impellit & vt ei, quem amat, placeat, ἀκρίβειαν in iis, quibus placere cupit, ſectatur, nec aliud quid cupit, quam vt ei, quem amat, placeat, adeoque ἁπλῶς & ſincere, ſine dolo, ſine fuco, ſine hypocriſi agit. conf. *Cant. VIII, 6. 1 Tim. I, 5.* Nullam quoque virtutem genuinam, eoque nomine dignam eſſe, quae haſce proprietates non habeat, licet non ſemper in eodem gradu adſint, per ſe liquet.

§. CXXXVI.

Ex hactenus dictis, ſi rem accurate aeſtimemus, vnicam tantum eſſe virtutem, intelligemus. Vnicum eſt ſtudium ſe ſuasque actiones ad Numinis voluntatem componendi. * Id tamen ſtudium cum pro obiectorum diuerſitate ſe diuerſimode exerat, diuerſas ſortitur denominationes. Et eo quidem ſenſu, varias dari virtutes, vt varia quoque hominum ſunt officia, manifeſtum eſt. conf. *Phil. IV, 8. 2 Petr. I, 5. 6. ſqq.*

* Solis exemplo hoc declarari poteſt, qui licet vnus ſit, ob obiectorum tamen varietatem, magna virtutum eius eſt varietas. Sic vnius animae diuerſae ſunt facultates, & ſumma imperantium poteſtas diuerſas ſortitur denominationes, quae iurium deinceps maieſtaticorum nomine veniunt. Sed cum virtutibus hic non ſunt confundenda officia, quae a virtute, vt actus ab habituali quadam diſpoſitione prouenientes, differunt, vt deinceps §. 141. dicetur.

§. CXXXVII.

Obiectum perſonale, circa quod virtus praecipue verſatur, triplex eſt, Deus, homo ipſe, qui virtutibus deditus eſt, eamque ſequitur, & alii homines. Quae enim erga angelos bonos praeſtanda ſunt, ad officia hominis erga alios reuocari poſſunt: vti ea, quae circa bruta obſeruanda, ad officia hominis erga ſeipſum. Tres itaque ſunt virtutes principales, ſeu cardinales, *pietas, temperantia, iuſtitia*, conſentiente etiam apoſtolo. *Tit. II, 12.* Qui vero vndecim (vel potius nouem) virtutes cardinales, iuxta numerum fructuum ſpiritus, *Gal. V, 22.* aut ſeptem, iuxta numerum donorum ſpiritus ſancti, *Iſ. XI, 2.* aut octo, ex *Matth. V, 3. ſqq.* ſtatuunt, certo deſtituuntur fundamento. Illorum vero, qui quatuor conſtituunt virtutes cardinales, *prudentiam, fortitudinem, temperantiam, & iuſtitiam*, ſententia, cum noſtra facile conciliari poteſt. *

* Vndenarius numerus virtutum Ariſtotelicarum iampridem a cordatioribus exploſus eſt. Si enim virtutes cardinales ſaltem enumerandae ſint, peccat in exceſſu; ſin de omnibus virtutibus ſermo ſit, longe plures, quam vndecim, ſunt, adeoque in defectu peccat. Mitto, quod eminentiſſimae quaedam virtutes in hocce numero omiſſae ſint, quaedam etiam homileticae ſaltem ſint, & ad decorum, non autem ad honeſtum, ſpectantes. ARISTOTELIS etiam mentem non aſſequi mihi videntur, qui exiſtimant, virtutum moralium ambitum eum hoc numero concludere voluiſſe: cum politicum inſtruens, ciuiles tantum deſcribat virtutes, quibus inſtructum ornatumque eſſe decet, qui ad hono-

res adſpirat, & ad magna quaeuis ac excellentia in hac vita enititur. Huiusmodi hominum generi, cum ex mente Stagiritae, pietas non eſſet neceſſaria, mirum non eſt, quod eam omiſerit: operamque & oleum perdidit GRONOVIVS, dum eam inter Ariſtotelicas iſtas virtutes inuenire voluit, in *notis ad prolegomena Hug. Grotii de iure belli & pacis* §. 43. Nec rectius ſapiunt, qui duodecim fructus ſpiritus huc aduocant, ex *Gal.* v, 22. quanquam in textu graeco nouem ſaltem, iuxta receptam lectionem, enumerentur, *dilectio, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia*, quibus verſio vulgata *patientiam, modeſtiam, & caſtitatem* adiicit. Idem ſentiendum de ſeptem donis ſpiritus ſancti, *Eſ.* XI. 2. commemoratis, & a ſcholaſticis, vt more ſuo & hic in numero myſteria captarent, auide arreptis. Non enim ſeptem, ſed ſex ſaltem ſpiritus ſancti dona ibi enumerantur, ſcilicet, ſpiritus *ſapientiae, intelligentiae, conſilii, potentiae, ſcientiae, timoris domini*. Error autem iterum ex verſione vulgata prognatus videtur, quae eandem vocem ebraeam *verſ.* 2. vertit *pietatis* & *verſ.* 3. *timoris domini*, vnde duo diuerſa dona fecerunt, cum tamen in ebraeo vtrobique timor domini memoretur. conf. THEODORVS HACKSPANIVS *not. philol. theol part.* 2. *pag.* 572. AVGVSTVS PFEIFFERVS *dub. vexat. cent.* 4. *loc.* 9. *p.* 690. Multo minus adhuc audiendi ſunt, qui in octo beatitudinibus *Matth.* v, *verſ.* 1. *ſeqq.* commemoratis, virtutum numerum quaerunt. Hi enim omnes nullas omnino, certe non ſolidas ſententiae ſuae adferre poſſunt rationes. Solenne vero admodum etiam eſt pontificiis, diſtinguere inter virtutes theologicas & morales. Illarum nomine, *fidem, ſpem, & charitatem*, harum vero, eas intelligunt, de quibus in philoſophia morali agitur. Sed id quoque perperam. Nam & priores tres in lege morali continentur, & cur de reliquis in theologia morali agendum non ſit, nulla adferri ratio poteſt. Digna haec omnia ſunt acumine ſcholaſticorum. Veteris eccleſiae doctoribus maximopere ſe adprobauit hypotheſis de quatuor virtutibus cardinalibus, a quibus ſcholaſtici quidam eam acceperunt, quorum etiam ſub hocce titulo peculiares extant commentationes. Sunt autem iſtae virtutes cardinales, *prudentia, fortitudo, temperantia*, atque *iuſtitia*, quas nonnulli ad duas contrahunt, *fortitudinem* ac *temperantiam*, & huc illud EPICTETI, ἀνέχου καὶ ἀπέχου referunt. vid. RAPPOLDVS ad *Horatii librum Epodon obſeruat.* 1. *ad od.* 1. *pag.* 1334. Cum noſtra ſententia illa de quatuor virtutibus cardinalibus, haud difficulter conciliari poteſt. Prudentia enim ad virtutes intellectuales pertinet, adeoque hic in cenſum non venit. Fortitudinem ſi cum temperantia coniungas (quod commode fieri poſſe, ſuo loco docebitur) & in eius locum ſubſtituas pietatem, inde, quas nos conſtituimus, reſultabunt virtutes cardinales. Quidquid huius ſit, ſufficit, quod ratio nobis ſuffragetur, ex diuerſitate obiecti perſonalis petita, nec obſtet ſcripturae auctoritas. Adſtipulatur ex philoſophis TVLLIVS, *quaeſtion. Tuſculan. lib.* 1. *Philoſophia*, inquit, *nos primum ad Dei cultum, deinde ad ius hominum, tum ad modeſtiam, magnitudinemque animi, erudiuit.*

§. CXXXVIII.

Pietas eſt ſtudium in iis, quae ad Numinis cultum pertinent, ſe conformandi ad eius voluntatem. Cumque cultus Numinis & rectum de Deo rebusque diuinis, ſenſum includat, & vel internus ſit, vel externus, pietas haec omnia complectitur. Solenne namque, vt vox pietatis ita accipiatur: cui & vox εὐσέβεια, *Tit.* I, 12. reſpondet. *

* De vocibus, *pietas, temperantia, iuſtitia*, deque officiis, quae ex hiſce virtutibus fluunt, *parte* 2. ſuo loco ex inſtituto dicetur.

§. CXXXIX.

Temperantiae vocem itidem in latiori ſignificatione accipimus, prout ad omnia hominis erga ſeipſum officia, ſe extendit. Namque non

non tantum in cibi potusque vſu, ſed rebus quoque venereis, affectuum praeterea regimine, tolerandis denique aduerſis, aliisque rebus, moderatione opus eſt, idque ad noſtram conſeruationem. Studium itaque, in hiſce omnibus ad Numinis ſe componendi voluntatem, temperantiae nomine nobis venit. Idque etiam voce *σωφρόνως*, exprimit Paulus. *Tit. II, 12.*

§. CXL.

Pari ratione vox *iuſtitiae* in latisſimo a nobis ſumitur ambitu, prout tum generatim officia erga alios, ſiue perfecte, ſiue imperfecte ad ea obligemur, tum ſpeciatim officia ex certo ſtatu reſultantia, complectitur. Aequipollet itaque in hac ſignificatione, voci *charitatis*, ſed itidem late acceptae. Ceteroquin enim, ſi vtraque vox, *iuſtitiae & charitatis*, ſtricte capiatur, illa, officia, quae perfectam, haec, quae imperfectam obligationem habent, denotat. Nobis itaque iuſtitia ſtudium eſt, ſe conformandi in officiis erga alios, tum generalibus, tum ſpecialibus, ad voluntatem Numinis.

§. CXLI.

Officiorum dum meminimus, haec a virtutibus diſtingui, manifeſtum eſt. Per *officia* enim actiones ipſas intelligimus, legi voluntatique diuinae conformes. At ſtudium ipſum, habitualisque adeo animi propenſio, ſe in his omnibus ad voluntatem Numinis componendi, nobis venit nomine *virtutis*. Interim vt virtus eſt fructus amoris divini, adeoque tantum in regenitos cadit, ita etiam regenitorum tantum actiones, officiorum nomine dignae ſunt. Irregenitorum autem, aut propenſiones, aut actiones, quantumuis aut virtutum, aut officiorum ſpeciem prae ſe ferant, hic tamen in cenſum non veniunt. Quae autem philoſophi vocant *officia*, theologis dicuntur *bona opera*. conf. *Epheſ. II, 10. Tit. II, 14.*

§. CXLII.

Ex iis, quae de virtutibus tradidimus, id denique liquet, eas inſeparabili vinculo inter ſe eſſe connexas, vt, qui vnam habet, omnes habeat, qui vna deſtituitur, deſtituatur omnibus. * Si enim ſtudium conſtans & ſerium ſe componendi ad voluntatem diuinam, in vno obiecto deficiat, in reliquis itidem adeſſe nequit. Si enim adſit, vbique ſe prodet, & in omnibus ſe demonſtrabit obiectis. Certe qui videri vellet, ſe obedientem eſſe voluntati diuinae, & tamen obſequium ſuum, vti debebat, non comprobat, ſe nihil minus quam obedientem eſſe, demonſtraret. Idem confirmat ſcriptura: *quisquis profitetur, ſe amare Deum, & odit fratrem ſuum, mendax eſt. 1 Ioan. IV, 20.* conf. & *1 Ioan. III, 17. Iacob. II, 10.*

* Id

* Id iam Stoicis perſpectum fuit, quorum celebre extat effatum: virtutes plures eſſe, atque eas inſeparabiles. Hinc & CICERO, *quaeſt. Tuſculanar. lib. 2. ſi vnam virtutem confeſſus ſis te non habere, nullam neceſſe ſit te habiturum.* Quod multo profecto magis illis, qui accuratius de vera virtutis indole ex ſcriptura ſacra erudiuntur, perſpectum & exploratum eſſe debuit. Recte itaque ex eccleſiae doctoribus idem tradidit AMBROSIVS, *lib. 1. de officiis cap. 27. virtutes indiuiduas eſſe, ſed opinione vulgi ſeiunctas.* Legi quoque merentur, quae hac de re habet MACARIVS, de *cuſtodia cordis cap. 8. p. 7.* add. IVSTVS LIPSIVS *manuduct. ad philoſ. Stoic. lib. 3. diſſertat. 4. p. 114. ſeqq.* & quae ſupra diximus, ad §. 136.

§. CXLIII.

Quod ſi nunc ſummatim, quo pacto voluntas ſecundum gratiam ſe habeat, complecti velimus, imaginis diuinae per triſtem primorum parentum lapſum, amiſſae, inchoatam reſtaurationem, ſed magis magisque diligenti ſtudio continuandam, in ea deprehendemus. Vt enim voluntas ante lapſum, arctiſſime cum Deo vnita, tenerrimo eius amore flagrabat, ad omne obſequium mandatis diuinis praeſtandum, prona: ita per regenerationem, ſuppreſſa philautia praua, iterum arctiori vnionis vinculo cum Deo coniungitur, & in iuſtitia ſanctitateque ad imaginem eius, qui hominem condidit, proficit, *Epheſ. IV, 24.* & ita particeps fit diuinae naturae, *2 Petr. I, 4.*

§. CXLIV.

Supereſt igitur, vt *fallaciam naturae* ſeu *naturam gratiae imitatricem*, in iis, quae ad voluntatem ſpectant, paucis conſideremus. Quae quidem fallacia naturae, primo in ipſa *abnegatione ſui*, conſpicitur. Saepius enim contingit, vt aut ex ſuperſtitione, falſaque animi perſuaſione, aut ex ambitione quadam ſubtiliore, rerum quarundam ad huius ſeculi commodum, aut gloriam, atque ſplendorem ſpectantium, vſu, homines ſua ſponte ſe abdicent, aut iis ſe abſtineant, quod per conſuetudinis, aut educationis rationem, aut alias cauſſas naturales, aut morales, iis non admodum delectentur. Tum ſi quis animum inducat ad credendum, hanc eſſe abnegationem ſui, a Chriſto tantopere commendatam, is ſeipſum decipiet miſere.

§. CXLV.

Agnoſcetur facile haec naturae fallacia, ſi, num particularis, an vniverſalis ſit haec abſtinentia, item num libera & ſpontanea, an coacta, inquiramus. Enimuero quod ad prius attinet, qui ex cauſſis antea allatis rerum quarundam vſu ſe abdicant, plerumque ad certum hoc reſtringunt cupiditatum genus. Fac abſtinere aliquem vſu rerum omnium, quae libidinem, & intemperantiam irritare poſſunt, ſed non aeque iis ſe abſtineat, quae auaritiam, aut ambitionem alunt, fouentque, naturae ſtatim agnoſces fallaciam. Eandem facile deprehendes, ſi in cauſſas, ex qui-

quibus abdicatio illa aut abſtinentia prouenit, paullo accuratius inquiſiueris.

§. CXLVI.

Eandem naturae fallaciam, quoad ***humilitatem & patientiam***, deprehendere, & eadem fere ratione dignoſcere licet. Multos falſa humilitatis ſpecie, & ſeipſos & alios decepiſſe, omnium ſeculorum annales docent. Non de illis loquor, qui geſtibus, vultu, verbis, veſtimentis, humilitatem craſſiori quadam hypocriſi prae ſe ferunt: ſed de illis, qui aut per ignauiam, aut temperamenti conditionem, aut conſuetudinem, & educationem, humi repunt, ad altiora non adſpirant, alios ſibi anteponi, adeo non aegre ferunt, vt nulla inde ratione commoveantur, & ita egregie ſe humiles eſſe ſibi perſuadent, non diſcernentes, ea quae naturae ſunt, ab iis quae ſunt gratiae. Quod & pari ratione de ***patientia*** cenſendum.

§. CXLVII.

Agnoſcas vero & hic fallaciam, ſi, an iidem homines, ad abſtinentiam a voluptatibus, diuitiis, opibus, ad laborem, induſtriam, ſimilesque virtutes, aeque proni ſint? diſpicias. Enimuero ſi harum aut aliarum virtutum defectus, aut forte vitia contraria, in iis conſpicere liceat, meram naturae fallaciam eſſe concludes, cum virtutes omnes arctiſſimo vinculo inter ſe colligatas eſſe, ſupra demonſtratum ſit.

§. CXLVIII.

In ***amore Numinis*** fallaciam naturae longe eſſe frequentiſſimam, experientia ipſa docet. Inter tot homines enim cupiditatibus ſuis ſeruientes, flagitiisque deditos, paucos profecto reperies, qui negent, ſe amare Deum, aut hoc ſibi non perſuadeant. Scilicet, ſi naturale aliquod deſiderium vitae aeternae in ſe ſentiant, aut cogitationes quasdam de Deo, quod ſummum bonum, adeoque amore dignus ſit, ſibi forment, aut ceſſantibus forte reliquis affectibus, motus quosdam, quos pro amore Dei habent, ſibi ſentire videantur, aut falſo etiam ſibi imaginentur, ſe Deum reliquis omnibus praeferre, concludunt inde, ſe amare Deum, etſi tota vita nihil aliud agant, quam vt peccatis ſuis eum offendant. conf. *Hoſ. VII, 6. 7.*

§. CXLIX.

At cum tranſitorius & imaginarius ſit, iſte hominum irregenitorum adfectus, immo vana ſaepius & illuſoria perſuaſio, naturae fallaciam & hic facile agnoſcas. Amorem nec complacentiae, nec concupiſcentiae, ſine amore obedientiae eſſe, ſupra diximus. Quare ſi vita ipſa moresque te condoceant, non adeſſe amorem obedientiae, fruſtra

 quo-

quoque amorem aut concupiſcentiae, aut complacentiae, adeſſe, tibi perſuaſeris.

§. CL.

Porro, in *pſeudo-virtutibus* quoque, natura fallax gratiam imitatur. Si quid enim legi diuinae conforme videatur, ſiue a poenae humanae metu, ſiue gloriae cupiditate, aut aliis cauſſis naturalibus moralibusque profectum, id ſtatim virtutis ſibi ſumit nomen. Plane ac ſi perinde eſſet, quo fine, quaue intentione, aut quo animi impulſu, aliquid peragatur; aut, ac ſi in virtute ad actum attendere ſatis eſſet, & non potius ad ipſam animi propenſionem, ex qua actus, qui officiorum nomine venire debent, proficiſcuntur. * Accedit, quod iam pridem propria virtutum nomina amiſerimus: adeo vt crudelitas ſaepius iuſtitiae nomine veniat, indulgentia clementiae, auaritia parſimoniae, prodigalitas liberalitatis, voluptas humanitatis, & ſic porro. Quae cum ita ſint, non mirandum, neminem temere tam improbum eſſe, qui non egregiis ſe condecoratum eſſe virtutibus, ſibi perſuadeat.

* Eleganter & perſpicue hoc argumentum tractauit auctor doctiſſimus, cui nomen ESPRIT, in libro gallicano idiomate ſcripto, de *falſitate virtutum humanarum* (*la fauſſeté des vertus humaines*) Amſtelodami anno MDCCIX. recuſo. Cuncta enim, quae prolixe diſſerit, eo redeunt, virtutes ex ſolis naturae viribus procedentes, eſſe pſeudo-virtutes: nec vllam virtutem veram genuinamque eſſe, aut virtutis nomen mereri, quae non gratiam diuinam genitricem agnoſcat. Id quod eundo per plerarumque virtutum exempla, luculenter demonſtrat. Summam rei intelligere licet ex iis, quae in praefatione, generatim de pſeudo-virtutibus diſſerit. Digna ſunt, quae ex lingua gallicana in latinam a nobis translata hic legantur. Obſeruat itaque, 1) ex defectu legitimi finis, falſitatem virtutum humanarum praecipue oriri: eſſe enim homines faciles, humanos, indulgentes, benignos, officioſos, non quia Deus legibus ſuis iſtud inſſerit, ſed vt aliorum hominum ſibi concilient animos, & ex eorum amicitia commodum aliquod capiant, minimeque adeo eos reuera virtuti ſtudere: 2) homines, per naturae corruptae conditionem, innumeras edere actiones, in ſe quidem bonas, ſed absque animi tamen bonitate, adeoque absque virtute: quemadmodum contra Deus, per ſuae naturae excellentiam ſummamque perfectionem, legum ſuarum contemptum ſeuerisſime, ſed absque vlla animi commotione vindicet, & ſine adfectu (qualis hominum eſſe ſolet) ea agat, quae in hominibus adfectus vehementisſimos arguunt; 3) actiones, virtutis ſpeciem prae ſe ferentes, duplici intuitu poſſe ſpectari: primo ratione mundi, aut aliorum hominum, & ita ſpeciem eas praebere longe pulcherrimam, deinde ratione illorum, a quibus proficiſcuntur, & tum vitia, defectusque quamplurimos, in iis deprehendi; 4) illos, qui virtutes humanas, verarum virtutum loco habent, laudibusque dignas cenſent, iudicare de illis ex actibus, iuſtitiae, fidei, probitatis externae, qui ab hominibus exercentur: qui vero eas virtutes pro pſeudo-virtutibus habent, conſiderare eas eo modo, quo Deus actiones hominum conſiderat, quo ſolo intuitu, num laude an vituperio dignae ſint, reuera aeſtimandae veniant; 5) denique, inde contingere, vt hominibus, perſpicaci ingenio praeditis, ſui ſeculi virtutes non probentur, cum illis exploratum & perſpectum ſit, intentionem illorum, qui maximarum & ſplendidiſſimarum virtutum elogio condecorantur, non eſſe aliam, quam vt gloriam conſequantur, reliquos autem communium virtutum ſtudio ſua ſaltem ſpectare commoda. Ita quidem ille: quae a nobis dictis, lucem affundere poſſunt.

§. CLI.

§. CLI.

Poſſent tamen, ſi vellent, & niſi dulce multis & iucundum eſſet, ita decipi, & hanc naturae fallaciam facile deprehendere mortales. Ad ipſum nimirum, quod inter naturam & gratiam intercedit, diſcrimen, attendendum ſaltem eſſet: perpendendum etiam, hominem carnalem non poſſe alios, quam fructus carnales, edere, *Gal. V, 19. Rom. VIII, 5.* adeoque, quamdiu nondum eſt regenitus, virtutes eius omnes, quantumuis ſplendidas, nihil aliud eſſe, quam opera carnis: vera denique virtutis ratio, ſedulo meditanda eſſet, & explorandum, an ex vero, ſerio, & conſtanti ſtudio, ſe in omnibus ad voluntatem Numinis componendi, veniat, quidquid virtutum nomine venit.

§. CLII.

Speciatim fallacia iſta naturae ſe prodit in *pſeudo-pietate:* cum in ſolo cultu externo pietas omnis conſtituitur, aut internus, qua ſpeciem ſaltem, non autem reuera, talis eſt: ſcilicet, cum carnalem quandam fiduciam pro vera fide in Chriſtum homines habent, adfectum quendam imaginarium, pro amore Dei, metum ſeruilem & hypocriticum pro timore Dei, inanem perſuaſionem de aeterna beatitudine, etſi non reſipiſcant, obtinenda, pro ſpe viua, & ſic porro.

§. CLIII.

Ad quam quidem fallaciam detegendam, non multo labore opus eſt. Cogitandum enim, quod *factores verbi*, non *auditores* ſaltem eſſe debeamus, *Iacob. I, 22.* quod parum profit, dixiſſe, *Domine, Domine, nonne in tuo nomine magna perpetrauimus facinora,* ſed quod *facienda ſit voluntas patris in coelis, Matth. VII, 21. 22.* quod fides operum vacua, non ſit *vera & viua,* ſed *mortua fides, Iac. II, 17.* quod in Chriſto, nec circumciſio quidquam valeat, nec praeputium, ſed *fides, quae per charitatem eſt efficax, Gal. V, 6.* quod mendax ſit, qui profitetur, ſe amare Deum, & odio tamen proſequitur fratrem, *1 Io. IV, 20.* quod non ſeruilem, ſed filialem ſpiritum acceperimus, in quo clamamus: *Abba, pater, Rom. VIII, 15.* & denique, quod per regenerationem *ſpem viuam* adipiſcamur. *1 Petr. I, 3.*

§. CLIV.

Idem de *pſeudo-temperantia* cenſendum. Cibi potusque cupiditati ponere modum ex auaritia, aut ambitione; a libidine ſibi temperare, vt poenam ignominiamque euitemus; adfectus continere intra limites, ne excedant, grauioraque nobis attrahant incommoda, vel vt prudentiae laudem tueamur; aduerſa aequo ferre animo, vel ne nos adeo adfligant, vel quod videamus, impatientia parum profici; magnam quidem interdum temperantiae & moderationis ſpeciem hominibus

conciliat, ſed a vera temperantiae laude abſunt adhuc quam longiſſime, ſeque adeo, ſi eam ſibi tribuant, miſerrime decipiunt.

§. CLV.

Neque difficile admodum eſt hoc intelligere, modo paulo accuratius ad ſeipſos attendere velint mortales. Longe aliud eſt ex auaritia, gloriae cupiditate, prudentiae carnalis laude, & ad felicitatem quandam huius ſeculi obtinendam, aliquid facere, aliud, ex ſtudio ſe componendi ad voluntatem Numinis. Quorum poſterius vt praecipue ad virtutem chriſtianam requiritur, ita qui ex aliis cauſſis ad aliquid agendum aut patiendum inducuntur, nihil ſe minus quam chriſtianos eſſe demonſtrant, virtutisque adeo laudem fruſtra ſibi vindicant.

§. CLVI.

Eodem denique modo ſe habet *pſeudo-iuſtitia, & pſeudo-charitas.* Videas quosdam iuſtitiae aequitatisque tenaciſſimos: ſed ideo, quod intelligant, ad exiſtimationem conſeruandam hanc laudem conferre plurimum. Qui enim palam iniuſtus eſt, & verbis factisque alios fallit, nullo inter homines loco eſt, contemptui omnium & odio expoſitus. Laedere alios verbis aut factis, nonnulli religioni ſibi videntur ducere, ſed quod videant, plurimis ſi hoc faciant, ſe exponi periculis. Non enim impune ſemper laceſſere alios licet. Ad quaeuis humanitatis officia proni ſunt alii, commodaque aliorum quouis modo promouere parati, ſed ſua intereſſe putant, fauorem & beneuolentiam eorum hac ratione captare. Nihil hic, quod verae virtutis laudem mereatur.

§. CLVII.

Coecus admodum ſit, & rerum parum intelligens, ſi quis naturae hic non animaduertat fallaciam: quamuis plurimi non animadvertant. Qui viri ſaltem honeſti & iuſti laudem tuetur, qui gloriam captat, aut incommoda, quae hominum vitia comitantur, euitat, qui peccata fugit, ne nullo omnino apud alios loco ſit, qui bene aliis facit, illorum vt impetret gratiam & fauorem, nihil facit, quod homo irregenitus facere nequeat. vid. *Matth. V, 46. 47.* Studium vero ad voluntatem Numinis ſe componendi dum deeſt, vera etiam deeſt virtutis chriſtianae indoles.

§. CLVIII.

Virtutes iſtae apparentes, quarum praecipuas indicauimus, & in quibus vel maxime naturae fallacia conſpicitur, plurimas quidem habent cauſſas. Namque & poenae metum, & gloriae cupiditatem, & edu-

& educationem quoque ac conſuetudinem, imitationemque, plurimum huc facere, iam indicauimus. Haud vltimum vero inter eas locum diuerſarum propenſionum prauarum occupat coniunctio, cuius hunc inter alia interdum effectum eſſe, itidem iam ſupra diximus, vt alterius vis nimis excedens per alteram temperetur, impetusque cohibeatur, vnde, accedentibus deinceps aliis cauſſis, virtutis quaedam externa ſpecies oritur, tanto facilius deceptura hominem, quo plures probi videri, quam eſſe, malunt.

CAPITIS PRIMI
SECT. V.
DE
DISCRIMINE NATVRAE
ET GRATIAE
QVOAD FACVLTATEM IMAGINATIVAM.

Σύνοψις.

PEr imaginatiuam facultatem quid intelligatur? §. I.
Quomodo ad eam concurrat corpus? §. II.
Mens in imaginando ſe vel paſſiue habet, §. III.
vel actiue, §. IV.
Vnde colligitur, quo pacto imaginatio differat ab intellectu puro, §. V.
& a memoria, §. VI.
vt & a ſenſibus externis, §. VII.
Quousque mentis directio in imaginatione procedat, & quod ſubinde ceſſet, §. VIII.
Aſſociatio idearum in imaginatione, quo pacto ſe habeat, §. IX.
Imperium imaginationis, §. X.
Eiusdem communicatio. §. XI.
De ingenio & iudicio, §. XII.
Vtriusque diſcrimen, §. XIII.
Ingeniorum diuerſitas, §. XIV.
Memoria ſenſualis, §. XV.
Imaginatiuae facultatis, ſecundum naturam conſideratae, corruptio in eo conſpicitur, quod non in omnibus eodem modo ſe habeat, §. XVI.
item in eo, cum mens directione ſua priuatur: quorſum & enthuſiaſmus pertinet, §. XVII.
Enthuſiaſmum verum & naturalem, eſſe morbum mentis, §. XVIII.
Cauſſa enthuſiaſmi proxima & remota, §. XIX.
Enthuſiaſmum ad omnes mentis facultates, immo ad ipſum etiam corpus ſe extendere, §. XX.
Diſtinguendi ab eo ſunt motus vere diuini credentium, §. XXI.
Quo pacto ab eo differat fanaticiſmus, §. XXII.
Et hunc morbum mentis eſſe grauiſſimum, §. XXIII.
In aſſociatione imaginum, itidem imaginatiuae facultatis corruptionem, conſpici, §. XXIV.
vt & in imperio imaginationis in reliquas mentis facultates, §. XXV.
itemque in eius communicatione, §. XXVI.
Naturae denique corruptionem in ingenii, iudicii, memoriae defectibus ſeſe exerere, §. XXVII.
Magna hinc conuerſionis, vitaeque chriſtianae oriri impedimenta, ſpeciatim ex peruerſa obiectorum repraeſentatione, §. XXVIII.
item ex nexu imaginationis ac adfectuum, §. XXIX.
vt & ex imperio eius in intellectum, §. XXX.
denique ex imaginationis, quae in diuerſis deprehenditur, diuerſitate, §. XXXI.

Quo pacto ſecundum gratiam ſe habeat imaginatio: & quod vno impetu emendari nequeat, §. XXXII.
Prauis imaginationis repraeſentationibus, quonis modo reſiſtit homo regenitus, §. XXXIII.
Qua ratione imaginatiua facultas vtcunque emendari queat, §. XXXIV.
Plurimum huc confert adfectuum emendatio, §. XXXV.
Imaginatiuae facultatis in quo conſiſtat emendatio, §. XXXVI.
item ingenii, iudicii, & memoriae, §. XXXVII.
Imbecillitates harum facultatum prorſus tolli nequeunt, §. XXXVIII.
Fallacia naturae circa imaginatiuae facultatis emendationem: & primo quidem in eo, quod homines irregeniti etiam turpium imaginum repraeſentationes quandoque auerſentur, §. XXXIX.
deinde in eo, quod per cauſſas naturales mutatio quaedam in imaginatiua facultate contingat. §. XL.
item, ſi quis per conſuetudinem vitiorum quorundam in hac facultate expers cenſeatur, §. XLI.
denique ſi quis defectuum, qui in aliis conſpiciuntur, expers ſit, §. XLII.

§. I.

PEr *imaginatiuam facultatem* intelligimus facultatem mentis, imagines per ſenſus externos ope ſpirituum animalium impreſſas, percipiendi, conſiderandi, ſeparandi, componendi, dirigendi, aliaque ratione circa eas verſandi. Vnde quidem patet, ad facultates, quas *mixtas* philoſophi vocant, & in quibus mentis cum corpore concurſus conſpicitur, hanc referendam eſſe.

§. II.

Obiectum itaque huius facultatis ſunt imagines, per ſenſus externos, ope ſpirituum animalium, impreſſae. Organa enim ſenſuum externorum per obiecta externa mouentur: motus ille per neruos ſenſorios, ope ſpirituum animalium, ad cerebrum vsque continuatur: tum certae imaginis fit impreſſio. Et haec quidem omnia ex parte corporis fiunt. Mens autem motus iſtos percipit, & ea agit, quae ſuarum ſunt partium.

§. III.

Conſtat nimirum, quod mens noſtra in imaginando vel *paſſiue* ſe habeat, vel *actiue*. Paſſiue, cum imagines percipit, ſiue hoc fiat, cum primum per ſenſus externos earum fit impreſſio, ſiue ſua ſponte imagines iſtae recurrant, quod quidem varias ob cauſſas contingere poteſt, maxime vero, ſi per crebram earundem imaginum repetitionem & conſuetudinem, ſpiritus animales ad eosdem motus quam facillime concitentur. Vbi quidem ſubinde contingit, vt vel inuitis imagines obuerſentur, animusque in iis amouendis, omnem fruſtra collocet operam. *

* Huius obſeruationis vſus per omnem vitam, maxime chriſtianam, latiſſime patet. Experientia enim quotidiana docet, quod piis etiam & ſanctis hominibus rerum turpium imagines praeter illorum voluntatem, imo maxima cum ipſorum deteſtatione, offerantur. Idque quin ex cauſſis etiam naturalibus fiat, nemo harum rerum peritus dubitauerit: etſi non negem,

Digitized by Google

negem, infernalem etiam hic concurrere genium, vt deinceps dicetur. Haec autem euitare vix poterunt incommoda, qui ante conuerſionem prauis diu multumque delectati fuere cogitationibus. Vnde ſimul patet, quam imprudenter agant, qui vitae emendationem diu differunt. Quo tardius enim homo ad ſalutare iſtud opus accedit, eo plures ſuperare primum neceſſe habet difficultates, & eo grauiores deinde experitur tentationes, natura ad eos repetendos motus prona, quibus antea adſueta fuit.

§. IV.

Actiue mens noſtra hac in re ita verſatur, * vt imagines per ſenſus impreſſas conſideret, componat, ſeiunget, dirigat: immo, vt, ſi obiecta externa, quae ſenſus feriunt, abſint, eas reſuſcitet, conſeruet, iisque ad varios motus atque adfectus excitandos, augendos, imminuendos, compeſcendos, vtatur.

* In quantum itaque mens in imaginatione actiue ſe habet, imaginatio dependet ab ipſa mente, non quidem a voluntate, vt MALEBRANCHIVS perperam docet, ſed praecipue ab intellectu, ita, vt quoties volumus, & cetera requiſita adſint, toties certae imagines ſe nobis ſiſtant, quas intellectus contemplatur, componit, diuidit, dirigit. Non aliter autem ſentire MALEBRANCHIVS potuit, cum omnem actionem intellectui deneget, eamque ſoli tribuat voluntati. Perperam quidem, vt alibi demonſtratur. Legenda ſunt ea de re, quae habet *lib. 2 de inquirenda veritate, cap. 1. §. 2. p. m. 127.* add. WESENFELDIVS, in *georg. anim. & vitae, cap. 2. §. 15.*

§. V.

Ex dictis facile colligere licet, quo pacto imaginatio, tum ab intellectu, * tum a memoria, tum a ſenſibus externis differat. Intellectus namque purus verſatur circa res immateriales, & incorporeas, vti ſunt abſtracta, vniuerſalia, moralia, ſpiritualia: imaginatio contra, circa res corporeas, materiales, ſingulares, in ſenſus externos incidentes. Interim ſi ipſas mentis operationes, cogitationesque ſpectes, quae intellectus puri ſunt, cum iis, quae ad imaginatiuam pertinent, ita plerumque ſunt permixta, vt vna ſaltem videatur eſſe facultas. Hinc & contingit, vt vni quandoque tribuatur, quod ad alteram pertinet: & cum intellectus purus difficilius ſe exerat, homines res ſpirituales etiam & immateriales, ſub notionibus & conceptibus corporeis, & materialibus, ſibi proponant, vt deinceps dicetur.

* Errant itaque omnino, qui inter intellectum & imaginationem, nullum diſcrimen intercedere exiſtimant. Hi non ſatis ad ea, quae in mente humana peraguntur, mihi attendiſſe videntur. Diſcrimen vero illud praeter alios eleganter expoſuit auctor *artis cogitandi, part. 1. cap. 1. p. 4.* cuius hac de re hic legiſſe verba, neminem poenitebit: *Homines*, inquit, *poſt peccatum, vti a diuo Auguſtino obſeruatur, ita aſſueuere rebus tantum corporeis, (quarum imagines per ſenſus ingreſſae cerebro imprimuntur) conſiderandis, vt pars maxima iudicent, nihil ſe poſſe concipere, quod nequeant etiam imaginari, h. e. eſt, tanquam rem corpoream contemplari: quaſi vero nullum aliud haberemus cogitandi & concipiendi genus. Cum e contra nemo poſſit ea, quae apud mentem ſuam ſunt, attente conſiderare, quin ſtatim agnoſcat, ſe multa concipere, omni corporea imagine prorſus deſtituta, diſcrimenque percipiat inter imaginationem & intellectionem puram. Cum enim e. c. triangulum imaginor, illud non ſolum concipio tanquam figuram tribus lineis rectis comprehenſam, ſed inſuper has tres lineas*

lineas vi & interna mentis applicatione, tanquam praeſentes conſidero, quod proprie imaginari *eſt. Quod ſi chiliogonum vellem conſiderare, verum quidem eſſet, me eadem facilitate concipere, illud eſſe figuram millena latera habentem, qua prius cognoueram, triangulum tribus lateribus conſtitiſſe: illius tamen figurae mille latera imaginari non poſſum, illaque tanquam praeſentia, mentis, vt ita dicam, oculis contemplari:* & quibusdam interiectis: *Hoc etiam euidentius deducitur e multarum rerum conſideratione, quas clariſſime valemus concipere, cum tamen eas nullatenus imaginatione aſſequi poſſimus. Quid enim clarius ipſa cogitatione, dum cogitamus, concipimus? Impoſſibile tamen eſt, cogitationem imaginari, vllamue illius picturam in cerebro effingere. Quaenam etiam affirmationis* eſt, *& negationis,* non eſt, *particularum in cerebro depingi poſſunt imagines? Vterque tamen, tum qui affirmat, tum qui negat, terram eſſe rotundam, easdem in imaginatione res expreſſas habet,* terram *ſcilicet &* rotunditatem. *Ille affirmationem bis adiicit, quae mentis actio eſt, quam ſine omni imagine corporea concipit: hicce contra negationem, quae eſt alia mentis actio, & quae multo minus depingi poteſt.* Haecce auctoris doctiſſimi verba hic adferre viſum, quod non temere a quoquam intellectus & imaginationis diſcrimen expoſitum ſit, nec exponi, vt puto, poſſit luculentius. Interim certiſſimum tamen eſt, homines plerosque intellectum & imaginationem inter ſe confundere, aut potius, ſola imaginatione res concipi & repraeſentari, credere. Cuius quidem rei variae ſunt cauſſae, easque inter haud vltima, quod notante quoque AVGVSTINO, vti antea obſeruatum, rebus tantum corporeis conſiderandis plerique mortalium adſueuerint. Hinc vero porro factum, vt omnibus obiectis mentis, nomen *imaginis, ideae, conceptus,* datum, confirmatique inde in iſto errore ſunt quamplurimi, intellectum circa corporearum tantum rerum imagines occupari. Recte hoc & erudite etiam ex theologis obſeruauit IVSTVS CHRISTOPHORVS SCHOMERVS *theol. moral. cap.* 3. §. 8. *pag.* 73. *Cum enim,* inquit, *de re aliqua cogitamus, plerumque nobis aliquam eius imaginem mente pingimus, vel qualem vidimus antea, vel ex iis, quae vidimus, compoſitam. Vnde fit, vt nomina conceptus, ideae, ſpeciei, cogitationibus data ſint, quae cum de omni intellectione, vel intellectus obiecto, vt in mente eſt, dicuntur, intellectionem cum imaginatione confundimus, quaſi omnium cogitationum tales ſint in mente imagines, & ſine illis nihil intelligatur.*

§. VI.

A memoria ſcilicet ſenſuali differt imaginatiua facultas, quod illa imagines iam velut oblitteratas denuo reſuſcitet, & menti repraeſentet, haec vero imagines nondum oblitteratas pro obiecto habeat, ſiue durante adhuc praeſentia obiectorum externorum, ſiue remotis quidem & abſentibus eiusmodi obiectis, ſed motu per iſta obiecta excitato, nondum ceſſante. Vnde nonnulli imaginationem, continuationem eſſe ſenſuum externorum, aſſerere non dubitant. Sed addendum tamen, operationes mentis circa imagines a memoria reſuſcitatas, itidem interdum imaginationis nomine venire.

§. VII.

A ſenſibus denique externis differt imaginatio, quod illi ſupponant, externi cuiusdam obiecti praeſentiam: cum imaginatio contra abſente etiam obiecto eiusmodi externo, officium ſuum peragat. Ipſa vero perceptio mentis, quae fit, cum ſenſus per obiecta externa mouentur, nondum abſoluit imaginationem. Interim obſeruandum, eo ſor-

fortiorem eſſe imaginationem, quo recentior eſt impreſſio per ſenſus externos facta: eo magis etiam excitari, & ad idem obiectum repraeſentandum proniorem reddi, quo ſaepius ſenſus externi per eiusmodi obiecta mouentur: debilitari contra & imminui, quo longius temporis ſpatium poſt impreſſionem per ſenſus factam, interceſſit.

§. VIII.

Cum menti directionem quandam imaginum tribuimus, id ita accipiendum, quod ſubinde in iſtius directionis exercitio vehementer turbetur, vnde inſignis eius infirmitas eluceſcit. In motum enim vehementiorem & extraordinarium ſi concitentur ſpiritus animales, tanta impreſſionis inde factae vis eſt, vt reſiſtere mens nullatenus queat, ſed vna abripiatur, & imperio velut ac directione excutiatur. Vnde abſurdae & ineptae imaginationis effectus quamplurimi, ſaepe longe triſtiſſimi. Idque & per morbos corporis, & per adfectus vehementiores contingere poteſt: habetque iſta imaginationis perturbatio gradus ſuos diuerſos, mentemque aut qua omnes, aut qua certas ſaltem operationes, * directione ſua ſpoliat. Quae omnia probe obſeruanda, ne diuina ſtatim aut ſupernaturalia exiſtimemus, quae forte inuſitata in his nobis videntur.

* Poſſem haec omnia latius explicare atque confirmare, ſi noſtri nunc inſtituti ratio permitteret, in philoſophorum campos excurrere. Sed id praetermittere non poſſum, quod de imaginatione ex parte ſaltem, quoad certa obiecta, perturbata, ex parte & quoad reliqua obiecta, ſana & recte ſe habente, ſubiunxi, id aliis quoque iampridem obſeruatum eſſe. At enthuſiaſmi quaedam phaenomena explicanda, hoc itidem adſumit HENNINGIVS IOANNES GERDESIVS, *in ſchediaſmate de enthuſiaſmo cap. 2. ſect. 1.* *Habet*, inquit, *certa quaedam melancholiae ſpecies hoc ſibi peculiare, vt homo in vna aliqua re deliret, in reliquis iudicium ſatis conſtans poſſideat, quod multis exemplis probant* SENNERTVS, HVARTVS, FYENVS, *aliique. Hinc videmus, enthuſiaſtas interdum pie ac conſentanee, facunde ornateque loqui, iudicio circa politica, practica, & oeconomica, perquam conſiſtente pollere, vt multi, hunc exteriorum facultatum ornatum videntes, fidem illis in rebus etiam ineptis adhibeant; quantum vero ad hoc vnum, quod ſe immediate a Deo inſpiratos credunt, quod nonnulli eorum profeſſi ſint, ſe eſſe paracletum, angelum e caelo miſſum &c. hoc certe in iſtis hominibus aeque verum, ſed longe deterius delirium eſt, quam ſi quis ſeipſum taurum gallumue eſſe imaginetur, cum tamen omnium mortalium ſenſibus manifeſtum ſit, eſſe illum hominem &c.*

§. IX.

Nec praetermittendum, quod de aſſociatione imaginum, nonnulli tradunt. * Quae enim per ſenſus externos fit impreſſio, ita comparata eſt, vt haud raro plura ſimul ſe offerant ſenſibus obiecta. Imaginationis itaque ea eſt ratio, vt, ſi vnum iſtorum obiectorum, quae ſimul exhibita fuerunt, ſe menti ſiſtat, ſtatim reliquorum obiectorum ſuccurrant imagines. Hinc & contingit, vt, ſi forte fortuna obiectum

Digitized by Google

aliquod, licet minoris momenti, exhibeatur ex iis, quae coniuncta fuerunt, cum impreſſio iſta fieret, ſtatim reliqua ſe menti exhibeant, etiam ea, quae vel minime nobis exhiberi vellemus. Immo etſi non ex eodem obiectorum numero ſit, quod nobis occurrit, ſi modo ſimilitudinem quandam habeat cum vno alteroue obiecto, quod praeſens fuit, cum impreſſio iſta fieret, ſtatim & reliquorum obiectorum recurrunt imagines. Id quod praecipue contingit, cum impreſſio vehementior fuit, & cum adfectu quodam coniuncta: quemadmodum rurſus vel ex minimi obiecti, eorum quidem, quae tum praeſentia fuerunt, repraeſentatione, ſimilis ſtatim excitatur adfectus.

* Vt doctrinam de *aſſociatione idearum* ſeu *imaginum* paulo accuratius inueſtigarem, occaſionem mihi praebuit vir ſubtiliſſimi ingenii, IOAN. LOCKIVS, qui inter philoſophos, quantum mihi conſtat, primus fuit, qui hac de re, quod operae pretium fuerit, tradidit, de *intellectu humano lib. 2. cap. 33. pag. 485. ſeqq.* Inſignem autem doctrinae huius vſum, tum in ciuili, tum in chriſtiana vita deprehendi, cum per eam ad dubia quamplurima expedite reſponderi queat. Quid mihi itaque de ea in mentem venerit, paucis exponam. De ideis ſeu imaginibus rerum corporearum nobis ſermo eſt: in his enim ſi non vnice, ſaltem praecipue, nexum eiusmodi atque aſſociationem deprehendi, exiſtimo. Ea vero connexio idearum dupliciter ſe habet: vel enim connectuntur imagines ſeu ideae, quae coniungi debebant, vel coniunguntur, quae non debebant coniungi, & ſua natura etiam nullam connexionem inter ſe habebant. De poſteriori connexione hic praecipue ſermo eſt, cum in priori nihil occurrat, cuius reddere rationem pronum non ſit. Et haec quidem idearum aſſociatio, vt LOCKIO etiam bene obſeruatum, duplici potisſimum ſit ratione, vel arbitrio ſtudioque hominum, vel caſu. Ad prius quod attinet, id varia iterum ratione fieri poteſt. Per educationem, conuerſationem, aliasque cauſſas contingere poteſt, vt certas ideas coniungere inter ſe adſueſcat homo, eo deinceps effectu, vt recurrente vna, altera ſtatim etiam menti ſe offerat. Multum huc confert, ſi cum adfectu quodam acceperimus, quae ab aliis ſunt tradita. Sic ſi per praeceptores auctoris cuiusdam aut libri notitia nobis obtigerit, cum eiusdem laude aut vituperio coniuncta, vix vnquam iſtius libri aut auctoris recurret idea, vt non ſimul laudis etiam aut vituperii idea reſuſcitetur. Prauis praeterea propenſionibus, adfectibusque hinc ortis inducti homines, varias ipſi fingendo ſaepius ideas connectunt, vt aut voluptatibus ſuis, aut ambitioni, aut irae, imaginatia, obiecti cuiusdam repraeſentatione, ſatisfaciant. Quod ſi ſaepius iſtam repraeſentationem repetierint, arctisſime tandem ideae inter ſe connectuntur, vt vna deinceps recurrente, aut reuocata, ſtatim, nobis etiam inuitis, recurrat altera. Sed ſaepius etiam hoc ſit caſu, velut quodam fortuito. Si enim forte fortuna obiectum offeratur, cuius vehementiori quadam ratione imprimatur idea, plerumque contingit, vt alia obiecta, quae vna eo tempore adfuerunt, ſimul imprimantur, idque ea ratione, vt vnius obiecti, etſi minus principalis, idea recurrente, ſtatim etiam reliquorum obiectorum menti ſe exhibeant imagines. Sane, non in quauis hoc ſit obiectorum repraeſentatione, ſed, vti dixi, in tali, quae cum vehementiori quadam & velut extraordinaria impresſione fuit coniuncta. Pone, aliquem prima vice ingredi in Vrbem, cuius viſendae iam pridem magno flagrauerit deſiderio: pone, plurima ſimul illi ſe offerre obiecta. Continget ſane, vt iſtius ingreſſus non temere recurrat idea, vt non reliquorum, ſaltem quorundam obiectorum, quae vna exhibita fuerunt, e. g. comitum, qui tum adfuerunt, aedificiorum, quae primum oculis ſe obtulerunt, & reliquorum, iterum ſe ſiſtant imagines. Eodem modo res ſe habet, cum impresſio facta eſt comitante adfectu quodam vehementiori. Sic, ſi quis forte homicidio perpetrato interſuerit, vix aut homicidii recordabitur, vt non perſonarum, quae adfuerunt, loci, temporis, & reliquarum circumſtantiarum recurrant ideae: & vice verſa, ſi

loci

loci aut temporis, aut perſonae cuiusdam, quae tum adfuit, idea recurrat, ſtatim reliquorum, quae vna exhibita fuerunt, reuocabuntur imagines. Et ita in aliis quamplurimis res ſe habet. Et hinc facile intelligetur, cur non ſemper haec aſſociatio idearum locum inueniat, nec in omnibus vno eodemque modo ſe habeat, cum in quibusdam fortior impresſio eſſe queat, remisſior in aliis: & propenſionibus etiam, adeoque & adfectibus, mirum in modum inter ſe differant homines. Id vero praecipue obſeruatu dignum, quod non modo ideae ſeu imagines inter ſe connectantur, vt recurrente vna, aut ſimili imagine, recurrant & aliae: ſed & quod ideae cum adfectibus ita connectantur, vt recurrente idea quadam, quae, cum adfectus quidam vehementior excitaretur, adfuit, recurrat etiam adfectus, etſi ceteroquin idea iſta cum iſto adfectu nullam videatur habere conuenientiam. Notiſſimum eſt, quod idea loci ac temporis, per ſe non poſſit producere adfectum. Interim tamen conſtat, quod ad ideam loci aut temporis ſubinde, vel nobis non aduertentibus, adfectus quidam excitentur, idque propter idearum atque adfectuum connexionem. Loci, in quo magnum aliquis ſubiit infortunium, vix quisquam recordabitur, vt non adfectus cieatur triſtitiae. Diei, quo quis inſigni affectus fuit beneficio, aut ſingularem laetandi habuit cauſſam, vix vnquam nobis ſe exhibebit idea, vt non adfectus etiam laetitiae quodammodo excitetur. Hinc videas nonnullos diei dominicae, aut feſtorum quorundam, aliquando non ſine certis adfectibus reminiſci. Obſeruationis huius, vt antea diximus, vſus latiſſime patet. Namque multarum rerum, quae abſconditae videntur, aut ad longe alias cauſſas v. g. ſympathiam aut antipathiam referuntur, rationes hinc reddi quam expeditisſime poſſunt. Si quis prima vice nobis innoteſcat homo in negotio, quod moleſtiam creet, iramque aut odium excitet, continget facile, vt is, licet nulla ſua culpa, nobis inuiſus ſemper ſit, eadem idea ſemper eundem concitante adfectum, niſi nexus iſte diuturnitate temporis, vel aliis intercedentibus cauſis, diſſoluatur. Vnde prudentiae erit, eiusmodi ſubterfugere negotia, quae adfectus ſimiles, nobisque damnum aliquando allaturos, in aliis excitare poſſunt. Quam vero neceſſaria ſit haec obſeruatio in vitae chriſtianae praxi, experientia quemuis condocere poteſt. Rationem hine reddere licet, cur rerum turpium ideae vel inuitis ſaepisſime exhibeantur, prauique excitentur adfectus. Ob idearum ſcilicet tum inter ſe, tum cum adfectibus connexionem fieri aliter nequit, quam vt vna idea reſuſcitet aliam, cum qua ſimul impreſſa fuit, aut cum qua etiam ſimilitudinem quandam habet, ſimilesque etiam ideam ſequantur motus. Hinc piis etiam quandoque & regenitis, quotidie cum prauis cogitationibus & motibus illicitis eſt colluctandum: apud irregenitos autem noua quotidie, peccatis ſe illaqueandi, inde oritur occaſio. Id quod profecto mortales cautos reddere debebat in ſenſuum externorum vſu, & cogitationum ſuarum directione. Cumque iuuenes praecipue aut ex periculi ignorantia, aut leuitate quadam animi, facillime & frequentisſime hac in re peccare ſoleant, illorum, qui moribus eorum formandis praefecti ſunt, eſt officium, ſaepisſime eos huius rei admonere, ne pro lubitu coniungendo ideas, easque in iſta coniunctione repetendo, aut occaſionem per rerum turpium adſpectum ſe oblectandi, captando, vel non euitando, hocce ſibi incommodum attrahant, in quo amouendo per omnem deinceps vitam fruſtra ſaepius laboratur. Pari ratione multum haecce doctrina conducit, ad fallaciam naturae, in rebus ſpiritualibus detegendam. Contingere ſcilicet poteſt, vt ob idearum & adfectuum connexionem, ad ideam quandam temporis, adfectus triſtitiae aut laetitiae recurrat, cum forte circa verbi diuini meditationem ſunt occupati homines. Hunc adfectum laetitiae, aut triſtitiae, ſi ſtatim pro adfectu quodam ſpirituali habeant, miſere turpiterque decipientur. Sed mitto reliqua.

§. X.

Imaginationis etiam cum tanta vis ſit, vt per eam reliquae mentis facultates in ſuo aliquando exercitio impediantur, factum inde, vt eidem imperium aliquod tribui ſoleat. Admodum quidem improprie. Impeditur autem per imaginationem ipſe quandoque intellectus, ſi

 per

per eam caligo illi velut offundatur, quo minus iuſtum rebus pretium ſtatuere, & ſecundum veri rectiue regulam, de cunctis iudicare queat. Id quod exemplo hominum, adfectu vehementiori abreptorum, ſatis patet. De voluntate idem cenſendum, quae ſubinde adfectibus cum imaginatione conſpirantibus, reſiſtere nequit. Immo & de ſenſibus externis, qui ſuo quandoque non recte fungi officio videntur, ſi vehemens imaginationis agitatio cuncta turbet. *

* Quod magna imaginationis in intellectum pariter ac voluntatem vis ſit, nemo forte harum rerum vtcunque peritus, in dubium vocauerit. Sed quod de ſenſibus externis diximus, experientia docet, eum homines in adfectu vehementiori conſtituti, audire ſibi saepius atque videre videntur, quae reuera non audiunt nec vident. Nec tamen haec eo vsque extendenda ſunt, vt in iis, quae exploratae veritatis ſunt, ſine cauſſa ſufficiente, externis ſenſibus fidem derogemus, quod BALTHASAREM BECKERVM feciſſe conſtat, qui hac de re paſſim diſſerit, in *mundo faſcinato*, ſpeciatim *lib.* 4. *cap.* 1. §. 9. *ſeqq.* *p.* 6. *ſeqq.* & alibi.

§. XI.

Non modo in mentis noſtrae facultates, ſenſusque externos, immo & ipſum corpus, ſingularis quaedam vis imaginationis ſeſe exerit, ſed & in alios homines. * Vſu namque compertum eſt, inſigni & excellenti imaginationis facultate pollentes, ſiue litteris quid conſignent, ſiue verba ad alios faciant, ſubinde alios ita percellere, & in ſui admirationem rapere, vt, licet ſolidis rationum momentis deſtituantur, ſuffragantes eos tamen, dictisque ſuis adplaudentes habeant. Quod qui parum penſi habent, a ſolidis ſuperficiaria, vera ab apparentibus, ſiue dicta, ſiue ſcripta aliorum diiudicanda ſint, vix diſcernere potuerunt.

* Vocare hoc nonnulli ſolent *communicationem imaginationis*, quae cum varia ratione fieri queat, nos tamen de ea nunc loquimur, cum per dicta aut ſcripta aliorum, vis imaginandi in nobis excitatur, ad ſimiles imagines concipiendas: vnde ſimiles quoque ſubinde motus atque adfectus ſequuntur. Vbi id ſupponendum, fortiori quadam imaginatione eum debere eſſe praeditum, qui aliorum excitare imaginationem cupit: ſed id quoque, non aeque ad imaginationem aliorum recipiendam omnes eſſe aptos: quosdam facilius hoc facere, quam alios: eos vero, qui iudicio pollent, plerumque quam difficillime aliorum imaginationem recipere. Atque id experientia docet, feminas hominesque plebeios, & iudicio deſtitutos, ludis ſcenicis, poetarum lectione, oratorum imaginandi vi excellentium eloquentia, magis commoueri, quam viros ſapientes, & iudicio praeditos. Qua vero ratione iſta communicatio fiat, facili negotio intelligitur, ſi ad naturam indolemque imaginationis attendamus. Initio ſcilicet conſtat, eos, qui alios mouere poſſunt, aut volunt, res, de quibus dicere cupiunt, viua, efficaci, & forti imaginatione ſibi ipſis exhibere, accedente plerumque adfectu. Namque ſine adfectu languet fere imaginatio. Adfectum vero vel imaginaria obiecti euiusdam repraeſentatione in ſeipſis excitare, eiusmodi hominibus haud difficile. Tum vero accedunt voces, exprimendis, quas conceperunt mente, imaginibus, aptae. In quibus natura itidem plurimum valet, cum ſermo figuratus, & ad rem viuis coloribus exprimendam aptus, ab imaginatione potisſimum ac adfectibus originem trahat. Et ſi eiusmodi homo non loquatur eleganter, & ſecundum regulas artis Gramma-

Grammaticae, loquetur tamen efficaciter. Tandem vox, vultus, geſtusque imaginationis repraeſentationi conformes, & adfectus intus latentes prodentes, auditores facile vna abripient. Ita enim excitata primum attentione, ſimiles mox imagines ſibi formant, adfectus mox ſimiles producturas, & per adfectus iterum fouendas, corroborandas, & altius imprimendas. In hunc ſtatum ſi ſemel mens deducta fuerit, ſepoſito plerumque iudicio, homines laudant, adprobant, extollunt, quae orator dixit, cunctaque vera, recta, ſolida exiſtimant, nec ſuſpicionem erroris ab eo admiſſi mentem ſubire patiuntur. Quodſi inſuper ii, qui ſuam cum aliis communicant imaginationem, magnae ſint auctoritatis, & hinc etiam mentes noſtras facile ad attentionem, & dicta ſua cum veneratione quadam recipienda, excitare valeant, res eo facilius procedit. Recte hoc obſeruat, qui diligenter & accurate hocce argumentum pertractauit, MALEBRANCHIVS, *de inquirenda veritate, lib. 2. part. 3. cap. 2. p. m. 245.* Non vero tantum viua voce, aut exemplo, quod oculis intueri licet, actionibusque & geſtibus; ſed ſcriptis etiam, fit iſta imaginationis communicatio. Quae enim ex forti & viuida imaginationis repraeſentatione fluxere ſcripta, verbis inſuper ad rem apte repraeſentandam ſunt compoſita, non poſſunt non acriter & lectorum imaginationem mouere, ea ſubinde efficacia, vt in aſſenſum abripiantur, ſaltem in admirationem, etſi ſolidis rationibus auctor deſtituatur, quibus ſententiam ſuam probet. Hoc TERTVLLIANI, SENECAE, atque MICHAELIS MONTANI exemplo luculenter comprobat MALEBRANCHIVS *l. c. lib 2. cap. 3. p. 285.* Profecto dum TERTVLLIANI librum de *pallio* euoluo, ſtatim occurrit exemplum, ex quo res omnis euidenter intelligi poteſt. Defendere ſcilicet ſe volebat TERTVLLIANVS, quod pallium ſumpſiſſet pro toga. De mutatione itaque habitus diſſerens, in haecce erumpit verba: *diuerſa in vnum, ex demutatione diuerſa ſunt. Denique diuerſitatis diſcordiam vices foederant. Ita mutando erit mundus omnis, qui & diuerſitatibus corporatus, & vicibus temperatus. Noſtra certe mutatio, quod clauſis vel in totum Homericis oculis liquet, totum verſiforme eſt. Dies & nox inuicem vertunt. Sol ſtationibus annuis, luna modulationibus menſtruis variat. Siderum diſtincta confuſio interdum deiicit quid, interdum reſuſcitat. Coeli ambitus nunc ſub diuo ſplendidus, nunc nubilo ſordidus: aut imbres ruunt, aut ſi qua miſſilia cum imbribus, dehinc ſubſtillum & denuo ſudum &c. p. m. 133.* Splendide haecce dicta quis neget? Accuratius contra ſi inſpicias, hanc ratiocinationem, non omnium probandam calculo, deprehendes: multae ſunt in mundo rerum viciſſitudines: ergo mihi pro toga ſumere licuit pallium. Huius vero de imaginationis communicatione obſeruationis, in vita quoque chriſtiana magnum eſſe vſum, facile intelligitur. Non enim tantum inde conſtat, quanto ſtudio & ſcripta & ſermones illorum fugiendi ſint, qui turpia parumque honeſta tractant: ſed quam caute etiam & prouide aut legendi aut audiendi ſint, qui errores varios rebus ſacris admiſcent, facileque eloquentiae oſtentatione alios inducunt, vt veris atque falſis aeque adhibeant fidem, & ad illorum nutum ſe circumagi patiantur in omne nefas, inque omne impietatis genus. Eadem vero etiam ratione contingit, vt adfectus ex cauſſis mere naturalibus excitentur, quos ſi quis ſtatim pro ſpiritualibus atque diuinis habeat, ſeipſum decipiet miſere.

§. XII.

Inter facultates mentis, quae corporis conſortium ſupponunt, referri etiam ſolet *ingenium* & *iudicium*. Pro corporis enim maxime diuerſitate diuerſimode hanc mentis vim, quae aut ingenii, aut iudicii nomine venit, ſe exſerere, manifeſtum eſt, & experientia docet: vnde vix veroſimile, hanc diuerſitatem ex ipſa mente eſſe repetendam.

§. XIII.

Ingenii autem vox diuerſimode accipitur. * Interdum enim genera-

neratim mentis virtutes, quae per naturam ei inſunt, omnes complectitur, quibus maxime ad litterarum ſtudia aut artes quaſcunque, vel grauioris etiam momenti negotia, aliquis aptus cenſetur: interdum ſpeciatim, facultatem res apte componendi, ordinandi, ex rerum collatione aliquid inueniendi denotat: & ita differt a iudicio. Iudicium enim, vti hic quidem vocem accipimus, facultatem ſecernendi, ſegregandique, vt quid verum, quid falſum, quid bonum, quid malum ſit, appareat, denotat. Vti autem ingenium, ſpeciatim ita dictum, tum maxime conſpicitur, cum viuida & inſigni aliquis praeditus eſt imaginandi facultate, ita contingit inde, vt imaginationis quandoque nomine veniat.

* Diuerſae iſtae vocis huius ſignificationes non negligendae ſunt, cum ad aliorum hac de re effata recte percipienda, hoc plurimum valeat, & varii etiam hac ratione facile euitari errores queant. In priori ſignificatione ſi vocem capias, ingenium illis etiam recte tribuitur, qui iudicio excellent, etſi ingenio ſpecialiter ſic dicto, quod tum nonnullis quandoque imaginationis nomine venit, deſtituti ſint. Contra ſi in altera, ſeu ſpecialiori ſignificatione, vox iſta capiatur, intelliges, quid ſibi velint, qui dicunt, iudicio quidem excellenti aliquem praeditum eſſe, ſed deſtitutum ingenio. Eadem ratione poetis quandoque *κατ' ἐξοχὴν* ingenium tribuitur, quod hi ſint *εὐφαντασιώτατοι*, hoc eſt, imaginandi vi prae ceteris polleant. Sed porro obſeruandum, interdum non tam ipſas facultates mentis, aut vnam earum, quam virtutes aut perfectiones, aut omnium, aut vnius, ingenii nomine venire. Etenim ſi ipſam facultatem diſcernendi, aut componendi rerum imagines, aut eas ſibi in memoriam reuocandi ſpectes, nemo mortalium ſine omni prorſus ingenio erit, cum quilibet ſaltem pro captu ſuo hoc facere poſſit: ſed ſi vſum huius aut illius facultatis, aut vel omnium, vel vnius excellentiam vel perfectionem, hac voce deſignes, plurimi profecto ingenii defectum palam prodent, tantum abeſt, vt eum diſſimulare queant. Et ita intelligendi ſunt, qui ingenium aut cum ARISTOTELE, per *vim animi perueniendi ad finem propoſitum*, aut cum ISIDORO, per *naturalem ſapientiam* definiunt, aut mentis ſolertiam, quam Graeci *ἀγχίνοιαν* dicunt, dexteritatemque percipiendi, cum iudicio, & memoria tenaci, ad ingenium requirunt. Nec aliud, quam praeſtantiam nobilitatemque ingenii, indicauit PLATO, dum illud *cor animae* vocauit, aut CICERO, dum *decus hominis* dixit. Idem CICERO multas eiusmodi perfectiones vno velut faſce complectitur, cum docilitatem memoriamque huc refert: *quae fere omnia*, inquit, *adpellantur vno ingenii nomine, easque virtutes qui habent, ingenioſi vocantur; lib. 5. de finibus num. 36. p. m.* 149. conf. quae ex OLIVARII *diſſertat. de ingenio*, refert IO. BAPTISTA DV HAMEL de *corpore animato. lib. 1. cap. 5. tom. 2. opp. pag. 504. ſeqq.* add. noſtra diſſertatio de *cultura ingenii*, quae in *ſelectis iuris naturae & gentium* extat, *cap.* 1. §. 8. Iudicii vox itidem non vna eademque ratione ſumitur. Interdum enim ſecundam, quam vocamus, mentis operationem denotat, qua duas inter ſe ideas comparamus, interdum vero pro ipſa ratiocinatione ſumitur. At nobis pro facultate, obiecta quaeuis rite diſcernendi, ſumitur, vt, quid verum, quid falſum, quid bonum malumue ſit, appareat. Soletque ab obiectis, circa quae occupatur, diuerſas denominationes ſortiri. Hinc enim aliud *theoreticum* dicitur, aliud *practicum*. Quod enim nonnulli ad certas res diiudicandas aptiores ſint, quam ad alias, id ab vſu potiſſimum & exercitatione, ac conſuetudine prouenire, arbitror, quanquam & aliae concurrere cauſſae poſſint. SAMVEL PVFENDORFIVS *facultatem iudicatiuam* vocat, quod alii *iudicium* dicunt, eique *repraeſentatiuam*, quae aliis *ingenii*, aut *imaginationis* nomine venit, opponit, *lib. 1. de iure nat. & gent. cap.* 3. §. 1. add. IO. SCHILTERVS in *manuduct. philoſ. moral. ad iurisprud. cap.* 4. §. 11. cumprimis autem

de

de ingenii atque iudicii diſcrimine, legendus eſt DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS, *polyhiſtor. litterar. lib. 2. cap. 1.*

§. XIV.

Quodſi in latiori ambitu vox ingenii capiatur, iudicium, imaginationem, ſeu ingenium ſpecialiori ſignificatione ita dictum, & memoriam etiam, complectitur. Cumque diuerſi harum facultatum dentur gradus, aeque diuerſimode inter ſe coniunctae ſint, & conſociatae, maxima inde ingeniorum oritur diuerſitas, ad varios vitae humanae, ſed & chriſtianae actus, probe diligenterque obſeruanda. * Cuius diuerſitatis ratio etiam in diuerſa corporum conſtitutione, ſpirituum animalium indole & motu, educatione quoque, & aliis tum moralibus, tum naturalibus cauſſis, facile inuenitur.

* Magnam & infinitam fere ingeniorum eſſe varietatem, & experientia docet, & eruditis viris iampridem obſeruatum eſt. Ex inſtituto hoc demonſtrauit ANTONIVS ZARA, Aquileienſis, epiſcopus Petinenſis, in *anatomia ingeniorum & ſcientiarum*, Venetiis anno MDCXV. edita; *ſpeciatim ſect. 1. membr. 1.* ne quid de IO. BARCLAIO dicam, in *icone animorum*, praeſertim *cap.* 10. Noſtra vero aetate in varietate ingeniorum enarranda luculenter verſatus eſt IOAN. CHRISTIANVS LANGIVS, in *protheoria eruditionis humanae vniuerſae, cap. 4. quaeſt. 40. p. 104. ſeqq.* Operae pretium faciunt, qui reſpectu praecipue ad litterarum ſtudia habito, quaenam ad ea idonea, quaenam inepta ſint, oſtendunt, quod poſt IANVM HVARTVM in *ſcrutinio ingeniorum, cap. 2.* EDMVNDVM RICHERIVM, in *obſtetrice animorum cap. 4. §. 7.* EVDONEM NEVHVSIVM, in *theatro ingenii humani, lib. 1. cap. 1.* aliosque, praeſtitit DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS, *polyhiſtor. litterar. lib. 2. cap. 1.* Sed nos quoque hac de re mentem noſtram expoſuimus, in diſſertat. *de cultura ingenii, cap. 2. §. 8. ſeqq.*

§. XV.

Et memoria quidem, cuius hic mentionem fecimus, intelligitur non mere intellectualis, nec mere corporea, ſed mixta ſeu ſenſualis: quae, vt ex ſupra dictis iam conſtat, in facultate, imagines impreſſas, iamque velut oblitteratas reſuſcitandi, conſiſtit. Quodſi impreſſionis factae nulla remaneant veſtigia, aut ſtatim prorſus deleantur, memoriae quis laborare defectu dicitur. Idque cum ex cerebri maxime conſtitutione proueniat, vti haec corporis vniuerſi conſtitutionem ſupponit, facile intelligitur, quod memoriae indoles diuerſa e corporum varia conditione, ſit repetenda. Sed vt reſuſcitari imagines queant, ſigna quaedam ſeu ſymbola, vel documenta accedere oportet, ſiue extrinſecus haec nobis aduenіant, ſiue intrinſecus imago quaedam, quamcunque conuenientiam, cum alia imagine quae reſuſcitanda venit, habens, huic inſtituto inſeruiat. Iſta vero conuenientia cum multiplex & admodum diuerſa eſſe queat, diuerſas quoque rationes eſſe, quibus aliquid nobis in memoriam reuocamus, inde eluceſcit. Pluri-

Plurimum vero huc confert aſſociatio idearum, antea commemorata. Per eam enim contingit, vt vna idea, quae cum alia imagine connexionem quandam habet, recurrente, altera facile illius beneficio reuocetur. Sed id quoque ex dictis liquet, vel nobis inuitis quandoque quarundam rerum imagines reſuſcitari, vti contra in noſtra neutiquam poſitum eſt poteſtate, imagines impreſſas plane oblitterare, rerumque obliuiſci: * licet omnino aliquid ad memoriam rerum conſeruandam, aeque ac ad obliuionem inducendam, homo conferre poſſit. Vnde &, quousque eorum, quae recordatur homo, aut obliuiſcitur, rationem reddere teneatur, intelligitur.

* Hinc eſt, quod nonnulli diſtinguant inter obliuionem ***naturalem***, & ***voluntariam*** ſeu ***conuentionalem***. Hanc vocant, qua rerum, quarum naturaliter non obliuiſcimur, non recordamur in vindictam & vltionem. De naturali obliuione legi meretur TVLLIVS, *lib.* 3. *quaeſt. Tuſculan. num.* 35. Quod vero ad memoriam naturalem conſeruandam, aeque ac ad obliuionem naturalem inducendam, plurimum conferre homo poſſit, res ipſa docet. Si enim eandem imaginem ſaepius repetamus, eiusque veſtigia hac ratione profundius cerebro imprimamus, omnino memoriae ſuccurri, & obliuio impediri poteſt. Secus contra ſi nos geramus, raroque admodum aut nunquam imaginem repetamus, eius rei quod nos capiat obliuio, mirum non eſt. Et hinc imputationis, quae hic locum habet, ratio patet, de qua ex inſtituto agit illuſtris vir SAMVEL STRYKIVS, de *iure ſenſuum diſſert.* 9. *cap.* 1. add. IO. CHRISTOPHORVS BECMANNVS, *lin. doctrin. moral. cap.* 2. §. 19.

§. XVI.

Praemittenda haec, quae hactenus diximus, fuere, vt eo luculentius, naturae gratiaeque diſcrimen, in his omnibus pateat. Et ad naturam quidem quod attinet, intima eius corruptio & deprauatio hic etiam vel maxime eluceſcit. Cuius rei luculentiſſimum in eo conſpicitur documentum, quod imaginatio non in omnibus, nec in vno eodemque homine, ſemper ſit eadem, ſed pro aetate, ſeu, vitae ratione, gentium inſtitutis, maxime pro adfectuum diuerſitate, mirum in modum variet. Namque ad adfectus quod attinet, arctiſſimo vinculo cum imaginatione eos connexos eſſe conſtat, hinc vt per imaginationem maxime iſti excitantur aut fouentur, ita ad imaginationem determinandam, rurſus plurimum conferunt.

§. XVII.

Luculenter etiam ſumma naturae hic ſe exerit corruptio & miſeria, cum mens directione imaginationis ſpoliatur, quod per varias cauſſas contingere poſſe, ſupra iam obſeruauimus. Hinc variae grauiſſimaeque mentis imbecillitates, quas inter eminet *enthuſiaſmus*. Eo namque nomine, ſi in malam, vt plerumque ſolet, ſumatur partem, *

eius-

eiusmodi mentis ſignificatur morbus, quo homines vehementiori imaginationis impetu abrepti, motus quosdam, aut perceptiones, repraeſentationesue, etſi mere naturales, pro ſupranaturalibus atque diuinis habent, eosque a rectae rationis licet, ſcripturaeque ſacrae regulis, valde aberrantes, ceu vitae doctrinaeque normam ſequuntur.

* Verbum ἐνθυσιάζειν, vnde ἐνθυσιασμὸς, a voce ἔνθεος, ſeu ἔνθυς per contractionem, *in quo Deus eſt*, deſcendere, notum eſt. In ſcriptura ſacra vox iſta non occurrit: licet aliae locutiones, quibus idem ſignificatur, paſſim ſint obuiae, vt, cum de ſcriptoribus θεοπνεύστοις dicitur, quod φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου, locuti ſint, 2 *Petr. I*, 21. & de Stephano, quod fuerit πλήρης πνεύματος ἁγίου, *Actor. VII*, 55. Immo cum Paulus pro Epheſiis ita precatur: ἵνα πληρωθῆτε εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ Θεοῦ, *Epheſ. III*, 19. Apud profanos vero ſcriptores, maxime PLATONEM, & Platonicos, vſus eius eſt longe frequentisſimus, & plerumque in bonam accipitur partem, ſignificatque *afflatum diuinum immediatum, qui hominem Deo plenum reddat*. Hinc PLVTARCHVS, *enthuſiasmus*, inquit, *eſt illud, quod eſt diuinitate Deoque plenum, ſicut* τὸ ἔμπνουν *illud, quod vino, &* τὸ ἔμφρον *illud, quod ſapientia plenum eſt*: *erot. p.* 76. At non ſemper, nec in omnibus verbis, eiusdem formae, eandem rationem eſſe, monet, exemplisque conducet MERICVS CASAVBONVS, in erudita de *enthuſiasmo* commentatione, *cap.* 1. *pag.* 8. Speciatim, ad ſolam mentis illuminationem, vox haec refertur ab HESYCHIO, dum in *lexico*, *enthuſiasmus*, inquit, *eſt, quando tota anima* ἐλλάμπεται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, *a Deo illuminatur*. Vim quandam, motumque animi, ſeu impetum a Deo profectum, hac voce indicare videtur SVIDAS, dum enthuſiasmum explicat, ὑπὸ ἐνθέου πνεύματος κατέχεσθαι, *a diuino ſpiritu occupari*. In malam partem apud profanos ſcriptores ſumitur, cum ipſam maniam & inſaniam denotat, vnde ἐνθυσιάζειν, quandoque eſt μανίαν ἔχειν; quod inde ortum nonnulli cenſent, quoniam vates ethnicorum, oracula dantes, fere ſemper furorem & mentis abalienationem patiebantur, aut ſaltem eiusmodi quid prae ſe ferebant. Haec aliaque de voce enthuſiasmi, praeter alios etiam obſeruauit HENNINGIVS IOANNES GERDESIVS, *in ſchediasm. inaugurali de enthuſiasm. cap.* 1. §. 1. Enthuſiasmum alio nomine *ecſtaſin* dici, idem docet: ſed inter enthuſiasmum & ecſtaſin maximum intercedere diſcrimen, ex dicendis patebit, licet interdum enthuſiaſtae etiam in ecſtaſin rapiantur, aut rapi ſibi videantur. Quidquid huius ſit, de voce enthuſiasmi, porro addendum, eam ab ethnicis, ſpeciatim Platonicis philoſophis, in eccleſiam chriſtianam deriuatam eſſe, ſed ita, vt in malam partem acciperetur. Meſſalianis enim, ſeu Euchitis haereticis id nomen impoſitum legitur. vid. THEODORETVS *hiſt. eccleſ. lib.* 4. *cap.* 11 In bonam partem ab vllo patrum eam adhibitam negant, qui harum rerum periti videri volunt. Quod de voce ἔνθεος intelligi nequit, quam ita nonnulli capiunt, vt, quod ea denotant, minime ſit vituperabile. Sancti namque prophetae, ἔνθεοι προφῆται, audiunt THEOPHYLACTO in 1 *Cor. XII. pag.* 262. Et Chriſtus ipſe EVSEBIO vocatur: ἔνθεος καὶ οὐράνιος λόγος, *diuinum & coeleſte verbum*, *hiſt. eccleſ. lib.* 1. *cap.* 4. *p.* 3. Vt reliqua eiusdem generis, quae afferri poſſent, mittam. Ex dictis autem diiudicare pronum eſt, quid de illorum cenſendum ſit ſententia, qui *enthuſiasmum, in bonum & malum*, diſpeſcunt. Praeeuntem hi ſibi habent IO. HOORNBECKIVM, *in ſumma controuerſiarum, lib.* 6. *pag.* 378. Et bonum quidem ille *a Deo* eſſe dicit, ſiue modo & via *ordinaria*, communem omnibus fidelibus & ſanctis, qui a Dei ſpiritu aguntur & reguntur, *Ioan. III*, 8. 1 *Cor. XII*, 3. ſiue *extraordinarium*, qualis prophetis & ſcriptoribus ſacris contigerit, 2 *Tim. III*, 16. 2 *Petr. I*, 21. Malum vocat, quem a diabolo homines patiuntur, vel a ſuis propriis illuſionibus, vel quando diuinum enthuſiasmum fingunt ſibi & pingunt, fictitium plane & ementitum. 2 *Theſſal. II*, 11. Quae hactenus quidem, ſi rem ipſam ſpectes, recte ſe habent, cum de afflatu immediato prophetarum virorumque θεοπνεύστων, vt & de motibus diuinis fidelium & ſanctorum, qui illis via ordinaria contingunt, nullum ſit dubium. Sed an hiſce enthuſiasmi nomen recte

tribuatur, merito dubites, cum & hodie plerumque in malam partem vox iſta accipiatur, nec quod in bonam accepta ſit, vllo ex antiquitate comprobari exemplo queat. add. GERDESIVS *l. c. cap.* 1. *p.* 3.

§. XVIII.

Loquimur de enthuſiaſmo *vero*, non *ficto*. * Qui enim eiusmodi quid fingunt, cuius ſe expertes eſſe ipſimet probe ſibi conſcii ſunt, non enthuſiaſmi, ſed impoſturae grauiſſimae rei ſunt, poenis promeritis coercendi. De eo etiam loquimur enthuſiaſmo, qui ex cauſſis naturalibus, ** ſi non vnice (namque infernalem genium non procul hinc abeſſe nouimus) ſaltem ex parte, aut praecipue prouenit. Et hunc mentis morbum eſſe nemo dubitauerit, *** cum turbatis eius operationibus, in grauiſſimos errores, praeceps ruat homo.

* Fuiſſe omni tempore eiusmodi impoſtores, qui afflatus diuinos, & enthuſiaſmos prae ſe ferrent, quorum tamen expertes erant, hiſtoriarum nos dubitare vetant monumenta. Pſeudo-prophetas veteris teſtamenti, qui verorum prophetarum, dicta, facta, geſtus, imitabantur, ex horum fuiſſe numero, conſtat. Fuiſſe etiam apud gentiles, qui ἐνθουσιασμοὺς furoresque, & diuinos afflatus fingerent, non negauero: idque paſſim oſtendit ANTONIVS VAN DALEN *de oraculis gentilium*, ſpeciatim *diſſertat.* 1. *cap.* 6. *pag.* 139. qui tamen vltra quam par eſt, progreditur, daemonumque prorſus hinc remotam cupit operam. Qua in re illi ſuffragari nequeo, cum eſſe omnino inter gentiles potuerint ἐνθουσιαζόμενοι, accedente ad cauſſas naturales, ſingulari operatione daemonis: licet aliquando hominum etiam fraude & impoſtura, eiusmodi quid fingeretur. Praeterea inter principes rerumque dominos fuere, qui diuino impulſu ad res magnas gerendas ſe excitari, perſuadere aliis voluerunt, aut quacunque ratione diuinitatis ſibi conciliare opinionem, e re ſua eſſe duxerunt. VARRONIS equidem apud AVGVSTINVM *de ciuit. Dei, lib.* 3. *cap.* 4. extat effatum: *vtile eſſe ciuitatibus, vt ſe viri fortes, etiamſi falſum ſit, ex diis genitos eſſe credant, vt eo modo animus humanus, velut diuinae ſtirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas praeſumat audacius, agat vehementius, & ob hoc impleat ipſa ſecuritate felicius.* Quae dum ſcriberet VARRO, in mente habuiſſe Alexandrum Magnum, veriſimile videtur MERICO CASAVBONO, de quo eiusmodi quid a vitae eius ſcriptoribus memoriae proditum ſit, quod ex Ioue ſe genitum crediderit. Sed recte idem addit, non credibile eſſe, reuera Alexandrum eiusmodi quid ſibi perſuaſiſſe, ſed meram fuiſſe ſimulationem politicam, ad conſequendum apud alios eo maiorem auctoritatem & obſequium, de *enthuſiaſmo cap.* 1. Nec defuerunt deinceps etiam inter chriſtianos, qui ſuis cupiditatibus diuina obtenderent. Sed de iſtis impoſturis, fictisque enthuſiaſmis, hic dicendi locus non eſt.

** Diuerſe paſſim enthuſiaſmi ſolent ſpecies conſtitui. PLATO namque quatuor enthuſiaſmi facit ſpecies: μαντικὸν *diuinatorium*, τελεστικὸν *myſticum*, ποιητικὸν *poeticum*, & ἐρωτικὸν *amatorium*; *in Phaedro, pag.* 265. Non procul hinc diſcedit PLVTARCHVS *in erot. p.* 77. in quinque claſſes enthuſiaſmum diſpeſcens, *diuinatorium*, *corybanticum*, *poeticum*, ſub quo *muſicum* ſimul complectitur, *bellicum* ſeu *martialem*, & *amatorium*. MERICVS CASAVBONVS, cum enthuſiaſmum *in naturalem*, & *ſupernaturalem* diviſiſſet, de illo ex inſtituto acturus, ad octo praecipuas eius ſpecies reuocat claſſes, quarum prima, *enthuſiaſmum contemplatiuum & philoſophicum* complectitur, altera *rhetoricum*, tertia *poeticum*, quarta *precatorium* ſeu *ſupplicatorium*, quinta *muſicum*, ſexta *martialem* ſeu *bellicum*, ſeptima *eroticum* ſeu *amatorium*, octaua denique *mechanicum*.

Diui-

Digitized by Google

Diuinatorii autem enthuſiaſmi nullam iniecit mentionem, eo, quod ambigit, an eius aliqua ſpecies ſit mere naturalis, *de enthuſiaſmo cap.* 1. *pag.* 12. 13. HENNINGIVS IOANNES GERDESIVS enthuſiaſmum verum, *in naturalem, praeternaturalem, & ſupernaturalem* diſpeſcit. Naturalem iterum vel hominis ſani beneque valentis, vel aegri morboque laborantis, eſſe dicit. Sani beneque valentis enthuſiaſmus naturalis, iuxta illum, eſt excellens quidam ingenii ardor, impetus & vis, cuius ille beneficio admiranda & ſingularia prorſus exequitur, vt Numinis quendam afflatum illi adfuiſſe videri poſſit. Enthuſiaſmus naturalis hominis aegri, morboque laborantis, illi eſt ſingularis quaedam corporis praua diſpoſitio, ſaepe multum inſolita, & extraordinaria, orta ex melancholico, atrobilioſo, aut alio quodam morbifico humore, cuius vitio homo iſte ſingulares patitur raptus, affectibusque ſuis abreptus, lumen extraordinarium, reuelationesque diuinas, ſibi contingere credit, quin adeo peregrina ſaepe loquitur, perpetratque, vt facillime ſupernaturale quid, non tantum creduli & rudes, ſed ipſi etiam docti, rerumque periti, hic venerentur. Praeternaturalem enthuſiaſmum vocat hominis a potentia quadam ſuperiori externa, raro angelica, hodie fere ſemper diabolica, realem occupationem, in hominum perniciem, regnique Sathanici ſtabilimentum. His denique addit enthuſiaſmum ſupernaturalem, qui illi eſt interna & immediata mentis praecipue illuminario, facta a Deo ipſo, in ſui nominis gloriam, hominumque ſalutem. Et huius praecipuos fructos eſſe dicit, prophetiam & miracula, de *enthuſiaſmo cap.* 1. §. 5. *ſeqq.* An iſtae vbique recte ſe habeant partitiones, non inquiram: cum ſuper minutiis cum quoquam diſceptare, noſtrum non ſit. In latiori tamen quandoque, quam vſus fert, vox haec videtur ſumi ſignificatione. Quidquid huius ſit, omnino enthuſiaſmi diuerſitas partim a cauſſa efficienti, partim ab obiecto prouenit. Illius reſpectu, alius *ſupernaturalis*, alius *naturalis*, alius *praeternaturalis*: huius intuitu, MERICVS CASAVBONVS naturalem, in *philoſophicum, rhetericum, poeticum, precatorium &c.* diuidit. Nobis de naturali, hoc eſt, ex cauſſis naturalibus proueniente, ſermo eſt, non excluſo penitus praeternaturali. Quemadmodum enim in praeternaturalibus etiam daemonis operationibus, plerumque naturae quaedam diſpoſitio adeſt, qua infernalis genius ad hominis perniciem vtitur, ita in iis rurſus operationibus, quae mere naturales ſunt, daemonis, nullam occaſionem hominem perdendi praetermittentis, quendam plerumque ſubeſſe concurſum, neutiquam dubitauerim. Naturae enim corruptae vitiis, ille ad opus ſuum peragendum ſemper vtitur. Et hinc patet, quo loco habendi ſint, qui a theologis ſpeciatim *enthuſiaſtarum* nomine inſigniuntur, & quorum ingentem catalogum texere ſolent, qui eccleſiaſticos annales condunt, & de quibus HOORNBECKIVS agit, *ſumma controuerſ. lib.* 6. *pag.* 378. *& ſeqq.* aliique, qui contra Enthuſiaſtas & Fanaticos calamum ſtrinxerunt. Ad obiectum porro quod attinet, licet in omni enthuſiaſmo, quocunque nomine veniat, naturae corruptio, turbatusque ordo, & mentis magna impotentia conſpiciatur, noſtrae tamen praecipue conſiderationis ille eſt, qui in rebus ad religionem ſpectantibus ſe exerit. Martialem itaque, amatorium, mechanicum, non curamus. At qui circa religionem resque ſacras verſatur, itidem non vnius generis eſt, poſſesque huc nonnullas ſpecies a MERICO CASAVBONO allatas, ſpecialiori quadam ratione referre. Primo namque dubium non eſt, quin huc pertineat enthuſiaſmus *diuinatorius*, de quo ex inſtituto CASAVBONVS agit, *l. c. cap.* 2 *per integr.* & cuius luculentiſſimum ſpecimen noſtra aetate exhibuerunt prophetae iſti Anglicani, quorum fama per omnem volitauit orbem, ſed quorum praedictionibus cum euentus non reſpondiſſet, eos in verorum prophetarum numerum referendos non eſſe, palam factum eſt. De diuinatione enthuſiaſtica prolixe hic diſquirit CASAVBONVS, an talis aliqua ex cauſſis naturalibus oriri queat? Sed eadem a me iam pridem pertractata quaeſtio eſt, in diſſertatione: *an naturali homines polleant vaticinandi facultate?* vbi, quidquid pro naturali iſta vaticinandi facultate adſtruenda, ab hominibus impiis in medium adfertur, me ſatis diſcuſſiſſe arbitror. Interim experientia conſtat, homines quandoque enthuſiaſmo correptos, ſibi facultatem vaticinandi vindicaſſe, ſibique perſuaſiſſe, ſe futura praedicere poſſe: ſed & maximopere in ea opinione fuiſſe confirmatos, ſi caſu quodam, quod fieri quandoque poteſt, praedictioni reſpon-

derit euentus. Huc praeterea pertinet enthuſiasmus *contemplatiuus*, ſeu *philoſophicus*. Philoſophicus ſcilicet vocatur, quod philoſophis, contemplationi deditis proprius ſit: interim omnia enthuſiaſmi genera nonnulli ſolent hac voce complecti, quae aliquo modo ab intenſione ſeu contemplatione mentis pendent, quae, quia philoſophis magis propria ſunt, nomine iſto ideo deſignantur, licet nonnullis etiam accidant, qui nunquam aliam, quam naturalem, omnibusque ratione praeditis, communem, deguſtarunt philoſophiam. Ita quidem CASAVBONVS *l. c. cap.* 3. *pag.* 41. Et ſane vti olim philoſophis quibusdam contingebat, vt in profunda rerum contemplatione defixi, in ecſtaſin velut quandam raperentur, ita illis, qui circa res diuinas verſati ſunt, multo frequentius contigit, vt extra ſe poſiti ſibi viderentur, ceſſante tantiſper ſenſuum externorum officio. Quod & quorundam myſticorum exemplo patet. Atque in hoc etiam ſtatu, qui conſtituti ſunt, ſi, quae ſibi videre aut audire videntur, pro diuinis ſtatim reuelationibus habeant, enthuſiaſmi rei ſunt. Id vero, quo pacto ex cauſſis naturalibus fieri queat, eleganter explicat MERICVS CASAVBONVS, *l. c. p.* 45. quem omnino hac de re audire iuuat. Cum enim ex SCALIGERI mente ecſtaſin deſcripſiſſet, quod ſit *priuatio officiorum animae ſentientis, mouentis, & intelligentis*; talem ecſtaſin, addit, naturalibus corporis morbis, velut epilepſiae & ſimilibus, communem eſſe, omnes medici concedunt. Quemadmodum & hoc, quod morbi iidem, plerumque paroxiſmo feruente, ſocias habent miras viſiones, easque aliquando deſtitutas vlteriori effectu, quas diſtinctionis ergo, *ordinarias* appellabimus, aliquando vero impreſſiones quasdam in cerebro relinquentes, extra paroxiſmum quoque efficaces, adeo, vt homo, poſtquam ad ſe ſenſuumque vſum, ac reliquas naturae functiones rediit, plene perſuaſus ſit, viſiones, quae in paroxiſmo illi obtigerunt, non *naturales*, ex vitio corporis oriundas, ſed *veras & reales* eſſe. Hae impreſſiones, ita pergit CASAVBONVS, ſi fortes fixaeque ſunt, vti in nonnullis, hominem ſaepius exponunt recidiuis ecſtaſium, aut febrium ecſtaticarum, licet prima cauſſa, epilepſia nempe, aliaue, aut ſanata iam ſit, aut certe in praeſenti remota: adeo, vt, quod primum ſymptoma eſſet corporis generatim male affecti, iam proprius ſit cerebri morbus, quam ſpeciem vocare licebit, *extraordinariam ecſtaſin*. Praeterea, ſolius melancholiae vitio homo poteſt fieri ecſtaticus, & licet directa ecſtaſi non laboret, obnoxius tamen eiusdem effectibus, *impreſſionibus* nempe *ecſtaticis*, & illuſionibus cerebri. Obſeruant enim cum philoſophis medici, geminam eſſe melancholiam, quarum altera ex *vitio corporis* originem trahit, altera ex *vitio ſolius animi*, vt fit in iis, qui ex nimia deuotione, ſtudio, aut amore, melancholici euadunt. Siue ergo ecſtaſis adſit, ſiue non, omnes eos tamen, qui viſionibus vel internis, vel externis, ex cauſſis naturalibus ortis, afficiuntur, ita, vt reapſe veras certasque illas credant, ſine vllo tamen fundamento, & ex mera imaginatione, eos, inquam, omnes, ecſtaticis annumero. Ita CASAVBONVS *l. c. p.* 44. 45. Et hactenus quidem recte, modo diſcrimen, inter enthuſiaſmum & ecſtaſin, illum aut praecedentem aut concomitantem, probe obſeruetur. *Enthuſiaſmi* ſcilicet *contemplatiui* nomine ipſae illae viſiones, aut imaginationis repraeſentationes, impreſſionesque ecſtaticae veniunt, ſi quidem homo ſibi perſuadeat, eas non tantum veras certasque eſſe. ſed Deum etiam habere auctorem. Ceſſatio vero ſenſuum externorum ipſa, *ecſtaſis* vocatur. Et haec licet aeque ac ipſae viſiones, repraeſentationesque variarum imaginum, ex cauſſis naturalibus proueniat, vt optime a CASAVBONO oſtenſum, ſubinde tamen ex cauſſis ſupranaturalibus (quorſum virorum ſanctorum ecſtaſes, in ſcriptura ſacra commemoratae, pertinent) aut praeternaturalibus contigiſſe; item ad cauſſas naturales, ſupranaturales & praeternaturales accedere poſſe, certum eſt. Quae omnia vt rite diſcernantur, caute omnino incedendum. Ceterum de ecſtaſi. de qua hac occaſione prolixe & erudite CASAVBONVS, alibi ex inſtituto erit dicendi locus. Vt reliqua potius, quae huius loci ſunt, perſequamur, *rhetoricum* quoque *enthuſiasmum*, in iis, qui circa res ſacras & ad religionem ſpectantes, verſantur, locum habere exiſtimamus. Ipſi gentilium rhetores in prompta iſta & copioſa dicendi facultate, itemque in cogitationum & verborum ſublimitate, & efficacia orationis ad commouendos affectus, ϑεῖόν τι quaerebant. DIONYSIVS LONGINVS de Demoſthene verba faciens: *ταῦτά φησιν, ὡς ϑεόπεμπτά τινα δωρήματα, οὐ γὰρ εἰπεῖν ϑεμιτὸν*

θεμιτὸν ἀνθρώπινα, *haec cenſeo, tanquam diuinitus immiſſa quaedam dona, humana enim dicere nefas: περὶ ὕψους, ſect. 31. pag. 77.* Idem LONGINVS quinque τῆς ὑψηγορίας fontes aperiens, praeter felicem quandam ſententiarum vbertatem, vel maxime in oratore requirit τὸ σφοδρὸν καὶ ἐνθουσιαστικὸν πάθος, *vehementem & enthuſiaſticum adfectum.* Cumque quasdam partes in eloquentia diſciplina ſibi vindicet, nonnullae autem naturae indolique debeantur, adfectus quidem ita comparatos eſſe arbitratur, vt niſi diuinus quidam impetus accedat, omnes rhetoricae artis theſauros, omnes regulas atque praeſcripta, fruſtra iis concitandis aliquis impenderit. Finem denique argumento huic impoſiturus, denuo pronunciat, *adfectus tanquam a furore quodam procedere, & ſpiritu diuinum quid exhalante, vt orationi Phaebeum veluti vigorem adferant, concilientque, l. c. ſect. 7. ſeqq. p. 14. ſeqq.* Quae & ſimilia iampridem a me obſeruata ſunt, in diſſertatione de θείῳ ῥητορικῷ ſiue *de eo, quod in oratione diuinum eſt, ad illuſtrandam ſectionem 31. Dionyſii Longini,* anno MDCXCI. in hac ipſa academia Ienenſi habita. Quod ſi vero gentiles philoſophi & rhetores in eloquentia θεῖόν τι agnouerunt, mirum non eſt, eos, qui circa res ſacras verſantur, ſi quid forte contingat illis, quod inuſitatum videtur, aut cuius cauſſas naturales non aſſequuntur, ad diuinos afflatus ſe recipere, & enthuſiaſmi reos fieri. Pono nimirum, quod fallantur, & pro diuino habeant, quod ex cauſſis mere naturalibus procedit. Id enim, quod reuera in oratione, praeſertim virorum θεοπνεύστων, diuinum eſt, abſit, vt ad cauſſas naturales referamus. Id ſaltem aſſero, contingere poſſe, vt per errorem quis pro diuino aliquid in eloquentia habeat, quod reuara naturale eſt. Idque pluribus comprobat MERICVS CASAVBONVS, *l. c. cap. 4.* vbi ex inſtituto de enthuſiaſmo rhetorico agit. Nec difficulter iſtud ex iis, quae tum de viribus, tum de communicatione imaginationis ſupra diximus, intelligitur. Poetici atque precatorii enthuſiaſmi, de quibus idem auctor *cap. 5. & 6.* agit, eadem eſt ratio. Vt enim eiusmodi motus & impetus ex cauſſis naturalibus procedere poſſunt, ita, ſi pro afflatu diuino habeatur, quod naturale eſt, in enthuſiaſmum homines incidunt. Quod tum facile contingit, cum circa res ſacras verſantur. Enimuero quod in precibus etiam eiusmodi naturae fallacia haud infrequens ſit, exemplo patet hominum impiorum, qui tanto ardore & verborum copia preces fundere conſueuerunt, vt ab imperitia diuino perculſi afflatu facile crederentur. Sic in IOANNE BASILIDE, Moſcouiae duce, ardorem deuotionemque ſummam in precibus itemque viſiones, & reuelationes nonnulli notarunt: quibus non obſtantibus, ſumma eum erga alios fuiſſe crudelitate conſtat. Sed mitto reliqua a CASAVBONO in medium allata, qui & in cauſſas huius rei naturales inquirit. Praeter CASAVBONVM autem cauſſas enthuſiaſmi generatim ſpectati, diligenter inueſtigat HENRICVS MORVS, *in enthuſiaſmo triumphato, tom. 2. opp. philoſ. p.* 188. His IOAN. SPENCERVM adhuc iungit, in libro quodam Anglicano idiomate ſcripto, HENNINGIVS IOANNES GERDESIVS, qui & ipſe CASAVBONI praecipue veſtigia legens, hac de re diſſerit, *in ſchediaſmate inaugurali, cap. 2. ſect. 1.*

*** Enthuſiaſmum naturalem inter mentis humanae morbos, ſeu naturae corruptae ac deprauatae effectus, referendum eſſe, nemo, qui cuncta accurate ſecum expenderit, dubitauerit. Vbique enim vim quandam exorbitantem imaginationis deprehendere licet. In aliam tamen ire ſententiam videtur IAMBLICHVS, barbaricae philoſophiae antiquae, aeque ac platonicae, peritiſſimus, quem hac de re audire iuuabit. *A corpore,* inquit, *& melancholicis eius effectis, nullam trahit enthuſiaſmus originem, quia tunc corporea quaedam paſſio foret: neque ingenii opus eſt, neque animae, neque totius compoſiti, quia iſta in ſe non habent vel cauſſam vel fontem diuinae illius* παραλλάξεως, *ſiue alienationis, quae hic fit, nec ſolent, quae ſunt praeſtantiora, a deterioribus procreari. Male etiam creditur, enthuſiaſmum eſſe mentis motionem, vna cum inſpiratione daemoniaca. Sed nec recte ecſtaſis ille vocatur, quia potius dici debet rectitudo animi, & reſtitutio in melius, cum ecſtaſis & raptus in deterius peruerſionem haud obſcure ſignificet. Propterea, qui hac de re ita diſputat, ea forte dicit, quae diuinitus afflatis accidere ſolent, non tamen rei ipſius naturam, & quod praecipuum eſt, tangit. Praecipuum autem eſt, ipſos afflatos*

potius a Deo poſſideri, quam quidem obſeſſionem poſtea ſequitur, tunquam accidens, ecſtaſis & alienatio. Opus autem eſt plus quam humanum, diuinus aliquis raptus: de myſteriis Aegypt. ſect. 3. cap. 7. pag. 67. & cap. 8. pag. 6. Sed vt in IAMBLICHI hiſce ratiociniis, oppido infirmis, refutandis, multum temporis aut operae collocemus, neceſſe non eſt. Primo namque diuinum quendam ſibi fingit enthuſiaſmum, cum tamen inter gentiles non niſi aut naturalis, aut daemoniacus eſſe potuerit. De fictitio enim nunc nobis ſermo non eſt. Praeterea, quaecunque adfert ad probandum, hunc enthuſiaſmum non eſſe naturalem, fruſtra ab eo ceu certa ſumuntur, cum tamen nondum euicta ſint, & profundam verae philoſophiae ignorantiam arguunt. Quod enim corporis diſpoſitio, viſque imaginationis praeſcriptas ſibi leges migrantis, eiusmodi quid efficere valeat, ex dictis manifeſtum, nec hodie in tanta philoſophiae luce, cuiquam obſcurum eſſe poteſt. Sed plura non addo, cum prolixe & ex inſtituto contra IAMBLICHVM diſputet GERDESIVS *l. c. cap. 2. ſect. 1. §. 3.*

§. XIX.

Cauſſa proxima huius enthuſiaſmi naturalis, eſt vehementior & exorbitans imaginatio; * quippe ex qua motus tam vehementes, & repraeſentationes tam viuidae, tantaque vi animum percellentes oriuntur, vt non poſſint non homines creduli ſuſpicari, ſubeſſe aliquid extraordinarii atque diuini. Vehementioribus autem eiusmodi imaginationis agitationibus cum obnoxii maxime ſint melancholici, hoſce quoque ad enthuſiaſmos proniſſimos eſſe, conſtat. Sunt enim iidem ad ſuperſtitionem propenſi, ſeque ipſos facile religionis ſpecie decipiunt.

* Eundo per omnes, quas ſupra indicauimus, enthuſiaſmi ſpecies, facile hoc demonſtrare poſſumus, proximam cauſſarum naturalium, eſſe vehementem & exorbitantem vim imaginationis. Sic in diuinatorio, rerum futurarum repraeſentationes a fortiori imaginatione profectas, veras, adeoque diuinas eſſe credunt, cum ſaepe nihil aliud ſint, quam merae corruptae aut exorbitantis phantaſiae fallaciae. Ad comtemplatiuum enthuſiaſmum quod attinet, in viſionibus ac impreſſionibus ecſtaticis, imaginationem vel maxime vim ſuam exſerere, per ſe patet, & vel me non monente quilibet intelligit. Et ita in reliquis ſe res habet. Conſentientes hac in re nobiscum habemus omnes harum rerum vel mediocriter peritos. Et hinc profecto imaginatiuae facultatis ſummam, poſt primorum parentum lapſum, agnoſcere licet corruptionem. Idque recte etiam obſeruat GERDESIVS *l. c. cap. 1. ſect. 2.* cuius verba, quia toti noſtrae tractationi, de diſcrimine naturae & gratiae, qua facultatem imaginatiuam, lucem affundunt, adiicere placet: *Homine*, inquit, *manente integro, vtique & phantaſia & imaginatio integrae manſiſſent nunquam ita exorbitaturae, vt aliqua rationem moleſtia afficere potuiſſent. At nunc, toto homine corrupto, effrenatam harum petulantiam, vitiatosque corporis humores, ſola ratio vix ac ne vix quidem compeſcere poteſt.* Temperamentum vero melancholicum, quod plurimum huc conferat, ex iis, quae alibi de temperamentis dicuntur, ſatis patet. Certe ob ſanguinem craſſiorem, & particulis terreſtribus refertum, non poſſunt non vehementiſſimae fortisſimaeque impreſſiones oriri, ſi ſemel in motum extraordinarium concitatus fuerit. Eandem ob rationem iidem ad triſtitiam, hinc & ad ſuperſtitionem, proni ſunt. Interim accedere, etiam in enthuſiaſmo, voluntatis quaedam vitia poſſunt, vt credulitas, arrogantia, & alia. Eminere enim prae aliis, iisque multis praeſtare ſibi videntur, qui afflatuum diuinorum ſe participes factos exiſtimant. Quae omnia intimam naturae humanae per peccatum, corruptionem ſupponunt. Vnde optime B. LVTHERVS noſter: *Quid multis? Enthuſiaſmus inſitus eſt Adamo, & filiis eius*

Digitized by Google

eius a primo lapſu vsque ad finem mundi, ab antiquo dracone ipſis veneno quodam implantatus, & infuſus, eſtque omnium haereſium & papatus, & Mahometiſmi origo, vis, vita & potentia; in articulis Smalcaldicis, p. m. 333. Ceterum licet enthuſiasmus ex corrupta imaginatione, corporisque vitio potisſimum originem ducat, inde tamen minime inferendum, eos, qui enthuſiasmo corripiuntur, culpae omnis eſſe immunes. Praeterquam enim, quod voluntatis, vti dictum, vitia plerumque accedant, ipſa etiam imaginatio corrupta, per media legitima corrigi vtcunque atque emendari poteſt, vt ex dicendis patebit. Quam emendationem qui negligunt, aut intermittunt, ſua omnino culpa peccare cenſendi ſunt.

§. XX.

Ad omnes autem mentis facultates iſte enthuſiasmus pertingit, non tamen ſimul omnes ſemper inficit, ſed quandoque vnam alteramue. Namque & imaginationis ad omnes mentis facultates extendi imperium, ſupra diximus. Et ad intellectum quidem ſpectat, cum firmiter homo ſibi perſuadet, opiniones ſuas erroneas, ex reuelatione quadam, aut illuminatione extraordinaria, promanaſſe. Idque eo magis, quod viſiones, atque ecſtaſes, haud raro cum enthuſiasmo ſint coniunctae. Rurſus in voluntate exerit ſe enthuſiasmus, cum inſtinctus, impetusque ad aliquid agendum, vel omittendum, vehementior, ſtatim pro diuinis habentur: item cum adfectus quidam vehementiores eam agitant, idque a cauſſa ſupranaturali & diuina prouenire, credatur. In ſomniis vel maxime imaginationis vis ſe prodit, ſed haec quoque, ſi pro diuinis habeantur, quae naturalia ſunt, ad enthuſiasmum ducunt. Denique nec corpus eximitur, in quo motus extraordinarios, imaginatio ſubinde excitat, quos ſi ſtatim pro ſpiritus diuini, menti inſidentis, ſignis habeas, falleris, & ab enthuſiasmo noxio prope abes. Hinc vero conſtat, varias eſſe enthuſiasmi ſpecies: varios etiam in his omnibus dari gradus, non temere quisquam ambiget.

§. XXI.

Ab his omnibus, motus vere diuini, qui in credentibus ſe exerunt, caute diſcernendi ſunt: ne, quod diuinum eſt, ceu naturale aut diabolicum reiiciamus. Quod qui facit, aeque grauiter peccat, ac qui pro diuino venditat, quod naturale eſt ac diabolicum. Certisſima haec diſcernendi via eſt, * ſi cuncta ad ſcripturam ſacram exigantur, tanquam ad lapidem Lydium. Hanc qui deſerunt, vt in vita aut doctrina ſuas viſiones, ſuos inſtinctus ſequantur, iam ſatis produnt, ſe enthuſiasmi eſſe reos. Nec alia aut admittenda illuminatio, reuelatione, nec motus alii probandi, quam quales ſcriptura ſacra admittit, probatue, & in fidelibus dari, nos condocet.

Digitized by Google

* Quam facile eſt, generatim cauſſas naturales enthuſiaſmi explicare, tam difficile ſaepius, ſi ad applicationem ventum fuerit, diuina, a naturalibus, aut praeternaturalibus diſcernere. Vnde qui temere, & re non ſatis explorata, homines innocentes enthuſiaſmi, aut naturalis, aut omnino diabolici, arguunt, grauiſſimo profecto ſe obſtringunt crimine. Certiſſimus autem character enthuſiaſmi eſt, verbi diuini, & reliquorum mediorum ſalutis, contemptus atque reiectio. Quem cum ipſi libri noſtri ſymbolici conſtituant, hinc ſane, quinam Enthuſiaſtarum nomine inſigniendi ſint, diiudicandum. Hinc in *formula concordiae pag.* 678 dicitur: *magna ſeueritate & pio zelo redarguendi ſunt enthuſiaſtae, neque in eccleſia Dei ferendi, qui ſomniant, Deum ſine omnibus mediis, ſine auditione verbi diuini, & ſine vſu ſacramentorum, hominem ad ſe trahere, illuminare, iuſtificare, & ſaluum facere.* Etiam antea, *in articulis Smalcaldicis pag.* 331. dixerat B. LVTHERVS: *In his quae vocale & externum verbum concernunt, conſtanter tenendum eſt, Deum nemini ſpiritum, vel gratiam ſuam largiri, niſi per verbum, & cum verbo externo & praecedente, vt ita praemuniamus nos aduerſum Enthuſiaſtas, id eſt, ſpiritus, qui iactitant, ſe ante verbum, & ſine verbo ſpiritum habere, & ideo ſcripturam, ſiue vocale verbum, iudicant, flectunt, & reflectunt pro libito, vt faciebat Monetarius, & multi adhuc hodie, qui accurate diſcernere volunt, inter ſpiritum & litteram, & neutrum norunt, nec, quid ſtatuant, ſciunt. Quid, quod etiam papatus ſimpliciter eſt merus enthuſiaſmus, quo papa gloriatur, omnia iura eſſe in ſcrinio ſui pectoris, & quidquid ipſe in eccleſia ſua ſentit, & iubet, id ſpiritum & iuſtum eſſe, etiamſi ſupra & contra ſcripturam & vocale verbum, aliquid ſtatuat & praecipiat.*

§. XXII.

Ad enthuſiaſmum proxime accedit *fanaticiſmus.* * Fanaticorum ſaltem nomine enthuſiaſtae venire ſolent, etſi eodem alii quandoque inſigniantur. Namque ſi vſum vocis ſpectemus, fanaticorum nomine ſubinde inſigniuntur, qui vana quadam incertaque perſuaſione inducti, opiniones erroneas pro veris aſſumunt, fouent atque defendunt.

* Perperam nomen *fanaticus* a nonnullis deriuatur a graeco verbo φανίζω, ac ſi illi eo denotentur, qui apparitiones iactant, & ſibi ipſis illuminati videntur. Namque & ſi vſum ſpectes ac ſignificationem, latius ea patet, & ſi ad originem attendas, a *fanis* potius, ſeu templis gentilium, *fanaticos* dici, notum eſt. Id latinorum ſcriptorum teſtimoniis iampridem probatum dedere alii ſpeciatim LVDOVICVS DE LA CERDA *aduerſarior. ſacror. cap.* 31. *p.* 27. & inſcriptionum quoque antiquarum auctoritate patet, ni quibus, *fano adſcripti miniſtri,* hoc eſt, circa fanum verſantes, & ſubinde ἐνθεοὺς καὶ θεολήπτους memorantur: apud GRVTERVM *theſ. inſcript. pag.* 312. 313. & 654. aliosque. Traducta hinc vox eſt, ad eos ſignificandos, qui mentis non vbique ſanae eſſent: ſpeciatim in ſcholis theologorum vſus eius increbuit, adhibitaque eſt, ad eos deſignandos, quae ἀσύςατα & ἀσύμφωνα ſtatuere aliis videbantur, ac ſi mentis non ſatis compotes eſſent. Vnde ab enthuſiaſmo in eo ſaltem differt fanaticiſmus, quod *fanaticiſmi* vox latius pateat, & iis etiam tribuatur, qui generatim abſona & inepta, maleque cohaerentia dogmata aut ſpargunt, aut ſpargere videntur, etſi nec reuelationes iactitent, aut viſiones, aut motus ſuos atque inſtinctus, pro diuinis venditent. Pro obiecti varietate, fanaticiſmum quoque varium eſſe, hinc intelligitur. Namque & in philoſophicis contingere poteſt, & in theologicis, vt opiniones varias, ineptas & vagas, ſectentur homines, & ad eas imbibendas ſe abripi patiantur. Vnde *fanaticiſmus* aliis erit *philoſophicus,* & is rurſus totuplex, quot ſunt philoſophiae partes:

alius

Digitized by Google

alius *theologicus*, per omnes iterum theologiae partes late ſe diffundens. Nobis quidem de theologico praecipue ſermo eſt, etſi philoſophicus quoque, humanae naturae intimam corruptionem, ſatis arguat.

§. XXIII.

Morbus itaque quin grauiſſimus mentis, fanaticiſmus ſit, dubitari nulla ratione poteſt. Nec enim luculentius mentis imbecillitas ſe prodit, quam in vanis, vagis, ineptis, erroneis ſententiis, opinionibusque. Praeſertim ſi in grauioris momenti rebus, & iis, quae ad fidem vitamque pertinent, deprehendantur. Quae quidem imbecillitas licet puro etiam intellectui tribui quodammodo queat, dubium tamen non eſt, quin imaginationis vis plurimum huc conferat. * Per eam enim contingit, vt ſepoſita accuratiori inquiſitione, auide arripiantur ea, quae noſtris praeiudiciis, cupiditatibus, adfectibus, quam maxime conſentanea videntur, etſi ſolido fundamento deſtituta. Vnde & intellectus, iudiciique quendam defectum arguit fanaticiſmus: immo iis tribuitur, qui mentis ſuae non ſatis compotes, quae dicant, quaeue ſentiant, parum penſi habent, vt velut cum inſanis & furioſis eodem loco habeantur. **

* Atque hinc vt cauſſam proximam fanaticiſmi intelligere licet, ita ſi cauſſam remotam ſpectes, proni prae ceteris ad fanaticiſmum erunt homines leues, inconſiderati, praecipiti iudicio aſſerentes aut defendentes, quae non ſatis accurate ſecum expenderant. Accedunt vero & hic ſubinde voluntatis vitia, vanae gloriae cupiditas, ſtudium aliis placendi, inclareſcendi pruritus, & alia. Generatim naturae humanae corruptio intima ſupponitur, vnde quod ſupra de enthuſiaſmo LVTHERVM dixiſſe, accepimus, de fanaticiſmo itidem affirmari poteſt, eius ſemina omnium hominum cordibus inſita eſſe.

** Et hinc patet, quam graue crimen ſit, ſi quis innocenti *fanaticiſmum* temere obiiciat. Certe in hos quoque quadrat ſententia Chriſti ſeruatoris, *Matth.* V, 22. Interim omni tempore ſolenne fuit, vt viris piis & ſapientibus, fanaticiſmus exprobraretur. Id ipſe expertus eſt ſeruator noſter, dum a Iudaeis pro homine furioſo habebatur. Hinc *Ioan.* VIII, 52. dicunt, *nunc intelligimus, te daemonium habere*, hoc eſt, furere, inſanire, mentis non ſatis compotem, ſeu fanaticum eſſe. Hunc enim horum verborum ſenſum eſſe, res ipſa docet. Verba enim Chriſti, *ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, non guſtabit mortem in aeternum*, illis tam abſurda, tam abſona videbantur, vt ea ſani hominis eſſe credere non poſſent. Hinc excipiunt: *nunc intelligimus, te habere daemonem*; vnde hoc intelligebant? *Abraham mortuus eſt, & prophetae; & tu dicis: ſi quis ſermonem meum ſeruauerit &c.* plane ac ſi dicere vellent: abſona ſunt & fanatica, quae loqueris. Eodem loco Feſtus habebat Paulum, cum ad illum dicebat: *μαίνῃ Παῦλε, τὰ πολλά σε γράμματα εἰς μανίαν περιτρέπει. Actor.* XXVI, 24. Exiſtimabat namque Feſtus, ſtudiis, lucubrationibus, multorumque librorum lectione Paulum, ingenii vim ita corrupiſſe, vt iam, quid diceret, faceretque, neſciret. Id enim in litterarum tractatione, librorumque multorum promiſcua lectione, contingere poſſe, conſtat. Abſonus itaque & ineptus Feſto Pauli ſermo videbatur, vt eum pro homine inſano, & mentis non ſatis compote, haberet. Idemque quin reliquis apoſtolis, aliisque viris ſanctis ſubinde contigerit, dubium non eſt. Memorabile admodum eſt, quod CELSVS, homo profanus, religionisque chriſtianae acerrimus hoſtis, Mariam Magdalenam, *mulierem fanaticam* appellitet. Digna ſunt hac de re, quae hic legantur, verba ORIGENIS, *lib.* 2. *contra Celſum p. m.* 96. *Deinde*, inquit, *commemoratis ex ſcriptura veſtigiis ſupplicii, quae poſt reſurrectionem oſtentauerit* (Chriſtus) *vide-*

licet manus, ita vt ferro transfixae fuerant, percontatur (Celſus) *quis hoc viderit, & obiter Mariam Magdalenam calumnians, quae hoc vidiſſe ſcribitur,* ἤτε γυνὴ πάρoιςρος ὥς φατε, *mulier,* inquit, *veſtra quoque confeſſione fanatica.* Ita enim haec interpretatur SIGISMVNDVS GELENIVS. Quae CELSI verba indicant ſatis, a multis eo tempore Mariam Magdalenam, pro fanatica habitam fuiſſe. ORIGENES ad CELSI rationem prolixe reſpondens, quod ad Mariam Magdalenam attinet, hocce regerit: *Celſus mulierem furentem vocauit* (παροιςρῶσαν ἤτε τὴν γυναῖκα): *incertum, vnde nactus occaſionem calumniae, quando in ſcripturis nihil tale habetur.* Quodſi tamen coniecturis indulgere liceat, fieri potuit, vt ſingularem mentis deuotionem geſtibus etiam externis proderet Maria Magdalena, grato ſemper agnoſcens animo, ſuam, a daemonum obſeſſione, liberationem, *Luc.* VIII, 2. Hinc a Iudaeis primum pro fanatica aut furioſa habita eſt: vnde fama ad exteros propagari potuit. Niſi forte ex eo, quod antea a daemone obſeſſa eſſet, collegerit CELSVS, eam pro fanatica habitam fuiſſe. Reliquis deinde chriſtianis idem ſaepius contigiſſe, ex variis conſtat monumentis, adeo, vt cum Paulo dicere potuerint: ἡμεῖς μωροὶ διὰ χριςόν: *nos ſtulti propter Chriſtum* 1 *Cor.* IV, 10. *Nos hebetes, ſtolidi, fatui, obtuſi pronunciamur & bruti*, inquit, ARNOBIVS add. CHRISTIANVS KORTHOLTVS in *pagano obtrectatore, lib.* 1. *cap.* 11. *pag.* 159.

§. XXIV.

In aſſociatione porro imaginum, itidem naturae corruptae veſtigia ſeſe offerunt. Etſi enim vſu ſuo iſta aſſociatio non deſtituatur, mentis tamen ſimul quandam arguit imbecillitatem, & infinitas peccandi ſuppeditat occaſiones. Hinc enim contingit, vt vel minima circumſtantia, aut obiectorum quorundam ſimilitudo, admiſſorum reuocet facinorum memoriam, quae ſi non ingrata fuerit, nouo ſe obſtringit homo crimine. Illis vero, qui admiſſa deteſtantur, perpetua inde cum prauis cogitationibus, motibusque variis conflictandi, imponitur neceſſitas.

§. XXV.

Imperium quoque illud imaginationis in alias facultates, praeſertim ſenſus externos, vti turbati ordinis in homine luculentum eſt indicium, ita naturae corruptio in eo vel maxime ſe exerit, cum prauarum cupiditatum, cum imaginatione ad noſtram perniciem conſpirantium, impetu, abrepti mortales, intellectus pariter ac ſenſuum vſum legitimum amittunt, & ea intelligere, ſentire, videre ſe exiſtimant, quae alii non poſſunt non pro imaginationis corruptae illuſionibus habere.

§. XXVI.

Communicatio imaginationis in ſe ſpectata, ita comparata eſt, vt vſu ſuo non deſtituatur, ſi prudens directio accedat. Sed hominum tamen ſimul indicat imbecillitatem, ſiue actiue conſideretur, ſiue paſſiue. Priori enim modo conſiderata, excellentem quidem & eximiam arguit vim imaginandi, ſed iudicii defectum ſimul indicat, quem viuida illa animosque percellens rerum repraeſentatio tegit: ne quid de eo dicam,

Digitized by Google

dicam, quod plerique ea ad mala abutantur, vt in oratoribus & poetis, profanis, ineptis, occaſionem ſaltem ſe oſtentandi quaerentibus, conſpicere licet. Si paſſiue ſpectetur, palam eſt, intellectu parum pollere, qui non rerum momentis rationibusque, ſed verbis ſplendidis, phaleratis, oratione ad fallendum compoſita commouentur, ſeque patiuntur abripi.

§. XXVII.

Ingenii, iudicii, memoriae defectus naturales, quotidie ſe offerunt. Nec defectus modo, ſed determinatio quoque quaedam ad mala, in his conſpicitur. Plurima hinc in veritatis ſtudio incommoda: longe maiora in ſpiritualibus. Per ſtupiditatem alii non capiunt, quae cognoſcere debebant; per iudicii infirmitatem vera à falſis, mala a bonis non recte diſcernuntur; per memoriae imbecillitatem eorum facile obliuiſcimur, quae quotidie animo obuerſari debebant, vti ſubinde vel inuitis in mentem recurrunt, quorum vt nunquam renovaretur memoria, optandum eſſet.

§. XXVIII.

Ex hacce humanae naturae, qua facultatem imaginatiuam corruptione, plurima atque grauiſſima oriuntur conuerſionis vitaeque chriſtianae, impedimenta. Etenim quamdiu cupiditatum prauarum obiecta, vt iucunda, & admodum delectabilia, per imaginatiuam facultatem exhibentur, vix ac ne vix quidem, vt iis nuntium mittat, ſeque ſerio ad Deum conuertat, a ſe homo impetrare poterit. Idque eo magis, quod plerumque per imaginationem corruptam, & cum adfectu prauo connexam, res omnes, quae animum afficere aptae ſunt, longe iucundiores, vtiliores, praeſtantiores nobis videantur, quam reuera ſunt; vti experientia quotidiana id confirmat.

§. XXIX.

Sed nexus quoque ille arctiſſimus imaginationis atque adfectuum, maximum hic adfert impedimentum. Vt enim per adfectus imaginatio ad praua ſubinde determinatur, ita imaginatio excitat atque fouet adfectus prauos, quibus perturbatus animus ad verbum Dei meditandum, riteque tractandum, parum aptus eſt. Idque eo magis, quo maior imaginationis hic deprehenditur foecunditas, in fingendis etiam obiectis, quae adfectus aut excitent, aut foueant, adeo quidem, vt ex figmentorum etiam * repraeſentatione, maximi vehementiſſimique excitari adfectus poſſint.

* Stultitiae hominum maximum in eo conſpicitur documentum, vt, cum obiecta ipſa, aut occaſiones, & inſtrumenta deſint, quibus ſuas explere cupiditates queant, figmentis tamen eas paſcere, & ita prauos adfectus excitare, atque fouere, non dubitent. Hinc non tantum

aliorum figmentis, vti ſunt poetarum, & fabularum Romanenſium, multum delectantur, ſed non temere quisquam tam ſterilem imaginationem nactus eſt, vt non ipſemet fingere & ſibi ipſi repraeſentare valeat, quae excitare, alere, & fouere prauas cupiditates queant. Atque id vti in confeſſo apud omnes eſt, ita non aeque ad hoc attenditur, ſubinde ſub conditione quadam eiusmodi figmenta menti exhiberi, ne directe prauas cogitationes adprobare videamur. Quas quidem repraeſentationes conditionatas, *peccata hypothetica* vocare ſoleo, quae omnino in claſſem eorum peccatorum, quae vulgo pro peccatis non habentur, referenda ſunt. Sic, ſi quis forte ab altero laeſus ſit, ſimul & in conſcientia conuictus, illicitam eſſe omnem vindictae cupiditatem, facile tamen in has incidit cogitationes: *ſi ego iudex eſſem, nequitiam huius hominis grauiſſime punirem.* Hanc cogitationem neutiquam malam eſſe, ſibi perſuadet, cum iuſtitiae opus ſit, punire ſcelera. At re accuratius conſiderata, patebit, hoc figmentum vnice ad explendam vindictae cupiditatem ſpectare, eoque comparatum eſſe, vt ſub hocce ſchemate irae indulgeatur. In rebus laſciuis & obſcoenis, imaginationi repraeſentandis, vtuntur homines ſaepius hac conditione: *ſi hoc licitum eſſet,* aut, *ſi ego in hoc vel illo rerum ſtatu conſtitutus eſſem.* Vtrumque autem vt ſaepe eſt ἀδύνατον, indeque ineptum & abſonum iſtud figmentum, ita eo tamen pertinet, vt hocce ſchemate miſere turpiterque ſe decipiant, exiſtimantes, ſe non peccare, ſi hac ratione ſuis ſe cogitationibus oblectent. Et eiusmodi quidem repraeſentationum hypotheticarum infinitus eſt numerus. Praeſertim, ſi in futurorum euentuum conſiderationem incidant, ampliſſimus imaginationi, foecunditatem ſuam exerendi, aperitur campus. Tum enim ſtatim occurrit conditio, *ſi hoc ita eueniat?* ſtatimque imaginatio res, quae hac vel illa ratione euenire poſſunt, ita exhibet, ac ſi iam praeſentes eſſent, vnde vehementiſſimis mox adfectibus animus concutitur, & conturbatur. Vnde ex iſta rei futurae, & quae aliter euenire poteſt, hypothetica repraeſentatione, mox in gaudium concitantur, aut in ſpem eriguntur, mox ad iram, immo ad furorem commouentur, aut metu excruciantur, immo ad deſperationem quandoque & αὐτοχειρίαν procedunt. Si vero accurate conſiderent, quid iſtud tandem ſit, quod tantos excitat ſtrepitus, deprehendent, merum eſſe non-ens aut ens rationis, figmentum inane, phantaſiae luſum. O! miſeros, ſtolidosque mortales!

§. XXX.

Nec praetermittenda illa imaginationis exorbitantia, quae vim intellectus impedit atque ſufflaminat, praeſertim ſi conſuetudine fuerit corroborata. Hinc enim contingit, vt homo ad mentis ſuae ſtatum vix vnquam ſerio attendat, eumque, ea, qua decet, diligentia exploret. Surdo itaque plerumque narratur fabula. Quod ſi vel maxime ſecum aliquando ſtatuat, ad ſui emendationem omnia conſilia, omnesque animi vires ſe collaturum, mox mille aliarum rerum, quae nos afficiunt, imagines occurrunt, vt ad alia omnia mens delabatur potius, quam vt id, quod antea ſtatuerat, exequatur.

§. XXXI.

Cum etiam non vna ratione in omnibus vim ſuam exerat imaginandi facultas, ſed pro diuerſitate temperamenti, educationis, conſuetudinis, ſtatus, in quo quisque conſtitutus eſt, magna operationum eius, effectuumque ſit diuerſitas, impedimentorum quoque hinc exorientium magnam varietatem eſſe, neceſſe eſt. Praecipue in eo etiam diſcrimen maximum conſpicitur, quod ad leuitatem alii proni, ſtatim dimittant, quae forte audiuerant, nec penetrare altius in animum permit-

mittant, ſecuritati hinc litantes, cum alii contra, quae triſtia & funeſta videntur, imaginatione ſua ita exaggerent, vt ad deſperationem, & violenta quaeuis, facillimo negotio abducantur.

§. XXXII.

Quo pacto ſecundum *naturam corruptam* ſe habeat imaginatiua facultas, & quae inde conuerſionis, vitaeque chriſtianae oriantur impedimenta, dictum eſt hactenus. Nunc, quo pacto etiam ſecundum *gratiam* comparata ſit, exponendum. Vbi id quidem ſtatim ſupponendum, habituales propenſiones ac diſpoſitiones, ſpeciatim etiam eas, quae a corporis conſtitutione pendent, non poſſe vno impetu corrigi & emendari, vt non vel nobis inuitis, ſimiles motus recurrant. Id quod in facultate imaginatiua ita ſe etiam habere, experientia docet, praeſertim, ſi diuturna conſuetudo, in obiectis prauis, & cupiditates irritare aptis, acceſſerit.

§. XXXIII.

Interim homo regenitus prauis iſtis imaginationis repraeſentationibus non indulget, multo minus iis delectatur: quin potius dolet, angitur, contra eas pugnat, & quouis modo remouere, & amoliri eas, annititur. Hinc cum Siracide nunquam non precatur: *quis adhibebit cogitationi meae flagella, & cordi meo diſciplinam ſapientiae? c. XXIII, 2.* Cumque corporis conditio, ad vim imaginationis augendam, aut imminuendam, plurimum conferat, in id quoque homo regenitus incumbit, vt debita ratione illud coerceat, motusque inordinatos, pro viribus compeſcat. *Rom. XIII, 14. 1 Cor. IX, 27.* conf. & *1 Theſſal. V, 23.*

§. XXXIV.

Quemadmodum autem determinatio imaginationis ad praua, per conſuetudinem mirifice augetur & confirmatur: ita ſi ad reliqua media ſpiritualia, ſuo loco indicanda, accedat exercitatio & conſuetudo contraria, imminui inſigniter vis iſta imaginationis, & determinatio ad mala, diſpoſitio autem ad bonum, corroborari poteſt. Idque facilius obtineri, nonnulli obſeruant, ſi indirecte ad alia flectatur imaginatio, quoties eius impetus recurrit, cum magis excitari quandoque ſoleat, ſi directe illi obuiam eatur.

§. XXXV.

Eo magis autem emendatio hic ſperanda, quo arctior imaginationis & adfectuum eſt connexio, vti iam docuimus. Etenim cum in adfectibus prauis compeſcendis, omne ſtudium induſtriamque collocet homo regenitus, iuxta monitum apoſtoli, *Rom. VIII, 13. Gal. V, 24. Col. III, 5.* ſua ſponte ſequitur, quo magis hi perdomantur, atque eneruantur,

eo magis etiam vim imaginationis ad mala tendentem, imminui. Ab adfectibus enim concitari vel maxime imaginationem, ſupra oſtendimus.

§. XXXVI.

Atque hinc, in quo imaginatiuae facultatis emendatio conſiſtat, intelligere licet; ſcilicet, vt, ſemotis praeſertim prauis adfectibus, obiecta magis ex vero repraeſentare adſueſcat; vtque directionem mentis facilius admittat, nec vltra limites procedat, reliquisue mentis facultatibus aut operationibus, obſtaculum vllum aut impedimentum adferat.

§. XXXVII.

Ingenii, iudicii, memoriae defectus, in quantum & inde vitae chriſtianae impedimentum oritur, eadem ratione vtcunque corrigi, atque emendari poſſunt. Saltem eiusmodi harum facultatum directio accedat, neceſſe eſt, ne iis ad praua abutamur, ſed adiumentum potius, quantum fieri poteſt, praxeos chriſtianae inde capiamus. Habitualis ſi iis ineſt ad praua diſpoſitio, exercitatione itidem atque conſuetudine, reliquis mediis adiuncta, imminui vtcunque poteſt.

§. XXXVIII.

Sed vt imminui imaginatiuae facultatis defectus, & hinc reſultantia incommoda, ita neutiquam tolli poſſunt penitus. Multa itaque regenitorum mentibus ſe offerunt, quae quam longiſſime remota vellent. Hinc vero tentationum variarum largiſſima ſeges: hinc pugnae ſpiritualis occaſio quotidiana, in qua ſuas periclitetur vires fides, victoriasque referat quam plurimas: vti ſuo loco vberius declarabitur.

§. XXXIX.

Tandem & hic *fallaciam naturae*, gratiam imitari geſtientis, obſeruare licet. Sunt enim & inter irregenitos, immo ethnicos, qui turpium imaginum repraeſentatione adeo non delectantur, vt deteſtentur potius, & remotas procul quandoque ex mente vellent. Idque ideo, quod aut foeditatem eiusmodi cogitationum agnoſcant, aut incommoda quaedam inde ſentiant, aut pericula ex adfectibus, per eiusmodi imaginationem excitatis, metuant. Quod vero quaedam prauarum rerum repraeſentationes per ſe moleſtae ſint, experientia conſtat, & exemplo hominum voluptati deditorum, ſi forte imagines triſtitiam, iram, odium excitare aptae illis obuerſentur, ſatis patet. Auerſatio itaque iſta turpium imaginum, non ſtatim pro effectu gratiae habenda, cum naturae quandoque opus eſſe queat, & in ethnicis interdum etiam deprehendatur.

§. XL.

§. XL.

Per cauſſas etiam naturales contingit, vt hominum inclinationes ac propenſiones, ſi non quoad ſpeciem, ſaltem quoad gradus mutentur, vti vel ex variantibus pro aetatis varietate, hominum moribus, patet. Iſta vero inclinationum, adeoque & adfectuum mutatio, ſi quandam in imaginatiua facultate mutationem ſecum adferat, non ſtatim colligendum inde, hoc eſſe opus gratiae. Namque & hic naturae quaedam ſubeſſe poteſt fallacia.

§. XLI.

Quanta conſuetudinis, ad habituales quasdam diſpoſitiones inducendas, vis ſit, aliunde conſtat. Idem in hac etiam, de qua loquimur, mentis facultate, conſpicitur. Per conſuetudinem contingere poteſt, vt taedio ſint rerum iucundarum repraeſentationes, quae antea maximam adferebant voluptatem: ſi quis neceſſitate forte, aut aliis cauſſis adductus, ad alia obiecta cogitationes conuertere adſuefiat. Vnde iterum imaginationis quaedam mutatio, ac imminutio, pro gratiae effectu, ab incautis rerumque harum imperitis, facile venditanda.

§. XLII.

Atque eiusmodi in vno eodemque homine cum eueniant, mutationes, nunc porro accedit, quod per varias cauſſas, naturales, moralesque, naturae defectus qua imaginationem, ceterasque facultates, ingenium, iudicium, memoriam, maiores ſint in aliis, in aliis minores. Vnde ſi quis comparatione inſtituta, minores forte in ſe, quam in aliis, aut vice verſa, deprehendat, indeque, gratiae quoddam hocce opus eſſe, concludat, ſe, quid gratia, quid natura ſit, ignorare, turpiterque decipi, oſtendet.

CAPITIS PRIMI
SECT. VI.
DE
DISCRIMINE NATVRAE ET GRATIAE
QVOAD ADPETITVM SENSITIVVM ET ADFECTVS.

Σύνοψις.

OB arctiſſimam mentis corporisque vnionem, illa adpetit, quae huic grata, aduerſatur, quae ingrata ſunt, §. I.

Hinc, quid adpetitus ſenſitiuus ſit, declaratur §. II.

Quo pacto a voluntate differat, §. III.

Hinc

Hinc porro, quid pugna rationis & adpetitus ſenſitiui ſit, explicatur, §. IV.

Item, quid adfectus ſenſuales ſint? §. V.

Sedes adfectuum non in intellectu, ſed voluntate, ſeu adpetitu ſenſitiuo, quaerenda, §. VI.

Adfectus commotiones ſunt, non tantum paſſiuae, ſed & actiuae, §. VII.

Quod diſtinctius explicatur, §. VIII.

In commotionibus illis notandus terminus a quo, & terminus ad quem. Hinc, quaenam perceptiones, perperam inter adfectus numerentur, indicatur, §. IX.

Cauſſa proxima adfectuum eſt obiecti cuiusdam repraeſentatio, ſiue per ſenſus, ſiue per imaginationem facta, §. X.

De repraeſentatione per imaginationem, obſervationes quaedam, §. XI.

Repraeſentatio iſta fieri debet cum relatione quadam ad nos, §. XII.

Conſequentia, ſeu effectus adfectuum, tum ratione corporis, §. XIII.

tum ratione mentis, §. XIV.

Commoda atque incommoda adfectuum, §. XV.

Adfectus primitiui, quot & quinam? §. XVI.

Adfectuum deriuatiuorum claſſis prima: eorum ſcilicet, qui ex obiecti diuerſitate oriuntur, §. XVII.

Claſſis ſecunda, ſi ad obiectum perſonale, reſpectus diuerſus accedat, §. XVIII.

Claſſis tertia, ſi ad amorem aut odium, accedat iudicium de facilitate aut difficultate bonum obtinendi, aut malum euitandi, §. XIX.

De laetitiae triſtitiaeque effectibus, riſu & lacbrymis, ſpeciatim quaedam obſeruantur, §. XX.

Quarta claſſis, ſi ad amorem aut odium, accedat voluntas vtendi mediis, quibus obtinere bonum, aut propulſare malum queamus, §. XXI.

Quinta claſſis, ſi bonum malumue, adfectus excitare aptum, mediate nos tangat, §. XXII.

De iis adfectibus, qui ex aliis deriuatiuis progignuntur, §. XXIII.

De affectibus mixtis, §. XXIV.

De adfectuum quorundam naturali inter ſe coniunctione, §. XXV.

Naturae humanae intima corruptio in adpetitu ſenſitiuo, §. XXVI.

In adfectibus, §. XXVII.

Quod ſigillatim praecipuorum adfectuum exemplo oſtenditur, §. XXVIII.

Et ex iis, quae in ipſo homine, qui iis commouetur, conſequuntur, vlterius comprobatur. §. XXIX.

Item ex variis peccatorum & calamitatum generibus, quae ex adfectibus originem ducunt, §. XXX.

An itaque omnes adfectus mali ſint? quaeritur, §. XXXI.

Si abſtracte conſiderentur, quosdam per ſe malos, quosdam indifferentes eſſe, §. XXXII.

concrete ſpectatos adfectus, in irregenitis ſemper malos eſſe, §. XXXIII.

Regenitos, contra adfectus per ſe malos pugnare: indifferentes per fidem ſanctificare, unde boni fiant, §. XXXIV.

Obſtacula conuerſionis ex adfectibus plurima oriuntur: ſpeciatim impediunt hominem, ne rite, & vt decet, ad ſeipſum attendat, §. XXXV.

Delectatio, quae adfectus comitatur, impedit homines, quo minus ſerio eos ſubigere velint, §. XXXVI.

Per adfectus quidam in negotio conuerſionis perfunctorie verſantur, alii ad puſillanimitatem & deſperationem adducuntur, §. XXXVII.

Habituales diſpoſitiones, ex adfectibus contractae, maxima hic quoque impedimenta adferunt, §. XXXVIII.

In regenitis, per gratiam, non tam pugna rationis & adpetitus ſenſitiui, quam lucta carnis & ſpiritus, deprehenditur, §. XXXIX.

Adfectus in illis vel ſpirituales ſunt, vel naturales, ſed ſanctificati, §. XL.

Vnde falluntur, qui regenitos omnium adfectuum expertes eſſe volunt, §. XLI.

Fallacia tamen naturae & hic ſedulo euitanda, ne pugna rationis & adpetitus, habeatur pro lucta carnis & ſpiritus, §. XLII.

aut quaelibet adfectuum ſuppreſſio, pro victoria fidei, §. XLIII.

aut naturalis eorum coercitio, pro ſpirituali in prauos adfectus dominio, §. XLIV.

denique, ne naturales adfectus pro ſpiritualibus, aut praui pro bonis, habeantur, §. XLV.

§. I

Digitized by Google

§. I.

PRopter arctiſſimam mentis corporisque vnionem, fieri aliter non poteſt, quam vt ad certos motus corporis ſequantur certae perceptiones motusque mentis, & vice verſa ad certos motus mentis, certae commotiones corporis. Praeterea, humanae mentis haec eſt indoles, ex eadem vnione arctisſima reſultans, vt grata illi ſint, quae corpus voluptate quadam afficiunt, vnde & ad ea adpetenda, incitatur: ingrata contra & moleſta, quae corpus dolore quodam afficiunt, vnde & ad ea auerſanda, prona eſt. Eodem modo mens ad omnia ea ſe habet, quae per ſenſus externos, aut imaginationem, repraeſentantur.

§. II.

Et hinc intelligere licet, quid ſit *adpetitus ſenſitiuus*, de quo & theologi, & philoſophi, tam multa loquuntur. Nihil ſcilicet aliud, quam voluntatis inclinatio ad ea, quae corpori grata ſunt, & ita per ſenſus aut imaginationem repraeſentantur. Simul vero auerſationem connotat eorum, quae ingrata corpori ſunt, & vt talia per ſenſus aut imaginationem repraeſentantur. Et ea quidem ratione cuncta, quae de adpetitu ſenſitiuo dicuntur, commode explicari poſſunt, * vt neceſſe non ſit, aut ſuperiorem ac inferiorem in anima hominis collocare facultatem, aut omnino duas pluresue homini tribuere animas, aut tres eius ſtatuere partes eſſentiales.

* Scholaſtici, & qui eorum philoſophandi rationem ſequuntur, de animae potentiis ita ſentiunt, vt alias rationis expertes, alias rationis participes, dicant. Quae rationis expertes ſunt, (ita pergunt) vel ita comparatae ſunt, vt rationi tamen obediant, vt adpetitus ſenſitiuus, vel vt rationis imperium plane detrectent, vt facultas vegetatiua. Ad rationis participes potentias tum intellectum, tum voluntatem referunt. Vnde patet, quod adpetitum ſenſitiuum, a voluntate, diſtinguant. Praeeuntem ſibi habere videntur ARISTOTELEM, qui *lib.* 1. *ethic. cap.* 13. ſimilia fere docet; ſed, quae ceteroquin ARISTOTELIS de anima ſententia fuerit, alibi inquiritur. Alii pro diuerſitate hypotheſium de anima, aliter adpetitum ſenſitiuum acceperunt. Qui enim praeter rationalem, ſenſitiuam quoque, immo & vegetatiuam, in homine ſtatuunt animam, ſine vllo hinc ſe expedire ſibi videntur negotio, ſenſitiuae, adpetitum quoque, quem vocant, ſenſitiuum asſignantes. Haud exiguus autem illorum eſt numerus, qui aut duas, aut tres in homine ſtatuerunt animas. Duas quidem, ſentientem vnam, alteram intelligentem, praeter MANICHAEOS, & PHILONEM Iudaeum, vt & ſcholaſticos quosdam, IO. BAPTISTA HELMONTIVS, aliique. Tres autem praeter veteres quosdam, CASPAR BARTHOLINVS, CONRADVS HORNEIVS, IO. ZEISOLDVS, aliique, laudari B. CASPARI POSNERO, ſocero meo, viro hiſtoriae philoſophicae haud mediocriter perito, in *tabulis gene-anthropologicis, tab.* 10. Non procul hinc discedunt, qui tres hominis partes eſſentiales ſtatuunt, & mediae adpetitum ſenſitiuum asſignant, de quibus ſupra dictum. Horum omnium cum lubricae, atque falſae ſint hypotheſes, rem omnem paulo accuratius inueſtigandam ſibi ſumpſerunt alii. His exemplum praeiuit RENATVS CARTESIVS, qui cum duas ſaltem hominis partes ſtatueret, & ſcholaſticorum de animae potentiis ſomnia

exploderet. non alium homini adpetitum, quam voluntatem, tribuit. Pugnam vero, quam vocant, adpetitus ſenſitiui & rationis ita explicat, vt eam inter motus corporis vehementiores, & mentem fieri, credat. Contingere enim quandoque, ait, vt in corpore per obiecta externa motus quidam excitentur, qui menti diſplicent, vnde & illa motus contrarios per voluntatem producere annitatur. conf. ANTONIVS LE GRAND *inſtitut. philoſoph. part. 9. artic. 7. p. 493.* Hactenus non male CARTESIVS, quod adpetitum ſenſitiuum a voluntate non diſtinguat. De pugna vero rationis, & adpetitus ſenſitiui, deinceps dicemus. Ex theologis ſuffragantem hic nobis habemus IVSTVM CHRISTOPHORVM SCHOMERVM, qui plane iuxta recentioris philoſophiae hypotheſes, rem omnem accurate ediſſerit. Digna ſunt verba eius, quae hic legantur: *voluntas ſubitanea adſcribitur vulgo adpetitui ſenſitiuo tanquam diſtinctae a voluntate facultati. Quia enim peripatetici animas vulgo tres in homine effingunt, & ſenſitiuam a rationali aliam eſſe cenſent, ideo & conuenienter ſuae hypotheſi, non tantum facultatem cognoſcendi, ſed & ad cognita ſe determinandi geminant, & adpetitum ſenſitiuum, tam ſubiecto, quam obiecto a voluntate diſtingunt. Cum autem theologi noſtrates, ſecundum phraſin ſacrarum litterarum, non niſi vnam in homine agnoſcant animam, quae & יחידה vnica, adpellatur Pſalm.* XXII, 21. *perit illa diverſitas ſubiecti, quae praecipuum hic diſtinguendi fundamentum eſt. Alii igitur, ſicut rationem & ſenſum, ita & vim determinandi ſe ſecundum vtrumque hunc intellectus fontem, vt eiusdem animae diſtinctas potentias, ſuperiorem & inferiorem conſiderant, quarum haec cum brutis nobis communis ſit, non item illa. Non improbamus quidem diſtinctionem, attamen extrinſecae tantum denominationis eſſe, arbitramur, cum principio mouente externo tantum, nec obiecti differentia alia, niſi quae a principio mouente externo petitur, potentiae diſtinguantur. Maior illa certe voluntatis perfectio eſt in homine, qua ſe continere & mouere ſuo imperio poteſt, & ſic iudicium recti intellectus expectare, quam eſt in adpetitu ſimplici, qualis etiam brutorum eſt, quae non niſi impetu feruntur: ut gradus perfectionis non multiplicant ipſam volendi facultatem in eodem ſubiecto, neque, cum ſubordinati ſibi ſunt, diſparatis indigent principiis.* Ita quidem SCHOMERVS, qui & porro recte addit ceſſare hinc quaeſtionem illam apud peripareticos arduam, vtrum in voluntate, an in adpetitu ſenſitiuo, virtus ſedem ſuam habeat? *theol. moral. cap. 4. §. 13. p. 111. 112.*

§. III.

A voluntate itaque non aliter differt adpetitus ſenſitiuus, quam quod vna eademque facultas mox *voluntatis*, mox *adpetitus ſenſitiui*, nomine veniat. Voluntatis quidem, ſi adpetat aut auerſetur, quae intellectus aut bona aut mala iudicauerit: adpetitus autem ſenſitiui, ſi, quae per ſenſus aut imaginationem, vt grata aut ingrata exhibita fuerunt, adpetat aut auerſetur.

§. IV.

Et hinc etiam, in quo pugna rationis & adpetitus ſenſitiui conſiſtat, intelligitur. * In diuerſas enim quodammodo partes voluntas trahitur, ſi ex vna parte, quae grata ſunt, & adpetitum mouere poſſunt, per ſenſus aut imaginationem repraeſententur, ex altera parte intellectus, ea noxia eſſe, & fugienda potius, dictitet. Hinc voluntas ſecum ipſa velut luctatur, prona quidem ad ea, quae ſenſus aut imaginatio vt grata exhibuerunt, rurſus tamen & rationi morem geſtura, donec tandem aut ſuccumbat ex imbecillitate, ſenſuum & imaginationis repraeſentationi, aut fortiter eluctando rationis obtemperet iuſſui. Ab hac autem

autem pugna rationis & adpetitus ſenſitiui, multum diſcrepat *lucta carnis & ſpiritus*, quae in ſolis regenitis deprehenditur, vti ſuo loco oſtendetur.

* Pugnam hanc rationis & adpetitus, veteres etiam agnouerunt philoſophi, Pythagoraei, Platonici, Stoici, Ariſtotelici; quorum hac de re adferre teſtimonia, pronum eſſet, ſi vllum hac in re ſupereſſet dubium. Nonnulla gentilium ſcriptorum loca, idem euincentia, iam attulit IO. SHILTERVS in *manuduct. philoſoph. moral. ad veram iurisprud. cap.* 2. §. 26. *pag.* 66. Haud inepte ARISTOTELES impetus illos corporeos, quibus adpetitus ſenſitiuus abripitur, comparat membris analyſi corruptis, quae ſi ad dextram mouere volueris, e contrario in ſiniſtram deferantur, *lib.* 1. *ethic. ad Nicom. cap. vlt.* Sed in ratione tamen explicandi hanc rationis & adpetitus pugnam, non potuerunt non maximopere inter ſe diſſentire philoſophi, pro hypotheſium, quas de anima, vnane an pluribus, eiusque diuerſis potentiis, fouerunt, diuerſitate. Proxime ad veritatem acceſſit CARTESIVS, in eo tamen, vt puto, corrigendus, quod pugnam exiſtimet eſſe inter mentem & motus corporeos: cum voluntas reuera ſecum ipſa luctetur, hinc a motibus corporeis, illinc a ratione in partes diuerſas tracta. Id quod etiam quodammodo intellexit SCHOMERVS, quando, *lucta*, inquit, *autem non ſemper eſt inter voluntatem & intellectum, ſed ſaepe etiam voluntatis cum voluntate, cum nempe diuerſarum vtrinque rerum cupido animum diſtrahit, quarum vna neceſſario excludit alteram, l. c. pag.* 114. Rectius forte dixiſſet, pugnam illam accurate & ſtricte loquendo, nunquam eſſe inter intellectum & voluntatem. Intellectus enim aeque ac ſenſus occaſionem ſaltem huic pugnae praebent, eam excitant, fouent, & non tam ipſi pugnant, quam efficiunt, vt, quemadmodum laudatus auctor rectisſime dixit, voluntas, ſecum ipſa pugnet. Et hoc quidem ſenſu, rationi pugna adſcribi poteſt, quia voluntatem ad pugnandum excitat, vnde &, quin recepto loquendi modo, pugna haec *rationis & adpetitus ſenſitiui*, dicatur, non repugnamus.

§. V.

Si actu in varios motus erumpat adpetitus ſenſitiuus, oriuntur inde *adfectus*. Sed adfectus, quos ſenſuales ſeu mixtos adpellitant. Sunt enim adfectus vel *mere mentales*, vel *ſenſuales*, vel *mere corporales*. Mere mentales ſunt, ſi commotio in mente originem habeat, etſi etiam ad corpus motus ille, praeſertim ſi paulo vehementior fuerit, propagetur. Mere corporales adfectus in extraordinaria tantum ſanguinis commotione conſiſtunt, per quam mens equidem quodammodo afficitur, vt aliquid ſentiat ſeu patiatur, ſed vt commotio actiua non accedat. Senſuales denique adfectus ſunt, in quibus mens & corpus ita concurrunt, vt in mente actiua etiam commotio deprehendatur. * Et hos plenius iam alibi ** ita definiuimus, quod ſint commotiones voluntatis, ex repraeſentatione obiectorum, cum relatione quadam ad nos ſpectatorum, ſub ratione grati aut ingrati, & hinc ſpirituum animalium excitata agitatione ortae, & iterum extraordinarium motum ſanguinis efficientes, ad hominis conſeruationem comparatae.

* Dictum hac de re iam aliquid ſupra eſt *ſect.* 4. §. 29. vbi & laudaui, qui ex philoſophis hocce adfectuum diſcrimen, pluribus explicant. Nunc id ſaltem addo, mentales adfectus non ſtatim habendos pro ſpiritualibus, cum maximum inter vtrosque intercedat diſcrimen. Namque & apud homines irregenitos contingere poteſt, vt adfectus quidam in mente originem habeant, rerum, quae intellectus tantum percipit, meditatione excitari.

Et iſti quidem, etſi mentales, mere tamen ſunt naturales. Contra, qui a ſpiritu ſancto per verbum excitantur adfectus, ſiue in conuertendis, ſiue in conuerſis, illi demum ſpiritualium nomine veniunt. Id quod ex dicendis conſtabit luculentius.

** *element. philoſ. practic. part.* 1. *c.* 2. *ſect.* 2. §. 23.

§. VI.

Sedes itaque adfectuum in voluntate quaerenda eſt, * aut, quod perinde eſt, in adpetitu ſenſitiuo, ſi vox ita capiatur, vt ante eam explicauimus. Qui enim aliter vocem hanc accipiunt, falſa de facultatibus ſuperioribus & inferioribus hypotheſi nituntur. Eos autem qui omnino in intellectu, adfectuum ſedem conſtituunt, non vno nomine a recto aberrare tramite, & nec intellectus, nec adfectuum indolem, ſatis exploratam habere, palam eſt.

* Scholaſtici adfectibus ſedem aſſignant in adpetitu ſenſitiuo, prouti ipſi hanc vocem capiunt. Conf. LAELIVS PEREGRINVS de *adfectibus cap.* 2. Perperam quidem, vti ex dictis liquet. CARTESII quidam diſcipuli, praeeunte magiſtro, ſedem adfectuum in intellectu quaerunt, communi omnium hominum experientiae refragantes: nec aliter ſentire poſſunt, qui adfectus pro paſſionibus ſaltem mentis habent, & rurſus paſſiones omnes intellectui, actiones autem voluntati tribuunt. Nonnulli ex hac ſchola, cum intelligerent, abſonum nimis eſſe, non in voluntate, ſed in intellectu adfectuum ſedem collocare, ita hinc ſe expedire conati ſunt, vt certa ratione ad intellectum, & alio rurſus modo ad voluntatem, adfectus referri poſſe, contenderent. Ex horum numero eſt recentiſſimus Carteſianae philoſophiae propugnator, RVARDVS ANDALA, in *exercitationib. academic. in philoſophiam primam & naturalem, part.* 1. *exercitat.* 9. §. 12. *pag.* 70. *Quod attinet ad adfectus,* inquit, *ſiue paſſiones animae, vel ad intellectionem ſiue perceptionem poſſunt referri, vti & a philoſopho* (CARTESIVM intelligit) *in generali eorum definitione art.* 27. 28. *definiuntur eſſe perceptiones: quia hoc vocabulum vſurpatur generalius ad ſignificandas omnes cogitationes, quae non ſunt actiones aut volitiones animae. Sunt enim omnes reuera paſſiones & perceptiones, quae producuntur, conſeruantur, & corroborantur, per aliquem motum ſpirituum. Hinc & ſenſus, ſiue ſenſationes, appellantur ibidem, & conſtituunt vnum ex ſenſibus internis, ſecundum philoſophum, princ. part.* 4. *artic.* 190. *Sed tamen adfectus & paſſiones, quatenus etiam alias formas, ſi mentis tendentiam ad hoc vel illud obiectum, vel auerſationem ab eodem, adeoque voluntatis motus includunt, ad voluntatem referri poſſunt, potiſſimum, ſi ad eorum effectus attendamus. Et hoc modo videtur philoſophus eos conſideraſſe in loco modo citato, & meditat.* 3. Laudat idem LVDOVICVM DE LA FORGE, quod hoc ſenſu ad *motus voluntatis* recte adfectus retulerit, de *mente humana, cap.* 22. Bene eſt, quod tandem agnoſcant, motibus voluntatis nomen adfectus denegari non poſſe: ſed quo iure idem paſſionibus quibusuis aut perceptionibus intellectus, tribuatur, non video: certe loquendi vſus repugnat. Qui vero omnino amori, odio, laetitiae, triſtitiae, ceterisque adfectibus, qui extra controuerſiam voluntatis motus ſint, in intellectu ſedem tribuunt, quid dicant ſentiantue, parum penſi habere videntur. Pro noſtra ſententia ex veteribus conf. AVGVSTINVS *lib.* 14. *de ciuit. Dei cap.* 5. & 6.

§. VII.

Commotionem, dum adfectuum vocamus, obſeruandum, quod ea voce vel *paſſiua*, vel *actiua*, commotio intelligi queat. Sunt igitur, qui hic paſſiuam ſaltem commotionem intelligunt, quo quid mouetur, ſeu motum recipit. Quo ſenſu & nonnulli adfectus, *paſſiones,*

vocare

Digitized by Google

vocare malunt. * Sed non ſatis ad naturam adfectuum attendiſſe videntur. Praeter paſſionem enim, ſeu paſſiuam commotionem, omnino in omnibus adfectibus commotio quaedam actiua, niſus quidam cum obiecto quodam ſe vniendi, aut ab eodem ſe remouendi, conſpicitur.

* Hinc Graecis *πάθη* vocantur: latine tum apud veteres, tum apud recentiores, *paſſiones*, ſed diuerſo ſenſu. Nonnulli enim hos animi motus *paſſiones* dicunt, quod mens, vel vt PLOTINVS philoſophus Platonicus loquitur, quodammodo patiatur, quae & ratio eſt, cur RENATO CARTESIO, eiusque diſcipulis, ita audiant. Alii autem eos hoc nomine inſigniunt, quod corpus velut aliquid patiatur, & quaedam in eo fiat alteratio. vid. AVGVSTINVS de *ciuit. Dei lib. 9. cap.* 4. CICERO *animi perturbationes* vocat, *lib.* 4. *Tuſcul.* & *lib.* 1. *quaeſtion. academic.* immo ſemper fere, obſeruante IVSTO LIPSIO, *manuduct. ad philoſ. ſtoic. lib.* 3. *diſſertat.* 7. *pag.* 121. Quo ipſo ad illorum proxime videtur accedere ſententiam, qui adfectus pro mentis paſſionibus habent. Sed & ipſum nomen *adfectus*, vt nonnulli volunt, idem ſignificat, quod animus ſcilicet hominis pro obiectorum diuerſitate diuerſimode afficiatur, hoc eſt, incitetur, impellatur, turbetur, &c. At quaecunque demum horum nominum ſit ratio, ad rem ipſam quod attinet, vel ipſa experientia quemlibet condocere poteſt, in adfectu proprie ſic dicto, neutiquam eſſe meram paſſionem aut perceptionem, ſed tendentiam quandam ad hoc vel illud obiectum, & auerſionem ab hoc aut illo obiecto, adeoque & quandam actionem. In quo iterum in diuerſum abit RENATVS CARTESIVS, & quidam eius diſcipuli, qui in mente tantum paſſionem, in corpore autem actionem, vel motum illum actiuum, qui mentis perceptionem & paſſionem efficit, eſſe ſtatuunt, vid. ANTONIVS LE GRAND *inſtitut. philoſoph part.* 9. *artic.* 6. *pag.* 490. MALEBRANCHIVS tamen, actionem quandam in mente admittere videtur. Motus enim in corpore mechanice per obiecti alicuius viſionem excitari, aſſerit, vnde ſequatur paſſio quaedam mentis, quae nos inclinet ad volendum ſeu adpetendum illud, quod corpori eſt vtile, de *inquirenda veritate lib.* 5. *cap.* 1. add. GEORGIVS WESENFELDIVS in *georg. animi & vitae cap.* 3. §. 7.

§. VIII.

Vt diſtinctius haec explicent, ſolent nonnulli ſequentia in omni adfectu obſeruare: primo, confuſam quandam perceptionem, qua mens obiectum aliquod vt gratum aut ingratum, percipit; deinde, intimiorem ſenſum, ſi impreſſio paulo vehementior, aut etiam diuturnior acceſſerit; tum, determinationem quandam aut niſum voluntatis, ſe vniendi cum obiecto grato, & a ſe remouendi ingratum. His denique accedit delectatio quaedam, quae omni adfectui, etiam iis, qui circa rem ingratam verſantur, vt odio, irae, ineſt. * Stoici in omni adfectu tres gradus obſeruare ſolebant: ** propenſionem, adſenſum ſeu *συγκατάθεσιν* & *ὁρμὴν*, qua de re iam alibi dictum.

* Ex hisce commotionibus mentis, quas indicauimus, prima & ſecunda, proprie eſt paſſio quaedam, tertia autem eſt actio, vltima iterum paſſio quaedam, accurate tamen loquendo, inter effectus potius ſeu conſequentia adſectuum, numeranda. Iuxta nonnullos altera illa commotio, ſeu intimior ille ſenſus, quo mens perfunditur, cum obiectum, adſectum excitare aptum, adeſt, illud, quod praecipuum eſt in adſectu, abſoluit, & *κατ᾽ ἐξοχὴν* nomen adſectus ac paſſionis, promeretur. Sed cum validas ſuae non adſerant ſententiae rationes, & ipſis fatentibus in omni adſectu proprie ſic dicto, commotio quaedam actiua acce-

dat,

dat, nomina quoque adſectuum, amoris, odii, irae &c. actionem potius, quam paſſionem omnium conſenſu, ſuffragante etiam experientia, denotent, de actiua potius iſta commotione dicere licebit, quod formaliter adſectum conſtituat, aut potius omnibus iſtis commotionibus iunctim ſumptis, adſectus nomen tribuendum, cum reuera in omni adſectu proprie ſic dicto adſint, licet quoslibet ſeorſim, ob ſummam motuum naturalium celeritatem, quae ex aliis etiam exemplis patet, obſeruare ſemper non liceat. conſ. MALEBRANCHE de *inquirend. verit. lib. 5. cap. 3. p. 18. ſeqq.* PHILARETVS *ethic. part. 1. cap. 6. §. 1. n. 7. p. 77.* WESENFELDIVS *georg. animi & vitae cap. 3. §. 7.*

** SENECA, *lib. 2. de ira, cap. 3. vt ſcias,* inquit, *quemadmodum incipiant adſectus, aut creſcant, aut efferantur, eſt primus motus non voluntarius, quaſi praeparatio adſectus, & quaedam comminatio, alter cum voluntate non contumaci, tertius motus eſt iam impotens, qui rationem euicit.* add. IVSTVS LIPSIVS *manuduct. ad philoſ. ſtoic. lib. 3. diſſert. 7.* Vbi primus quidem gradus videtur reſpondere ſecundae, quam nos conſtituimus, commotioni, intimiori ſcilicet ſenſui ex efficaci obiecti cuiusdam repraeſentatione orto: ſecundus & tertius ad actiuam, quam diximus, commotionem iure referuntur. Quin enim commotio iſta aut fortior aut lenior ſit, ſuosque gradus habeat, dubitari nulla ratione poteſt. Nec refragatus fuero, ſi & primum gradum ad actiuam iſtam mentis commotionem retuleris. Quidquid huius ſit, id potius obſeruandum, primum illum gradum, ſeu propenſionem, vti vocabant, Stoicos pro adſectu non habuiſſe. Vnde celebris illa, inter Stoicos & Peripateticos agitata quaeſtio, ſintne adſectus naturales, an voluntarii motus? diiudicanda, ex qua & altera pendebat, num tolli & eradicari adſectus poſſint & debeant, an vero ſatis ſit, intra ſuos eos coercere limites? Res omnis, vt aliae eiusdem generis controuerſiae, in meram tandem abibat λογομαχίαν. Stoici adſectus negabant eſſe naturales, eosque voluntarios eſſe contendebant, ſed vocem adſectus pro ſecundo & tertio gradu ſumebant. Primum gradum, ſeu primum motum, qui homine inuito etiam excitari poteſt, adſectus nomine non comprehendebant. Peripatetici contra de primis etiam diſputabant motibus, cum adſectus naturales eſſe aſſerebant. Et hinc, quid de altera quaeſtione cenſendum, patet, de qua tamen deinceps ex inſtituto. Adde, ſi placet, quae hac de re diximus in *diſſertat. 4. de erroribus Stoicorum in philoſophia morali, §. 4.*

§. IX.

Omnis praeterea motus procedit a termino a quo, & tendit ad terminum ad quem. Et ita in adſectibus quoque res ſe habet. Terminus a quo eſt *malum*, ſiue *priuatio boni*, terminus vero ad quem, eſt *bonum*, ſiue *priuatio mali.* Vnde ſua ſponte conſequitur, adſectum, accurate loquendo, ſemper in bonum, aut malum aliquod futurum, tendere. Namque natura & indoles motus, ſeu commotionis id poſtulat. * Et hinc porro colligitur, *dolorem & voluptatem, famam & ſitim, terrorem ſubitaneum, antipathiam* item ac *ſympathiam*, aliasque mentis commotiones mere paſſiuas. ** minime inter adſectus connumerandas eſſe.

* Qui aliter ſentiunt, perceptiones rerum gratarum & ingratarum, cum adſectibus confundunt. Dubium moueri poterat de adſectu laetitiae & triſtitiae: Cum illius obiectum iuxta vulgarem opinionem, ſit bonum aliquod praeſens, huius, malum aliquod praeſens. Sed quid ad hoc reſpondendum ſit, patebit, cum laetitiae & triſtitiae indolem ſpeciatim declarabimus.

** conſ. quae dixi, *element. philoſ. pract. part. 1. cap. 2 sect. 2. §. 38. ſeqq.* Probe autem obſeruandum, licet dolor, voluptas, ſitis, fames, & ſimiles perceptiones iucundae, aut moleſtae, proprie loquendo non ſint adſectus, facile tamen adſectibus occaſionem praebent: indeque fieri poteſt, vt cum adſectibus ipſis quandoque confundantur.

§. X.

§. X.

Inter cauſſas adfectuum, primum locum tenet, quae & proxima eſt, obiecti cuiusdam ſub ratione grati aut ingrati, repraeſentatio. Ea vero repraeſentatio, tum per ſenſus externos fit, tum per imaginationem. * Neque tantum per imagines rerum, quas ſenſibus percepimus, ſed quas ipſi nobis fingimus, adfectus, iique vehementiſſimi excitari poſſunt, vti iam ſupra obſeruauimus.

* Quod repraeſentatio obiecti per ſenſus externos facta, adfectus moueat, experientia omnes condocet. Ordinarie etiam longe vehementiores ſunt adfectus obiecto praeſente, quam eodem abſente, etſi per imaginationem repraeſentato. Quo diutius etiam & ſaepius obiectum praeſens eſt, eo vehementius non tantum adfectus concitatur, ſed maior pronitas ad eundem adfectum reſuſcitandum, contrahitur. Id quod in vitae quoque chriſtianae praxi ſedulo obſeruandum. Qui enim tentationes ex prauis adfectibus vincere cupiunt, obiecta remoueant vel euitent neceſſe eſt, quae prauos excitare adfectus poſſunt, niſi operam, quod aiunt, oleumque perdere velint. Imprudentiſſimi ſunt mortalium, qui obiecta eiusmodi non tantum non euitant, ſed ſtudioſe quandoque quaerunt, & tum de humana imbecillitate, quod per eam prauis adfectibus reſiſtere nequeant, conqueruntur. Ad imaginationem quod attinet, per eam non tantum obiecta, quae ſenſibus percepimus, ſed & quae ipſi fingimus, repraeſentari, iam ſupra obſeruauimus: & his non minus quam illis adfectus quam vehementiſſime moueri, certiſſimum eſt. Sic in iram concitari homines videas, ſupponentes, ſi alicuius rei poſſeſſione potiantur, & ſuper ea forte cum aliquo dimicandum eſſet, cum vtrumque incertum, imo merum adhuc ſit non-ens. Latius iſte morbus hominum ſe diffundit, quam cogitari poteſt, & peccatis quamplurimis occaſionem praebet. Exiſtimare etiam aliquis poſſet, Stoicis hinc anſam ſuppeditatam, vt adfectus in *opinionibus* conſiſtere, exiſtimarent: cauſſam adfectus, cum adfectu ipſo confundentes, *conf.* PHILARETVS *ethic. part. 1. cap. 6. §. 1. pag. 75.* Hinc prauas eiicere opiniones, rectas contra de rebus omnibus habere, praeſtantiſſimum adfectuum remedium, putabant. M. AVRELIVS ANTONINVS imperator & philoſophus: πᾶν ὑπόληψις, *in opinione ſita ſunt omnia, lib. 1. §. 15.* Aeque ac SENECA: *omnia ex opinione ſuſpenſa ſunt: epiſt. 78.* Iterum ANTONINVS: τὴν ὑποληπτικὴν δύναμιν σέβε, *facultatem opinatricem venerare. In hoc enim ſita ſunt omnia, vt menti tuae nulla inſit cogitatio, quae vel naturae, vel animantis ratione praediti, conditioni non ſit conſentanea. lib. 3 §. 9.* Et alibi: *ſi propter extraneam aliquam rem perturbaris, non illa tibi, ſed tuum de ea iudicium* (h. e. opinio, namque & hanc κρίμα, *item* κρίσιν, adpellitare ſolent) *moleſtiam adfert: id vero vt aboleas, in tua eſt poteſtate &c. lib. 8. § 4* Et *lib. 12. §. 20. eiice opinionem,* βάλε ἔξω τὴν ὑπόληψιν *& ſaluus es, nemo id prohibebit* Sic & EPICTETVS: ἐφ' ἡμῖν ὑπόληψις, *in noſtra poteſtate eſt opinio, enchirid. cap. 1.* add. THOMAS GATAKERVS ad *Antonini lib. 2. §. 15. & lib. 3. §. 9.* Opiniones vero, ſeu peruerſas imaginationis repraeſentationes eiicere, an ſimpliciter in noſtra poteſtate ſit, vt Stoici contendebant, diiudicandum ex illis, quae ſupra de imaginatione diximus.

§. XI.

Imaginationis autem cum magna ſit diuerſitas, nec vno eodemque apud omnes ſe habeat modo, ratio inde patet, cur ex vnius eiusdemque obiecti repraeſentatione, diuerſi oriantur adfectus. Cuius diuerſitatis cauſſae, tum aliunde, tum ex determinatione imaginationis, in infantia facta, repetendae. * Quemadmodum & ea imaginatio-

nis

Digitized by Google

nis euenire mutatio poteſt, vt eiusdem obiecti repraeſentatio, in vno eodemque homine, effectum contrarium producat.

* Qui enim per primam obiecti impreſſionem excitati ſunt adfectus, recurrere ſolent, eodem iterum nobis oblato. Prima autem impreſſio variare poteſt, tum pro aliarum circumſtantiarum varietate, tum maxime pro varia cerebri conſtitutione, ſiue haec in vtero materno, quod ſaepiſſime contingit, ſiue conſuetudine, ſiue caſu aliquo fuerit contracta. Et haec praecipua ratio eſſe videtur, (conſtat enim, alias etiam quandoque concurrere cauſſas) cur vnius eiusdemque obiecti repraeſentatio, apud diuerſos homines, diuerſos producat adfectus. Sic quod amorem incendit apud vnum, alterum ad odium concitat. Hoſtis adſpectus alteri iniicit metum, alterum ad iram & vindictam inflammat, & ſic porro. Quod in vno eodemque homine mutatio eiusmodi contingere poſſit, vt, quae primum grata fuerint, mox ingrata ſint, vt odium excitent, quae ad ſui amorem nos antea mouerunt, &c. experientia quoque omnes condocere poteſt.

§. XII.

Repraeſentatio etiam obiecti ſub ratione grati aut ingrati, fieri debet cum relatione quadam ad nos ipſos. * Bonum namque, aut malum aliquod, ſiue verum ſit, ſiue apparens, ſi nos ipſos non afficiat. ſiue reuera, ſiue ſecundum opinionem noſtram, nos minime mouebit. Saepius namque ex mera opinione, ſeu imaginatione, oriri, vt aliquid pro bono reputemus, idque adeo gratum nobis exiſtat, ex iam dictis conſtat. Adfectum autem non oriri, niſi ad nos ipſos haec bona aut mala, ſiue ex vero, ſiue per vanam perſuaſionem referamus, & experientia quemuis docet, & philautiae, quae innata omnibus eſt, ratio ſuadet.

* Etiamſi enim aliquando malis aut bonis aliorum commoueri videamur, re tamen accuratius expenſa, deprehendemus, ſemper relationem quandam ad nos ipſos, latitare. Id quod in adfectu commiſerationis, inuidiae, ſimilibusque, luculenter conſpicitur. Ceterum cum hodie homines inordinato amore ſui laborent, non poſſunt non ex relatiuo hoc obiectorum intuitu, multi adfectus praui & illiciti oriri. Hinc enim contingit, vt multa vtilia nobis, iucunda, honorifica credamus, quae maximum damnum, dolorem, dedecus afferunt. Hinc etiam contingit, vt in relatione iſta, ad eas ſaltem, aut praecipue, attendamus circumſtantias, quae augendae paſſioni inſeruiunt, & quae alia ſunt eiusdem generis, notata quoque WESENFELDIO, in *georg. animi & vitae cap.* 3. §. 11. 12. Quarum quidem obſeruationum, in adfectuum regimine, adeoque & vitae chriſtianae praxi, vſus maximus eſt, & longe ampliſſimus.

§. XIII.

Ceterum ex iſta, quam deſcripſimus, animi commotione, varii ſequuntur effectus. Statim enim cum ea coniunctus eſt, motus extraordinarius ſanguinis, * & ſpirituum animalium. Vnde alii rurſus effectus, tum in corpore, tum in mente conſequuntur. Et in corpore quidem, membrorum quorundam poſitus ſingularis conſpicitur, adfectui reſpondens. ** Eo vultus cumprimis pertinet mutatio, in cuius lineamentis, adfectus ſignum ſaepius tam luculenter conſpicitur, vt ad eum occultandum, omnem fruſtra adhibueris diligentiam. Sic &

membra

membra quaedam diſponuntur ad id agendum, quod adfectui eſt conueniens, idque non ſine luculentiſſimo diuinae prouidentiae documento.

* Non tamen in omnibus adfectibus vnus idemque eſt ſanguinis ac ſpirituum motus: ſed alius in amore, alius in odio, alius in laetitia, alius in triſtitia, & ſic porro. In motuum iſtorum diuerſitate explicanda, ſtudium operamque ſuam collocarunt philoſophi: legendusque ea de re prae caeteris eſt DE LA CHAMBRE, *dans les charactéres des paſſions &c.*

** Exempli loco eſſe poſſunt iſta SENECAE, quibus membrorum poſitum, qualis in ira vehementiori eſſe ſolet, eleganter deſcribit: *audax, & minax vultus, triſtis frons, citatus gradus, inquietae manus, color verſus, crebra & vehementius acta ſuſpiria, iraſcentium ſigna ſunt. Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exaeſtuante ab imis praecordiis ſanguine. Labia quatiuntur, horrent & ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus, & ſtridens articulorum ſeipſos torquentium ſonus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis vocibus ſermo praeruptus, & comploſae ſaepius manus, & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens &c. lib. 1. de ira cap. 1.* Eadem ratione & reliquorum adfectuum, praeſertim ſi vehementiores fuerint, ſigna quaedam externa in corpore deprehenduntur. In vultus autem lineamentis, quod mutatio quaedam ſequatur, vel pictoribus exploratum eſt, qui haud extremam artis ſuae partem exiſtimant, adfectuum, quae in vultu hominum adpatent, recte exprimere ſigna poſſe. Sed vti diximus, externa iſta tum maxime conſpiciuntur ſigna, cum adfectus fuerint vehementiores: nec in omnibus vna eademque ratione comparent, quod vel irae exemplo patet, quae diuerſimode ſe exerit apud diuerſos.

§. XIV.

Sed in mente quoque varii adfectuum ſe exerunt effectus. Per eos enim velut caligo quaedam intellectui offunditur, vt perſpicere rei veritatem non valeat, longeque aliter iudicet, quam cum iudicare oportebat. * Quod ſi ſaepius contingat, habitualis tandem quaedam diſpoſitio ad praue de rebus quibusdam iudicandum contrahitur, ceſſante etiam adfectu, remanens. Id quod de voluntate itidem obſeruandum, poſſe ſcilicet & in ea, per adfectus ſaepius repetitos, habitualem quandam produci diſpoſitionem, & procliuitatem ad ſimiles adfectus, obiectis licet, quae eiusmodi adfectus concitare ſolent, remotis.

* Quod de ira dici ſolet: *impedit ira animum, ne poſſis cernere verum,* de omni adfectu longe eſt veriſſimum. Praeclare CICERO: *quemadmodum oculus conturbatus non eſt probe adfectus ad ſuum munus fungendum, & reliquae partes totumque corpus a ſtatu cum eſt motum, deeſt officio ſuo & muneri: ſic conturbatus animus non eſt aptus ad exequendum munus ſuum; Tuſcul. quaeſt. lib. 3. p. m. 1133.* Qui amore erga alios homines, aut res quaspiam incenſi ſunt, ita ſubinde exoecantur, vt naeuos, defectus, vitia eorum nulla ratione cernere queant. Et rurſus, qui alios homines, aut res quasdam odio proſequuntur, nihil in iis quod laude dignum ſit, ſibi deprehendere videntur. In amicis, aut rebus, quas amamus, placent omnia: in inimicis, aut rebus, quas odio proſequimur, omnia diſplicent. Hinc errorum infinita ſeges. Si quis certae in religione ſectae addictus ſit, & cauſſae adſint, quae vt eam ſectam amet, efficiunt, nihil tam abſonum, ineptum, turpe, cum ratione aut verbo diuino pugnans, in ea deprehendetur, quod non laudabile, aut ad minimum excuſabile cenſeat. Contra, ſi quis contra homines ſectae quae diſplicet, addictos, odio incenſus ſit, nihil niſi impium, execrabile, ſtultum, in iis ſibi deprehendere videbitur. Videas hinc viros alioqui iudicio pollentes, homines vix mediocriter doctos, ceu rara & excellenti eruditione praeditos euehere, quod amoris adfectus cuncta exaggeret, & alios rurſus etſi doctiſſimos

contemnere, quod displiceant, & in illorum ſe inſinuare fauorem non didicerint. Pleraque ſane de rebus ſacris & ad religionem ſpectantibus, de rebus itidem literariis, de aliorum hominum virtutibus, eruditione, ſcriptis, iudicia, adfectum quendam comitem habent: hinc & pleraque falſa ſunt, nec iuſtum hominibus, aut rebus, aut libris pretium ſtatuunt. Vnde quam late iſte intellectus morbus, quem adfectus illi adferunt, per omnem rem eccleſiaſticam, ciuilem, litterariam, ſe diffundat, quilibet intelligit. Hinc & logicae artis magiſtri, praeiudiciorum plurimorum fontem in adfectibus quaerendum eſſe, iampridem docuerunt.

§. XV.

Licet autem adfectus, prout poſt lapſum ſe habent, humanae imbecillitatis ſint documenta, * commoda tamen etiam quaedam ex accidenti adferunt, & hac ratione diuinae prouidentiae argumentum luculentiſſimum praebent. Namque & conſeruandae ſanitati interdum inſeruiunt; & ad ea, quae ratio vtilia & ſalutaria eſſe dictitat, hominem quandoque exſtimulant; plurimum denique ad vitam ſocialem conferunt. Sine adfectibus enim homo ſi eſſet, nec poenis nec praemiis, adeoque nec legibus fere ipſis, locus eſſet, certe ratio non ſupereſſet, qua ad legum obſeruantiam cogi homines atque compelli poſſent. ** Quod vero etiam ſua incommoda grauiſſima habeant, & intimam humanae naturae corruptionem apertiſſime prodant, ex dicendis conſtabit.

* Dicetur hac de re ex inſtituto deinceps §. 41. *ſeqq.*

** Diſtinctius adfectuum commoda ab aliis ita enarrari ſolent, quod tum ad conſeruationem, tum ad felicitatem hominis aliquid conferant. Ad conſeruationem conferunt aliquid aut per ſe, aut per accidens. Per ſe aliquid eo conferunt, dum indicationes quaedam naturales ſunt eorum, quae vitae animali conueniunt; dum vrgentes ſtimuli ſunt, qui homines impellunt ad ea, quae conſeruationi eius conducunt, ſuſcipienda; & denique quod corpus eiusque membra ad eos componunt motus, qui rerum vtilium proſecutioni inſeruiant. Per accidens ad hominis conſeruationem aliquid conferunt, dum & tuendae ſanitati quandoque inſeruiunt. Vehementi namque ſpirituum agitatione in homine microcoſmo idem praeſtare videntur, quod venti maiori in mundo. Quemadmodum enim hi aërem expurgant, ita illi ſanguinem quaſi ventilant, ne ſtagnans putreſcat. Sed ad vniuerſi quoque generis humani conſeruationem conducere adfectus contendunt, dum ad eius propagationem homines impellunt. Porro ad felicitatem hominis eos facere autumant, dum animum diſponunt ad expetendum, quae ratio dictitet eſſe vtilia. Vnde PLATO, adfectus *animi alas & quadrigas*, vocauerit. Hinc, etſi in conſilium rerum agendarum admitti non debeant, ratione, non adfectu, eum in vſum data, conſiliorum tamen executioni, interuenire eos poſſe atque debere. Quo ſenſu Peripatetici adfectus dixerint, *ardores animorum, cotesque virtutum.* Huc illud quoque LACTANTII pertinet, *lib. 6. diuin. inſtitut. cap. 15. Adfectus, velut vbertas eſt naturalis. Ad quam cum verus cultor acceſſerit, ſtatim cedentibus vitiis, fruges virtutis oriuntur. Deus itaque cum hominem primum fingeret, mirabili prouidentia ingenerauit ei prius iſtas animi commotiones, vt poſſet capere virtutem.* Denique & hoc addunt, ad externam omnium hominum facere felicitatem adfectus, dum ad ſocietates ineundas eos extimulent, earundemque vincula exiſtant. Haec ſimiliaque ad oſtendenda adfectuum commoda, vulgo adferri in medium ſolent: quae tamen cum grano quodam ſalis ſunt accipienda. Primo namque non de omnibus, ſed de quibusdam ſaltem

tem adfectibus, quae dicta ſunt, admitti poſſunt. Quidam enim adfectus & conſeruationi & felicitati tum ſingulorum hominum, tum humani generis, per ſe & e diametro aduerſantur. Deinde, qui vtiles & ſalutares eſſe videntur, noxii ſubinde fiunt, ſi modum excedant. Porro, vt legitima ratione ſubigantur dirigantu rque adfectus, non eſt poſitum in hominis naturalis ſibique relicti arbitrio, ſed eſt diuinae gratiae opus. Ex adfectibus autem exorbitantibus longe maiora & frequentiora inter homines exiſtunt damna. Deſtruunt ſanitatem, accelerant mortem, turbant pacem & tranquillitatem priuatam & publicam, ſunt litium, bellorum, tumultuum, variarumque calamitatum cauſſae, &c. Praecipue vero notandum, quod virtutes, quae ex adfectibus, praeſertim in hominibus irregenitis, procedunt, non ſint verae virtutes, ſed ſplendida vitia, quae virtutum ſaltem ſpeciem mentiuntur, vt ex dicendis conſtabit luculentius.

§. XVI.

Solent adfectus in *primitiuos & deriuatiuos* diſpeſci. De primitiuorum adfectuum numero, non vna eademque virorum doctorum eſt ſententia. * Sed rem omnem accuratius penſitantes, agnoſcent, duos ſaltem conſtitui poſſe adfectus primitiuos, *adpetitum* ſeu *amorem*, *& auerſationem* ſeu *odium*. Idque inde patet, quia obiectum generale omnium adfectuum, aut ***bonum*** aliquod eſt, aut *malum, gratum*, aut *ingratum*. Si ergo in bonum aliquod feratur adpetitus, vocabitur *amor*, ** ſin in malum, vt illud *auerſetur* & a ſe remoueat, vocabitur *odium*. Idemque docet adfectuum omnium inductio. Quocunque enim nomine veniant, amorem in iis deprehendes vel odium, differentia aut ab obiecto peculiari, aut ex certa, quae accedit, relatione, aut ex gradu vehementiori, vel leniori, deſumenda. Vnde & conſtat, deriuatiuos, quos vocant, adfectus, nihil aliud eſſe, quam certas amoris aut odii modificationes.

* Stoici quatuor principes adfectus ſtatuebant, *laetitiam*, *triſtitiam*, *deſiderium* ſiue *cupiditatem fugam* ſiue *abominationem*. vid. CICERO *lib.* 4. *quaeſtion. Tuſculan.* BOETHIVS *lib.* 1. *conſolat. philoſoph. metr.* 7. add. LACTANTIVS *lib.* 6. *diuinar. inſtitut. cap.* 15. AVGVSTINVS *lib.* 14. *de ciuit. Dei cap.* 3. EPICVRVS tres praecipuos adfectus ſtatuit, *laetitiam*, *dolorem*, *cupiditatem*, qua de re in *ſyntagmate philoſoph. epicuraeae*, legendus PETRVS GASSENDVS. Scholaſtici vndecim adfectus numerant, quorum ſex in appetitu concupiſcibili, quinque in iraſcibili reperiri, contendunt. In concupiſcibili tres, qui pro obiecto bonum aliquod habeant, idque vel in ſe & abſolute ſpectatum, vnde *amor*, vel vt abſens, vnde *deſiderium* ſiue *concupiſcentia*, vel denique vt praeſens, vnde *gaudium* ſiue *delectatio*; & tres, qui pro obiecto malum aliquod habeant, idque iterum vel abſolute tale, vnde *odium*, vel vt abſens conſideratum, vnde *fuga* ſiue *auerſatio rei*, aut denique quatenus praeſens eſt, vnde *dolor* ſiue *triſtitia*. In adpetitu, quem vocant, iraſcibili quinque collocant, tres ratione boni, vt *ſpem*, *audaciam*, *iram*, duos ratione mali, *deſperationem* & *metum*. vid. LAELIVS PEREGRINVS de *adfectibus cap.* 5. CONTARENVS de *tranquillitate humana lib.* 2. *cap.* 1. aliique. RENATVS CARTESIVS ſex paſſiones primitiuas ſtatuit, *admirationem*, *amorem*, *odium*, *cupiditatem laetitiam*, *moerorem*, de *paſſionibus*, *part.* 2. §. 69. Quas quidem ad tres adfectus reſtringit HENRICVS MORVS, *admirationem* ſcilicet *amorem* & *odium*, in *enchirid. ethic. pag.* 29. VINCENTIVS PLACCIVS duos adfectus principales conſtituit, *reſolutionem* & *irreſolutionem*, in *acceſſionibus ethic.* & quidem *phyſiol. cap.* 4. §. 12. Rectiſ-

ſime

Digitized by Google

ſine equidem WOLFGANGVS HEIDERVS pronuntiat, adfectus numerare velle, apteque diſponere, rem eſſe laboris plurimi, & ſucceſſus incerti, *ſyſtem. philoſoph. moral. part. 2. pag.* 326. Nihil tamen obſtat, quo minus ad duos adfectus principes, *amorem* & *odium*, ceteri omnes reuocentur. Reliqui ſane, qui aut alios, aut plures adfectus primitiuos conſtituunt, eorum numerum ſine neceſſitate multiplicant, dum pro adfectibus habent paſſiones aut motus, qui tamen inter adfectus minime ſunt connumerandi, aut inter primitiuos referunt, qui inter deriuatiuos erant collocandi. Id quod facile exemplo adfectuum primitiuorum, quos CARTESIVS conſtituit, demonſtrari poteſt. Scholaſticorum enim commenta de numero & partitione adfectuum, indigna ſunt, quae refutentur. Admirationem ſcilicet perperam inter adfectus referri, cum aliunde, tum inde etiam patet, quod ad intellectum pertineat, adfectus autem proprie ſic dictos in voluntate ſedem habere, iam ſupra demonſtrauimus conſ. quae diximus in *element. philoſ. pract. part.* 1. *c.* 2. *ſect.* 2. §. 46. Reliquos CARTESII adfectus primitiuos, ad duos hoſce, amorem & odium, reduci poſſe, iam probe intellexit HENRICVS MORVS *l. c.* Et laetitiam ſane ac triſtitiam inter adfectus deriuatiuos referendas eſſe, ex dicendis conſtabit. Cupiditas eſt extra controuerſiam amoris ſpecies, & ab obiecto, quod amamus, quoue potiri cupimus, ſpecialem denominationem ſortitur, vt exemplo adfectus auaritiae, voluptatis, &c patet. Ideoque & ſupernacaneum duximus, locum peculiarem inter adfectus, cupiditati, aſſignare. Duo itaque ſaltem relinquuntur adfectus principes & primitiui, *amor* & *odium*. Et haec ſententia rationibus etiam in theſi iam allatis vlterius confirmatur, quarum altera ab obiecto duplici omnium adfectuum, altera ab inductione, qua conſtet, adfectus deriuatiuos nihil aliud eſſe, quam certas amoris & odii modificationes, deſumpta eſt. add. ARNOLDI WESENFELDII *georg. animi & vitae part.* 2. *cap.* 1 §. 5. Ex theologis proxime ad noſtram ſententiam accedit IVSTVS CHRISTOPHORVS SCHOMERVS, *theol. moral. cap.* 4. §. 25. Dubium equidem hic oriri poſſet, quod cum amore odium, & vice verſa cum odio amor, ſemper coniunctus eſſe videatur. Ita namque eſt, dum gratam ſeu bonam rem amamus, non poſſumus non abſentiam eius odiſſe, & vice verſa. Vnde colligere aliquis poſſet, vnicum ſaltem eſſe adfectum principem. Enimuero, licet iſti motus coniuncti ſint, ſunt tamen diuerſi, mentemque aliter adficiunt, vnde ab eo, qui praeponderat, adfectus recte denominationem ſortitur. conſ. *element. philoſoph. pract. part.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 2. §. 60.

** Vt eo rectius, quae dicuntur, intelligantur, quid *amoris* & *odii* nomine hic nobis veniat, paucis explicandum. Sumitur namque vox *amoris* primo pro habituali quadam propenſione ad aliquid amandum, prouti ſupra eam vocem accepimus. Deinde pro adfectu, cum actu eiusmodi motus in mente exiſtit, quo incitatur ad ſe cum obiecto aliquo bono vniendum. Denique in ſpecie pro amore libidinoſo ea vox accipitur, quae apud poetas, aliosque, frequens eſt ſignificatio. Prima & vltima ſignificatio hic in cenſum non veniunt, ſed media: at ita, vt in hac quoque ſignificatione abſtracte velut amor conſideretur, cum concrete ſpectatus nunquam ſit ſine aliqua determinatione aut modificatione, vnde & nomen ſpeciale adfectus cuiusdam deriuatiui ſortitur. Interim ſi ita generatim amor vt adfectus conſideretur, conueniunt ei, quae adfectibus omnibus ſunt communia: ſpeciatim tamen excitatur per repraeſentationem obiecti ſub ratione grati; vnde qui in mente oritur motus, tendit ad vnionem cum iſto obiecto, adeoque & amor *adfectus vnionis* vocari ſolet, hinc & motus ſanguinis expanſiuus ordinarie in eodem ſequitur. In odio, omnia contrario modo ſeſe habent. Repraeſentatio fit ſub ratione ingrati, vnde qui ſequitur motus mentis, eſt *motus ſeparationis*, quo obiectum fugimus, & nos velut ab eo remouere annitimur: ſanguisque ideo etiam plerumque a partibus corporis externis, ad cor retrahitur. Vnde quodnam inter amorem & odium intercedat diſcrimen, adparet.

§. XVII.

§. XVII.

Si ergo obiecta varia adfectuum ſpectes, magna hinc amoris odiique diuerſitas, plurimique adeo adfectus deriuatiui. Bonum namque, in quod fertur amor, vel *verum* eſt, vel *adparens.* * Adparens ſub ratione vel *decori,* vel *vtilis,* vel *iucundi* exhibetur: vnde adfectus *ambitionis, auaritiae, voluptatis.*

* Iſtam, quae ex obiecti diuerſitate oritur, adfectuum differentiam, pauci attingunt, cum tamen vel maxime vt ad eam attendamus, mereatur. Sed vt recte, quae dicta ſunt, intelligantur, obſeruandum, diſcrimen inter bonum verum & adparens, non ſemper tantum ab obiecto, ſed ſimul etiam a modo, quo homines circa obiectum iſtud verſantur, pendere. Quae ſua natura illicita ſunt, nec amari vlla ratione debent, ſemper ſunt bona apparentia: perniciem quippe adferunt, quamcunque etiam boni ſpeciem prae ſe ferant. Contra ſunt quaedam, quae ſi legitimo modo & ordine adpetantur, homini reuera proſunt, cum noceant contra, ſi immoderate & cum exceſſu adpetantur. Et haec aut in verorum, aut adparentium bonorum claſſem referenda ſunt, pro diuerſo iſto, qui inter ea & adpetentem, intercedit reſpectu. Accurate haec ſi aeſtimes, emendatae voluntatis hominibus multa bona vera erunt, quae reliquis ſunt adparentia. Et in hos ſolos etiam eiusmodi adfectus cadunt, qui circa bonum honeſtum verſantur, adeoque innoxii ſunt, & minime vituperabiles. Cum vero eorum bonorum, quae legitima & honeſta ratione amantur, magna iterum ſit varietas, adfectus quoque varios & multiplices hinc iterum oriri neceſſe eſt: qui rurſus & in eo a ſe inuicem differunt, quod in quibusdam bonum illud honeſtum ſimul habere queat rationem aut iucundi, aut vtilis, aut decori. Licet enim bonum verum & honeſtum in ſe vnum ſit, diuerſo tamen reſpectu exhiberi & repraeſentari poteſt. Bonum autem adparens etſi varium ſit & multiplex, ad tres tamen claſſes omnia, quae homines mouent, reuocari poſſunt, vt iam ſupra pluribus a nobis eſt demonſtratum. Quaedam enim decora ſeu honorifica, hoc eſt, ἐξοχὴν quandam prae aliis adferentia nobis videntur, quaedam vtilia, quaedam autem delectantia. Vnde vt tres propenſiones, ita e iam tres adfectus in hoc genere principales oriuntur, *ambitio, auaritia,* & *voluptatis cupiditas.* Cumque quodlibet ſingulorum iſtorum adfectuum obiectum in varias ſpecies iterum abeat, inſignem iterum adfectuum ſpecialium varietatem, in ſe oriri neceſſe eſt. Vt quae diximus eo rectius intelligantur, exemplo *ambitionis,* ea declarabimus. Adfectum ambitionis, ab inclinatione ad ambitionem, ſedulo diſtinguendum eſſe, recte iam obſeruauit MALEBRANCHIVS de *inquir. verit. lib. 5. cap. 2. pag.* 14. Idemque agnoſcit STEPHANVS CHAVVIN. *in lexic. philoſoph. voc. ambitio,* vbi eam deſcribit per cupiditatem, ſiue eam animi paſſionem, quae honores ac dignitates, nimiopere, ac inordinate, adpetit. Accuratius ſi hunc adfectum conſiderare velis, notandae primo eſſent cauſſae remotae, quas inter eminet temperamentum corporis cholericum, quanquam educatio, conſuetudo, conuerſatio, & aliae cauſſae morales, plurimum huc conferant. Cauſſa proxima eſt repraeſentatio obiecti ſub ea ratione, qua ἐξοχὴν & eminentiam quandam prae aliis, nobis tribuere queamus. Cumque ea quae eiusmodi ἐξοχὴν conciliant, vt imperium, honor, laus &c. ita comparata eſſe videantur, vt intellectu ſaltem percipi, non imaginatione repraeſentari queant, dubium equidem circa repraeſentationis modum ſuboriri poſſet. Quod tamen ſtatim euaneſcet, ſi cogitemus, externa imperii, honoris, dignitatis, laudis, ſigna imaginatione facile exhiberi poſſe, quibus etiam vel maxime homines ambitionis oeſtro percitos delectari, conſtat. Quae quidem ſigna, vt & ipſa obiecta ambitionis, vti varia admodum ſunt, ita non vna eademque ratione apud omnes ambitionis ſe exerere adfectum, palam eſt. Ex repraeſentatione obiecti, quodcunque demum illud ſit, certa mentis oritur commotio, praeuium habens ſenſum aliquem gratum, quem reipſa percipere rectius, quam verbis exprimere licet, qui tamen a ſenſu, quem alii adfectus efficiunt, maximopere differt. Tandem & certus ſanguinis ac ſpiri-

tuum animalium hinc ſequitur,motus, quem determinare difficile eſt. Interim ambitionis ſigna in corpore, praeſertim vultu conſpiciuntur, dum magno ſupercilio contemnere alios videntur, qui hocce adfectu aguntur in tranſuorſum. Haec ſpecimis loco ſunto, vt intelligatur, quo pacto in reliquorum adfectuum natura & indole inueſtiganda, ſit procedendum.

§. XVIII.

Porro obiectum amoris, tum alios homines, tum res reliquas amorem concitare aptas, ſub ſe complectitur. Aliorum hominum, cum diuerſus ad nos reſpectus ſit, amor inde vel *beneuolentiae*, vel *amicitiae*, vel *deuotionis*, dicitur. * Beneuolentiae quidem, ſi inferioris conditionis ſit, quem amamus, amicitiae, ſi aequalis ſit, & denique deuotionis, ſi ſit ſuperior. De odio id pariter intelligendum, quod de amore diximus.

* Diuerſas hasce amoris, pro adfectu ſumpti, ſpecies conſtituit RENATVS CARTESIVS de *paſſionibus part.* 2. §. 83. quem plerique ex hac ſchola ſequuntur. Diſplicet tamen haec amoris partitio ARNOLDO WESENFELDIO, primo, quod beneuolentia tantum effectus amoris ſit, qui per omnes eius ſpecies ſe diffundat; deinde quod aequalitas exiſtimationis, neutiquam faciat amicitiam; denique, quod exiſtimatio iſta, qua aliquem pluris facimus, admirationis ſoboles ſit, nec cum natura amoris connecti poſſit: in *georgic. animi & vitae, part.* 2. *cap.* 9. §. 4. & 5. Haec vero me nondum commouent, vt eam prorſus reiiciendam eſſe ſententiam, exiſtimem. Beneuolentiae enim vox diuerſimode accipitur, & praeter propenſionem ad benefaciendum iis, quos amamus, quae pro effectu omnis amoris cenſeri poteſt, etiam aliquid amori ſuperiorum erga inferiores proprium, ſignificat, quamuis & plerumque ſuperiores tantum inferioribus benefacere queant. Quod aequalitas exiſtimationis non ſemper ad amicitiam requiratur, concedo. Quia tamen ordinarie amicitia eſt aequalium, nihil obſtat, quo minus amor aequalium, dicatur amor amicitiae. Cum vero negat auctor, exiſtimationem cum natura amoris connecti poſſe, quid ſibi velit, non ſatis capio. Quod enim exiſtimatio, ſeu iudicium de iis, quos amamus, modificationem quandam amoris efficiat, ipſa experientia docet. Nec conceſſerim, exiſtimationem eſſe filiam admirationis. Ceterum haec amoris pro adfectu ſumti partitio, facile conciliari poteſt cum diuiſione amoris ſumti pro propenſione habituali, cuius ſupra *ſect.* 4 §. 116. mentionem iniecimus. Adfectus enim propenſionibus quodammodo reſpondent: cum, ſi propenſiones in actum erumpant, adfectus inde oriantur. Nimirum, amor concupiſcentiae reſpondebit quodammodo amori rerum, vt amor complacentiae quadantenus amori perſonarum, quanquam & hae amore concupiſcentiae amari poſſint, vti ſupra dictum. Interim ſi tantum ad perſonas amor complacentiae referatur, pro diuerſo reſpectu, qui inter nos & eos quos amamus intercedit, erit vel *beneuolentiae* vel *amicitiae*, vel *deuotionis*, qui & obedientiae, dici poteſt. Supra equidem amoris amicitiae, & deuotionis ſeu obedientiae, tantum mentionem fecimus; ſed ratio eſt, quia ibi ſpeciatim de amore Dei ſermo erat, quem ſicuti neutiquam tanquam inferiorem homines vnquam ſpectare poſſunt, ita amor beneuolentiae ex parte hominia, ibi locum inuenire non poterat.

§. XIX.

Quod ſi ad amorem aut odium, accedat iudicium, de facilitate vel difficultate bonum aliquod obtinendi, aut malum imminens remouendi, oritur inde *ſpes, metus, laetitia* & *triſtitia*. Cum enim bonum, quod amamus, nos facile obtinere poſſe credimus, amor iſte voca-

vocatur *ſpes*, * quod ſi poſſeſſio eius iam immineat, aut poſſeſſionis continuatio, *laetitia* dicitur. Aut enim inter adfectus non eſt referenda, aut haec illi adſignanda eſt notio. ** Spei *metus* *** opponitur, ſi difficultas quaedam aut obtinendi bonum, aut declinandi malum, ſe exerat; quod ſi nulla adſit ratio aut obtinendi bonum, aut declinandi malum, aut *deſperatio*, **** inde oritur, violenta media eluctandi quaerens, aut *triſtitia*. * Atque in hiſce, vt eminentior gradus metus conſpicitur, ita ex eminentiori gradu ſpei, *fiducia* oritur, atque *ſecuritas*. ** Si laetitia cum vehementiori motu ſit coniuncta, cauſſa eius inopinato nobis allata, *conſternatio*, gignitur, *** *terror* autem & *trepidatio*, ſi idem in triſtitia contingat.

* Recentiores quidam docent, ſpem eſſe adfectum mixtum ex laetitia & cupiditate. conf. PHILARETVS *ethic. part.* 1. *cap.* 7. §. 6. Sed perperam. Concedunt enim, ſpem verſari circa bonum futurum: fatentur quoque, laetitiam occupari circa bonum praeſens. Qui ergo laetitia poteſt ſpem progignere? Praeterea, cur cupiditati locum inter adfectus primitiuos non concedamus, iam ſupra diximus. Ceterum cum ſpes praecipue ab opinione pendeat, quam de facilitate bonum aliquod impetrandi fouemus, & vero quo minus homines iudicio pollent, eo facilius ſibi perſuadeant, ſe bonum aliquod, quod concupiſcunt, obtinere poſſe, ratio inde patet, cur iuuenes, foeminae, hominesque temperamento ſanguineo praediti, ad ſpem facili negotio animo concipiendam, prae reliquis proni ſint. Non enim eo pollent iudicio, vt difficultates omnes, quae obſtant, perſpicere valeant: hinc multa facillime impetrari poſſe credunt, quae tamen difficulter obtinentur. Quae cauſſae ſpei ſint, tum proxima, tum remota, quiue effectus, ex dictis fere colligi poteſt: quae & ſi probe obſeruentur, reliqua, quae paſſim circa hunc adfectum occurrunt phaenomena, explicare haud difficile fuerit.

** Supra enim obſeruauimus, omnem adfectum proprie ſic dictum, tendere in bonum aliquod aut malum futurum. Et ſane cum bonum aut malum praeſens eſt, tendentia ad bonum, & fuga a malo locum non habet, adeoque nulla eſt animi commotio, ſeu adfectus, ſed potius quies quaedam. Si ergo laetitiam, vt vulgo fit, definiueris per adfectum, qui verſatur circa bonum aliquod praeſens, perperam laetitiam inter adfectus referes. Ex bono praeſenti voluptatem quandam homines capere, verum eſt: haec autem voluptas, cum maxima animi tranquillitate ſubinde coniuncta, non eſt adfectus. Quodſi igitur laetitia inter adfectus referenda fuerit, tum vti dictum, pro obiecto habebit aut bonum aliquod iamiam imminens, aut eius, cuius iam adepti poſſeſſionem ſumus, continuationem. Et haec ni fallor notio, cum ea, quam plerique homines huic adfectui tribuunt, quam optime conueniet. Nolo tamen & illis refragari, qui laetitiam ex adfectuum numero excludunt. ARNOLDVS WESENFELDIVS, laetitiam pariter ac triſtitiam non voluntatis, ſed intellectus paſſiones eſſe contendit, in *georg. animi & vitae part.* 2. *cap.* 17. §. 4. & 5. Sed ſi laetitia ad intellectum ſaltem, non ad voluntatem pertinet, omnino adfectibus non erit annumeranda. Contra experientiam praeterea & cuiusuis ſenſum eſt, laetitiae & triſtitiae in intellectu aſſignare ſedem, adeoque nec refutatione indiget. Quodſi ea, qua diximus, ratione, laetitiam concipiamus, hoc ſaltem ſupererit dubium, an & qua ratione a *ſpe*, item a *fiducia*, differat? Ad quod reſpondemus, a ſpe differre laetitiam, propinquitate obiecti. Si enim obiectum longinquum eſt & remotum, vocatur adfectus, qui circa illud verſatur, *ſpes*, ſin proxime imminens, aut continuandum, *laetitia*. Vnde gradu ſaltem differre ſpem & laetitiam concludimus: in ceteris conuenire, adeoque & quae de ſpe dicta, ſuo modo in laetitiam quadrabunt. Fiducia autem, a ſpe pariter ac laetitia, differt quoad gradum iudicii de facilitate aut difficultate bonum

bonum aliquod impetrandi. Quodſi enim certi velut ſimus, nos bonum aliquod etſi poſt longum demum temporis interuallum, obtinendum, impetraturos, tum *fiducia* vocatur, quae absque illa certitudine, *ſpes* vocari ſolebat. Sed de fiducia deinceps. Stoici, vt hoc vnicum adhuc addamus, diſtinguere ſolebant, inter gaudium & laetitiam, dicentes, ſapientem ſemper in *gaudio eſſe*, eundem autem minime *laetari*. vid. IVSTVS LIPSIVS *manuduct. ad philoſoph. Stoic. lib. 3. diſſert. 5. pag. 16. ſeqq.* Quo ipſo haud dubio innuere volebant, laetitiae adfectum aliter ſe habere apud ſapientes, aliter apud ſtultos. Non prorſus male, vt ex dicendis conſtabit. At vocum iſtarum diſtinctione, more ſuo, nimis acuti fuiſſe videntur.

*** Perperam vulgo dicunt, *metum* eſſe compoſitum ex triſtitia & fuga. Eſt enim aeque ac triſtitia, ſi modo haec pro adfectu habenda, modificatio quaedam odii, dum metus circa malum aliquod imminens, aut boni imminentem abſentiam verſatur, & difficultas inſuper quaedam aut malum imminens euitandi, aut bonum obtinendi, ſeſe offert. Omnes itaque homines, qui difficultates magnas in bono obtinendo, aut malo amoliendo ſibi deprehendere videntur, ſiue ex temperamenti hoc fiat conditione, ſiue ex iudicio quodam per experientiam informato, de difficultate bonum aliquod obtinendi, aut malum euitandi, ſiue denique ex conſcientia imbecillitatis, meticuloſi ſunt. Vnde cur melancholici, ſenes, aliique huic adfectui maxime obnoxii ſint, patet. Sed iudicii etiam imbecillitas huc aliquid confert, dum homines eiusmodi media euadendi, aut aliquid obtinendi, non facile perſpiciunt. De obiecto metus, quod profecto multiplex eſſe poteſt, adeoque de cauſſa eius proxima, non neceſſe eſt, vt dicamus. Haec quilibet coniiciendo facile aſſequitur. Effectus, ſi paulo vehementior fuerit adfectus, admodum ſunt notabiles, pallor vultus, membrorum tremor, pedum ad fugam diſpoſitio, & alia, ratione corporis: in mente, periculi exaggeratio, ſuſpicio, ad ſuperſtitionem procliuitas, & alia eiusdem commatis.

**** *Deſperationis* vox dupliciter ſumitur. Primo namque ſpei ſaltem abſentiam, ſeu negationem denotat, & ita inter adfectus non eſt referenda. Deinde extremum gradum metus denotat: & ita inter adfectus omnino locum promeretur, ſed tum faciliime in iram aut furorem degenerat. Id enim in adfectibus vehementioribus haud infrequens eſt, vt tranſitus quidam fiat ab vno adfectu in alterum. Sic amorem ſummum, ſubito in ſummum odium tranſire, videas. Pari ratione a deſperatione ad iram datur tranſitus: vnde deſperabundi, audaciſſimi quandoque ſunt mortalium. Fluxitque inde illa ciuilis prudentiae regula, cum hoſte deſperabundo pugnare, rem eſſe ancipitem, & periculi pleniſſimam.

* Quid de *triſtitia* ſentiamus, iam ex iis, quae de laetitia diximus, intelligere licet. Si enim pro ſenſu doloris vox iſta ſumitur, quem praeſente malo percipimus, inter adfectus non erit referenda. Quod ſi inter eos locum occupare debet, neceſſe eſt, vt hac voce eminentior gradus metus denotetur, qui oritur, dum malum iamiam imminet. Ideoque quae de obiecto, cauſſis, effectibus, metus, dici ſolent, ſuo modo etiam locum habent in adfectu triſtitiae. Obiecti diuerſitas, motusque, qui in triſtitia obſeruatur, efficiunt, vt laudabilis alia, alia vituperabilis ſit, qua de re deinceps.

** Si modo & *fiducia* inter adfectus referenda. Sed tolli, ni fallor, dubium poteſt, ſi obſeruemus, diuerſimode vocem *fiduciae*, accipi. Si enim pro quadam animi acquieſcentia, in alterius praeſertim potentia, aut voluntate nos iuuandi, accipiatur, locum inter adfectus non obtinebit. Nulla enim tum mentis eſt commotio, ſed potius quies & tranquillitas. Quod ſi vero pro eminentiori gradu ſpei ſumitur, nihil obſtabit, quo minus inter adfectus referatur. Quo pacto vero a laetitia, quam itidem a ſpe gradu differre diximus, diſtinguatur fiducia, iam explicauimus, cum de laetitia verba faceremus.

*** Non ſatis equidem apta videtur vox *conſternatio*, ad adfectum laetitiae vehementiorem,

Digitized by Google

tiorem, ex caſu inopinato nobis oblato, ortum, exprimendum: non tamen commodior occurrit. Eiusmodi autem adfectum dari, res ipſa docet, cum praeter opinionem ſpes ingens aliquod bonum conſequendi nobis afferri queat. Sed tamen ab adfectu iſto, conſternatio, quae ex obiecto praeſenti oritur, & in mera paſſione animi conſiſtit, diſcernenda. Idemque de *terrore* obſeruandum, qui per ſe non eſt adfectus, ſed mera paſſio: cum metu tamen coniunctus, nouum producere adfectum videtur. Huc referendus videtur panieus ille terror, de quo ſubinde hiſtorici. HIRTIVS PANSA: *terror hominibus mentem conſiliumque eripit, & membra debilitat; de bello Alexandrino, cap.* 18. *n.* 2.

§. XX.

Licet autem omnium adfectuum haec ſit indoles, vt in corpore certa illorum ſigna compareant, vti ſupra dictum, ita laetitiae triſtitiaeque adfectus hoc peculiare habet, vt illam quandoque *riſus*, hanc vero comitentur *lachrymae*. * Dum enim in adfectu laetitiae ſpiritus animales magna copia partim ad vultum, partim ad pectus & diaphragma ſe conferunt, per muſculorum in vultu & pectore contractionem, certus exprimitur ſonus, qui *riſus* nomine venit. Sic &, cum vapores, qui ex cerebro, per oculos tranſeunt, ſpiritibus animalibus in adfectu triſtitiae inde recedentibus, condenſantur, *lachrymae* inde oriuntur. ** Atque ſapientiſſime haec ita Deus conſtituit, vt alii etiam homines hac ratione ad ſimiles adfectus concitarentur, quod ad ſocialitatem colendam, mutuumque amorem conſeruandum, augendum, fouendum, plurimum conferre poterat.

* *Riſum* eſſe laetitiae effectum conſtat inter omnes. Ideoque & EPICTETVS riſum deſcribit, quod ſit *laetantis animi ὑπερέκχυσις, ebullitio quaedam, enchirid. cap.* 43. Eandem ob cauſſam, etiam laetitia ſpiritualis in ſcriptura ſacra, aliquando per riſum exprimitur, *Pſalm.* LII, 8. CXXVI, 1. 2. *Luc.* VI, 21. Obſtare equidem videtur, quod aliquando laetitia perfuſi ſint homines, nec tamen rideant: & rurſus, quod rideant, cum tamen nullas videntur habere cauſſas laetandi. Sed quod ad primum attinet, diſtinguendi ſunt laetitiae gradus. Non enim in quolibet gradu laetitiae, huncce effectum accedere, lubens conceſſero. Nec negauerim, alias intercedere cauſſas poſſe, cur non eodem apud omnes modo hic ſe effectus prodat. Maioris momenti videtur alterum, quod rideant ſaepius homines, cum tamen nullas laetandi habere videantur cauſſas. Sed vero, ſi accuratius rem expendamus, & verus modo, non fictus riſus ſit, laetitiam quandam ſemper ſubeſſe deprehendemus, etſi primā fronte id non adpareat. Rident ſcilicet interdum homines ob lapſus aliorum, etiam eorum, quibus ceteroquin non male cupiunt. Sed intima hic cordis humani & profundiſſima corruptio, vel maxime conſpicitur. Aliorum enim lapſus ita plerumque mortales conſiderant, vt ſe hac in re meliores eſſe concludant, vnde tacitum aliquod gaudium, & hinc riſus. Si vero infinitam iudiciorum varietatem conſideremus, mirum non eſt, ridiculum vni videri, quod aliis eiusmodi non videtur. Digna ſunt, vt expendantur, quae hac de re tradidit BELLEGARDIVS, in libro Gallicano idiomate ſcripto: *de eo, quod ridiculum eſt.* Quod ſi natura riſus recte expendatur, etiam quae de moralitate eius diſputantur, facile diiudicari poſſunt. Cum riſus effectus naturalis gaudii ſit, impedire eum, aut cohibere, homines nequeunt, ſi in eo adfectu ſint conſtituti. Quale autem gaudium, talis eſt riſus. Vt ergo gaudium in re illicita, turpi, vana, illicitum, ita & riſus: & vt itidem gaudium, ſi in re licita etiam modum excedat, vituperabile cenſetur, pari ratione de riſu cenſendum. Sed de adfectuum moralitate deinreps. De illicito &

Digitized by Google

indecoro riſu, conf. *Prouerb.* x, 23. XIV, 13. *Kobeleth.* II, 2. VII, 7. Quid vero de illis cenſendum ſit, qui data opera id agunt, vt riſum moueant, eleganter exponit CLEMENS ALEXANDRINVS, *lib. 2. paedagogi cap. 5. pag.* 166. Digna ſunt verba eius quaedam, quae hic legantur, ſed breuitatis cauſſa, latino ſaltem ſermone: *rerum autem ridicularum, vel ridendarum potius actionum, imitatores, exigendi ſunt a noſtra republica. Cum enim verba omnia, a cogitatione & moribus emanent, fieri non poteſt, vt verba aliqua emittantur ridicula, quae non procedant a moribus ridiculis. Illud enim: non eſt arbor bona, quae facit fructus malos, neque arbor mala, quae facit fructus bonos, hic quoque adplicandum. Sermo enim fructus eſt cogitationis. Si ergo qui riſum mouent, ſunt exterminandi a noſtra republica, longe abſit, vt nobis permittamus, riſum mouere. Abſurdum enim eſt, quorum auditores eſſe prohibitum eſt, eorum eſſe imitatores. Multo autem eſt abſurdius, ſtudere vt ipſe ſis ridiculus, hoc eſt, probris inceſſendus & irridendus. Si enim nemo ridiculam figuram ſuſcipere, quemadmodum in pompis videmus nonnullos, ſuſtinuerit, quomodo internum hominem magis ridiculam ſuſtinere figuram, iure paſſi fuerimus, idque palam? Quare non debemus ſponte ridiculam aſſumere perſonam: multo autem magis eſt cauendum, ne in verbis eſſe & videri ridiculi velimus, id quod eſt omnium, quae ſunt in homine, longe pretioſiſſimum, nempe ſermonem ac rationem, ludibrio habentes, &c.* Prolixe de riſu, ſed more ſuo, vt multa ſine ordine congerat, diſſerit GISBERTVS VOETIVS, in *aſceticis cap. 6 pag. 248. ſeqq.*

** Dum *lachrymas* triſtitiae effectus dicimus, recte & hoc, & cum grano ſalis, eſt accipiendum. Vt enim adfectus triſtitiae admodum variat, ita non in omni triſtitia, nec apud omnes, qui hoc adfectu laborant, lachrymae ſtatim conſpiciuntur. Plerumque enim ſi cum amore quodam coniuncta ſit triſtitia, hic effectus ſequitur. Ad lachrymas itaque homines voluptuoſi, molles, item pueri, feminae, prae reliquis procliues ſunt, ob temperamentum ſanguineum, aut ſanguineo proximum, ideo & vaporum copia abundantes, & ad adfectus eiusmodi facile commouendi. Quod commiſeratio lachrymas exprimat, mirum non eſt: namque in hoc adfectu concurrit cum amore quodam, triſtitia. Pudorem & indignationem itidem quandoque lachrymae comitantur, ſed hic quoque triſtitia quaedam ſubeſt. Sunt, qui amoris & gaudii lachrymas addunt. Quod noſtrae aduerſari ſententiae videtur, qui lachrymas triſtitiae effectus diximus. At non temere id contingere puto, niſi cum amore & laetitia ſpecies quaedam triſtitiae concurrat, quod contingere facile poteſt. Exemplo eſſe poſſunt lachrymae Iacobi & Eſaui, *Gen.* XXXIII, 4. Ioſephi fratribus ſe aperientis, *cap.* XLV, 2. & patrem Iacobum complectentis, *cap.* XLVI, 29. Negari etiam non poteſt, ob dolores, absque adfectu ſpectatos, apud homines praeſertim effeminatos, oriri facile lachrymas. Vt autem naturalium, ita & ſpiritualium quorundam adfectuum, haec eſt ratio, vt lachrymae eos ſequantur. Praeſertim reſipiſcentium hominum, & ob peccata admiſſa dolore & triſtitia perfuſorum, frequenter in ſcriptura ſacra commemorantur lachrymae. Exemplum praebent Iſraelitae, *Iud.* II, 4. Petrus, *Luc.* XXII, 62. femina peccatrix, *Luc.* VII, 38. conf. & *Eſ.* XXII. 4. 12. *Ioel.* II, 12. 13. *Zach.* XII, 10. 11. Neque in dolore modo ob peccata, ſed in aliis adfectibus ſpiritualibus, in quibus triſtitia quaedam ſubeſt, aut cum amore concurrit, lachrymae locum habent, vt exempla docent. Quemadmodum vero lachrymae in naturalibus adfectibus de veritate adfectus, teſtantur: cum non aeque in hominum poteſtate poſitum ſit eiicere lachrymas, ac vultum componere ad triſtitiam, quod illi etiam facere poſſunt, qui omnium minime triſtes ſunt: ita haud infrequens eſt in ſpiritualibus, pro adfectus veritate inde ducere argumentum. Qua in re tamen ſaepius homines falluntur turpiſſime. Fieri enim poteſt, vt, cum quis de rebus ſactis cogitat, ex cauſſis mere naturalibus, praeſertim ſi per temperamenti conditionem, aliasque rationes, ad eas pronus ſit, in lachrymas ſoluatur. Et experientia docet, homines improbos, qui nunquam in animum induxerunt, ſerio reſipiſcere, aliquando, cum ob peccata admoniti ſunt, a lachrymis ſibi temperare non potuiſſe. Qui ſi itaque hinc aut ipſi, aut alii, qui forte ſalutis eorum curam gerere debent, concludant, poenitentiam non

poſſe

Digitized by Google

poſſe non eſſe ſeriam, quia cum lachrymis peccata coufeſſi ſint, longiſſime a veritate aberrabunt. Namque euentu ſubinde conſtitit, ea ipſa hora, aut die, ad ea illos rediiſſe peccata, quae cum lachrymis deteſtari viſi ſunt. Fallaciam itaque iſtam naturae ſerio euitemus, neceſſe eſt. Rurſus ex defectu lachrymarum non eſt, vt inferamus defectum triſtitiae ſpiritualis, ſimiliumque adfectuum. Namque difficiles adeo per naturae conditionem nonnulli ad lachrymas ſunt, vt ſummis maximisque calamitatibus, ad eas moueri nequeant. Vnde & triſtitia ſumma ſimilibusque adfectibus conturbari poſſunt, etſi nullae ſequantur lachrymae. Abſonum ita eſſet, certas lachrymandi leges hominibus praeſcribere, aut inter officia illorum lachrymas ponere quae in hominis non poſitae ſunt poteſtate. Diiudicanda hinc, quae prolixe, more ſuo de lachrymis habet GISBERTVS VOETIVS, in *aſceticis cap. 4. p. 222. ſeqq.*

§. XXI.

Alii rurſus oriuntur adfectus, ſi cum amore, odioue coniuncta ſit ſeria voluntas, vtendi mediis, quibus aut bonum aliquod conſequi, aut malum imminens propulſare queamus. Quod ſi ad media, quibus bonum aliquod conſequi queamus, vſurpanda, vehementiori animi motu concitemur, *audacia* * vocatur, atque *animoſitas*, ſin languidiori, aut omnino nullo, *puſillanimitas*. ** Quod ſi aliorum, quibus concedere quidquam parum honorificum exiſtimamus, nos commoueant excitentue exempla, *aemulatio* *** dicitur. Si ad malum imminens propulſandum, motu aliquo, ſed languidiori, feramur, *indignatio*, ſin concitatiori, *ira* **** vocatur, quae prout cito tranſit, aut firmius animo inſidet, aut *excandeſcentiae*, aut *amaritudinis* nomine venit, & ſi ſummus gradus acceſſerit, velut in *furorem* quendam degenerat; eademque ſi circa res ſacras verſetur, *zeli* * quandoque nomine venit.

* Non deſunt, qui *audaciam* pro ſpecie quadam ſpei venditant, & nihil aliud, quam *ſpem actuoſam*, eſſe dicunt. vid. ARNOLDVS WESENFELDIVS in *georg. vitae & anim. part. 2. cap. 19. §. 5.* Quorum ſententiae noſtra non adeo repugnat, modo addatur, quod audacia niſum & conatum aliquem, bonum aliquod non tantum impetrandi, ſed & difficultates obſtantes ſuperandi, connotet. Hinc & audacia ſupponit fiduciam quandam virium, ad bonum impetrandum & difficultates ſuperandas, neceſſariarum. Obiectum ergo etiam audaciae non eſt malum aliquod, vt ſcholaſtici perperam ſibi perſuadent, ſed bonum. Quando enim circa malum verſari videtur, eius abſentiam intendit, ea quidem ratione, vt animi perceptio, quae ex boni cuiusdam repraeſentatione oritur, hic omnino praeponderet. Quod argumento euidentiſſimo eſt, iis adfectibus, qui ex boni repraeſentatione oriuntur, audaciam annumerandam eſſe. Hinc rationem intelligere licet, cur cholerici, & qui omnium minime metui obnoxii ſunt, ad audaciam proni ſint, & quae reliqua ſunt de cauſſis huius adfectus, remotis & proxima, item de obiecto & effectibus, obſeruanda. Singulares etiam tum in mente, tum in corpore eius ſe oſtendere effectus, & ex ipſo vultu relucere, experientia quemuis condocere poteſt. Sumitur plerumque in malam partem audacia, ſolentque exceſſum fortitudinis per eam libelli ethici vulgares deſcribere. Sed perperam. Namque & hunc adfectum, ſi legitima ratione, dirigatur, bonum eſſe poſſe, ex dictis conſtat, conf. 2. *Cor.* XI, 21. Vlterius hoc ex ſequentibus innoteſcet.

** Si *puſillanimitas*, tantum defectum, aut ſpei, aut audaciae denotet, inter adfectus locum non promerebitur. Omnis enim adfectus conſiſtit in motu quodam. At ſi

languidiorem gradum audaciae, locum hic inueniet. Solet tamen & interdum metus aliquis, puſillanimitatis nomine venire.

*** Refertur a nonnullis ad adfectum audaciae, *aemulatio.* Non prorſus male, modo obſeruetur, in quibus inter ſe aut conueniant, aut diſcrepent. Conueniunt in cauſſa remota, cum cholerici praecipue & ad audaciam, & ad aemulationem, proni ſint. Aemulatio enim eſt filia ambitionis. Sed caute ab aemulatione diſcernenda eſt inuidia, quae ab ea toto coelo differt, licet haud raro hi adfectus inter ſe confundantur. Conueniunt & in eo, quod vtrobique adſit niſus aliquis & efficax voluntas adhibendi media, quibus bonum propoſitum obtineri queat. Sed in eo differunt, quod, cum audacia latius ſe diffundat, aemulatio ſpeciatim pro obiecto habeat, ἐξοχὴν quandam & praerogatiuam, quam prae aliis, quibus digniorem quis & praeſtantiorem ſe credit, obtinere cupit. Vnde euidentiſſime ſequitur, aemulationem pro fundamento habere ambitionem. Sed ratio quoque inde patet, cur aemulatio aequalitatem quandam & ſimilitudinem aemulantium ſupponat. In magna enim inaequalitate aut diſſimilitudine, nulla ſpes adeſſe poteſt ἐξοχὴν quandam prae aliis obtinendi, vnde conatus eiuſmodi vanus, ſtultus & irritus foret. Quae ipſius commotionis in hoc adfectu ſit ratio, quiue eum non poſſint non ſequi effectus, facile, ſi quae audaciae & ambitionis ſit ratio, expendamus, intelligitur. De moralitate eius, deinceps ex inſtituto quaedam monebuntur.

**** Sunt, qui putant, *iram* eſſe adfectum maxime compoſitum. Concurrere enim hic odium, triſtitiam, & cupiditatem depellendi mala. Sed illis ſuffragari nequeo. Triſtitia enim eſt ſpecies odii, adeoque diuerſi inde conſtitui nequeunt adfectus. Cupiditas depellendi malum, Itidem non eſt diuerſus adfectus, ſed potius ipſam iram abſoluit, ita, vt recte mea opinione dicatur, iram eſſe ſpeciem triſtitiae, quatenus haec ſimul malum imminens depellere annititur. Hinc vero etiam patet, quo pacto *ira* differat ab *audacia*, qui ceteroquin inter ſe conuenire videntur adfectus. *Audacia* enim eſt ſpecies amoris, *ira* autem triſtitiae vel odii. In illa eſt cupiditas & niſus adhibendi media, ſed ad obtinendum praecipue bonum; in hac ad propulſandum malum. Sed irae quoque non vna eademque apud omnes eſt ratio. Cum enim omnes quidem homines, ſtudio naturali ſe conſeruandi ducti, proni ſint ad mala imminentia propulſanda, non vno tamen eodemque omnes id faciunt modo. Vnde irae diuerſitas. Nonnulli citiſſime, & efficaciter ad iram mouentur, ſed, ſi hoſtis ſe ſubmittat, acquieſcunt, & ad veniam dandam proni ſunt, animi parum generoſi eſſe, exiſtimantes, iram ſeruare erga illos, qui nocere amplius aut nequeunt, aut nolunt. Et haecce ira hominum cholerico temperamento praeditorum propria eſt. Alii cito ad iram concitantur, ſed parum efficaciter, intercedente plerumque metu. Sanguineorum id eſt, & hominum voluptati deditorum, qui ad reconciliationem, etſi ſatisfactionem non acceperint, proni ſunt. Et ea quidem irae ſpecies, quae cito tranſit, nec firmiter animo inſidet, *excandeſcentia* vocari ſolet. Sunt rurſus alii, qui paulo tardius iram concipiunt, ſed ſemel conceptam animo aegerrime dimittunt. Ad extrema iſti tendunt: condonare delicta, aut illis, qui ſe laeſerunt, veniam impertire neſciunt; ſaeuiunt in hoſtes & furorem emittunt, etſi longum temporis interceſſerit ſpatium, hoſtisque amplius laedere nec velit, nec queat. Id illis fere proprium, qui ex melancholico multum trahunt temperamento: ſoletque ea irae ſpecies *amaritudo* vocari. Peſſimam hanc eſſe irae ſpeciem, fatentur omnes: priores adeo nonnulli excuſant, vt parum abſit, quin laudent, ſaltem iram, quae cito tranſeat, in viros probos & honeſtos cadere, profiteri non erubeſcant. Qua in re quam turpiter fallantur, ex infra dicendis patebit. Alia eſt irae differentia, quae ex graduum diuerſitate petitur. Infimus enim irae gradus, *indignatio*, ſupremus, *furor* dici ſolet. Sed haec ſatis nota ſunt. Quae vero de cauſſa irae, tum proxima, tum remota, de ipſa irae commotione, eiusque effectibus dici poſſent, ex dictis iam quodammodo intelliguntur.

* Vtcunque enim *zelum* conſideraueris, nihil aliud tandem erit, quam ſpecies irae, quae ex obiecto peculiari, peculiarem quoque accipit denominationem. Doctoribus praecipue proprius cenſetur hic adfectus, qui ob errores pernicioſos eccleſiam deuaſtantes,

Digitized by Google

ſtantes, prauosque mores auditorum, & alia mala eccleſiae incumbentia, zelo corripiuntur, hoc eſt, ad mala iſta remouenda acriter incitantur, quod irae proprium eſt. conf. 2 *Corinth.* XI, 2. *Galat.* IV, 17. Nec obſtat, quod ex amore oriri vulgo zelus dicatur, & plerumque zelo amor obtendatur. Vt enim poſterius ſaepius per hypocriſin fit, ita, ſi prius contingit, amor equidem zelum acuit, etſi proprie loquendo zelus non ſit amor. Sed haec omnia, vt & quando licitus, quando illicitus zelus ſit, ex dicendis ſuo loco, luculentius conſtabunt.

§. XXII.

In iis, quos hactenus commemorauimus, adfectibus, bonum malumue, amorem aut odium excitare aptum, *immediate* nos tangit. Iam, contingere etiam poteſt, vt *mediate* ad nos pertineat, intercedentibus ſcilicet aliis hominibus, quibus, aut bene, aut male cupimus. Si enim illis, quibus bene, ſaltem non male, cupimus, aliquid mali aut incommodi obueniat, enaſcitur inde *commiſeratio*, * quae nihil aliud eſt, quam odium mali, quod homini, cui bene cupimus, accidit. Ad commiſerationem accedere facile etiam ira poteſt, ſi malum illud illi ab aliis hominibus, inferatur, idque iniuſte fieri credamus. Quod ſi illis, quibus bene cupimus, aliquid boni accidat, oritur inde ſpecies laetitiae, qua huius boni continuationem exoptamus, quam nonnulli *congratulationem* ** vocant. Cum bonum, quod, vt aliis obtingat optamus, nondum adſit, *fauor* adpellitatur, *** vt *gratitudo* dicitur, quando cauſſa peculiaris, cur haec optemus, accedit, e. g. ſi magna ab iis in nos ſint profecta beneficia. Si vero alicui, cui male, ſaltem non adeo bene, cupimus, aliquid mali accidat, *irriſio* * inde originem habet, quemadmodum *inuidia* ** oritur, ſi bono quodam, quo eum carere vellemus, potiatur.

* Concurrit itaque in *commiſeratione* odium mali, ſeu triſtitia, & amor: odium mali, ſeu incommodi, quod aliis incumbit, & amor eorum, quibus hoc incumbit. Interim amor praeponderat, vnde ex eo hicce recte deriuatur adfectus, & coniunctus eſt cum niſu quodam adflictum adiuuandi, licet efficacius in quibusdam, in aliis minus efficaciter. Haec ſi recte ponderentur, patebit, cur plerumque feminae, hominesque voluptati dediti, aut ſanguineo temperamento praediti, ad commiſerationem proniores ſint, aliis; cur facilius propinqui, cognati, amici, ad commiſerationem nos moueant, quam peregrini & hoſtes, quanquam & hi quandoque; quod in homines improbos etiam & ab omni pietate alienos hic adfectus cadat, vnde, qui eum cum commiſeratione regenitorum ſpirituali confundunt, indeque praepoſtere regenerationis documentum capiunt, iterum falluntur turpiter.

** Ita quidem recentiores quidam, qui *congratulationem* inter adfectus referunt. vid. PHILARETVS *ethic part.* 1. *cap.* 7. §. 7. Sed ea demum conditione id recte fieri, qua laetitiam inter adfectus referri poſſe, ſupra diximus. Raro forte etiam continget, vt bona aliorum tam vehementer alios moueant, vt eiusmodi animi commotio, quae ad adfectum requiritur, inde oriatur.

*** *Fauor* itaque & *gratitudo* ad adfectum ſpei proxime accedent. Vtrobique enim pro obiecto bonum aliquod futurum eſt: hoc ſaltem diſcrimine, quod in ſpe bonum illud

 imme-

immediate noſmet ipſos tangat in fauore & gratitudine mediate, per alios. Aut itaque hac ratione inter adfectus referendi ſunt, aut ex eorum numero plane excludendi. Saepiſſime namque voces iſtas ita ſumi, vt adfectum proprie ſic dictum non denotent, certum eſt. Si quae etiam in iis adeſt commotio actiua mentis, admodum ea languida eſt.

* Alii quoque *inſultationem* vocant, aut irriſionem ab inſultatione gradu differre, docent. Reuera itaque *irriſio* eſt ſpecies laetitiae, in tantum itaque inter adfectus referenda, in quantum laetitia inter eos locum promeretur: determinationem autem accipit ab obiecto, quod eſt malum, quod illis obtingit, quibus male, aut non adeo bene cupimus. Id cum nobis bonum videatur, adfectus inde irriſionis oritur. Quod ſi reuera malum illud fuerint promeriti, quibus illud accidit, & cetera, quae prauum hunc adfectum reddere poſſint, abſint, inter indifferentes videtur locum ſuum recte occupare. Hinc & ἀνθρωποπαθῶς Deo tribuitur, *Pſalm.* II, 4. LIX, 9. *Prouerb.* 1, 26. nec aliud quid denotat, quam iuſtiſſimam poenarum, quas ſua culpa homines impii ſibi attraxerunt, adprobationem. In hominibus cum fere ſemper irriſio cum odio quodam aut contemptu illorum, quibus mala accidunt, coniuncta ſit, vix vnquam ſine malignitate quadam eſt, adeoque recte in vitio ponitur. Laetari ob mala, quae aliis contingunt, cum amore pugnat, maximeque eſt vituperabile. Id quod gentilibus etiam atque philoſophis ipſis quodammodo obſeruatur: qui, cum de ſatyra, carminibusque ſatyricis praecipiunt, leuia ſaltem hominum vitia, minime grauiora hac ratione perſtringenda atque ridenda, condocent. Sed diuinae litterae nos aliter hac de re informant, quae commiſeratione potius quam odio aut contemptu homines, qui peccant, dignos oſtendunt: etſi ob iuſtiſſima Numinis iudicia, cum propriae tamen infirmitatis recordatione, laetari, nefas non ſit.

** Eſt itaque *inuidia* ſpecies triſtitiae, qua ob bona, quae aliis obueniunt, quis afficitur, ſupponitque adeo odium, ſaltem amoris defectum erga illos, quibus inuidemus. Vnde hicce adfectus ſua natura maxime malignus eſt. Sunt, qui inuidiam adfectum compoſitum eſſe docent, ex triſtitia & odio, quod ex bono aliquo quis concipiat, quod indigno contigiſſe arbitretur; hinc & adfectum hunc ſedulo diſtinguendum eſſe, monent, a praua iſta inuidia, qua dolorem de rebus alterius ſecundis quis concipit. vid. PHILARETVS *ethic. part.* 1. *cap.* 7. §. 7. *n.* 2. Sed praua iſti nituntur hypotheſi, ac ſi omnes adfectus indifferentes ſint, quam tamen falſam eſſe, deinceps demonſtrabimus. Experientia docet, in hocce adfectu nunquam in cenſum venire, num dignus an indignus quis ſit illo bono, quod ei contingit, licet interdum talia ad odii & liuoris malignitatem tegendam, obtentui ſumantur, ſed tantum, quod moleſtum ſit, bonum alicui obtingere, quod ei obuenire nollemus, iuxta tritum illud: *inuidus alterius macreſcit rebus opimis.* Intelligere ex dictis facile licet, qui ad odium & triſtitiam proni ſunt, maxime etiam inuidiae adfectu laborare, vti contra, qui ad laetitiam procliues ſunt, proni etiam ſunt ad irriſionem. Vnde, quae de cauſſa horum adfectuum proxima, remota, effectibus, ceterisque, dici poſſent, diiudicanda.

§. XXIII.

Pro obiectorum varietate, varios etiam eſſe adfectus, ſupra iam obſeruauimus. * Et ſane cum obiectorum ſpecialium, infinitus fere ſit numerus, infinitam quoque adfectuum inde oriri varietatem, neceſſe eſt, praeſertim cum pro hominum ipſorum diuerſitate, obiecta illos diuerſimode adficiant. Interim nomina nobis deficiunt, quibus ſingulos iſtos adfectus exprimere queamus. Sic cum ambitionis obiecta ſint fere innumera, magnam quoque adfectus huius diuerſitatem, efficientia, nomina tamen peculiaria, quibus ſpeciales iſti adfectus exprimanman-

mantur, non occurrunt. Referre tamen huc licet *pudorem*, ** qui nihil aliud eſſe videtur, quam metus vituperii, ſiue metus, ne alii minus honorifice de nobis ſentiant. Vnde eum ambitionis eſſe ſpeciem, conſtat, quemadmodum *curioſitas* *** eſt voluptatis ſpecies, quippe quae nihil aliud, quam cupiditatem, animum variarum rerum cognitione, oblectandi, ſignificat.

* conf. quae dixi *elem. philoſ. pract. part.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 2. §. 79. *ſeqq.*

** Obiectum namque *pudoris* conſtituunt omnia, quae exiſtimationem, quam alii de nobis habent, aut certe, quam eos de nobis habere volumus, imminuere poſſunt, ſiue reuera eam imminuant, ſiue nobis ſaltem imminuere videantur. Prout autem homines iudicio magis aut minus pollent, in aliis quoque aliisque rebus dignitatem quandam collocant, exiſtimationem quoque ſuam, ſi iſtis priuentur, imminui credunt, atque pudore ſuffunduntur. Qui maximo prae aliis iudicio praediti ſunt, facile intelligunt, in virtutis exercitio maximam poſitam eſſe hominis dignitatem & praeſtantiam: hinc, ſi quid agunt, quod cum virtute non conueniat, laeſam praecipue dignitatem ſuam exiſtimant. Et inde factum, vt pudor pro virtutis ſigno habeatur, iuxta decantatum illud: *erubuit, ſalua res eſt.* Quod hactenus quidem verum: modo ſimul obſeruetur, id non minus de pſeudo-virtutibus hominum irregenitorum, quam de veris regenitorum, procedere: vnde falleretur, ſi quis ex eiusmodi pudore ſtatim colligeret, ſe vera virtute, quae in ſolos regenitos ſeu chriſtianos cadit, praeditum eſſe. Accedit vero etiam, ſaepius homines, non tam in virtutibus, quae ad honeſtatem ſpectant, quam iis, quae ad decorum pertinent, dignitatem ſuam collocare, indeque pudore ſuffundi, ſi forte contra regulas decori egerint, minime autem, ſi contra regulas honeſti peccauerint. Hinc videas, pudore ſuffundi, qui forte inconſiderate & imprudenter aliquid dixerint, cum contra, diuini Numinis negligere cultum, intemperantiae & libidinibus indulgere, fraudibus circumuenire alios, eos minime pudeat. Immo pudet ſaepius nonnullos, ea agere, quae recta ſunt, preces e. g. palam fundere ad Deum, aut de rebus diuinis apud alios verba facere, cum per ebrietatem vſu rationis, omnique eo, quo homo beſtiis praeſtat, ſe priuare, eos minime pudeat. Omnia haec ex corrupto hominum de dignitate ſua, & exiſtimatione, iudicio, oriuntur, quam in iis collocant rebus, in quibus minime debebant, & in quibus debebant, non collocant. Cumque iudicium hominum mutari queat, facile etiam cauſſa perſpicitur, cur initio ob quasdam res pudore ſuffundantur, quarum deinceps eos non amplius pudeat, vnde *pudorem amittere* dicuntur, & vice verſa. Sic videas, iuuenes accurata educatione ad omnem honeſtatem formatos, ſine pudore dicere, multo minus facere, ea non poſſe, quae turpia ſunt: mox prauo conſortio corruptos & abreptos eo vsque procedere, vt poſito pudore omni, foediſſima quaeque ac turpiſſima deſignare non dubitent. Senſim enim corrumpitur iudicium, vt turpia non amplius videantur, quae antea videbantur vel maxime. Sed cum pro aetate hominum & ſtatu diuerſo iudicium maxime variet, de iis, quae contra dignitatem eorum ac exiſtimationem ſunt, patet, cur ob cauſſas etiam longe diuerſas pudore ſuffundantur alii, alii non ſuffundantur. Tenerae aetatis pueri ſine pudore in conſpectu aliorum verba vix faciunt, quod facillime in iis ſe labi poſſe exiſtiment. Virgines, feminaeque honeſtae, cum in pudicitia maximum decus, ornamentumque ſuum poſitum eſſe recte iudicent, ſine rubore talia proferre non audent, quae impudicitiae ſpeciem prae ſe ferunt. Milites hunc adfectum experiuntur, ſi quid forte illis obtingat, quod fortitudinis laudem illis detrahat, aulici, ſi quid obueniat, quod in imprudentiae ſuſpicionem inducat, eruditi, quod doctrinae aut ἀκριβείας gloriam dubiam reddat, & ſic porro. Quae omnia ſi recte expendantur, non tantum, quae pudoris natura indolesue ſit, intelligemus, ſed id quoque perſpiciemus, non temere pudorem pro argumento, regula, & norma iuſti & honeſti vendi-

venditandum, quod nonnulli faciunt. Si quis enim hoc principium ponat, quidquid pudorem hominibus incutit, turpe, quidquid ſine pudore committitur, honeſtum, in adplicatione deprehendet, ſe magnopere falli. Ex dictis namque conſtat, multa ſine pudore ab hominibus committi, quae ſunt turpia; multorum eos pudere, quae honeſta ſunt & laudabilia. Quod ſi dicas, tum pudorem non recte ſe habere, cum quem eorum pudet, quorum eum pudere non debebat, illud quidem concedo: ſed tum videbit, alia iterum regula, alioue principio opus eſſe, vt intelligamus, quorum nos pudere debeat. Sed hoc *ὡς ἐν παρόδῳ* conf. SAMVEL PVFENDORFIVS *lib.* 1. *de iur. nat. & gent. cap.* 2. §. 7. add. quae ad HVGONIS GROTII *lib.* 2. *de iure belli & pacis, cap.* 5. §. 12. *num.* 2. diſputari ſolent. De cauſſis huius adfectus, remota, proxima, ipſaue commotione, & effectibus, ſeu conſequentibus, vt aliquid addamus, neceſſe non eſt, cum ex dictis ea facile intelligantur. Inter effectus, inſignis maxime eſt, quod ad ſilentium ſaepius redigantur homines intempeſtiuo pudore, nec proloqui audeant, quae poterant & debebant. Id tamen vel maxime adhuc eſt obſeruandum, duplicem pudorem poſſe conſtitui, alium, qui praecedit dicta & facta, quae noſtram exiſtimationem imminuere poſſunt, alium, qui ſequitur. Hic in dolore ſaltem quodam ob imminutam exiſtimationem conſiſtere videtur, & hactenus inter adfectus non erit referendus; licet cum priori, qui in commotione quadam actiua conſiſtit, & proprie loquendo adfectus eſt, multa communia habeat.

*** *Curioſitas* vulgo inter vitia ſeu debilitates intellectus refertur: ſed adfectibus annumerandam eſſe, ex dicendis conſtabit IO. CHRISTOPHORVS BECMANNVS, vir celeberrimus, quinque recenſet ſpecies curioſitatis: cum ea quaerimus, quae ad nos non ſpectant; cum minus neceſſariis maxime ſtudemus; cum difficiliora quaerimus, neglectis principiis; cum illa ſcire volumus, quae Deus non reuelauit; & denique, cum non ſimpliciter acquieſcimus in Dei voluntate, ſed rationem eius videre cupimus; *lin. doctrin. mor. cap.* 4. §. 18. Sed quodlibet ſciendi deſiderium, idque inordinatum, non ſtatim eſt curioſitas: ſaltem ad vſum vocis non attendent, qui eam eo vſque extenderint. Hunc enim ſi obſeruemus, indolemque curioſitatis paulo accuratius conſideremus, deprehendemus, nihil aliud hac voce deſignari, quam eiuſmodi deſiderium, quo varia eaque haud raro parum vtilia ſcire cupimus, ſaltem ad paſcendum animum, tempuſque fallendum. Eſt itaque curioſitas ſpecies quaedam voluptatis, ſubtilioris quidem, ſed quae non minus in vitio ponenda, quam reliquae voluptates craſſiores. Scilicet *craſſiorem* voluptatem eam voco, qua quis ea concupiſcit, quae corpus ſenſuſque externos delectare poſſunt: *ſubtiliorem* autem, cum ea quis quaerit, quae imaginationi & intellectui voluptatem quandam adferunt. Idque iterum vel *craſſiori* quadam, vel *ſubtiliori* fit ratione: priori quidem modo, ſi legendis & meditandis eiuſmodi rebus quis incumbat, quae adfectus corporeos & voluptuoſos excitent, foueant, alant; poſteriori, ſi quis appetat, quae per ſe, nouitate, raritate, varietate, intellectui delectationem adferant. Et haec eſt illa voluptatis ſpecies, de qua hic loquimur, quae quo ſubtilior eſt, & ſub honeſta otii litterarii ſpecie, ſimilibuſque integumentis latitat, eo difficilius agnoſcitur, & pro vitio habetur. Obiectum itaque huius adfectus ſunt omnia ea, quae intellectui delectationem adferre poſſunt, quae & curioſa ideo vocari ſolent, praeſertim noua, inſolita, varia, ſimiliaque. Hinc nouellarum & hiſtoriarum lectione eiuſmodi homines capi videas, ſed ita, vt ab vno mox ad aliud dilabantur, cum ipſa varietas maximam hic adferat voluptatem. Iidem etiam qui ceteroquin ad voluptates corporis proni ſunt, has mentis voluptates quam maxime ſectantur. Vnde, quid de cauſſis adfectus huius, proxima, remota, effectibusque & ſimilibus, cenſendum ſit, liquet.

§. XXIV.

Contingere etiam poteſt, & ex hactenus dictis fere conſtat, vt duo ſimul concurrant adfectus, vt quodammodo commixti inter ſe cenſeri queant.

Digitized by Google

queant. In cuius rei exemplum ſpeciatim adferri ſolet *zelotypia,** in qua odium & amor ſimul conſpicitur, at erga diuerſos homines, aut erga vnum quidem hominem, ſed diuerſo reſpectu, nobis conſideratum.

* *Zelotypiam*, a zelo ſupra iam §. 21. memorato, diſtinguimus. Zelus enim eſt irae ſpecies, & ab obiecto ſpeciali peculiarem accipit denominationem. Zelotypia autem, ſi vox proprie capiatur, eſt adfectus ex amore carnali, libidinoſo maxime, & odio compoſitus. Hinc ſua natura vitium ſecum trahit (de metaphorica enim zelotypia nobis nunc ſermo non eſt) & ob adfectuum contrariorum concurſum, in effectus ridiculos, & magnam mentis impotentiam arguentes, ſubinde erumpit. Sed amorem & odium, dum in hocce adfectu concurrere diximus, hoc reſpectu duarum pluriumue perſonarum eſt intelligendum, immo & quodammodo ratione vnius, quam zelotypus in tantum amat, in quantum placet, ſed in quantum ab ea alios quoque amari credit, odio proſequitur, multo magis autem eos, qui eandem amant, aut ſaltem amare videntur, vel cui ipſa fauere vlla ratione videtur. Vnde & ratio patet, cur zelotypia cum ſuſpicione ſit coniuncta, quia odium aliquod ſemper ſubeſt, dum zelotypus vel plane non, vel non ſolum, vel non eo, quo cupit, modo, ſe amari exiſtimat. Quae ſi expendantur, zelum, quem ſupra deſcripſimus, a zelotypia, vt hic vocem eam accipimus, recte nos diſcreuiſſe, patebit. Quod etiam de affectibus generatim diximus, ex meris eos quandoque oriri figmentis, zelotypiae exemplo luculenter patet: cum miſeri iſti ſuſpicione ducti ex ſingulis geſtibus, dictis, factis eorum, quos amant, aut quos riuales ſuos credunt, argumentum ſe excruciandi capiant, talia comminiſcentes, quae aliis, quorum adfectus aut propenſiones ſe perſpicere credunt, ſaepius ne in mentem quidem venerunt. Paucis: ſtultitia & miſeria hominum, imaginationisque foecunditas, & per non-entia mentes noſtras turbandi efficacia, vel maxime in hocce adfectu conſpicitur. Ad zelotypiam etiam prae reliquis proni ſunt homines melancholici, & qui ad eorum indolem proxime accedunt, quorum vt vehemens, ſi inflammetur, amor eſt, ita ſuſpicaces admodum ſunt, idque eo magis, quo facilius in ſeipſis quaedam deprehendunt, ob quae placere illis, a quibus amari cupiunt, minus queant, quam alii. Hinc odium a ſuſpicione ortum, & ſuſpicionem iterum augens, augendum rurſus a ſuſpicione, vt talia agant, quae in ſanae mentis vix cadunt hominem. Hinc vero, quae cauſſa remota proximaue huius adfectus, quae animi commotio ſit, quiue effectus, pateſcit. Non ignoro, alios de zelotypia aliter philoſophari, ſpeciatim & PHILARETVM *ethic. part. 1. cap. 7. §. 6.* Sed ad indolem huius adfectus non ſatis attendunt, & ex praua hypotheſi, quod omnes adfectus ſua natura indifferentes ſint, ad ea zelotypiae vocem extendunt, quae tamen eadem proprie loquendo non veniunt. Huc pertinet, matronae cura pro honore conſeruando; praeſidis aut praefecti vrbis, pro tuenda vrbe vel arce; auari pro cuſtodiendo theſauro. Ignoret prorſus, quid zelotypia ſit, neceſſe eſt, qui hisce eam tribuerit.

§. XXV.

Sed id quoque iam alibi a nobis obſeruatum, * probe tamen tenendum eſt, quosdam adfectus, praeſertim ex vno eodemque fonte procedentes, inter ſe certa ratione iunctos eſſe, vt, qui ad vnum procliuis eſt, ad alterum quoque pronus eſſe deprehendatur. Sic cum ambitione, ***iram, audaciam, aemulationem,*** cum auaritia, ***inuidiam,*** cum voluptatis amore, ***metum, puſillanimitatem, commiſerationem,*** ſimilesque adfectus coniunctos eſſe, & experientia docet, & aliis iampridem obſeruatum eſt.

* Vid. *element. philoſoph. pract. part.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 2. §. 85. Vſus autem huius doctrinae maximus eſt in doctrina ſemiotica. Ex adfectibus enim, qui velut ſecundarii videntur, primarios cognoſcere licet, & ex his, ſi crebriores fuerint, propenſiones dominantes, qua de re ſuo loco.

§. XXVI.

Iam vt ad rem ipſam accedamus, ſummam naturae humanae in adpetitu ſenſitiuo, adfectibusque, conſpici deprauationem, vel ex hactenus dictis quiuis intelligere facili ratione poteſt. Etenim quod ad ſenſitiuum, quem vocant, adpetitum attinet, ipſa, quae inter eum, & rationem intercedit, pugna, quantopere corruptus ſit, teſtatur. Enimvero ſi gentiles etiam & homines impii, ſolo interdum rationis ductu agnoſcunt, turpes eſſe foedosque eiusmodi motus, quibus reſiſtendum ſit quauis ratione, *Rom. II, 15.* multo magis ſumma in iis naturae humanae corruptio deprehendetur, ſi ad verbi diuini lucem, iudicio ſpirituali accurate examinentur. conf. *Pſ. XIV, 3. Rom. III, 10. 11. 12.*

§. XXVII.

Eadem naturae humanae corruptio ex adfectibus quoque adparet, qui nihil aliud, quam philautiam prauam, & turbatum naturae ordinem, in hominibus irregenitis arguunt. Hinc in ſcriptura ſacra vocantur *πράξεις τοῦ σώματος*, quas per ſpiritum mortificare iubemur. *Rom. VIII, 13.* Sunt *παθήματα* & *ἐπιθυμίαι*, quas vna cum carne, tanquam matre harum filiarum, crucifigere debemus, *Gal. V, 24.* numeranturque inter *opera carnis*, quae qui faciunt, regnum Dei non haereditabunt. ibid. *verſ. 19. 20. 21.*

* Pluribus hoc confirmat CAMPEGIVS VITRINGA, vir clariſſimus, *obſeruat. ſacrar. lib.* 3. *cap.* 11. §. 5. *Notandum*, inquit, *in ſcriptura ſacra τὰ πάθη, ſiue παθήματα, adfectus proponi, & ſimul damnari, vt effecta, ſigna, & argumenta certa concupiſcentiae prauae. Pauli verba diſerta ſunt in hanc rem ad Galatas: qui autem Chriſti ſunt,* τὴν σάρκα ἐσταύρωσαν σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις, *carnem crucifixerunt cum adfectibus, & cupiditatibus. Per carnem hic intellige mentem hominis, ſubiectam obſecundantemque inordinatis motibus carnis.* Addo: aut potius prauae philautiae, fonti & ſcaturigini primae omnium cupiditatum adfectuumque prauorum. *Huius dominii carnis in mentem, duo ſunt effecta & ſigna, τὰ παθήματα, adfectus, ſic proprie dicti, καὶ αἱ ἐπιθυμίαι concupiſcentiae, adpetitus, quarumque rerum, quae ad carnem explendam ſatiandamque faciunt, illiciti.* Idem deinceps pluribus inde euincit, quod homo iudicio corruptus & vitiis addictus a Paulo vocetur ψυχικὸς, hoc eſt, vt ipſe quidem putat, *deditus adfectibus ſuis,* 1 *Corinth.* 11, 14. Erudita ſunt, quae hac de re adfert, ſed dubito, an omnes ſibi habiturus ſit ſuffragantes. Ceterum, ſummam naturae humanae corruptionem in adfectibus, plerique etiam agnouerunt philoſophorum gentilium. Hinc aut eradicandos omnino eos eſſe, ſtatuerunt nonnulli, vt Stoici, aut moderandos ſaltem & ad mediocritatem reuocandos, vt Peripatetici. In eo conſentiebant plerique, miſerrimos eſſe mortalium, qui adfectuum impetu agitentur, animique priuentur tranquillitate. Infinita hac de re veterum occurrunt teſtimonia, ſed pauca tantum adferemus, ex quibus conſtet, praeſtantiſſimos philoſophorum ſummam hancce naturae humanae miſeriam introſpexiſſe. Ex ipſius Epicuri, quem ἀπαθῆ ſtatuiſſe vulgo perhibent, mente, ita hac de re diſputat TORQVATVS apud CICERONEM, *lib.* 1. *de finib. p. m.* 1054. vt

adfectuum

adfectuum incommoda, grauiſſima & luculenta oratione exponat: *ſapientia*, inquit, *eſt vna, quae moeſtitiam pellat ex animis, quae nos exhorreſcere metu non ſinat, qua praeceptrica in tranquillitate viui poteſt, omnium cupiditatum ardore reſtincto. Cupiditates enim ſunt inſatiabiles: quae non modo ſingulos homines, ſed vniuerſas familias euertunt, totam etiam ſaepe labefactant rempublicam. Ex cupiditatibus odia, diſſidia, diſcordiae, ſeditiones, bella naſcuntur. Nec haec ſe foris ſolum iactant, nec tantum in alios coeco impetu irruunt: ſed intus etiam in animis incluſa inter ſe diſſident atque diſcordant, ex quo* VITAM AMARISSIMAM *neceſſe eſt effici, &c.* L. ANNAEVS SENECA in eo fere vbique eſt, vt adfectuum incommoda, ſummam naturae humanae miſeriam demonſtrantia, depingat. Paucis multa complectitur, dum Lucilium ſuum ita adloquitur: *Tibi tecum optime conuenit. Nec mirum, paucis iſtud contingere. Imperioſi nobis ipſis atque moleſti ſumus: modo taedio laboramus, infelicem animum nunc ſuperbia inflamus, nunc cupiditate diſtendimus, alias voluptate laxamus, alias ſolicitudine exurimus. Quod eſt miſerrimum, nunquam ſumus ſinguli. Neceſſe eſt itaque, aſſidua ſit, in tam magno vitiorum contubernio rixa; praefat. lib. 4. quaeſt. natur al. p. m.* 740. 741. Veriſſimum denique eſt, & generatim de omnibus hominibus, adfectibus ſuis indulgentibus, dici poteſt, quod auctore CORNELIO TACITO, *praeſtantiſſimus ſapientiae* (PLATONEM innuere videtur) *firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe adſpici laniatus & ictus, quando, vt corpora verberibus, ita ſaeuitia, libidine, malis conſultis, animus dilaceratur; annal. lib. 6. cap. 6.* Sed ſuperuacaneum eſſet, plura addere.

§. XXVIII.

Hinc & paſſim adfectus iſti carnales ſpeciatim in ſcriptura ſacra damnantur, & atro notantur lapillo. *Concupiſcentiam carnis*, hoc eſt, *voluptatis cupiditatem, & oculorum*, hoc eſt, *auaritiam & ambitionem*, a patre eſſe, negat Ioannes, ſed a *mundo* eſſe dicit, *1 Ioan. II, 16.* Quibus vocibus etſi habitualis ad praua diſpoſitio atque propenſio ſignificetur, vti iam ſupra obſeruauimus, adfectus tamen ipſos, in quos vitia iſta erumpunt, includi, manifeſtum eſt. Vti autem mundum, & quae in eo ſunt, homines amant, ita *odio* deteſtabili Deum proſequuntur, inde θεοςυγεῖς Paulo dicti *Rom. I, 30.* aliosque homines, *1 Ioan. IV, 20. Gal. V, 21.* *Ira* hinc ſequitur, ſtultorum hominum character, *Prouerb. XII, 16. Gal. V, 20.* in geſtus iracundos, & maledicta erumpens, *Matth. V, 21. 22.* Rurſus *voluptatem, cupiditates, libidinesque*, vnde πάθη ἀτιμίας, *Rom. I, 26.* A Petro vero grauiter redarguuntur, οἱ ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ πορευόμενοι, *2. epiſt. II, 10.* item ἡδονὴν ἡγούμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφήν, *verſ. 13.* ὀφθαλμοὺς ἔχοντες μεςοὺς μοιχαλίδος, *verſ. 14.* cum tamen adſpicere mulierem, vt eam concupiſcamus, nefas ſit, *Matth. V, 28.* *Auaritiam* itidem, ceu adfectum turpiſſimum, paſſim ſcriptura notat, *Rom. I, 29. Epheſ. V, 3. IV, 19.* Vnde & auari inter eos numerantur, qui regnum Dei haereditare nequeunt. *1 Cor. VI, 10.* Cum auaritia autem coniuncta eſt naturali vinculo *inuidia*, quam inter opera carnis refert Paulus, *Gal. V, 20.* conf. & *Rom. I, 29.* *Audacia* quoque in hominibus irregenitis vel maxime conſpicitur: vnde pſeudo-doctores τολμηταὶ, *audaces*, audiunt Petro, *2. epiſt. II, 10.* Mox metus vanus & ſtultus in illis ſe exerit. *Ibi timuerunt timorem, vbi non erat timor. Pſalm. LIII, 6.* In

 diui-

diuinis etiam *metus ſeruilis* huc pertinet, qui cum vera charitate conſiſtere nequit, *1 Ioan. IV, 18. Rom. VIII, 15. Spem* vanam & inanem improborum, omni quippe fundamento deſtitutam, paſſim exagitat ſcriptura, *Iob. XI, 20. XXVII, 8. Prouerb. X, 28.* Id quod & pari ratione de *fiducia* carnali, & ea, quam in rebus aliis, quam Deo, collocant, cenſendum, *Ierem. XVII, 5.*

§. XXIX.

Intima porro naturae humanae corruptio hic conſpicitur, ſi ea, quae plerumque adfectus conſequuntur, conſideres. Quorundam adfectuum ſigna, * quae in vultu ipſo adparent, oſtendunt animum crudelem, ferocem, ab humanitate omni, modeſtia, pietate, aliisque virtutibus alienum. Dum porro intellectui caliginem offundunt, & recte iudicandi facultatem illi adimunt, nouo argumento humanae naturae deprauationem demonſtrant.

* Dictum hac de re iam ſupra §. 13 vbi & SENECAE teſtimonio, de ira, hoc illuſtrauimus. Idem SENECA hoc vlterius exemplo beſtiarum, quibus homo vehementiori adfectu abreptus aſſimilatur, declarat. *Non vides, vt omnium animalium, ſimul ad nocendum inſurrexerunt, procurrant notae, ac tota corpora ſolitum quietumque egrediantur habitum, & feritatem ſuam exaſperent? Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu, taurorum cornua iactantur in vacuum, & arena pulſu pedum ſpargitur, leones fremunt, inflantur irritatis colla ſerpentibus, rabidorum canum triſtis adſpectus eſt. Nullum eſt animal tam horrendum, tamque pernicioſum natura, vt non appareat in illo, ſimul ira inuaſit, noua feritatis acceſſio, lib. 1. de ira, cap. 1. p. m. 3.*

§. XXX.

Sed ſi porro, quae adfectibus abrepti, improbi homines, erga Deum, ſeque ipſos & alios deſignent, cogitatis, verbis, factis, quibusue ſe obſtringant criminibus, cogites, tum demum malae arboris, fructus peſſimos agnoſces. Vnde enim lites, contentiones, pugnae, caedes, praelia, bella? quam ex adfectibus. * Vnde ſcortationes, adulteria, impuritates, commeſſationes? niſi ex adfectibus. Vnde rapinae, furta, fraudulentae aliorum circumuentiones, fallaciae, impoſturae? niſi ex adfectibus. Quidquid malorum fere cogitari poteſt, quod ab hominibus quidem proficiſcitur, ſiue in eccleſiaſtica, ſiue in ciuili, ſiue in litteraria republica, id prauis hominum adfectibus originem debet.

* Irae exemplo hoc egregie demonſtrat SENECA, cuius, facere non poſſum, quin iterum verba quaedam adponam: *Iam vero, ſi effectus eius damnaque intueri velis, nulla peſtis humano generi pluris ſtetit. Videbis caedes, ac venena, & reorum mutuas ſordes, & vrbium clades, & totarum exitia gentium, & principum ſub ciuili haſta capita venalia, & ſubiectas tectis faces, nec intra moenia coercitos ignes, ſed ingentia ſpatia regionum hoſtili flamma relucentia. Aſpice nobiliſſimarum ciuitatum fundamenta, vix notabilia: has ira deiecit. Aſpice ſolitudines per multa millia ſine habitatione deſertas: has ira exhauſit. Aſpice tot memoriae proditos*

proditos duces, mali exempla fati: alium ira in cubili ſuo effodit; alium intra ſacra menſae ira percuſſit: alium inter leges celebrisque ſpectaculum fori lancinauit: alium filii parricidio dare ſanguinem iuſſit; alium ſeruili manu regalem aperire iugulum; alium in cruces membra diuidere. Et adbuc ſingulorum ſupplicia narro: quid? tibi, ſi libuerit, relictis, in quos ira viritim exarſit, adſpicere caeſas gladio conciones, & plebem immiſſo milite contrucidatam, & in perniciem promiſcuam totos populos capitis damna paſſos, tanquam aut curam noſtram deſerentibus, aut auctoritatem contemnentibus. Quid? gladiatoribus quare populus iraſcitur, & tam inique, vt iniuriam putet, quod non libenter pereunt? Contemni ſe iudicat, & vultu, geſtu, ardore, de ſpectatore in aduerſarium vertitur &c. lib. 1. *de ira cap.* 2. Quae vero de irae incommodis atque effectibus longe funeſtiſſimis, SENECA dixit, ad reliquos etiam facili negotio accommodari adſectus poſſunt.

§. XXXI.

At celebris hic nobis occurrit quaeſtio, an itaque omnes adfectus mali ſint? * vnde altera pendet, ſintne tollendi penitus & eradicandi, an corrigendi & emendandi? de qua tantopere diſputatum olim fuiſſe meminimus. Dubium vero omne, tolli facile poteſt, ſi, duplici modo adfectus ſpectari poſſe, cogitemus, tum ratione *eſſentiae, & abſtracte*, vt in ſcholis loqui ſolent, tum ratione *exiſtentiae*, ſeu *concrete*.

* Diu multumque hac de re tum inter ethnicos, tum inter chriſtianos diſputatum fuit. Ethnicorum philoſophi in tres abibant claſſes. Nonnulli enim omnes adfectus malos, adeoque tollendos, & eradicandos, contendebant, ἀπάθειαν ſtatuentes, vt Stoici. Alii in alterum extremum prolabentes, ἐμπάθειαν aſſerebant, quae Epicuraeis vulgo tribuitur ſententia: quamquam, quae ipſius Epicuri hac de re mens fuerit, aliunde ſatis conſtet. Moderandos, temperandosque eſſe adfectus, reliqui cenſebant philoſophi, Pythagoraei, Platonici, & Peripatetici. HIERONYMVS equidem Pythagoram illis accenſet, qui *omnes adfectus tolli poſſe, omnesque eorum fibras*, docuerint, ſed refellit eum IVSTVS LIPSIVS, atque THEAGIS pariter ac ARCHYTAE, Pythagoraeorum, teſtimoniis apud STOBAEVM *ſerm.* 1. ſecus ſe rem habere, condocet, *manuduct. ad philoſ. Stoic. lib.* 2. *diſſert.* 7. *p.* 120 *ſeqq.* Stoicos autem ἀπάθειαν defendiſſe, longe eſt notiſſimum. Diſerte SENECA: *vtrum ſatius ſit, modicos habere adfectus, an nullos? ſaepe quaeſitum eſt. Noſtri expellunt: Peripatetici temperant; epiſt.* 116. in qua ex inſtituto contra Peripateticos diſputat, *p. m.* 574. *ſeqq. & epiſt.* 85: *non adminutionem malorum in bono viro intelligo, ſed vacationem: nulla debent eſſe, non parua.* Plura dabit IVSTVS LIPSIVS *l. c.* Accurate tamen rem omnem expendentes, contendunt, controuerſiam hanc Stoicorum & Peripateticorum, vt pleraſque alias, in meram tandem abire λογομαχίαν. Viderunt id iam pridem viri eruditi: ſed diuerſas conciliandi eos inter ſe inierunt rationes. Nonnulli, duriores Stoicorum voces, *tollere, eradicare, carere*, & ſimiles, pauliſper emolliendas eſſe, cenſuerunt, vt ita in gratiam redeant cum reliquis philoſophis. conf. FRIDERICVS RAPPOLDVS *ad Horatium p. m.* 1224. Sed feliciorem conciliationem alii arbitrati ſunt, ſi ſecundum ea, quae ſupra ad §. 8. dicta ſunt, obſeruetur, Stoicis ſermonem fuiſſe de ſecundo & tertio, quem in adfectibus conſtituebant, gradu, & eos demum adſectus nomine inſigniuiſſe: Peripateticis de primo. Ita enim recte affirmaſſe Stoicos, adfectus eſſe voluntarios; id recte negaſſe Peripateticos, eos eſſe naturales, contendentes: recte docuiſſe Stoicos, omnes adfectus eſſe malos, (prout in hominibus ſibi relictis exiſtunt) recte contra & Peripateticos adſeruiſſe, eos eſſe indifferentes, ex ſola quippe ratione non aſſequentes, quo pacto motus naturales & inuoluntarii, mali eſſe queant: hinc porro non male docuiſſe Stoicos, tollendos eſſe adfectus; id vero fieri poſſe aut debere, recte negaſſe Peripateticos. add. AVGVSTINVS *lib.* 9. *de ciu. Dei c.* 4. PETRVS GASSENDVS, *ſyntagm. philoſoph. Epicuraeae*

 fol.

fol. 1211. *ſeqq.* Sed haec quouſque admitti aut probari poſſint, ex dicendis conſtabit. Noſtra potius nunc obſeruaſſe intereſt, Stoicorum ἀπάθειαν in eccleſiam tandem irrepſiſſe chriſtianam, grauiſſimorumque errorum extitiſſe cauſſam. Occaſionem primam dedere, qui a Gnoſticis, haereticis, nomen γνώσεως ad chriſtianos tranſlaturi, vt eo magis a ſpurcis & foedis illorum moribus ſe alienos oſtenderent, in alterum extremum prolabentes, ἀπάθειαν illis commendabant. Luculenta hac de re extant CLEMENTIS ALEXANDRINI teſtimonia, quorum vnicum tantum proferemus: ἐξαιρετέον ἄρα τὸν γνωστικὸν ἡμῖν καὶ τέλειον, ἀπὸ παντὸς ψυχικοῦ πάθους· ἡ μὲν γὰρ γνῶσις συνάσκησιν· ἡ συνάσκησις δὲ ἕξιν ἢ διάθεσιν· ἡ κατάστασις δὲ ἡ τοιάδε ἀπάθειαν ἐργάζεται, οὐ μετριοπάθειαν. ἀπάθειαν δὲ καρποῦται παντελὴς τῆς ἐπιθυμίας ἐκκοπή. ἀλλ' οὐδὲ ἐκείνων τῶν θρυλλουμένων (ἀλλ') ἀγαθῶν, τουτέστι τῶν παρακειμένων τοῖς πάθεσιν παθητικῶν ἀγαθῶν, μεταλαμβάνει ὁ γνωστικός· οἷον εὐφροσύνης λέγω· ἥτις παράκειται τῇ ἡδονῇ καὶ κατηφείᾳ, &c. *Is ergo, qui cognitione praeditus & perfectus, eximendus eſt a quauis animae affectione ac perturbatione. Cognitio enim efficit exercitationem, exercitatio autem habitum vel affectionem. Eiusmodi autem conſtitutio, efficit alienum paſſionibus habitum, non autem animi motuum moderationem. Eruitur autem tali habitu perfecta & abſoluta amputatio cupiditatis. Sed nec eorum, quae vulgo iactantur, bonorum, hoc eſt, patibilium bonorum, quae adiunguntur animi perturbationibus, eſt particeps is, qui eſt cognitione praeditus, vt exempli cauſſa laetitiae, quae adiuncta eſt voluptati, & moeſtitiae &c. lib. 6. Strom. p. m.* 651. vbi totum hoc argumentum ex inſtituto tractat CLEMENS. DANIEL equidem HEINSIVS haec ita accipit, ac ſi CLEMENS Gnoſticum idea deſcripſerit, non, qualis eſſe poſſit homo chriſtianus, isque gnoſticus, ſed qualis eſſe debeat, qui conſummatae virtutis & ſapientiae referre laudem velit: perinde ac Stoici ſapientem ſuum, qui nullibi tamen terrarum inueniatur, iidem ἀπαθῆ eſſe velint, in *annotat. ad Clement. fol.* 45. At ſecus ſe rem habere, erudite demonſtrauit IACOBVS THOMASIVS in *ſchediaſm. hiſtor. de fin. philoſoph.* §. 44. *lib.* 1. *p. m.* 43. Etenim ſi alia quoque CLEMENTIS loca conferantur. palam eſt, in ea illum fuiſſe opinione, hominem eſſe poſſe ἀπαθῆ. Tranſiit haec ſententia ad alios etiam veteris eccleſiae doctores, quos inter praecipue commemorandus eſt EVAGRIVS PONTICVS, ex cuius libris excerpta varia exhibet SOCRATES *hiſt. eccleſ. lib.* 4. *cap.* 23. *p. m.* 235. De monachis verba faciens, *neceſſarium eſſe*, dicit, *eorum, qui ante nos recte ambulauerunt, vias inquirere, & ad eorum exemplar nos corrigere. Multa enim ab illis ſunt & dicta & facta praeclare. Cuiusmodi illud eſt, quod quidam illorum dicere ſolebat*, ὅτι ξηροτέραν καὶ μὴ ἀνώμαλον δίαιταν ἀγάπῃ συζευχθεῖσαν, θᾶττον διάγειν τὸν μοναχὸν εἰς τὸν τῆς ἀπαθείας λιμένα, *aridiorem & aequabilem victum, cum charitate coniunctum, monachum breui perducturum eſſe ad portum, ab omni perturbatione animi vacuum.* Ἀπάθειαν igitur vt portum ſibi proponebant, ad quem contenderent, & quem aſſequi etiam ſe poſſe putabant. Sed plura non addo, cum hocce argumentum iam exhauſerit B. IACOBVS THOMASIVS *l. c.* Id vero quiuis, puto, nunc facile intelliget, quod eidem etiam obſeruatum eſt auctori, qui factum, vt doctrina de ἀπαθείᾳ in theologiam myſticam recepta ſit. Non errauerim etiam, ſi dixerim, capitalem & principem fere hanc pſeudo myſticae theologiae eſſe doctrinam. Hoc noſtra namque aetate in QVIETISTARVM erroribus, & aſſeclis FENELONI, archiepiſcopi Cameracenſis, patuit. Illi enim eiusmodi animi commendabant quietem, quae omnes plane excludit adfectus, etiam eos, qui pro ſpiritualibus alias haberi ſolent. Hic autem, dum amorem purum eousque extendebat, vt nec felicitatis aeternae etſi ordinatum, amorem, perfecte Deum amantibus concederet, homineſque in inferno etiam conſtitutos, placide in voluntate diuina acquieſcere poſſe, docuit, adfectibus profecto, quocunque nomine veniunt, locum vllum relinquere non potuit. Dolendum, ſane, viros, qui ex ſacris litteris rectiora edoceri potuiſſent, in deuia haec atque praecipitia abreptos. Ad gentilium philoſophos, ſpeciatim Stoicos, quod attinet, mirum non eſt, quod hinc ſe expedire non potuerint. Sola enim ratio ad hoc, vt ego quidem exiſtimo non ſufficit. Agnoſcere videbantur

Stoici

Stoici in adfectibus, intimam naturae humanae corruptionem: eosque, vt in hominibus irregenitis & ethnicis erant, conſiderantes, non poterant non iudicare, omnes adſectus eſſe malos. Hinc vero, cum illorum aduerſarii, ſpeciatim peripatetici, abſurda quaedam in vita ciuili deducerent, non poterant non varia effugia quaerere, primis motibus adfectuū nomen denegare, & in plerisque tandem ad λογομαχίας deuolui. Qui enim non intelligunt, quo pacto adfectus ſua natura indifferentes per fidem ſanctificari queant, infirmitatum venia per meritum Chriſti impetranda, & tamen prauitatem naturae, quae in adfectibus hominum ſibi relictorum conſpicitur, perſpectam habent, non poſſunt non iis ſe inuoluere difficultatibus, vnde ſe nullo modo expedire queant. Id quod Stoicis profecto contigit. Platonici autem & Peripatetici ſua μετριοπαθείᾳ palam hypocriſi hominum patrocinantur, exiſtimantium, ſatis bene ſe rem habere, ſi temperare adfectus queant, ne in crimina grauiora erumpant. Huc enim tandem, quidquid etiam philoſophi dicant, omnis illa μετριοπάθεια redit. Nec aliud quid, qui ſolis naturae viribus nituntur, obtinere poſſunt. Vnde multo magis Stoicorum ridenda ἀπάθεια, quia non tantum eos ſibi praefigebant limites, ad quos nemo mortalium pertingere poterat (quod ſi non omnibus, certe quibusdam eorum exploratum fuiſſe puto, vnde recepta opinio, eos ſapientem ſuum in idea ſaltem delineaſſe) ſed ſi iuſtos etiam limites conſtituiſſent, ſolis tamen naturae viribus, gratia deſtituti, eousque peruenire non potuiſſent. Interim naturae tamen vires, quantum poterant, hac in re exaggerabant, vt non immerito HIERONYMVS, *aduerſ. Pelagianos*, iudicet, Pelagianorum hinc fluxiſſe errores: *adfectus tolli poſſe, omnesque eorum fibras a Pythagora & Zenone Pelagianos hauſiſſe.* Sed de Pythagora perperam, vti ſupra dictum. Nihil itaque ſupereſt, quam vt iuxta ſacrarum litterarum ductum, recte hac de re ſtatuatur.

§. XXXII.

Priori modo ſi adfectus ſpectentur, non omnes, vno eodemque loco habendos, deprehendimus. Quidam enim in ſe & ſua natura aliquid mali inuoluunt, vt *odium* erga alios homines, *inuidia*, & alii. Quocunque enim modo hos adfectus conſideres, nunquam eos carere vitio, intelliges. Alii autem, abſtracte & ratione exiſtentiae conſiderati, indifferentes ſunt, * & aut boni, aut mali fieri poſſunt, vti *ſpes*, *laetitia*, *triſtitia*, *metus*, item generatim, *amor & odium.*

* Duplex hic ſedulo euitandum eſt extremum: alterum illorum, qui, omnes adfectus, in ſe & abſtracte ſpectatos, malos eſſe, contendunt: alterum illorum, qui, omnes indifferentes eſſe, ſtatuunt. Prior error Stoicorum fuit, vti dictum, qui, omnes adfectus malos eſſe, exiſtimabant, nec aliter fere exiſtimare poterant, non alia adfectuum exempla, quam quae in hominibus ſibi relictis, & gratia deſtitutis, conſpiciebant, habentes. Poſterior, recentiorum quorundam philoſophorum eſt, praecipue illorum, qui RENATI CARTESII placita ſequuntur. Sed quod ad priorem attinet ſententiam, eam ab omni veritate alienam eſſe, euinci facili negotio poteſt. Qui enim humanae naturae indolem, & arctiſſimam corporis ac mentis vnionem conſiderauerit, facile animaduertet, ab ipſo naturae auctore adfectus, ad hominis conſeruationem ſpectantes, originem habere: adeoque omnes in ſe & ſua natura malos eſſe non poſſe. Idque eo magis, quod in aliis rebus creatis, prorſus ſimile quid conſpiciatur. Nec eſt, quod regeras, primam adfectuum omnium originem eſſe philautiam: hoc enim, vti lubens concceſſero, ita ſupra iam obſeruatum eſt, non omnem philautiam eſſe prauam. Et licet praua ſit, prout actu in hominibus omnibus ſibi relictis & gratia diuina deſtitutis conſpicitur, nihil tamen inde aliud conſequitur, quam in iisdem hominibus, omnes etiam adfectus prauos eſſe, quod iterum

iterum lubens concedo. Sunt, qui exiſtimant, dum Paulus 1 *Corinth.* XV, 46. corpus Adami vocat ψυχικὸν *animale*, hoc ipſo eum indicare, corpus Adami ſubiectum fuiſſe adfectibus, non illis quidem impuris & inordinatis, quorum nos ſeruimus ſeruitutem, ſed rectis, ſanctiſque. Ita quidem CAMPEGIVS VITRINGA, *obſeruat. ſacrar. lib.* 3. *cap.* 11. §. 4. *pag.* 625. Quae tamen in medio relinquo. Certe, Adamum in ſtatu integritatis adfectus ſanctos ordinatosque habuiſſe, exiſtimo: an vero ex voce ψυχικὸς, hoc ſatis probetur, non diſputo. Rectius vrgetur, quod Deo ipſi in ſcriptura ſacra adfectus tribuantur, vti ſunt, irae, amoris, miſericordiae, gaudii, &c. Quod licet ἀνθρωποπαθῶς, & humano more fiat, cum adfectus proprie dicti in Deum non cadant: non tamen fieret, ſi adfectus omnes per ſe mali eſſent, & vitioſi. Vnde recte inde concluditur, poſſe quem ſancte amare, iraſci, gaudere, &c. Et vt omne dubium eximatur, tribuuntur etiam adfectus, e. g. ira, triſtitia, Chriſto ſeruatori, *Marc.* III, 5. & quidem ſecundum humanam naturam. Iſti adfectus proprie dicti adfectus fuere, nec tamen praui, cum Chriſtus in omnibus quidem nobis factus ſit ſimilis, ſed abſque peccato, *Ebr.* IV, 15. Nihil dicam de angelis bonis, quibus itidem adfectus tribuuntur, minime vtique vitioſi. De ſanctis & regenitis, id ex dicendis conſtabit. Quod vero ad alteram attinet ſententiam, non minus errant, qui omnes adfectus indifferentes ſtatuunt, indeque ad quorundam adfectuum indolem minus recte explicandam, ſe induci patiuntur. Res enim ipſa docet, quosdam in ſe & ſua natura eſſe malos, vt ambitionem, libidinem, auaritiam, aliorum hominum odium, inuidiam, ſimilesque, qui adeo in ſcriptura ſacra nullibi aut Deo, aut ſanctis hominibus tribuuntur. De quibusdam tamen adfectibus adhuc diſputatur, ſintne ſua natura mali. Exempli loco ira eſſe poteſt. SENECAM in *libris tribus*, quos *de ira* ſcripſit, iram omnem ceu malam reieciſſe atque damnaſſe, mirum non eſt: non tam, quod Stoicorum addictus eſſet diſciplinae, qui omnes adfectus malos eſſe reputant, quam quod iram non aliter conſideraret, quam prouti in hominibus naturalibus eſt, & irregenitis. Quo pacto ſi ira ſpectetur, eam ſemper malam eſſe, palam eſt. Non minori ingenii acumine eandem ſententiam defendit, vir eruditiſſimus, CHRISTIANVS THOMASIVS, tum alibi, tum & in *introductione ad ethicam cap.* 13. *pag.* 421. iram, vt ambitionis filiam ſpectans, & vt ordinarie in hominibus deprehenditur: & id quidem rectiſſime. Sed tamen, ſi abſtracte ira conſideretur, prout triſtitiam denotat, cum cupiditate malum imminuens depellendi, non video, quod omnis ira mala dici debeat. Dubium enim non eſt, quin mali depulſio vel remotio, ſiue per poenam illa fiat, ſiue alia ratione, interdum licita ſit & laudabilis. Cupiditas itaque iſtius remotionis vel depulſionis, mala eſſe non poteſt. Scio in hominibus eam cupiditatem raro eſſe ſine vitio: hinc & largior, raro admodum iram in illis eſſe ſine prauitate. Hoc tamen non tam ex natura adfectus, quam hominum prauitate, oriri videtur. Quod ſi eam cupiditatem, ſi vitio careat, non iram eſſe, ſed alio nomine inſigniendam, quis contendat, me neutiquam ſibi refragantem habuerit. Deo tamen is adfectus in ſcriptura ſacra tribuitur, vnde, eum in ſe & abſtracte ſpectatum, malum non eſſe, recte concluditur: & hactenus non male id inde collegit LACTANTIVS, *lib. de ira Dei, cap.* 17. *& alibi*, licet fatear, non vbique hunc auctorem ſibi ipſi conſtare. Tribuitur etiam Chriſto ſeruatori, *Marc.* III, 5. alibique: qui cum & homo fuerit, dubitandum non eſt, quin ira proprie ſic dicta intelligatur. Tribuitur & ſanctis a Paulo, verbis ex *Pſalm.* IV, 5. deſumptis: ὀργίζεσθε καὶ μὴ ἁμαρτάνετε, *Epheſ.* IV, 26. Haec obſtant, quo minus in illorum, qui iram omnem damnant, prorſus concedam ſententiam: a qua ceteroquin me non alienum, profiteor. Interim magna hic opus eſſe cautione, itidem fateor, cum nulla in re facilius decipi homo queat, quam in adfectu hocce: praeſertim cum non temere deſint, quae obtentui ſumat, ſibique & aliis perſuadere annitatur, iuſtas & legitimas ſe iraſcendi habere cauſſas, cum ſubtilis reuera lateat ambitio, aut aliud aliquod animi vitium; ſed ſi iuſtus & legitimus etiam ſit hic adfectus, in ſanctiſſimis quoque hominibus nunquam erit ſine quadam imbecillitate. Sunt porro, vt nunc ad reliqua pergamus, adfectus, qui multorum iudicio innoxii, immo laudabiles,

Digitized by Google

dabiles, videntur, at accuratius conſiderati ſua natura vitium inuoluere deprehenduntur. Exempli loco eſſe poteſt *aemulatio*, quam adeo non in vitio poſitam, ſibi plerique perſuadent, vt laudibus potius euehant, eaque iuuenes praecipue ad praeclara quaeuis excitari poſſe, exiſtiment. Nec plebeios forte homines ita opinari credas; ſunt inter principes etiam eruditorum, qui aemulationis cauſſam omnibus viribus agunt. Placet prae reliquis audire IOAN. HENRICVM BOECLERVM, virum multis aliis in rempublicam litterariam meritis illuſtrem, qui illud VELLEII PATERCVLI: *alit aemulatio ingenia*, pluribus confirmaturus, in *annot. Velleii Paterculi lib.* 1. *cap.* 17. *p. m.* 59. bonae prauaeque aemulationis diſcrimen ita explicare annititur: *eſt autem aemulatio vel bona & cum virtute coniuncta; quando ſcilicet admiratio imitationem accendit; vel praua & cum inuidia coniuncta, quam itidem tangit noſter. Illa, vt efficax, ſic optabilis eſt: hanc profanis relinquendam putamus, quibus non vacat, quaerere, quomodo? ſed quantum quisque doctrinae ſit adeptus. Illam vult plerumque, hanc aliquando, patitur Deus, ad alta peruenire. Illa ſerium honorem, cordatumque vſum ſtudiorum: haec pompam & ſplendorem ferme comitatur. Illa a faſtigio, haec a declinatione ſtudiorum, propius abeſſe ſolet. Inclinatur autem ſtudiorum celebritas, non iam aemulatione & imitatione, ſed affectatione, cuius* ὑπόθεσιν *egregie deſcripſit Velleius. Equidem vt illa laudabilis aemulatio, prorſus a virtute publicique ſtudio boni proficiſcitur, id eſt, a tali origine, qua rerum quarumcunque incrementa promoueri, conſentaneum eſt: ita affectatio, quam diximus, ambitionis ſolius ſtimulo incitata, non imitari vult, quae ſumma ſunt, ſed diuerſae ſpecie praeſtantiae, quos imitari nequit, iis comparari cupit, atque, quod Graeci dicunt*, ἀντισεμνύνεσθαι. Haec omnia vero, cum a me iam pridem diſcuſſa & ſub examen reuocata ſint, in *diſſertat. de metu comparationis, ad C. Cornelii Taciti annal. lib.* 1. *c.* 76. §. 21. non abs re fuerit, ea paucis hic repetere, cum errorem admodum receptum haud obſcure me ibi detexiſſe, exiſtimem. Ad BOECLERI itaque ratiocinia haec ibi repono: Quae omnia fruſtra diſputantur, & ſupponunt, quod nondum euictum eſt, dari honeſtam quandsm & laudabilem aemulationem. Quod vt oſtendamus, conueniendum nobis in eo eſt, quid ſit aemulstio. Non autem puto, BOECLERVS, & ceteri, qui communem ſententiam defendunt, reſpuent auctoritatem ARISTOTELIS, aemulationem ita definientis *lib.* 2. *rhetor. cap.* 10. ζῆλός ἐστι λύπη τις ἐπὶ φαινομένῃ παρουσίᾳ ἀγαθῶν ἐντίμων καὶ ἐνδεχομένων αὐτῷ λαβεῖν περὶ τοὺς ὁμοίους τῇ φύσει, οὐχ᾽ ὅτι ἄλλῳ, ἀλλ᾽ ὅτι οὐχὶ καὶ αὐτῷ ἐστι. *Aemulatio eſt moleſtia quaedam, propter eam, quae apparet, praeſentiam bonorum honoratorum, & eorum quae contingit ipſi adſumere in ſimilibus natura, non, quod alii, ſed quod non etiam ipſi ſint*: vel quod perinde eſt, *eſt aegritudo de bonis, quibus caremus, orta ex admiratione illorum in aliis, & proinde cum ſtudio aut ſuperandi, aut eadem acquirendi coniuncta.* RENATVS CARTESIVS *de paſſionibus part.* 3. *artic.* 127. aemulationem ſpeciem animoſitatis facit, cuius cauſſa externa exemplum eſt. Satis quidem ieiune. Ego dicerem, aemulationem eſſe ſpeciem ambitionis, excitatam per honores alterius, quos nobis vindicare cupimus. Quidquid huius ſit, vel ex Ariſtotelis definitione patet, aemulationem nullo modo laudabilem dici poſſe. Aegre ferre, alterum bonis quibusdam gaudere, nec concoquere poſſe, quod ipſi haec bona non poſſideamus, eoque ſtimulo ad gloriae palmam illi dubiam reddendam, aut plane bona, quae poſſidet, illi eripienda, aut honoris gradu eum deiiciendum, impelli, hoccine virtutis opus, hoccine laudabile diceres? Hoccine cum ſui abnegatione, omnibus chriſtianis tantopere commendata, cum mundi gloriaeque contemptu, cum vera modeſtia & humilitate conuenit? Quidnis potius admiſerim, quam vt perſuaderi mihi patiar, vera virtute illum praeditum eſſe, quem aemulatio excruciat. Relegamus nunc veſtigia BOECLERI, & quae de bonae prauaeque aemulationis diſcrimine commentatus eſt, expendamus. Bona aemulatio, inquit, vt efficax, ita optabilis. Hoc non ſatis capio. Poteſt aliquid efficax eſſe ad malum: quis hoc ideo optabile diceret? Non ſufficere, quantum quisque doctrinae adeptus ſit, ſed diſpiciendum eſſe & quomodo? recte dicitur. At haec ipſa ratio procul faceſſere iubet omnem aemulationem. Deum velle per aemulationem homines ad alta venire, vix ſine impietate dicitur. Itane Deus ſuffragatur hominum ambitioni? Hi ſunt fructus philoſophiae ethni-

cae. Sane ſi vel maxime ſerium honorem, & cordatum ſtudiorum vſum comitetur aemulatio, ex eo non deſinit eſſe vitium. Faſtigium pariter ac declinatio ſtudiorum cum praua aemulatione coniuncta eſſe poſſunt: ambitio vbique regnar, inter eruditos & barbaros. Denique, quod addit, aemulationem bonam a virtute, publicique ſtudio boni proficiſci, admitti itidem nequit. Virtus, quam aemulatio profert, aut quae cum ea coniuncta eſt, non virtus eſt, ſed ambitio Nec publico bono, ſed ſuae cupiditati, conſultum cupit, qui aemulatione ductus reipublicae commoda promoueat. Cur autem virtus, cur ſtudium boni publici non eſſe poſſet ſine aemulatione? Quae pro commendanda aemulatione porro afferri ſolent, fore ſcilicet, vt ingenia in ſcholis, militumque virtus in bello, langueant, niſi aemulatione excitentur, ad ea iam *ibidem* §. 22. reſponſum eſt. Nunc iſtis diutius immorari non placet. De inuidia, in eadem *diſſertat.* §. 25. egi, & contra CARTESIVM, eam nunquam laudabilem, ſed ſemper vituperabilem eſſe, demonſtraui. De reliquis, quos Carteſiani, aliique pro indifferentibus perperam venditant, adfectibus, idem demonſtrari facili negotio poſſet, ſed ex dictis iſta diiudicare pronum erit.

§. XXXIII.

Ratione exiſtentiae, ſeu concrete, ſi ſpectentur adfectus, ſeu prout in ſingulis hominibus ſe habent, ad ipſum, quod inter eos intercedit, diſcrimen, probe attendendum eſt. Sunt enim, vti conſtat, homines vel regeniti, vel irregeniti. Irregenitorum cum haec ſit conditio, vt fide deſtituantur, peccatumque in illis dominetur, & quidquid cogitant, dicunt, faciunt, ex prauo figmento cordis illorum proueniat, adfectus quoque illorum, quicunque demum ſint, non poſſunt non eſſe praui, inter τὰς πράξεις τοῦ σώματος *Rom. VIII, 13.* connumerandi. Quidquid enim non ex fide proficiſcitur, peccatum eſt. *Rom. XIV, 23.*

§. XXXIV.

Quod ad regenitos attinet, vti eos adfectus, qui ex ſe & ſua natura mali ſunt, ſupprimunt pro viribus, & in iis debellandis & extinguendis omnem operam, omneque ſtudium collocant, * ita eos, qui per ſe indifferentes ſunt, per fidem ſanctificant, quidquid adhaeret imbecillitatis, tollere annituntur, eosque ita dirigunt, ne qua modum excedant, aut in alium, quam bonum finem, tendant. Et tum quidem iſti adfectus etiam boni dici poſſunt.

* Eleganter id explicat MACARIVS *homil.* 15. §. 51. *pag.* 236. οἱ δὲ φρόνιμοι, ὅταν ἐπανιστῇ τὰ πάθη, οὐχὶ ὑπακούουσιν, ἀλλ' ὀργίζονται ταῖς κακαῖς ἐπιθυμίαις, καὶ ἐχθροὶ ἑαυτῶν γίγνονται. ὁ γὰρ σατανᾶς πολὺ θέλει ἐπαναπαήναι τῇ ψυχῇ, καὶ ἐφαπλωθῆναι, καὶ θλίβεται καὶ στενοχωρεῖται μὴ ὑπακουούσης τῆς ψυχῆς. *Prudentes autem inſurgentibus affectionibus, non obtemperant, ſed iram concipiunt aduerſus prauas cupiditates, atque hoſtes euadunt. Satanas enim valde cupit in anima requieſcere, & cubile ſuum conſtituere, & adfligitur ac torquetur, quando non obtemperat anima.* Et alibi, ſcilicet de *patientia & diſcretione cap.* 9. *pag.* 79. *Illis,* inquit, *qui anxio animo aeſtuantes dicunt: en erit illa vnquam dies, qua non ſentiam auerſionem animi a fratre, aut alias ſimiles, quarum mihi ſum conſcius, prauas adfectiones, quas quidem inuitus patior, haec reponenda ſunt:* ὡς ὁ μὲν ἀγὼν ἔστι· καὶ ἡ σπουδὴ τῷ ἀνθρώπῳ, ὥστε καὶ τῷ πονηρῷ καὶ τοῖς πονηροῖς ἀντιτίθεσθαι λογισμοῖς διὰ παντὸς ἔσω. *Homini certamen*

certamen ſtudiumque omne in hoc eſſe conſtitutum, vt diabolo & prauis cogitationibus ſemper obluctetur. Addit: ἀμήχανον δὲ, ἵνα τὸ σκότος τῶν παθῶν, καὶ θάνατος τοῦ φρονήματος τῆς σαρκὸς μὴ ἐπιδείκνυσθαί τινα καρπὸν ἴδιον τὴν κακίαν, ἤτοι κεκρυμμένως ἢ φανερῶς: *vitari autem non poſſe, quin caligo perturbationum, & mors inſidens ſapientiae carnis non producant fructum aliquem malitiae, vel occulte, vel palam.* Hoc declarat deinceps exemplo vulneris in corpore, quod non plane obductum eſt, ideoque ſaltem aliquo tabis effluxu madens, ſordeat. Vtrobique tamen, ne quid diffitear, talia ſubiicit MACARIVS, quae haud obſcure ad ἀπάθειαν ducunt, quam etiam ſententiam aperte defendit, de *oratione cap. 11. pag. 62.* Qua de re tamen, quid ſentiendum ſit, ex ſupra dictis conſtat.

§. XXXV.

Quod grauiſſima ex prauis adfectibus oriantur conuerſionis & vitae chriſtianae impedimenta, nemo harum rerum vel mediocriter peritus, negauerit. Primo namque in iſto adfectuum, mentem conturbantium, miſereque dilacerantium ſtrepitu, non licet homini ſerio attendere ad ſeipſum, mentisque ſuae obſeruare miſeriam, multominus adhibere media, quibus ab ea liberari, ſanitatique reſtitui queat. Vt parentes, qui liberos ſuos Molocho offerebant, tympanorum & turbarum ſtrepitu praepediti, vagitum & clamorem illorum audire non poterant: ita adfectuum tumultu praepediti homines, miſeriam ſaepius ſuam non ſentiunt, multo minus fontem eius intelligunt.

§. XXXVI.

Cumque omnis adfectus delectationem quandam ſecum vehat, vti iam ſupra obſeruatum, eo difficilius homines in adfectu conſtituti animum inducunt, ad ea ſerio ſuſcipienda, quae ad compeſcendos ſubigendosque adfectus pertinent. Quare, etſi ceſſante adfectu, eius quandoque incommoda homo agnoſcat, immo & interdum durante, ipſa tamen, praeter alia delectatio obſtat, quo minus ſerio contra adfectus pugnet. Hinc vero iterum peccatorum vberrimus prouentus, quibus mens mortalium magis magisque irretitur, vt non ſine maxima difficultate eluctari queat.

§. XXXVII.

Quod ſi tandem eousque homo perueniat, vt ſerio ad ſui emendationem cogitationes & conſilia conferat, rurſus alia ratione adfectus obſtrepunt. Mox enim, ſi ad leuitatem animi, atque *ſpem*, naturaliter proni ſunt, perfunctorie in toto hocce negotio verſantur, veramque non adeo neceſſariam eſſe contritionem, putant, facili negotio ſe delictorum veniam impetraturos, ſperantes, idque ſine rigidiori ſui examine, cum, quod tam grauiter peccatis iraſcatur Deus, non credant. Alii, ad *metum & deſperationem* naturaliter proni, animum abiiciunt, ad gratiam diuinam nullum amplius ſibi patere aditum, ſibi

 perſua-

perſuadent, & ad conſilia violenta prolabuntur. Et ſic in aliis quoque adfectibus res ſeſe habet.

§. XXXVIII.

Nec adfectus modo, ſed habituales quoque illae diſpoſitiones, per adfectus ſaepius repetitos contractae, plurimum illis obſtant, qui de vita moribusque emendandis cogitationes ſuſcipiunt. Inde enim cum contingat, vt facillime, ex leuiſſima etiam cauſſa adfectus recurrant, nec in ſua hoc poſitum poteſtate eſſe animaduertant, iſtas diſpoſitiones corrigere, diuinae gratiae vim ignorantes aut media, quae debebant, adhibere nolentes, in eam ingrediuntur opinionem, ſuperari iſtas difficultates non poſſe, indeque in ſtatum aut ſecuritatis, aut ſeruitutis pro diuerſa circumſtantiarum ratione, relabuntur.

§. XXXIX.

Iam, vt, quo pacto haec omnia ſecundum gratiam ſe habeant, explicemus, initio id quidem conſtat, in regenitis non tam *pugnam rationis* & *adpetitus ſenſitiui*, quam longe excellentius quid & praeſtantius, *luctam carnis & ſpiritus* deprehendi, per quam non tantum contra eos motus, quos ratio ipſa damnat, & pro illicitis habet, pugnant, ſed & contra omne id, quod *carnis* nomine in ſcriptura ſacra venit, *Gal. V, 17*. Quo quidem nomine ea etiam comprehenduntur, quae ratio ſibi relicta, minime pro prauis aut illicitis habet, vt ex infra dicendis patebit. Contra eos vero motus, ita pugnat ſpiritus, vt victoriam etiam reportet, *1. Ioan. V, 4. 5*.

§. XL.

Adfectus, qui in regenitis deprehenduntur, duplicis generis ſunt: vel *ſpirituales*, vel *naturales* quidem, ſed *ſanctificati*. Spirituales ſunt, qui ex cauſſis ſpiritualibus oriuntur, * atque adeo a mente tantum originem habent, licet in corpore etiam effectus eorum quandoque ſentiantur, vt *amor Dei, odium peccati, triſtitia & dolor ob peccata, gaudium ſpirituale, ſpes diuina, zelus*, & alii. Naturales ſunt, qui ex cauſſis equidem naturalibus oriuntur, ſed qui per fidem ſanctificantur, & qua obiectum, modum, finem, legitime diriguntur, vt *amor parentum, liberorum, cognatorum, amicorum, triſtitia, commiſeratio*, & alii. Qui vero ſua natura aliquid mali inuoluunt adfectus, ſubiugantur a regenitis, atque perdomantur, vti iam ſupra dictum. conf. & *1 Cor. XIII, 4. ſeqq*.

* Vt ergo a corporalibus, & ſenſualibus, ita & a mentalibus, hominum naturalium & irregenitorum, differunt adfectus *ſpirituales*. Cum mentalibus quidem conueniunt, quod vtrique in mente originem habeant, per intellectus repraeſentationem (intercurrente tamen quandoque imaginatione) & ſi vehementiores fuerint, ad corpus ſe diffundant. Sed differunt ab iis, quod hi rationi, eiusque repraeſentationi originem debeant,

debeant, illi autem ſpiritus ſancti per verbum intellectum & voluntatem moventis, operationi; hinc mentales in homines irregenitos etiam cadunt, ſpirituales, tantum in regenitos. Mentales itaque, aeque ac ſenſuales, & omnes adfectus hominum irregenitorum ſunt *fructus carnis*, ſpirituales autem, ſunt *fructus ſpiritus*, *Gal.* v, 22. Paucis: ſpirituales adfectus a reliquis omnibus differunt, cauſſa remota, proxima, ſeu obiecto, & effectibus. Cauſſa remota non eſt caro, aut conſtitutio corporis ac temperamentum, vel ſimile quid: ſed eſt ſpiritus, qui in regenitis habitat, & omnes pios ſanctosque motus in iis excitat. *Rom.* VIII, 9. 11. 14. 1 *Cor.* III, 16. 17. *Gal.* v, 17. 18. Cauſſa proxima, non eſt boni cuiusdam temporalis, ſed ſpiritualis, repraeſentatio: euiusmodi quidem bona, ratio aut ignorat, aut omnino pro malis reputat. 1 *Corinth.* II, 14. Commotio, quae hinc oritur, ſingularis plane eſt, vt eam ignorent, qui eiusmodi nunquam experti ſunt adfectus. 1 *Corinth.* II, 9. 10. Effectus etiam diuerſi hinc ſequuntur, cum adfectus ipſi ſua natura longe ſint diuerſiſſimi. Nunquam enim nocent, ſed proſunt plurimum, vt exemplo triſtitiae ſpiritualis docet Paulus, 2 *Corinth.* VII, 10. Non polluunt animum, ſed purgant, non caliginem adfundunt intellectui, ſed eum diſpulſis tenebris illuminant, moleſtiam non creant, ſed gaudium, *Rom.* XIV, 17. hominemque ad praeclara quaeuis impellunt. Praeter hosce ſpirituales adfectus in homine regenito etiam ſunt naturales, ſed ii quidem, vt dixi, duplicis generis. Nonnulli ſua natura praui, contra quos dimicandum, *Rom.* VIII, 13. *Galat.* v, 16. 17. alii ſua natura indifferentes, qui legitime dirigendi, & per fidem ſanctificandi ſunt Tantum enim abeſt, vt ſcriptura eiusmodi adfectus plane abeſſe a ſanctis velit, vt ἀστοργίαν potius in ethnicis damnet. *Rom.* 1, 31. Nec obſtat, quod amorem parentum & cognatorum damnare videatur. *Matth* x, 37. *Luc.* XIV, 26. Hoc enim intelligendum, in quantum amori Dei obſtat. Qua de re ſupra dictum, cum de abnegatione ſui ageremus.

§. XLI.

Falluntur itaque, qui omnium adfectuum expertes regenitos eſſe volunt, * cum nonnulli ſua natura ſancti ſint, alii ſanctificari poſſint. Namque & in ſcriptura ſacra paſſim eiusmodi adfectus illis tribuuntur, & adeo non vituperantur, vt ponantur potius in laude. *Amor* ſcilicet, ſumptus, pro adfectu, non pro habituali propenſione, tum Dei, *Pſal. XVIII, 2. LXXIII, 25. 26.* tum aliorum hominum, *1 Cor. XIII, 3. 4 ſeqq. 2 Petr. I, 7. odium peccati, Pſ. XXVI, 5. XXXI, 7. XCVII, 10. laetitia, Rom. XIV, 17. XV, 13. Gal V, 22. Col. I, 11. triſtitia, 2 Cor. VII, 10. 11. ſpes, 1 Petr. I, 3. Rom. V, 4. VIII, 24. commiſeratio, 1 Petr. III, 8. Phil. II, 27. zelus, 2 Cor. XI, 2. Gal. IV, 18.* & alii.

* Magna vtique eſt gratiae diuinae vis, etiam in coercendis & compeſcendis adfectibus. Sed non extendenda eſt ad ea, ad quae eam non vult extendi ipſe Deus. Licet itaque per abſolutam ſuam potentiam Deus efficere poſſet, vt homo ſit ἀπαθὴς & ἀναμάρθητος, nuspiam tamen id promiſit. Ideoque & a gratia diuina hoc non eſt expectandum. Hoc parum mihi obſeruare videntur, qui ἀπάθειαν quandam Stoicam inter gratiae diuinae effectus numerant Ex EVAGRII PONTICI libro, cui titulum: *Gnoſticus*, fecit, haec inter alia refert SOCRATES *hiſtor. eccleſ lib. 4. cap. 23. pag. 237.* Veritatis columna Baſilius Cappadox, aiebat: τὴν μὲν ἀπ' ἀνθρώπων ἐπισυμβαίνουσαν γνῶσιν, συνεχὴς μελέτη καὶ γυμνασία κρείσσονα ποιεῖ· τὴν δὲ ἐκ Θεοῦ χάριτος ἐγγινομένην, δικαιοσύνη καὶ ἀοργησία καὶ ἔλεος· καὶ τὴν μὲν προτέραν δυνατὸν καὶ τοὺς ἐμπαθεῖς ὑποδέξασθαι· τῆς δὲ δευτέρας οἱ ἀπαθεῖς μόνοι εἰσὶ δεκτικοί. *Scientia quidem, quae ab hominibus percipitur, aſſiduo vſu & exercitatione perfectior euadit: ea vero per Dei gratiam, iuſtitia, patientia, & miſericordia Ac priorem quidem illam ſcientiam, in eos etiam, qui perturbationibus obnoxii ſunt, cadere, poſterioris vero*

 ſolos

Digitized by Google

ſolos capaces eſſe illos, qui perturbatione ſunt vacui &c. Recte hic equidem diſtinguit inter γνῶσιν ἀπ᾽ ἀνθρώπων ἐπισυμβαίνουσαν, & inter γνῶσιν ἐκ θεοῦ χάριτος ἐγγινομένην, hoc eſt, inter ſcientiam, quae eſt *ex natura*, & quae eſt *ex gratia*, ſeu inter *naturam* & *gratiam*: ſed gratiae nimium tribuit, & vltra, quam decebat, progreditur, dum γνώσεως, quae eſt ex gratia, tantum ἀπαθεῖς capaces eſſe ſtatuit, ſupponens adeo, per gratiam homines ἀπαθεῖς fieri poſſe. Memorabile quoque exemplum, quo idem comprobari queat, gratiae ſcilicet limites, vltra quam par erat, nonnullos extendere, ex PETRI GARNFELT, *elucidationibus ſacris in quinque libros de imaginibus antiquorum eremitarum*, profert IACOBVS THOMASIVS, in *ſchediaſmate de definit. philoſoph. pag.* 44.

§. XLII.

Interim ſedulo cauendum, ne & hic nos *fallax* decipiat *natura*, callida gratiae imitatione. Fieri namque poteſt, imo ſaepiſſime proh dolor! contingit, vt pugna rationis & adpetitus ſenſitiui, habeatur pro lucta carnis & ſpiritus; vnde porro, qui eiusmodi quid in ſe deprehendunt, hominibus regenitis & credentibus ſe annumerandos eſſe, circa controuerſiam concludunt, cum lucta carnis & ſpiritus, horum ſit character certiſſimus.

§. XLIII.

Quod ſi porro contingat, vti euenire omnino poteſt, vt ex cauſſis naturalibus naturae impetus infringatur, & quodammodo ſupprimatur, ne in peccata externa & grauiora erumpat, in errore iſto mirifice confirmantur mortales, in eam quippe facile inducendi ſententiam, hanc eſſe *victoriam fidei*, qua carnis impetum prauosque motus ſuperauerint.

§. XLIV.

Sed id quodque euenire poteſt, praeſertim apud eos, qui in ſtatu legali conſtituti ſunt, vt non ſemel, ſed ſaepius, idque ex cauſſis mere naturalibus, (quo nomine & morales comprehendimus,) adfectus prauus reprimatur. Vnde ſtatim ſibi perſuadent, ſe habere prauorum adfectuum *dominium*, ſe non amplius ſeruire carni, ſed ſpiritui, per ſpiritum ſe mortificare negotia carnis, concupiſcentiisque imperare; (qui regenitorum ceteroquin characteres ſunt) cum tamen iſtud, quod ſibi tribuunt dominium, aut ad quosdam ſaltem adfectus, aut ad actus ſaltem externos & grauiora crimina, ne adfectus in iſta erumpant, ſeſe extendat.

§. XLV.

Cumprimis turpiter falluntur, cum adfectus mere naturales pro ſpiritualibus, ſaltem ſanctificatis, qui regenitorum proprii ſunt, habent. Hinc *amor*, ex cauſſis naturalibus, bonorum vtilium, iucundorum aliorumque repraeſentatione excitatus, habetur pro *charitate chri-*

Digitized by Google

chriſtiana; *odium*, quo inimicos ſuos proſequuntur, & inde orta vindictae cupiditas, *ſanctum* videtur, *odium peccatorum*; *ira* carnalis, *zeli* divini & ſpiritualis nomine venit; vana quaedam *perſuaſio* ex animi levitate orta, *ſpes chriſtiana* audit: *commiſeratio* naturalis hominum voluptati deditorum, *miſericordiae* nomine incedit; *carnalis laetitia* ſaepius ſpeciem *ſpiritualis* induit; vti *triſtitia* contra mere *naturalis* itidem pro *ſpirituali* habetur. Et ita miſere ſe miſeri decipiunt.

CAPITIS PRIMI
SECT. VII.
DE
DISCRIMINE NATVRAE ET GRATIAE
QVOAD MORES EX CORPORIS CONSTITVTIONE, REBVSQVE EXTERNIS FLVENTES.

Σύνοψις.

Corporis hic quoque habenda ratio: quanta eius ſit dignitas, §. I.

Ad animi propenſiones, eius conſtitutio, plurimum confert, §. II.

Conſtitutio haecce corporis & temperamentum, vnde oriatur. §. III.

Quomodo inde certi motus & propenſiones in animo produci queant? §. IV.

Error illorum, qui a corpore peccatum in animum deriuari putant, refutatur: an determinatio ad certum bonorum adparentium genus a ſolo corpore? §. V.

Temperamentorum vis, quoad ſingulas mentis facultates generatim indicatur, §. VI.

Eorum numerus, §. VII.

Quo pacto magna inde morum diuerſitas, varietasque, §. VIII.

Sexus porro diuerſitas, quid ad mores conferat, §. IX.

Itemque aetatis. §. X.

Quid de ſenſibus externis hic obſeruandum, §. XI.

Res extra hominem poſitae, quo pacto ad morum diuerſitatem aliquid conferant, §. XII.

Et primo quidem naturales, §. XIII.

tum & morales, §. XIV.

In his omnibus, ſpeciatim corporis conſtitutione & temperamento, intima naturae conſpicitur corruptio, §. XV.

Mores namque inde fluentes, in irregenitis ſemper mali ſunt, §. XVI.

Idem cenſendum de moribus aetatum, §. XVII.

Rerum externarum abuſus, & ad prauas propenſiones excitandas & augendas efficacia, eandem corruptionem prodit, §. XVIII.

quae & in ſenſibus externis conſpicitur, §. XIX.

Magna ex his omnibus, ſpeciatim ex moribus temperamentorum, conuerſionis & vitae chriſtianae impedimenta, §. XX.

quemadmodum & ex moribus aetatum, §. XXI.

vt & ex rebus externis, §. XXII.

ſpeciatim, quod mores hinc fluentes pluribus communes ſint: vnde praeiudicium, emendationem non neceſſariam, aut non poſſibilem, §. XXIII.

Quid de ſenſibus externis hic obſeruandum, §. XXIV.

Gratiae, quousque in his omnibus, ſpeciatim tempera-

Digitized by Google

temperamentorum moribus, procedat vis, & efficacia? §. XXV.
itemque in moribus aetatum, §. XXVI.
vt & iis, qui ex rebus externis fluunt, §. XXVII.
quoad ſenſus denique externos, §. XXVIII.
Fallacia naturae, gratiam imitantis, in moribus temperamentorum, §. XXIX.
in moribus aetatum, §. XXX.
in moribus ex rebus externis fluentibus ceterisque, §. XXXI.

§. I.

EX mente pariter ac corpore hominem conſtare, Deus voluit. Vtriusque itaque partis habenda ratio: praeſertim ob arctiſſimum, quod inter eas intercedit, vinculum. Quod ſi cum mente corpus contendamus, illam longe hoc nobiliorem praeſtantioremque eſſe, deprehendemus, vnde, cum mente brutis vel maxime praeſtet homo, huius etiam dignitatem praeſtantiamque praecipue * inde metiri ſolent. Neutiquam vero corporis eousque deprimenda eſt conditio, vt illorum adprobanda ſit ſententia, qui corpus aut pro inſtrumento ſaltem animae, aut omnino ergaſtulo eius habuerunt, ** & ſola mente hominem abſolui contenderunt. Ab ipſo enim Deo ita creatum conditumque, ignorant, aut ſcire nolunt, vt corpore non minus, quam mente, conſtaret.

* Eſt equidem ratione corporis magna hominis prae brutis praeſtantia & excellentis. Erectus namque, vt alia taceam, incedit, vt coelum intueri poſſit, cum bruta contra ad terram prona, ſublimium coeleſtiumque rerum ſe non capacia hoc ipſo demonſtrent. Recte SENECA: *ſcias non eſſe hominem, tumultuarium aut incogitatum opus. Inter maxima rerum ſuarum natura nihil habet, quo magis glorietur, aut cui glorietur. lib. 6. de beneficiis cap.* 23. Similia & PHILO habet, *libr. de plantat. Noae opp. fol.* 169. & ISIDORVS PELVSIOTA *lib.* 1. *epiſt.* 259. In plurimis tamen, qua corpus cum brutis homo conuenit, plurimaque inde, ne nimium ſe efferat, capere poteſt documenta. Contra ſi mentem ſpectes, eiusque nobilitatem & excellentiam, tum demum brutis infinitis paraſangis ſe praeſtantiorem, & ad finem longe nobiliorem, a ſupremo rerum omnium conditore, creatum, intelliget. Sunt, qui hancce hominis dignitatem, nobilitatemque pluribus explicant, quod ex inſtituto fecit GREGORIVS QVECCIVS, de *nobilitate & praeſtantia hominis.* Sed caute admodum & circumſpecte hoc argumentum tractandum, ne miſeriae, quibus hodie circumſeptus homo eſt, obliuiſcamur. Per facultatum enim naturalium, quibus ceteroquin brutis homo praeſtat, abuſum, contingere poteſt, vt brutis ipſis deterior ſit & miſerior.

** Vt Epicuraei corpus praeferebant menti, ita in alterum extremum prolabebantur Platonici, Pythagoraei, & Stoici, in eo fere conſentientes, hominem animo abſolui. Hinc corpus poena animi ac pondus, triſte & obſcurum animi domicilium, carcer & ergaſtulum, illis audiebat. Aſellum onuſtum ARRIANVS vocat, & qui ei obſequantur, feras euadere dicit, in *Epict. l,* 1. *cap.* 3. add. SIMPLICIVS in *Epict. prooemium* & in *cap.* 13. Socratis diſputatio, qua, hominem non corpus eſſe, ſed imprimis animum, contendit, extat apud CICERONEM *lib.* 6. *de republica.* add. HVGO GROTIVS in *annot. ad Rom.* VII, 24. & PETRVS DANIEL HVETIVS in *quaeſtionibus Alnetanis lib.* 3. *cap.* 11. Splendide quidem haec ſimiliaque ab ethnicorum philoſophis differebantur, & ad virtutis ac ſapientiae opinionem conciliandam, tanto magis comparata erant, quo longius ab ea abſunt, qui corpus ſaltem curare, ventrique ſeruire videntur. Quantum denegabant corpori,

tantum

tantum tribuebant animo, non ſatis ad miſeriam, cui animus per naturam immerſus eſt, attendentes. Quod ethnicis labem originalem ignorantibus, condonari quodammodo poteſt. Quam tamen minime merentur veniam, Sociniani & Arminiani, qui haec ethnicorum philoſophorum placita tanto maiori cum periculo aſſumunt, quo acrius ad peccati originalis grauitatem eleuandam, omnes ingenii vires intendunt. Aliter hac de re nos philoſophari docet ſcriptura ſacra, quae corpus non minus quam animum, nos a Deo accepiſſe teſtatur, *Iob.* x. 10. *ſeqq. Pſ.* CXXXIX, 13. 14. Et licet mentis prae corpore praeſtantiam itidem agnoſcat, quippe in qua olim imago diuina exſplenduit, quae tamen eius poſt lapſum miſeria ſit, quam intima corruptio, nos ignorare non ſinit.

§. II.

Corporis etiam vel hoc nomine hic habenda eſt ratio, quod ad animi propenſiones moresque, plurimum eius conferat conſtitutio atque temperamentum: quod vti iam antiquis obſeruatum, ita quotidiana confirmatur experientia. Temperamenti autem ratio ex ſanguine potiſſimum aeſtimanda, * eiusque natura & motu. Prout enim ſanguis aut craſſior eſt, aut tenuior; ſalinis, aut ſulphureis, vel terreſtribus etiam particulis, aut ſero abundat: prout porro aut celeriter, aut tarde mouetur, quod tum ex ipſa eius natura, tum ex vaſorum, per quae decurrit, conditione, aliisue de cauſſis fieri poteſt, temperamentum quoque variat.

* conf. quae dixi *elem. philoſ. pract. cap.* I. *ſect.* 3. §. 7. & quae paſſim medici pariter ac phyſici hac de rè monere ſolent: add. viri clariſſimi IACOBI CAROLI SPENERI diſſertatio *hiſtoriam doctrinae de temperamentis hominum*, exhibens, ſub meo praeſidio in academia Fridericiana, anno MDCCIV. habita.

§. III.

Etſi vero parentum, ex quibus liberi gignuntur, conſtitutio, plurimum citra controuerſiam conferat, vt certo quis gaudeat temperamento: alias tamen ſubinde concurrere cauſſas, etſi nobis non ſatis perſpectas, aut exploratas, certum eſt, & vel inde intelligitur, quod qui ex iisdem geniti ſunt parentibus, liberi, vti animi propenſionibus, ita temperamento quoque corporisque conſtitutione, multum a ſe inuicem differant.

§. IV.

Quo pacto per ſanguinis conſtitutionem, motumque certae animi propenſiones produci queant, explicatu equidem admodum difficile eſſe videtur. Res ipſa tamen per experientiam certa eſt: adeoque, etſi modus, quo hoc fiat, ignoretur, minime in dubium vocanda. Conſtat inter omnes, ad certos motus corporis, certos etiam ſequi motus mentis, & vice verſa; nemo tamen explicauit hactenus, quo pacto corpus in mentem, aut mens in corpus agere queat. Vndecunque autem, aut quocunque etiam modo, prima motuum corporis & mentis connexio fiat, hoc tamen palam eſt, ſi ſemel ea facta ſit, per conſuetudinem

& eorundem motuum perennem recurſum, non poſſe non hanc connexionem confirmari, vt adeo ex certa corporis ſanguinisque conſtitutione, animi quoque mores & inclinationes firmiter colligere liceat.

§. V.

Neutiquam autem exiſtimandum, ac ſi per corporis conſtitutionem peccatum in animum deriuetur: cum potius in ipſa mente ſedem ſuam habeat; vti ſupra iam obſeruauimus. * Sed id quoque iam animaduerſum nobis, incertum eſſe, an determinatio ad certum bonorum apparentium genus, adeoque propenſiones certas, a corpore eiusque temperamento originem habeat, an in ipſa mente ſeorſim ſpectata, quaedam iam propenſionum diuerſitas exiſtat. Hoc ſi eſſet, tum reſpondente mentis propenſionibus corporis conſtitutione, fortiores vehementioresque eas propenſiones reddi, neceſſe eſt, ſin diſcrepante, vim illarum imminui, effectu ſubſequente, qui ex diuerſarum propenſionum, & cauſſarum diuerſas propenſiones producentium, coniunctione, oriri ſolet.

* *ſect.* 4. §. 42. & 79.

§. VI.

Vis autem temperamentorum tum ratione intellectus, tum ratione voluntatis ſeſe exerit. Ratione quidem intellectus, tum inde, non excluſis tamen aliis cauſſis, prouenit, vt iudicii acumine alii polleant, ingenio ſpecialiter ſic dicto praediti ſint alii, alii memoriae quadam felicitate reliquis praeſtent. Voluntatem ſi ſpectes, ad voluptatem per temperamenti conditionem diſponuntur alii, alii ad auaritiam, alii ad ambitionem: ſimulque ad adfectus, qui cum hiſce propenſionibus coniuncti ſunt, aut ex iisdem fluunt.

§. VII.

Solent quatuor vulgo conſtitui temperamenta, ſanguineum, cholericum, melancholicum & phlegmaticum. Phlegmatici tamen in morum doctrina ideo ratio haberi non ſolet, * quod ignauiam potius quandam & torporem inducat, quam ad vitia, aut prauas propenſiones, acriter ſtimulet. ** Vnde hypotheſis de tribus virtutibus cardinalibus ſatis ſibi conſtat, etſi quatuor ſtatuantur temperamenta.

* obſeruatum id iam ſupra *ſect.* 4. §. 42.

** Vt temperamentum cholericum, ſanguineum, melancholicum, tribus vitiis cardinalibus, ambitioni, voluptati & auaritiae reſpondent, ita ſunt, qui exiſtimant, phlegmaticum, proprium eſſe hominum virtuti deditorum. Et negari profecto nequit, ſpeciem quandam virtutis in hominibus eiusmodi temperamento praeditis vel maxime conſpici, dum modeſti, mites, humiles, ab ambitione, ira, vindictae cupiditate, auaritia, inuidia, aliisque vitiis, alieni eſſe videntur. Verum ſi accuratius cuncta conſideremus, aliter pronunciabimus. Qui enim magnorum ſcelerum non ſunt capaces, non ſtatim dediti ſunt virtuti.

virtuti. Nec, quae ſpeciem virtutis habent, ſtatim pro virtutibus ſunt habenda. Patienter ferre iniurias, ſe non efferre ſupra alios, paci & concordiae ſtudere, laudi ducitur, ſed tum demum, ſi ex ſinceto Numinis amore fiat, non autem, ſi ex ignauia atque torpore. Ipſa porro ignauia & pigritia in iis exequendis, quae noſtri ſunt officii, vitio profecto non caret, immo vitium eſt longe maximum. Concedo itaque, & ex phlegmatico temperamento prauos fluere mores: ſed ita, vt ad peculiare bonorum adparentium genus homines non determinet, ſed ignauiam ſaltem & torporem indueat, vnde, ſi cum aliis temperamentis coniunctum ſit, vti ſemper eſt, peculiaris quaedam propenſionum modificatio inde reſultat. conf. *element. philoſoph. pract. part.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 3. §. 13. it. *cap.* 2. §. 12. Et hac quidem ratione doctrina de temperamentis optime reſpondet hypotheſi de tribus vitiis cardinalibus. Neque tamen exiſtimandum, ac ſi hypotheſis de tribus vitiis cardinalibus, numero temperamentorum vnice, aut praecipue, innitatur. Salua ea manebit, ſiue quatuor, ſiue quinque ſtatuas temperamenta, cum praecipue ex obiectorum principalium, & modi, quo mentem afficiunt, diuerſitate pendeat. Temperamenta id efficere poſſunt, vt ad hoc magis obiectum homo determinetur, quam ad aliud: vt vehementius aut remiſſius in illud feratur: idque fieri poterit, ſi duo aut plura coniuncta ſint temperamenta, ſiue ad vim cupiditatis intendendam conſpirent, ſiue ſe mutuo velut impediendo vim iſtam ſufflaminent quodammodo, aut certa ratione modificent. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Namque, quae de numero & efficacia temperamentorum dixi, firmo niti talo, ſuffragante ipſa experientia, exiſtimo.

§. VIII.

Quae ſingulorum temperamentorum ſit ratio, quaeue efficacia quoad intellectum & voluntatem, quae ſigna in corpore etiam compareant, alibi iam & ab aliis * explicatum: proinde id ſaltem obſeruandum, non vno eodemque modo in omnibus temperamenti ſe exerere vires, ſed maximam hic, pene dixerim infinitam, in hominibus conſpici eius varietatem. Praeterquam enim, quod ſanguis ipſe diuerſimode mixtus ſit in diuerſis, aliae quoque cauſſae tum naturales, tum morales, vim temperamenti aut intendunt, aut imminuunt, propenſioneſque ex aliis cauſis ortae, cum iis, quae temperamento originem debent, coniunctae, ita ſe inuicem temperant, vt pro ſingulorum hominum diuerſitate, non poſſit non morum & inclinationum inde prouenire diuerſitas. Quantacunque autem aliarum cauſſarum ad vim temperamenti imminuendam aut modificandam vis ſit, non temere tamen contingere puto, vt quoad ſpeciem mutetur, etſi facile mutetur quoad gradum.

* Praeter veteres, ARISTOTELEM & GALENVM temperamentorum mores ediſſerit SCIPIO CLARAMONTIVS, de *coniectandis cuiusque moribus & latitantibus animi adfectibus, lib.* 1. *cap.* 6. qui veterum tamen placita ſecutus, eiusmodi inſiſtit principiis, quae iam pridem exploſa ſunt a recentioribus. add. VINCENTIVS PLACCIVS, in *promt. inuention. orator. prompt.* 3. *part.* 2. *tit.* 2. *pag.* 285. *ſeqq.* ANTONIVS LE GRAND, *inſtitut. philoſ. part* 8. *art.* 9. *n.* 5. *ſeqq.* cumprimis autem CHRISTIANVS THOMASIVS, qui noſtra aetate diligenter hanc philoſophiae partem excoluit, in *introduct. in ethic. part.* 2. *cap.* 7. *p.* 157. Vt repetam hic, quae hac de re in compendio dici poſſent, eo minus neceſſe eſt, quod hoc iam factum a me ſit, in *elem. philoſoph. practic. part.* 1. *cap.* 2.

ſect. 3. §. 10. *ſeqq.* add. antea laudata diſſertatio, *hiſtoriam doctrinae de temperamentis*, exhibens.

§. IX.

Diuerſitas morum ratione ſexus & aetatis, a corporis itidem praecipue conſtitutione pendet, accedentibus tamen ſubinde & aliis cauſſis. Namque ad ſexum quod attinet, mores qui feminis v. g. tribuuntur, maximam partem corporis conſtitutioni imputandos, certum, itemque educationi & vitae conſuetudini * ad mollitiem ac voluptatem alendam, fouendam, augendamque vnice comparatae. Vnde & omnino factum, vt multa apud hunc ſexum in laude ponantur, quae accuratius conſiderata, ſunt vituperabilia.

* Accurate ſi conſideres, quae de moribus ſequiori ſexui propriis tradi ſolent, eos quodammodo motibus temperamenti ſanguinei, aut phlegmatici, ſaltem iis, vbi principem hi locum obtinent, reſpondere, deprehendas. Huc autem corporis plurimum conferre conſtitutionem, non excluſis cauſſis aliis, nemo tam ignarus erit rerum omnium, qui negauerit. Eſt tamen inter feminas ipſas quoad mores maximum diſcrimen, hac praeter indolem ſexui propriam ex hoc, illa ex alio plus adhuc trahente temperamento, accedente educationis diuerſitate, cauſſisque aliis. Hinc mirum non eſt, ad litterarum ſtudia quasdam non ineptas eſſe, quod & ratio docet, & experientia teſtatur, & vel exempla ab AEGIDIO MENAGIO, in *hiſtoria mulierum philoſopharum*, adducta, comprobant. Prae reliquis, qui hocce argumentum tractarunt, conferendus CHRISTIANVS IVNCKERVS, vir clariſſimus, in *centuria feminarum eruditione & ſcriptis illuſtrium*, quae addita eſt eiusdem *ſchediaſmati hiſtorico, de ephemeridibus eruditorum.* Sceptra feliciter quoque tenuiſſe feminas & variarum gentium annales, & noſtrae aetatis exemplum omnium luculentiſſimum, condocent. Non tamen ex quarundam exemplis de omnibus iudicandum, nec ideo, quae de moribus ſexus certa ſunt & explorata, vocanda in dubium. Abſona hic ſunt & explodenda, quae HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA diſſeruit in libello, de *nobilitate & praecellentia feminei ſexus, eiusdemque ſupra virilem eminentia*: qui additus eſt libro eius, de *incertitudine & vanitate ſcientiarum.* Alterius auctoris impia de hoc ſexu commenta explodit IO. CHRISTOPHORVS BECMANNVS, *meditat. polit. cap.* 6. §. 3. & *polit. parallel. cap.* 6. §. 3.

§. X.

Non minus & de morum diuerſitate, quae ex aetate diuerſa oritur, hoc compertum eſt, & exploratum. * Sanguis enim pro aetatis ratione cum aut ſero, aut particulis variis indolem eius mutantibus abundet, alii hinc mores deprehenduntur infantum & puerorum, alii adoleſcentum & iuuenum, alii virorum, ſenum denique alii. Idque ea ratione, vt phlegmaticorum moribus quodammodo reſpondeant mores infantum & puerorum, ſanguineorum, mores adoleſcentum, & iuvenum, cholericorum, mores virorum, melancholicorum, mores ſenum. Conuerſationis tamen, conſuetudinis, aliarumque cauſſarum, hic itidem habenda eſt ratio, quae ad inclinationes certae aetati ceteroquin proprias aut augendas, aut imminuendas, aut denique modificandas,

candas, plurimum conferunt. Licet autem per aetatis diuerſitatem mutatio quaedam morum ex temperamento pendentium, quoad gradum contingat, hinc tamen non ſtatim mutatio quoad ſpeciem inferenda: quod obſeruaſſe noſtra intereſt.

* Pluribus hoc quod ex aetate oritur, morum diſcrimen explicare, pronum eſſet, nec vtilitate ſua haec careret tractatio. Sed ne in iis, quae ex philoſophorum ſcholis hauriri poſſunt, prolixus ſim, adeat, qui velit, eos, qui hoc egerunt ex inſtituto: quod ex veteribus fecerunt ARISTOTELES, *lib. 2. rhetor. cap.* 12. & eleganter admodum HORATIVS, de *arte poet. verſ.* 158. *ſeqq.* ad quem locum etiam conferendus FRIDERICVS RAPPOLDVS. Ex recentioribus SCIPIO CLARAMONTIVS, de *coniectandis cuiusque moribus &c. lib. 2. cap. 8. ſeqq.* IOAN. BARCLAIVS, in *icon. animor. cap.* 1. VINCENTIVS PLACCIVS, *promptuar. inuent. orator. prompt.* 3. *part.* 2. *tit.* 6. cumprimis autem IO. MICHAEL DILHERRVS in peculiari de *moribus aetatum*, diſſertatione, quae extat *diſputationum* eius *academicarum tom.* 2. *p.* 129. *ſeqq.* Sed ita conferendi auctores ſunt, vt in quo conueniant, aut diſſentiant, obſeruetur, & tum eligatur, quod rationi & experientiae, quam maxime conforme eſt. In compendio etiam mores aetatum edisſerui ipſe, in *element. philoſ. pract. part.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 3. §. 19. *ſeqq.*

§. XI.

Ad corpus etiam quodammodo pertinent ſenſus externi: ſaltem organa illorum in corpore exiſtunt, quorum beneficio certi excitantur ſpirituum animalium motus in mente, certas iterum perceptiones effecturi, vnde ſenſus interni. Quemadmodum autem & externi ſenſus mentis directioni quodammodo obnoxii ſunt, vnde & vſus illorum legitimus, & maximus ſimul grauiſſimusque abuſus eſſe poteſt: ita per conſuetudinem habitualis quaedam in iis quoque produci diſpoſitio poteſt; illis, qui gratiae & naturae diſcrimen vbique obſeruare volunt, non prorſus negligenda.

§. XII.

Quod de corpore diximus, ad certas animi propenſiones plurimum illud conferre: illud de rebus quibusdam, extra hominem poſitis, identidem eſt intelligendum. Eo nomine tum naturales, tum morales res, nobis veniunt, quibus, ſi non directe & immediate, ſaltem indirecte & mediate certae hominum excitantur, aut aluntur, & fouentur propenſiones.

§. XIII.

Et naturales quidem res corpus primum afficiunt, ſanguinisque conſtitutionem temperant, & ita demum ad mentis facultates qua intellectum, qua voluntatem modificandas, aliquid conferunt. Sic pro locorum varietate, varii hominum conſtitui ſolent mores. * Quod ad integras quoque gentes pertinet, quarum mores, propenſionesque diuerſae, paſſim notari ſolent. ** Cuius diuerſitatis ratio ex aeris qui-

Digitized by Google

dem, quem hauriunt, & alimentorum, quibus nutriuntur, praecipue petenda eſt conditione, ſed tamen vt conſuetudo, educatio, imitatio, aliaeue cauſſae morales, minime prorſus excludendae ſint.

* Ad res naturales praeter alia & tempus, & locus, referri ſolent, conf. *element. philoſoph. pract. part.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 3. §. 41. Ad tempus quod attinet, ſunt, qui velut genium quendam peculiarem temporum eſſe credunt, qui & mores & ingenia hominum, vtcunque inflectat, & ad certa ſtudia trahat. In Aegyptiorum, Graecorum, Romanorum, ipſorum Germanorum, aliorumque populorum exemplo comprobari poſſe exiſtimant; quorum pro temporum diuerſitate, diuerſi fuere mores, diuerſa ſtudia. Prolixius hoc ediſſerit IO. BARCLAIVS, in *icone animorum, cap.* 2. Videntur tamen hi ipſi tempori tribuere, quod longe aliis cauſſis tribuendum eſt. Temporis enim per ſe, nulla in hominum mores vis eſt & efficacia. At tempus eum velut indicet atque manifeſtet mutationem morum, quae ex longe aliis cauſſis prouenit, hinc vt ipſi tempori ea mutatio tribuatur, fieri ſolet. Cauſſae vero eiusmodi mutationum variae eſſe poſſunt, regum ſcilicet principumque exempla, aut inſtituta ad certum vitae genus, aut mores certos excitandos fouendosque comparata, gentium migrationes, commixtiones, rerumpublicarum & imperiorum conuerſiones, vitae generis, qua cibum, potum & alia, mutatio, & quae reliqua ſunt, eiusdem commatis. Haec omnia enim ad morum mutationem plurimum conferre, nemo dubitauerit: cumque ſenſim, nemine fere animaduertente, iſta mutatio fiat, & hoc ſaltem aduertamus, quod hoc aut illo tempore hi vel alii mores floruerint, ipſi, vt diximus, hoc tribui tempori ſolet. Confirmari haec pluribus poſſunt ex iis, quae HERMANNVS CONRINGIVS diſſerit in libro: de *habitus corporum Germanicorum, antiqui ac noui, cauſſis.*

** Plurimis hoc iam obſeruatum. Rhodii apud TITVM LIVIVM *lib.* 45. *cap.* 23. hac de re ita verba faciunt: *Tam ciuitatum, quam ſingulorum hominum mores ſunt. Gentes quoque aliae iracundae, aliae audaces, quaedam timidae: in vinum & venerem proniores aliae ſunt. Athenienſium populum, fama eſt, celerem, & ſupra vires audacem eſſe ad conandum: Lacedaemoniorum, cunctatorem, & vix in ea, quibus fidit, ingredientem. Non negauerim, & totam Aſiae regionem inaniora parere ingenia, & noſtrorum tumidiorem ſermonem eſſe, quod excellere inter finitimas ciuitates videamur.* Sic Cretas mendaces dicit Paulus, auctoritate poetae ethnici vſus: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί, *Tit.* 1, 12. Graecos etiam mendaces vocat IVVENALIS *ſat.* 10.

— — *& quidquid Graecia mendax*
audet in hiſtoria.

Sybaritae ob luxuriam olim vapularunt. Sardi, venales dicti, & ſic porro. Gentium hocce qua mores diſcrimen, obſeruauit SALVIANVS de *gubernatione Dei lib.* 4. *p. m.* 75. *Gens Saxonum,* inquit, *fera eſt, Francorum infidelis, Gepidarum inhumana, Chunorum impudica, omnium denique gentium barbararum vita, vitioſitas.* Et *lib.* 7. *pag.* 148. *Gothorum gens perfida, ſed pudica eſt, Alanorum impudica, ſed minus perfida. Franci mendaces, ſed hoſpitales: Saxones crudelitate efferi, ſed caſtitate mirandi.* Ita olim erat. Addit SALVIANVS: *omnes denique gentes, habent ſicut peculiaria mala, ita etiam quaedam bona.* Sed plura hac de re dabunt ALEXANDER AB ALEXANDRO, *lib.* 4. *dier. genial. cap.* 13. HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA, de *vanitate ſcientiarum, cap.* 54. DEVINVS MOLKENIVS, ad *Thomae Browne religionem Medici part.* 2. *ſect.* 4. Ex inſtituto vero gentium variarum, praeſertim modernarum, mores deſcribunt SCIPIO CLARAMONTIVS, de *coniectandis cuiusque moribus, lib.* 2. *c.* 6. IO. BARCLAIVS, in *icone animor. cap.* 3. *ſqq.* IO. BODINVS, in *methodo hiſtor. cap.* 5 & *lib.* 5. *de republ. cap.* 1. CHRISTOPHORVS BESOLDVS, in *diſcurſu de natura populorum,* EDO NEVHVSIVS, in *theatro ingeniorum*

rum aliique. Addi his plurima poſſent, ceteris non obſeruata, aut lucem adfundentia obſeruatis, ſi ad ſpecialia deſcendere noſtri ferret inſtituti ratio.

§. XIV.

De rebus moralibus, quibus hominum iudicio & conſtitutione pretium aut volor aliquis impoſitus, aut quae omnino ab hominum inſtitutione pendent, itidem obſeruandum, quod per ſe certas propenſiones non producant. Cum tamen ob opinionem, quam de illis homines fouent, magna ſaepius in animos mortalium earum vis ſit, tum ad cupiditates irritandas, tum ſi ſaepius obuerſentur, ad certas propenſiones inclinationesque ſenſim producendas aut fouendas, omnino hic quoque in cenſum veniunt. Et hinc *nobilium & plebeiorum, imperantium & parentium, diuitum & pauperum* &c. diuerſi paſſim, conſtitui mores ſolent, * ſuffragante & ſubinde experientia.

* Nota haec ſunt, & paſſim apud ſcriptores obuia. De nobilibus SALLVSTIVS de Metello agens: *inerat contemptor animus, & ſuperbia, commune nobilitatis malum, de bello Iugurthino p. m.* 288. De plebis contra moribus LIVIVS: *haec natura multitudinis eſt, aut ſeruit humiliter aut ſuperbe dominatur. Libertatem, quae media eſt, nec ſpernere modice, nec habere ſciunt &c. lib.* 24. *c* 25. Inconſtantiam plebis notat CORNELIVS NEPOS, in *Dione cap.* 10. qui & alios eius characteres tradit, in *Timotheo cap.* 3. quod & VELLEIVS PATERCVLVS facit *lib.* 2. *cap.* 29. add. IVSTVS LIPSIVS, *polit. lib.* 4. *cap.* 5. TRAIANVS BOCCALINI, *relat. ex parnaſſo, lib.* 3. *cap.* 33. aliique. Cuncta, quae omnes iſti tradunt, eo fere redeunt, ad ſuperbiam nobiles, ad voluptatem & auaritiam pronos eſſe plebeios. Cetera enim hinc facile deriuari poſſunt. Cauſſa palam eſt, quod exemplis, vitae genere, conſuetudine, ad ſuperbiam nobiles excitentur: quae omnia apud plebeios ad voluptatem & auaritiam, aliosque hinc profluentes mores, ſuſpicionem, inuidiam, inconſtantiam &c. conſpirant. De imperantium, parentiumque idem dicendum eſt moribus: quanquam ipſorum imperantium pro diuerſo imperii ſtatu & forma, diuerſi eſſe mores cenſeantur. vid. IO. BARCLAIVS, in *icon. animor c.* 13. NICOLAVS MACHIAVELLVS, *diſcurſib. in Liuium, lib.* 1. *cap.* 18. Diuitum pariter ac pauperum mores deſcribunt SCIPIO CLARAMONTIVS, de *coniectandis cuiusque moribus. lib.* 3. *c.* 3. & 4. BARCLAIVS, in *icon. animor. cap.* 14. VINCENTIVS PLACCIVS, *prompt. inuent. orat prompt.* 3. *part.* 2. *tit.* 12. & 13. aliique. Immo nullum fere vitae genus eſt, quod non ad certos mores diſponat homines, & procliues reddat: qua de re itidem ex inſtituto CLARAMONTIVS, de *coniectand. morib. lib.* 3. *cap.* 6. *ſeqq.* & BARCLAIVS, in *icon. animor. cap.* 14. 15. & 16. Sed vbique allata valet ratio: quod ſtatus iſti per ſe nihil efficiant, ſed occaſionem ſaltem certos mores inducendi, inclinationesque certas alendi, fouendique, praebeant. Quae omnia, vt ad morum varietatem & modificationem, ita ad naturalem & inſitam prauitatem augendam & corroborandam, plurimum profecto conferunt.

§. XV.

Praemittenda haec, quae diximus, paucis fuere, vt in his quoque naturae * & gratiae diſcrimen eo luculentius pateret. Et *naturae* quidem intimam corruptionem, vis illa corporis & temperamentorum ad mentem conturbandam, prauasque propenſiones aut inducendas, aut confirmandas, ſatis prodit. Quod ſi cuncta expendantur accuratius

ratius, non poteſt non peccati originalis, in corpore non minus, quam mente ſe exerentis, effectus, luculentiſſime in hiſce conſpici. conf. *Pſalm. LI*, 7.

* Recte IO. HORNBECKIVS: *hominum diuerſa ſunt vitia, pro temperamento corporis calido, aut frigido: pro aetate iuuenili ac adulta; pro ſexu & viuendi denique conditione. Aliis ac aliis obnoxia eſt vita contemplatiua & actiua; ciuilis & aulica, aliis premitur vita mechanica & mercatoria, ſtudiis occupata aut artibus. Atque vti in ſingulis viuendi generibus diabolus ſua habet allectamenta & tentationes, ſic aduerſus ſingula ſedulo obfirmandus eſt animus, quacunque ex cauſſa obueniant & inſidientur; theol. practic. lib.* 5. *cap.* 4. *pag.* 369.

§. XVI.

Et ſane *mores* ex *temperamento* fluentes, in hominibus, qui regeniti non ſunt, & gratia deſtituuntur, ſemper mali ſunt: hoc tamen diſcrimine, quod quidam per ſe vitium inuoluant, hinc ſupprimendi & corrigendi, alii, ſi directio & ſanctificatio gratiae accedat, boni fieri queant. Ad priorem claſſem ambitio, voluptatis cupiditas, ſimilesque propenſiones pertinent; ad poſteriorem, pronitas ad commiſerationem, ſobrietatem, iuſtitiam externam, diligentiam, & aliae eiusdem generis.

§. XVII.

De *moribus aetatum*, idem cenſendum. Leuitas illa, & inconſtantia, pronitasque ad edendum, ludendum, tempus otio tranſigendum in pueris; voluptatum cupiditas, & *concupiſcentiae*, quas apoſtolus, *iuueniles* vocat, *2 Tim. II, 22.* in adoleſcentibus & iuuenibus; exiſtimationis & gloriae ſtudium in viris; auaritia & moroſitas in ſenibus, non poſſunt non de naturae corruptione, per alias etiam cauſſas augenda aut modificanda, in ſingulis hominum aetatibus, teſtari.

§. XVIII.

Res externae, ſiue mediate, ſiue immediate mentem adficiant, ſiue naturales ſint, ſiue ciuiles, in ſe quidem maximam partem ſunt indifferentes, hominumque adeo ipſorum vitium eſt, quod cupiditatibus irritandis, hinc & prauis propenſionibus augendis corroborandisque inſeruiunt: ſed hoc ipſo humanae imbecillitatis & miſeriae documentum praebent.

§. XIX.

Tantem, in ipſis quoque *ſenſibus externis*, intima naturae humanae corruptio conſpicitur. Praeterquam enim, quod grauiſſimo abuſui obnoxii ſint, & inſtrumentum velut aliquod omnigenae voluptatis praebeant, & pro vitae mortisque ianua quadam a nonnullis recte habeantur, procliuitas etiam quaedam ad motus peccaminoſos, pravasque

asque delectiones, in iis contrahi poteſt, internae corruptionis teſtimonium luculentiſſimum praebitura. conf. *2. Petr. II, 14. Rom. VI, 19.*

§. XX.

Ex his omnibus, quin plurima maximaue conuerſionis & vitae chriſtianae oriantur impedimenta, nemo puto ſanae mentis dubitauerit. Nimirum ad mores *ex corporis conſtitutione & temperamento* oriundos quod attinet, eadem hic recurrunt impedimenta, quae vitia cardinalia, quibus certa ratione reſpondent, comitari ſolent: quae ſupra iam indicauimus. *

* *ſect. 4. huius capitis §. 82. ſeqq.*

§. XXI.

De *moribus aetatum* idem conſtat. Praeterquam enim, quod & ipſi ad vitia varia, & praua quaeuis ducant, alia adhuc accedunt. De prima aetate, infantum ſcilicet & puerorum non dicam. Quamdiu enim rationis vſus abeſt, inſtitutio quoque chriſtiana non recte procedit: ipſa tamen leuitas, aliaque huius aetatis vitia obſtant, quo minus ea admittantur, quorum haec quoque aetas vtique capax eſt. In adoleſcentia & iuuentute, ad vitia huic aetati propria, accedit noua perſuaſio, hilariter & iucunde hanc aetatis partem tranſigendam, nec vllam temere occaſionem, explendi voluptatem, praetermittendam eſſe. conf. *Sap. II, 6. 7. 8.* Hoc tamen haecce aetas habet commodi, quod vitia per diuturnitatem ac conſuetudinem non tam radicata ſint, quam in virili, maxime ſenili aetate: vnde hac quidem ex parte corrigi facilius poſſunt. In virili namque, peccandi non tantum conſuetudo plerumque emendationem difficiliorem reddit: ſed curis domeſticis negotiisque variis animus ita diſtrahitur, vt de rebus ad ſalutem aeternam ſpectantibus, vix vllas ſerio ſuſcipere valeat cogitationes. In ſenili multo adhuc magis corroborata eſt peccandi conſuetudo: hinc difficultas ſumma aliorum audiendi conſilia, aut ſibi perſuadendi, accedit, ſe in tanta aetate emendatione adhuc egere: vt reliqua incommoda quamplurima, quae hanc aetatem circumſtant, praeteream. *

* Ipſe rex ſapientiſſimus Salomo, incommoda ſenectutis commemorando, grauiſſime iuuenes adhortatur, ne eousque vitae emendationem differant. Namque, *memento,* inquit, *creatoris tui in diebus iuuentutis tuae, dum non veniunt dies mali, & accedunt anni, de quibus dicas, non eſt mihi in iſtis voluptas. Dum non obtenebratur ſol, & lux, & luna, & ſtellae, & redeunt nubes poſt pluuiam. Quo die tremunt cuſtodes domus, & incuruati ſunt robuſti, & acciſae ſunt molitrices, quod rarae ſunt, & tenebris laborant videntes per feneſtras &c. Kohel. cap.* XII, 1..7. Senectutem, *dies malos* vocat, propter incommoda, & mala triſtia, quibus expoſita eſt ſenectus: quae mentem etiam impediunt, quo minus libere &

Digitized by Google

ſerio ad ea attendat, aut prompte & cordate ſuſcipiat, quae ad eius ſalutem ſunt neceſſaria. Immo ipſa illa mentis imbecillitas, maximum obſtaculum & impedimentum adfert, quam rex ſapientisſimus hisce verbis exprimit: *dum non obtenebratur ſol & lux, & luna, & ſtellae.* Ad euitandam enim tautologiam, de internis microcosmi luminibus haec intelligunt periti interpretes, cum de corporis oculis in ſequentibus verba faciat. Significatur itaque imminutio intellectus, ingenii, iudicii, memoriae, quae omnia in ſenibus debilitari ſolent, vt quaſi repuerascere videantur. Vnde Prouerbium: *bis pueri ſenes.* add. HERMANNI WITSII diſſertatio de *officiis iuuentutis, & incommodis ſenectutis,* quae ſexta eſt in parte ſecunda *miſcellan. ſacror. p. 164. ſeqq.*

§. XXII.

Quantum ex *rebus externis*, ſpeciatim variis hominum ſtatibus, vitae chriſtianae oriatur impedimentum, ſcriptura ſacra paſſim docet. Huc illud ſeruatoris pertinet: *ſi quis ad me venit, nec ſuum patrem aut matrem, & vxorem & liberos, & fratres, & ſorores, atque adeo ſuam ipſius animam odit, non poteſt meus eſſe diſcipulus, Luc. XIV, 27.* Nimirum, quod de proxime cognatis Chriſtus dicit, de aliis hominibus ſtatibusque, etſi ſua natura innoxiis, identidem intelligendum, facile inordinato amore illis ita adhaereſcere homines, & ad prauas ſuas cupiditates alendas & fouendas iis abuti, vt per ſui abnegationem omnino animus ab illis ſeiungendus ſit. conf. & *1 Cor. I, 26. ſeqq.* Huc pertinent, quae de diuitiis quoque, earumque abuſu, paſſim ſcriptura docet, per eas maximum ſaepius ſibi homines obſtaculum ponere, quo minus intrare in regnum coelorum queant. * conf. *Math. XIX, 23. 24. Marc. X, 23. 25. Luc. XVIII, 23. 24. 25. 1. Tim. VI, 9.*

* Ex inſtituto hocce argumentum ex veteribus tractauit CLEMENS ALEXANDRINVS, in libro: *quis diues ſalutem conſequi poſſit?* quem poſt MICHAELEM CHISLERIVM & FRANCISCVM COMBEFISIVM, aliosque, in *ſupplemento operum Clementis Alexandrini*, edidit THOMAS ITTIGIVS, theologus quondam Lipſienſis celeberrimus. Eleganter autem in hoc libro oſtendit CLEMENS, duo hic ſedulo euitanda eſſe extrema, in quae incidere queant, qui verba ſeruatoris non recte capiunt. Alterum illorum eſt, qui ex illis colligunt, ac ſi diuitibus ſpes omnis intrandi in regnum coelorum per iſta ſit denegata, vnde animum deſpondentes aguntur in transuorſum. Alterum eorum, qui equidem agnoſcunt, nec diuitibus viam ad ſalutem interclusam eſſe, non tamen animaduertunt, quae & quantae diuitibus ſuperandae ſint difficultates, ſi aeternae compotes fieri velint ſalutis, & quanto illis ad hoc opus ſit ſtudio atque labore. Vtrumque refellit errorem, & rem omnem ſimili quodam hunc in modum illuſtrat: ἀλλ' ὅνπερ τρόπον ἔχει τὸ τῶν ἀθλητῶν, ἵνα μικρὰ καὶ ἐπίκηρα μεγάλοις καὶ ἀφθάρτοις παραβάλλωμεν, τοῦτο καὶ ἐφ' ἑαυτῷ ὁ κατὰ κόσμον πλουτῶν λογιζέσθω· καὶ γὰρ ἐκείνων ὁ μὲν ὅτι δυνήσεται νικᾶν καὶ στεφάνων τυγχάνειν ἀπελπίσας, οὐδ' ὅλως ἐπὶ τὴν ἄθλησιν ἀπεγράψατο· ὁ δὲ ταύτην μὲν ἐμβαλλόμενος τῇ γνώμῃ τὴν ἐλπίδα, πόνους δὲ καὶ τροφὰς καὶ γυμνάσια μὴ προσιέμενος προσφόρους, ἀστεφάνωτος διεγένετο, καὶ διήμαρτε τῶν ἐλπίδων· οὕτω τις καὶ τὴν ἐπίγειον περιβεβλημένος περιβολὴν, μήτε τὴν ἀρχὴν ἑαυτὸν ἆθλον τοῦ σωτῆρος ἐκκηρυσσέτω, πιστός γε ὤν, καὶ τὸ μεγαλεῖον συνορῶν τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας· μήτε μὴν αὖθις ἀνάσκητος καὶ ἀναγώνιστος μείνας, ἀκονιτὶ κἀνιδρωτὶ τῶν στεφάνων τῆς ἀφθαρσίας ἐλπιζέτω μεταλαβεῖν· ἀλλ' αὑτὸν ὑποβαλλέτω φέρων γυμναστῇ μὲν τῷ λόγῳ, ἀγωνοθέτῃ δὲ τῷ Χριστῷ. *Sed Sicut ſe in athletis res habet, (vt parua & corruptibilia cum magnis & incorruptibilibus conferamus) ita quoque in ipſo contingere, cogitet, qui ſeculi opibus diues eſt. Etenim quicunque de victoria & corona deſperauerit, is nec omnino, vt in arenam deſcendat, nomen dederit*

dederit: qui vero hanc ipſe quidem animo ſpem conceperit, labores tamen & cibos & exercitationes in eam rem congruas non admittit, corona indonatus manet, ac ſpes illum fruſtrata eſt. Sic & quisquis terrenis opibus affluit, caueat, ne ſe ipſe primum a ſeruatoris certaminibus praemiisque excluſum ducat, modo fidelis exiſtat, ac diuinae bonitatis magnitudinem intelligat: nec rurſus nulla exercitatione, nulloque certamine poſito, citra puluerem atque ſudorem immortalitatis ſe corona donandum ſperet: ſed ſe verbo tradat ac rationi tanquam palaeſtrae magiſtro, Chriſtoque certaminum praeſidi ſubiiciat. Ita quidem praeclare CLEMENS *l. c. p. 9.*

§. XXIII.

Nec iſtud praetermittendum, quia mores ex rebus externis & hominum ſtatibus fluentes, pluribus ſunt communes, falſam hinc facile enaſci opinionem, qui eiusdem ſtatus aut conditionis ſunt, aliter viuere non poſſe, nec alios ab iis poſtulandos eſſe mores, quam quibus reuera praediti ſunt, immo hoc ipſo, quod aut omnes, aut plerique, qui eiusdem ſtatus ſunt & conditionis, iis moribus viuant, intelligi, eos minime malos eſſe. Qua ratione, cum fiat, vt grauiſſima vitia pro vitiis non habeantur, aut pro eiusmodi vitiis, quae euitare aut exuere nec liceat, nec poſitum in cuiusquam viribus ſit, quantum inde conuerſionis vitaeque chriſtianae impedimentum oriatur, nemo non intelligit.

§. XXIV.

In *externis* quoque *ſenſibus*, ſi peculiaris quaedam ad praua diſpoſitio adſit, cuiuslibet facile obiecti occurſus, praeſertim ſi prouida circumſpectio & cautio abſit, irritare adfectus prauos, mentemque turbare poteſt, vnde noua ſemper ad vitae emendationem progreſſuris impedimenta, certaminumque apud illos, qui iam conuerſi ſunt, vberrima ſeges.

§. XXV.

Vt *naturae corruptio*, ita non minus in his omnibus *gratiae vis* ſe exerit. Namque ad corporis conſtitutionem temperamentumque quod attinet, illud penitus quidem mutari nequit: propenſiones autem inde orientes & inclinationes, in quantum malae ſunt, corrigi per gratiam, accedente conſuetudine & exercitatione, atque emendari poſſunt; indifferentes autem dirigi & ſanctificari, vt varii inde in rem communem chriſtianorum redundent fructus. * Nam ſua iſta inclinationum varietas, ſi directio & ſanctificatio accedat, habet commoda: habet & incommoda varia, prout in variis tentationum generibus, hinc quoque deriuandis, conſpicitur, ſed tandem tamen, ſi per fidem cuncta ſuperentur, in commodum maximum gloriamque fidelium, ceſſura.

* Id exemplis virorum, quos ſcriptura commemorat, ſanctisſimorum, Dauidis, Salomonis, Pauli, Petri, Ioannis, aliorumque, comprobari poteſt; quorum etſi diuerſi eſſent, ex cor-

poris

poris conſtitutione prouenientes mores, cum tamen per fidem ſanctificarentur, & legitime per ſpiritus ſancti gratiam dirigerentur, ipſa haec morum, donorumque varietas, commodorum plurimorum in eccleſiam redundantium, excellentiſſimorumque fructuum, cauſſa extitit. Legi merentur, quae de moribus donisque naturalibus Petri & Pauli, apoſtolorum, differit GVILIELMVS CAVE *antiquit. apoſtol. in vita Petri cap.* 10. *pag.* 294. *ſeqq.* & in *vita Pauli cap.* 8. *pag.* 426. *ſeqq.* Ex diuerſitate morum, ad eundem tamen finem conſpirantium, quae in ſanctis & regenitis conſpicitur, inter alia hic etiam reſultat fructus, vt membra corporis Chriſti rite inter ſe coniungi & coaptari queant, & adeo τὸ σῶμα, διὰ τῶν ἁφῶν, καὶ συνδέσμων ἐπιχορηγούμενον καὶ συμβιβαζόμενον, ſub capite Chriſto, creſcat incremento Dei, *Coloſſ.* II, 9. nec tamen vllus in ea donorum neceſſariorum defectus conſpiciatur, 1 *Cor.* XII, 4.

§. XXVI.

Nulla quoque aetas eſt, quae gratiae diuinae expers, aut incapax cenſeri debet, cum nulla ſit, in quam fides non cadat. * Haec itaque inefficax aut otioſa cenſeri non debet: etſi tum maxime hoc deprehendatur, cum rationis ſeſe exerere incipit vſus. Videas hinc exempla puerorum & iuuenum, magno animo ad virtutem chriſtiano homine dignam contendentium, nec puerile quidquam aut iuuenile, agentium. Pro vitiis itaque, hiſce aetatibus propriis, virtutes contrarias induunt. Quod & de virili pariter ac ſenili aetate cenſendum, ſi gratiae diuinae operationi locus in iis concedatur.

* Nec ſexum, nec aetatem diſtinguit diuina gratia. Sunt inter pueros, qui fidei, & fortitudinis, plus quam virilis, aliarumque virtutum exempla dedere admiranda. Vetus eccleſia inter martyres illuſtriſſimos non minus pueros & feminas, quam viros, numerat. *Noſtri pueri,* inquit LACTANTIVS, *& mulierculae tortores ſuos taciti vincunt, & exprimere illis gemitum nec ignis poteſt;* & iterum: *ecce! ſexus infirmus, & fragilis aetas dilacerari ſe toto corpore vtrique perpetitur: diuinar. inſtitut. lib.* 5. *cap.* 13. Quae ORIGENIS, admodum adhuc adoleſcentis, fuerit conſtantia, quae martyrium ſubeundi cupiditas, notum eſt. Illuſtrius adhuc exemplum eſt THEODORI adoleſcentis, cruciatus ſummos ſine vlla fere doloris ſignificatione, non conſtanter modo, ſed hilariter ſub Iuliano ſuſtinentis, & ethnicorum hac ratione eludentis ſaeuitiam: de quo multa SOCRATES, *hiſt. eccleſ. lib.* 3. *cap.* 18. 19. SOZOMENVS, *hiſt. eccleſ. lib.* 5. *cap.* 19. 20. THEODORETVS, *hiſt. eccleſ. lib.* 3. *cap.* 10. 11. EVAGRIVS, *lib.* 1. *cap.* 16. aliique. De Iulitta BASILIVS magnus, *homil.* 5. aſſerit, quod decertauerit ἐν γυναικείῳ σώματι ἀνδρειοτάτην ἄθλησιν, *muliebri corpore virile certamen*; eandemque vocat τὴν τῷ μεγαλοφυεῖ τῆς ψυχῆς τῆς γυναικείας φύσεως τὴν ἀσθένειαν ἀποκρύψασαν, *feminam heroica animi fortitudine, infirmam naturae muliebris conditionem ſupergreſſam.* Addenda ſunt, quae CHRYSOSTOMVS habet, *ſermone* 67. de *S. Droſide*, & *homil.* 41. de *Pelagia*, item 51. de *Bernice, & Prosdoce*, alibique; conf. & CHRISTIANVS KORTHOLTVS de *perſecutionibus eccleſiae primaeuae cap.* 5. §. 50. *p.* 195.

§. XXVII.

Eadem quoad mores ex rebus externis oriundos, gratiae vis eſt & efficacia. Emendantur, corriguntur, diriguntur, quae ex cauſſis naturalibus extra nos poſitis, aut rerum externarum poſſeſſione aut vſu, exiſtunt inclinationes. * Sic ingenii animique dotes ſingulis gentibus propriae, hac ratione in quibusdam emendatae & ſanctificatae.

ad

ad eccleſiae emolumentum regnique Chriſti amplificationem plurimum conferunt: vt habeat eccleſia, quod Iudaeis, & Graecis, Italis, Gallis, Germanis, &c. imputet. Diuitias etiam, dignitates, honores non reſpuit homo regenitus, ** ſed ita iis vtitur, ne abutatur, *1 Cor. VII, 29. 30.* exemplo Abrahami, Moſis, Dauidis, aliorumque.

* Vndecunque etiam vitia oriantur, quocunque etiam ſe habeant modo, gratia tamen diuina corrigi atque emendari poſſunt, niſi homo ipſe repugnet. Exemplo vitiorum, quae integris gentibus velut propria ſunt, & adeo plerumque firmiter radicata, hoc declarari poteſt. Etſi enim difficulter admodum eorum emendatio procedat, obtineri tamen eandem poſſe, experientia docet. Extat hac de re inſignis SALVIANI Maſſilienſis, locus, *lib. 7. de gubernatione Dei p. m.* 148. De Afrorum enim moribus verba faciens, maximam in illis praecipue notat impuritatem, cui ita dediti ſint, vt vix eam exuere poſſe videantur. *Ac primum,* inquit, *vt de impuritate dicamus, quis noſcit, Africam totam obſcoenis libidinum taedis ſemper arſiſſe, non vt terram ac ſedem hominum, ſed vt Aethnam putes impudicarum fuiſſe flammarum? Nam ſicut Aethna inteſtinis quibusdam naturae feruentis ardoribus, ſic illa abominandis iugiter fornicationum ignibus aeſtuauit. Nec volo in hac re adſertionibus meis credi: teſtimonium requiratur generis humani.* Tum vero addit: *Quis non omnes omnino Afros generaliter ſciat impudicos,* NISI AD DEVM FORTE CONVERSOS, *ideſt, fide ac religione mutatos.* Ita ergo hac etiam in re, iuxta SALVIANVM gratia naturam perdomat. Addit: *ſed hoc tam rarum eſt ac nouum, quam rarum videri poteſt, quemlibet Gaium non eſſe Gaium, aut quemcunque Seium non eſſe Seium.* Difficulter namque communia iſta gentis cuiusdam vitia ſuperantur. conf. *Tit. I,* 13. Idem, quod de gentium integrarum vitiis diximus, etiam de vitiis ex certo ſtatu aut vitae genere profluentibus, exiſtimandum. Quantumuis arctiſſimo ſaepius vinculo cum ſtatu quodam aut vitae genere coniuncta vitia videantur, hominum tamen, non ipſius ſtatus, ea eſſe vitia, ſi res accuratius expendatur, deprehendemus. Exempli loco vita militaris eſſe poteſt, quam multis vitiis incitamentum & occaſionem praebere, conſtat inter omnes, adeo, vt in prouerbium etiam abierit:

Nulla fides pietasque viris, qui caſtra ſequuntur.

Quem tamen fugit, fuiſſe omni tempore inter milites etiam, qui ſuperatis, quae ex vitae genere oriri poterant, per gratiam difficultatibus omnibus, fidei veraeque pietatis praeclara reliquere exempla; vt centurio ille Capernaiticus *Matth.* VIII, 5. *ſeqq. Luc.* VIII, 2. & Cornelius *Actor.* x, 1. 2. Sed in veteris quoque eccleſiae chriſtianae hiſtoria celebrantur exempla quam plurima militum, qui in ſpirituali militia conſtantiam & fortitudinem perſona, quam gerebant, dignam demonſtrarunt, tantum abeſt, vt vitiis huic ſtatui propriis ſe abripi paſſi ſint. Legendus ea de re EVSEBIVS *lib. 6. hiſt. eccleſ. cap.* 41. & *lib. 7. cap.* 15. BASILIVS magnus, *orat. de Gordio,* & de 40. *martyribus,* CHRYSOSTOMVS *homil. in Iuuentin. & Maximum,* ne quid de iis dicam, quorum in martyrologiis paſſim iniicitur mentio. Nec praetermittendum, quod EVSEBIVS obſeruat, *hiſt. eccleſ. lib. 8. cap.* 4. Satanam cum eccleſiae perſecutionem moliretur, initio eos, qui in exercitu militabant, fuiſſe adortum, quod crederet, *reliquos nullo negotio ſe expugnaturum, ſi hos primum in certamine ſuperaſſet.* Tantum in militibus etiam poteſt gratia. add. CHRISTIANVS KORTHOLTVS, de *perſecutionibus eccleſiae primaeuae cap.* 3. §. 20. *pag.* 92. *ſeqq.*

** Duplex iterum ſe hic offert extremum, in quorum alterutrum, praecipiti curſu plerique mortales ruunt. Nonnulli circa diuitias, honores, aliasque res ita verſantur, ac ſi nullum inde ſibi immineret periculum, nec corrumpi mores, ac veneno velut quodam infici poſſent. Alii contra, honores prorſus fugiunt, dignitates reſpuunt, ſolitudinem quaerunt, opum omnem poſſeſſionem damnant: quod olim tamen plures fecere, quam hodie Ita gratiam, quae illibatam intemeratamque in iſtarum rerum poſſeſſione mentem ſeruare poteſt,

ignorant alii, alii contemnunt, aut alii diffid:nt. Quod de diuitiis egregie diſſerit Alexandrinus CLEMENS, id de aliis eiusdem generis rebus externis itidem intelligi poteſt. Verba enim Chriſti ad iuuenem, gloriantem, quod omnia legis praecepta ab ineunte aetate ſervaſſet, *vende, quae habes*, explicaturus, *quid vero*, inquit, *hoc ſibi vult? Haut ſane, quod quidam obuio ſtatim ſenſu accipiunt, facultates a ſe proiici iubet, & pecunias a ſe amouere;* ἀλλὰ τὰ δόγματα περὶ χρημάτων ἐξορίσαι τῆς ψυχῆς, τὴν περὶ αὐτὰ πτοίαν καὶ νόσον, τὰς μερίμνας, τὰς ἀκάνθας τοῦ βίου, αἳ τὸ σπέρμα τῆς ζωῆς συμπνίγουσιν: *ſed quae de diuitiis vana iudicia ſunt, animo exterminare, erga eas effrenem libidinem ac auaritiae labem, ſollicitudines, ſeculi ſpinas, quae ſuffocant vitae ſemen.* Et paucis interiectis: *nec noua res, abdicare diuitias, & in pauperes atque egenos elargiri, quod & multi ante ſaluatoris aduentum praeſtiterunt, qua vt literarum ſtudiis mortuaeque ſapientiae vacarent, qua, vt inani iactantia, nominis claritatem ac gloriolae curam captarent, Anaxagorae, Democriti, Cratetes.* Ceterum ſi hac ratione circa opes, honores, aliosque ſtatus homo regenitus verſetur, prauos facile, qui ex iis mortalibus adhaerent, corriget ac emendabit mores. Et id quidem eſt, de quo hic loquimur, gratiae opus.

§. XXVIII.

Tandem & quae ſenſibus externis inſidet praua diſpoſitio, imminuitur quodammodo, ſi accedente vſu & exercitatione, ad meliora flectuntur. Vnde, qui antea erant organa & arma impuritatis & iniuſtitiae, nunc organa fiunt & arma iuſtitiae, temperantiae aliarumque virtutum. *Rom. VI, 19.* conf. *Iob. XXXI, 1. Matth. V, 28. 29.*

§. XXIX.

Deeſt vero nec hic *fallacia naturae*, gratiam imitantis. Namque ex temperamentorum, aliarumque cauſſarum combinatione, adfectus inclinationesque oriuntur, quae ſub bonitatis quadam ſpecie adeo fallunt, vt pro ſpiritualibus etiam habeantur. Immo hinc pſeudo-virtutum, quibus ſe mortales miſere decipiunt, vti ſupra dictum, prouentus vberrimus.

§. XXX.

Quae in moribus aetatum contingit inclinationum & propenſionum mutatio, ſaltem quoad gradus, haud raro in errorem inducit homines, vt gratiae opus cenſeant, ſi adfectuum aut propenſionum quarundam vim imminutam deprehendant, quod tamen ex cauſſis provenit mere naturalibus.

§. XXXI.

De moribus ex cauſſis externis, naturalibus pariter ac moralibus, prouenientibus, idem cenſendum. Per educationem, peregrinationes, aliasque cauſſas, vitia genti alicui propria exui quodammodo poſſunt, aut imminui. Haec nondum vera animi emendatio, qualem hic requirimus. Dignitates & honores id efficiunt, vt a quibusdam vitiis ſibi temperent homines, aut ea cum aliis permutent. Nota ſunt illa effata: *honores mutant mores*; item: *haec vita alios mores poſtulat.* Hiſce

cauſſis

Digitized by Google

cauſſis inducti ſi forte iuuenilia quaedam fugiant vitia, nondum ſtatim animum ea, qua decebat, ratione emendaſſe cenſendi. Et ita ſe res in reliquis, quae ſunt eiusdem commatis, habet.

CAPVT SECVNDVM
DE
IMPERFECTIONIBVS AC INFIRMITATIBVS REGENITORVM, ITEM DE TENTATIONIBVS, VT ET DE LVCTA CARNIS ET SPIRITVS.

Σύνοψις.

ORdinis & inſtituti ratio, §. I.

Imperfectio regenitorum, vel quoad ſtatum eorum, vel quoad ſingulos actus ſpectari poteſt. Illa probatur ex peccato originali ſingulis adhaerente, §. II.

Item ex pugna ſanctorum, contra inſultus carnis, vt & ex luculentis ſcripturae teſtimoniis, §. III.

Ea imperfectio ad omnes mentis facultates pertinet, §. IV.

Imperfectio eorum, quoad ſingulos actus, §. V.

Ab imperfectionibus regenitorum differunt quodammodo illorum infirmitates, quarum iterum duplex diſcrimen conſtituitur, §. VI.

Primo, quoad gradus in incremento vitae ſpiritualis, §. VII.

Deinde, reſpectu illorum, qui, cum iam firmi ſint, infirmitatem quandam iterum contrahunt, §. VIII.

Quod vel ipſa regenitorum culpa ſit, §. IX.

vel ſine culpa illorum ſpeciali, §. X.

Hinc quaenam peccata infirmitatis, quaenam malitiae ſint, explicatur: illa regenitorum tantum ſunt, haec irregenitorum, §. XI.

Qui per infirmitatem peccant, inuiti velut, aut per ignorantiam peccant. §. XII.

Peccata infirmitatis ſemper ſeriam eorum comitari deteſtationem, §. XIII.

Circa applicationem huius doctrinae, quid obſeruandum, §. XIV.

Quaenam ſint peccata malitiae? §. XV.

An omnia fidelium peccata ſint infirmitates? §. XVI.

An ex infirmitate peccent, qui deſtinato animo peccant? §. XVII.

An quis ex infirmitate in idem recidere poſſit peccatum? §. XVIII.

Cur regeniti ad eum perfectionis gradum a Deo non deducantur, vt omnis infirmitatis ſint immunes? §. XIX.

Infirmitates regenitorum vnde oriantur? §. XX.

Quaedam infirmitates tentationum nomine veniunt, quae vel bonae ſunt, eaeque iterum vel Dei, vel hominum aliorum, §. XXI.

vel malae quibus aut deus tentatur ab hominibus, §. XXII.

aut homines ipſi a carne ſua, mundo, & diabolo; §. XXIII.

Tentationes bonae, internae & externae, quibus homo a Deo tentatur, huc non ſpectant, §. XXIV.

Quo ſenſu irregeniti tentari dicantur, §. XXV.

item regeniti, §. XXVI.

cauſſae tentationum diabolus, §. XXVII.

caro noſtra, §. XXVIII.

mundus, §. XXIX.

Tentationes documenta ſunt humanae imbecillitatis, §. XXX.

Cedunt tamen, varia ratione, in illorum, qui tentantur, commodum, §. XXXI.

Tentationum

Tentationum magna eſt varietas, idque tum ratione cauſſae efficientis, §. XXXII.
tum ratione modi & durationis: ſpeciatim ratione obiecti, aliae theoreticae ſunt, aliae practicae, §. XXXIII.
Theoreticae vel circa credenda verſantur, vel circa agenda, §. XXXIV.
Ad priorem claſſem pertinent tentationes circa ſcripturam ſacram, §. XXXV.
cauſſae earum & occaſiones, §. XXXVI.
item, circa doctrinam de Deo, §. XXXVII.
ſpeciatim, circa myſterium Trinitatis, §. XXXVIII.
harum tentationum cauſſae, & occaſiones, §. XXXIX.
circa prouidentiam diuinam, §. XL.
earum cauſſae & occaſiones, §. XLI.
circa vltima hominis, & quae ea conſequuntur: & vnde iſtae tentationes oriantur, §. XLII.
circa doctrinam de peccato, §. XLIII.
vnde & iſtae oriantur, §. XLIV.
circa media ſalutis a Deo praeſcripta, §. XLV.
cauſſae earum & occaſiones, §. XLVI.
In hisce tentationibus recte diiudicandis, magna cautione opus eſt, §. XLVII.
Tentationes theoreticae circa agenda: vnde caſus conſcientiae, §. XLVIII.
Caute in his quoque procedendum, §. XLIX.
Quibus voluntas ad praua irritatur, tentationes practicae, vocantur, §. L.
Quarum magna iterum varietas: & primo quidem iuxta diuerſos vitiorum cardinalium effectus, §. LI.
Item iuxta officiorum, aut praeceptorum diuinorum diuerſitatem, quibus repugnant §. LII.
Tentationes contra primam tabulam decalogi, ſpeciatim contra primum praeceptum. §. LIII.
contra ſecundum, §. LIV.
contra tertium, §. LV.
contra ſecundam tabulam, §. LVI.
De tentationibus, quae a rebus aduerſis oriuntur, §. LVII.
Dum tentationibus reſiſtunt fideles, oritur inde lucta carnis & ſpiritus: quae a pugna rationis & adpetitus ſenſitiui differt, quod illa in ſolis regenitis, haec & in irregenitis fit: & quod diuerſi vtrobique hoſtes ſint, & milites, §. LVIII.
item diuerſa armatura, modusque pugnandi, §. LIX.
euentus quoque diuerſus, §. LX.
Hoſtes in hacce lucta ſunt omnes motus praui, vna cum cauſſis, quae eos excitant, §. LXI.
ſcilicet diabolo, §. LXII.
cuius magna eſt calliditas, potentia, malignitas, §. LXIII.
μεθοδεῖαι τοῦ διαβόλου ſpeciatim indicatae, §. LXIV.
item carne noſtra, §. LXV.
cuius varii & diuerſi admodum ſunt inſultus, §. LXVI.
nec penitus debellari poteſt, ſed ſemper formidanda, §. LXVII.
denique & mundo, §. LXVIII.
qui tum blandiendo, tum terrendo fideles oppugnat, §. LXI.
Pugnant cum hisce hoſtibus fideles, & quidem armis ſpiritualibus, §. LXX.
Ita pugnant, vt tandem victoriam conſequantur, quam ſequitur praemium, §. LXXI.

§. I.

ETſi regeniti in ſtatu gratiae conſtituti ſint, viribusque non tantum nouis per regenerationem inſtructi, ſed per gratiam etiam cooperantem proficere in vita ſpirituali queant: naturam tamen corruptam ſemper adhuc reluctantem experiuntur: vnde variae illorum imperfectiones & imbecillitates, tentationes quoque, & in quantum hiſce fortiter ſe opponunt, lucta carnis & ſpiritus. De hiſce adeo, vt nunc agamus, ordinis & inſtituti ratio poſtulat, vt moribus regenitorum cognitis, ſanitate etiam perſpecta, remedia ipſa ſuppeditare queamus.

§. II.

§. II.

Imperfectio regenitorum, vel quoad *ſtatum* illorum, vel quoad *ſingulas actiones* conſiderari poteſt. Quod ad ſtatum attinet, etſi regeniti in vitae ſpiritualis incremento, imaginisque adeo diuinae reſtauratione, proficere ſtudioſe annitantur: certum tamen, neminem in hac vita eousque peruenire, vt omnis peccati atque vitii expers ſit. Peccatum namque originale, quod omnibus inhaeret, cum propenſionibus prauis, per alias cauſſas plerumque inſigniter auctis, imminuitur equidem, ne dominetur amplius; eiusque vis quotidie infringitur, non tamen tolli penitus poteſt. Hinc & ſanctorum, ob adhaerens ſibi peccatum, querelae. *Iob. IV, 18. 19. XV, 14. 15. Rom. VII, 18. Ebr. XII, 1.*

§. III.

Idem patet ex pugna ſanctorum contra inſultus carnis. Vbi enim adhuc durat pugna, nondum adeſt plena victoria. Vincimus quidem per fidem, *1 Ioan. V, 4. 5.* ſed hoſte ſubinde reſumente vires, impetumque in nos faciente, nobis quoque redeundum ad pugnam. *Gal. V, 17. Rom. VIII, 13.* Teſtatur vero hoc & aperte ſcriptura ſacra, dum perfectum hominis ſtatum poſt hanc demum vitam expectandum docet. *1 Ioan. III, 2.* Habemus enim hic tantum primitias, *Rom. VIII, 23.* & vniuerſa tantum *ἐκ μέρους* adſunt. *1 Cor. XIII, 9.* Paucis: *ſi dixerimus, quod peccatum non habeamus, decipimus nos ipſos, nec veritas eſt in nobis. 1 Ioan. I, 10.* * add. & *Pſalm. CXLIII, 2.* it. *Kohel. VII, 21.*

* Obſtare equidem videtur, quod idem Iohannes 1. *ep. cap.* III, 9. ſcribit: *omnis, qui natus eſt ex Deo, ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖ, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, καὶ οὐ δύναται ἁμαρτάνειν, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* At quod primo Ioannes dicit, eum, qui ex Deo natus, ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖν, id ex ipſa, quam beatus apoſtolus tenet, loquendi conſuetudine facile intelligitur. Aliud enim illi eſt, *peccatum habere*, aliud, *peccatum facere*. Illud regenitis etiam tribuit: hoc in eos cadere negat. Intelligit itaque, dum regenitos peccata facere negat, neutiquam peccata infirmitatis, ſed talia, quae proaereſin, voluntatem & ſtudium peccandi ſupponunt, per quae quis fit ſeruus peccati, *Ioan.* VIII, 34. Rationem addit, *quia ſemen eius manet in eo*, quod omnium rectiſſime de verbo Dei intelligitur, quod & alias ſemen vocatur, *Luc.* VIII, 11. 1 *Petr.* I, 23. *Iacob.* I, 18. quanquam non deſint, qui hic per ſemen aut Chriſtum, aut ſpiritum ſanctum, aut gratiam diuinam, intelligere velint, ſine praegnanti tamen ratione. Verbum autem Dei dum in regenitis manet, dum per illud contra prauos motus carnis pugnant, hoc ipſo in peccata non conſentiunt, adeoque & peccata non faciunt, licet eorum inſultus patiantur, nec infirmitatum ſint immunes. At cum porro dicitur: *οὐ δύναται, non poteſt peccare*, nonnulli quidem, vt AVGVSTINVS de *nat. & grat. cap.* 14. idem hoc eſſe volunt, ac non *debet peccare*, alii, *non vult, habituali voluntate*, alii, *non poteſt peccare, quatenus ex Deo eſt, vel qua parte renatus eſt*, alii aliter. Verum a mente Ioannis haec aliena eſſe, quilibet ſtatim videt, ne de incommodis dicam, quae ex his explicationibus fluunt. Recte B. HVNNIVS noſter obſeruat, oſtendere velle Ioannem, ſtatum regenerationis, quem ille *renaſcentiam* vocat, & peccandi propoſitum ſic eſſe oppoſita, vt ſe mutuo ex

neceſſitate tollant, & deſtruant, & conſiſtere in eodem homine ſimul, eodemque tempore minime queant. *Proinde*, inquit idem auctor, *qui ex Deo natus eſt, quatenus is eſt renatus, & quamdiu renatus permanet, peccatum certe non committit, peccatum ſcilicet, contra conſcientiam, & ex deliberato animi propoſito conſilioque profectum. Immo non poteſt peccare modo iam explicato, vt ſcilicet ſimul peccet, ac nihilominus renatus maneat. Quin potius, quamprimum ex propoſito, ſciens volensque peccat, confeſtim renatus eſſe definit, &c.* Ita quidem HVNNIVS, quem etiam ſequitur ABRAHAMVS CALOVIVS ad *h.l.* Senſus itaque eſt, *non poteſt peccare, ὅτι ἐκ Θεοῦ γεγέννηται, quatenus vel quousque ex Deo natus eſt*, quamdiu ſcilicet in eo ſtatu manet atque perſiſtit. Ceterum ad imperfectiones ac infirmitates regenitorum comprobandas, vulgo adferri ſolet dictum illud *Prouerb.* XXIV, 16. *ſepties cadit iuſtus, & ſurgit.* Addunt nonnulli: *de die*, ac ſi Salomo dixiſſet, iuſtum quotidie ſepties, hoc eſt, ſaepius peccare. Quo quidem ſenſu hocce dictum a ROBERTO BELLARMINO allegatur *lib.* 1. *de gratia, cap.* 5. Suntque etiam ex noſtris, qui illud ad peccata ſua, quae ſaepius perperam pro infirmitatibus vendiiant, excuſanda in ore habent. Verum illud *de die*, quod vulgatus interpres addit, vel *quotidie*, nec in textu ebraeo, nec LXX. interpretum Graeca, nec verſione noſtra Germanica habetur. Praeterea non de lapſu in peccata, ſed in calamitates, ſeu aduerſa fortuna iuſtorum, regi ſapientiſſimo ſermo eſt. Vocem *cadere* enim apud Salomonem non aliter accipi, eruditiſſimis viris obſeruatum eſt. In nouo quidem teſtamento, cadere interdum idem eſt, ac incidere in peccata grauiora, ſeu mortalia, conf. *Rom.* XI, 11. *Iacob.* V, 12. alibique. Sed abſonum eſſet, de iuſto hoc aſſerere, quod ſaepius in peccata mortalia caderet, & tamen iuſtus maneret. Mitto reliqua, de quibus conferendi MARTINVS GEIERVS ad *h.l.* item WOLFGANGVS FRANZIVS, de *interpret. orac.* 46. THEODORVS HACKSPANIVS, *not. bibl. p.* 458. Legendus etiam hac de re B PHILIPPVS IACOBVS SPENERVS, in libello Germanico elegantiſſimo, quo dicta quaedam ſcripturae ab abuſu hominum profanorum vindicat, *p.* 43. *ſeqq.*

§. IV.

Et ea quidem in omnibus mentis *facultatibus* conſpicitur *imperfectio*. Etenim ad intellectum quod attinet, quantumuis magna & excellenti quis inſtructus ſit cognitione, cognoſcit tamen tantum *ἐκ μέρους, 1 Cor. XIII, 9. δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι* ib. *verſ.* 12. & voluntatis etiam quantumuis magna & excellens fuerit ſanctitas, ſubinde tamen ingeminandum illud Pauli: *quod volo bonum, non facio, & quod non volo malum, hoc facio. Rom. VII, 15. 19.* * Et ita quoque in reliquis facultatibus ſe res habet, quod ipſa quemlibet condocere experientia poteſt.

* Sunt, qui & hisce Pauli verbis paſſim abutuntur, ac in iis carnalis ſecuritatis praeſidium quaerunt. Plane ac ſi cum apoſtolo comparandi ſint, vel in eos haec verba quadrent, qui nunquam ſerio ad obtemperandum mandatis diuinis, animum inducunt, & hinc ad turpia quaeuis, prauis carnis ſuae cupiditatibus, abripiuntur. Hunc abuſum cum alii videant, vt ei occurrant, in eam ingrediuntur ſententiam, Paulum hic neutiquam de ſe tanquam regenito, ſed de eo ſtatu, in quo ante regenerationem conſtitutus fuerit, loqui. Et ſane iam olim Pelagiani, hominem aliquem profanum, incontinentem, libidinoſum, non renatum, hic a Paulo deſcribi, contendebant. Eamque ſententiam recentiores etiam quidam, Sociniani, Arminiani, aliique ſequuntur. Ipſe quoque AVGVSTINVS cum Pelagianis aliquando ſenſit, poſtea tamen mutauit ſententiam, & de ſeipſo, ceu regenito, Paulum loqui, demonſtrauit, hancque AMBROSII, HILARII, GREGORII, aliorumque fuiſſe ſententiam, oſtendit, *contra Iulianum, lib.* 6. *cap.* 2. Et vix aliter ſentire poteſt, qui ſecum expenderit, nullum adeſſe indicium, quo probari queat, aut de alio, quam de ſeipſo

ſeipſo, aut de ſtatu ſuo ante regenerationem loqui apoſtolum beatiſſimum. Porro, ſi cogitet, multa hic occurrere praedicata, quae in hominem irregenitum non quadrant, cuiusmodi ſunt, quod mala, quae faciat, odio proſequatur, quod non ipſe malum faciat, ſed in ſe habitans peccatum, quod delectetur lege Dei ſecundum interiorem hominem. Haec non ſunt hominis irregeniti. Nihil denique hic dicit apoſtolus, quod non de regenito intelligi queat, modo recte intelligatur. Cum enim dicit, quod *volo bonum non facio*; ſenſus eſt, quod volo perfecte, & ſine omni concupiſcentia praua, id non ea ratione ac illud volo, facio; ſed *malum* contra, quod in praua concupiſcentia ſeſe exerit, hoc facio, ſaltem concupiſcendo, dum prauas ita ſubigere concupiſcentias nequeo, vt non recurrant, impetumque in animum faciant. conf. B. SEBASTIANVS SCHMIDIVS, itemque ABRAHAMVS CALOVIVS, ad *h. l.*

§. V.

Immo in ſingulis regenitorum *actionibus* imperfectio quaedam conſpicitur. Etenim cum nulla actio perfecte bona dici queat, niſi exactiſſime, qua materiale, qua formale, intentionem ſcilicet, modum, finem, omnesque & ſingulas circumſtantias, cum lege conueniat, conf. *Matth. V, 44. 48. Deut. XII, 8. 32. Deut. VI, 4.* collat. cum *Matth. XXII, 37.* & vero nulla actio regenitorum, tam exacte cum lege conueniat, omnibus & ſingulis imperfectionem adhaerere, manifeſtum eſt. conf. *Kohel. VII, 21. Rom. VII, 22. 23. Ebr. XII, 1.* * Interim, quantumuis imperfectae ſint bonae regenitorum actiones, propter fidem in Chriſtum tamen Deo placent, *Ebr. XI, 4. ſeqq.* adeo, vt in illis, qui per fidem in Chriſto Ieſu ſunt, ſiquidem non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulent, οὐδὲν ſit κατάκριμα, *Rom. VIII, 1.*

* Intelligendum hinc & diiudicandum B. LVTHERI noſtri effatum: *iuſtum in omni opere bono* (ob adhaerentem imperfectionem, & peccaminoſum defectum,) *peccare.* Quod non abſolute, ſed hoc, nec alio reſpectu, ab eo, aliisque, dictum, noſtrates paſſim contra Pontificios oſtendunt. vid. IO. ADAMVS SCHERZERVS, in *breuiario Hülſemanniano extenſo, cap. 12. p. 698.*

§. VI.

Ab imperfectionibus iſtis regenitorum, ita generatim ſpectatis, diſtinguimus eorum *infirmitates*. Liceat enim nobis hanc vocem in ſenſu ſpecialiori accipere, quae ceteroquin latius ſumpta, idem, ac imperfectio, denotare poteſt. conf. *Eſ. LIII, 4.* Non itaque quasuis ea intelligimus imperfectiones, aut generatim omnium hominum, aut ſpeciatim regenitorum, ſed eas, quae certis hominibus propriae ſunt: idque iterum duplici ratione.

§. VII.

Primo namque, ratione incrementi ſpiritualis conſiderari regeniti poſſunt: quo pacto alii in partu veluti ſunt, vt formentur in

 Chri-

Chriſto, *Gal. IV,19.* alii, recens nati, *1 Petr. II, 2.* vel pueri in Chriſto, *1 Cor. III, 1. 2. Ebr. V,13.* alii, iuuenes, alii patres, qui & perfecti vocantur, *1 Ioan. II, 13. 14. Ebr. V, 14.* Hos ergo ſi inter ſe contendamus, licet omnes imperfecti ſint, ſpeciatim tamen infantes, pueri, *infirmi* vocantur, ſi cum adultis, iisque, qui ſenſus iam exercitatos ad boni malique diſcrimen habent, conferantur, add. *Ephеſ. IV, 14.* it. *Eſ. XL, 11.*

§. VIII.

Deinde, contingere quoque poteſt, vt illi, qui iam firmitatem quandam ac robur ſpirituale conſecuti ſunt, iterum infirmitatem quandam contrahant, iique ſpecialiori quadam ratione infirmi dicuntur, ſuntque inſtar calami contriti, & lini fumigantis, *Matth. XII, 20.* Eadem namque ratione res ſe habet in ſpiritualibus, vt in morbis corporalibus, qui eos interdum inuadunt, qui quam rectisſime ſibi valere videntur; vnde, qui antea robuſtiſſimi videbantur, mox attenuatis viribus, omnium ſunt infirmiſſimi. conf. *1 Cor. X, 12. Gal. VI, 1.*

§. IX.

Sed non vna eademque fit ratione, vt adulti iſti, & in fide confirmati, infirmitatem quandam iterum contrahant. Interdum enim propria quadam culpa, per incuriam aut negligentiam, eam contrahunt, dum ſibi ipſis non ſatis attendunt, nec ea, qua decebat, cura euitant, quae animae periculum aliquod afferre poterant. Tales Galatae erant, nimis facile pſeudapoſtolis aurem praebentes. *Gal. III, 1. 2. ſeqq.* add. *2 Cor. XI, 3.*

§. X.

Aliis rurſus, praeter culpam ſuam, certe talem, quae proxima infirmitatis iſtius cauſſa dici queat, cum variis imbecillitatibus, colluctandum eſt; ſiue naturae corruptae vis ingens, & inſultus vehementiores has afferant, ſiue Deo ſapientiſſime ita permittente & diſpenſante illis eiusmodi quid obtingat, quo obſequium illorum exploret, & fidem illuſtriorem reddat. Et hi alias proprie *tentati* dicuntur, de quibus Paulus, *2 Cor. XII, 9.* & nos deinceps ex inſtituto.

§. XI.

Ex dictis vero facile intelligitur, quaenam ſint *peccata infirmitatis* * quaenam contra *peccata malitiae.* Horum namque perſpectum habere diſcrimen, ad hominum carnalium, peccata ſua pro infirmitatibus venditantium, ſophiſma detegendum, plurimum refert. Id vero ſtatim ſupponitur, infirmitatem non eſſe, niſi hominum regenitorum,

nitorum. Irregenitorum itaque peccata, etſi ſuos quoque gradus habeant, proprie tamen loquendo, non poſſunt dici infirmitates. Morbus namque & infirmitas non dicitur, niſi de homine viuo; mortuus autem, qualis eſt irregenitus, *Epheſ. II, 1. Coloſſ. II, 13.* non eſt infirmus, ſed vita prorſus caret.

** Infirmitates namque iſtae peccata ſunt, & pro peccatis haberi debent. Quodſi pro peccatis habentur, ob eas anguntur etiam fideles, & ſi fieri poſſet, ab illis liberari cupiunt. Vnde in maximo errore verſantur, qui haſce infirmitates adeo pro peccatis non habent, vt de iis nec doleant, nec ſolliciti ſint, quo pacto ab iis liberari queant. Immo hoc ipſo aperte produnt, ſe non intelligere, quid infirmitates regenitorum ſint, & peccata ſua proaeretica pro infirmitatibus venditare. Solent nonnulli errorem huncce tueri abuſu turpiſſimo dicti apoſtolici, 2 *Cor.* XII, 9. *itaque multo libentiſſime gloriabor in meis debilitatibus, vt habitet in me fortitudo Chriſti.* Hinc enim concludunt, adeo de infirmitatibus (quo nomine peccata ſua tegunt) ſibi dolendum non eſſe, vt in iis potius gloriandum ſit. Quo ipſo & improbitatem & ignorantiam ſuam produnt. Non enim *morales* hic intelligit *infirmitates* apoſtolus, ſed *phyſicas*, morbos, & varia calamitatum genera. Id luculenter patebit, ſi ad antecedentia *verſ.* 7. 8. attendamus. Quidquid enim alii de ſurculo infixo carni ſentiant, omnium tamen veroſimillima illorum eſt ſententia, qui morbum aliquem dolorificum deſignari exiſtimant, quo apoſtolus per interualla fuerit vexatus, quiue tantam *carni*, hoc eſt, corpori eius creauerit moleſtiam, quantam creare ſolet infixa carni ſpina. Ad huncce morbum aliae accedebant vexationes ſatanae, corporis adflictionem augentes. conf. HERMANNVS WITSIVS *meletem. Leidenſ. de geſtis Pauli ſect.* 3. §. 11. *pag* 45. Haſce itaque calamitates intelligit Paulus, dum dicit, *ſe in ſuis gloriaturum infirmitatibus.* Idem in ſequentibus clariſſime explicat, dum ſtatim ſubiicit: *proinde mihi placeo in infirmitatibus, in contumeliis, in rebus aduerſis, in vexationibus, in anguſtiis pro Chriſto. Cum enim infirmus ſum, tum fortis ſum.* Nec inuſitatum alias apoſtolo, externa quaeuis, quae contemptum aut adflictionem adferunt, *infirmitatum* nomine deſignare. conf. 1 *Cor.* II, 3. 2 *Cor.* X, 10. XI, 28. 29. *Gal.* IV, 13. add. B. SPENERVS, *reſponſ. theol. German. part.* 3. *cap.* 6. *art.* 2. *ſect.* 40. *p.* 836. *ſeqq.*

§. XII.

Praeterea in eo, qui per infirmitatem peccat, voluntas adeſt contraria, vt *quod non vult malum*, hoc faciat, vnde, quod peccat, aliunde velut eſt, ſubitanea ſcilicet quadam adfectuum exorbitantia, aliisque cauſſis, quibus abripitur quandoque homo, & ad malum inuitus, captiui inſtar trahitur, ne, quod vult, bonum faciat. *Rom. VII, 29.* Vnde ſequitur, quod infirmitas ſupponat pugnam, ſeu luctam carnis & ſpiritus, *Gal. V, 17.* per quam regeniti, etſi malo reſiſtant, interdum tamen incautius agentes, nec rebus ſuis ſatis attendentes, plus, quam debebant, hoſti concedunt. Quanquam & ignorantia interdum ſubeſſe queat, non tamen affectata, ſed inuoluntaria, & pro conditione ſubiecti quodammodo inuincibilis, ſaltem difficulter ſuperabilis. *1 Cor. VIII, 7. Luc XII, 48. Gal. VI, 1.*

§. XIII.

Accedat autem, neceſſe eſt, ſeria iſtius peccati deteſtatio, ita quidem, vt homo per infirmitatem peccans, ſtatim ac mentem ſubeat, ſe

Digitized by Google

ſe peccaſſe, ſerio hoc deteſtetur, doleat, poenitentiam agat, hinc nouas colligat vires ad fortius reſiſtendum in poſterum, ſeque gerendum prudentius, & precibus ad vires gratiae, quibus hoc efficere queat, impetrandas, Deum fatigare non deſinat. *Rom. VII, 24. 2 Corinth. VII, 11.*

§. XIV.

In applicatione cautiſſime procedendum: cum proni admodum mortales ſint, ſua peccata, quantumuis enormia, pro peccatis infirmitatis venditandi. Sed diiudicanda hinc quoque, & recte cenſenda, * quae ex ſcriptura ſacra adferri exempla ſolent, Dauidis Nabali iraſcentis, *1 Sam. XXV, 2. ſeqq.* diſcipuli illius, patrem ſepelire geſtientis, *Matth. VIII, 21.* apoſtolorum ſomnolentia oppreſſorum, *Matth. XXVI, 40.* eorundem, vt & diſcipulorum Emaunticorum incredulitate laborantium. *Luc. XXIV, 14. ſeqq. Marc. XVI, 14.*

* Praeterquam enim quod in peccatis malitiae, a peccatis infirmitatis diſcernendis, magna cautione opus eſt, nec ipſa peccata infirmitatis vnius ſunt generis, vti ſupra §. 8. 9. 10. dictum. Hinc & non vno eodemque loco habendi, qui per infirmitatem peccant. In exemplorum quoque iſtorum applicatione, diſpiciendum non tantum quid factum ſit, ſed & quis fecerit, & an illis aequiparandi ſint, qui eodem loco haberi volunt.

§. XV.

Et hinc etiam, quaenam *peccata malitiae* ſint, intelligere licet: omnia ſcilicet peccata proaeretica, & quae ex dominante adfectu prauo proficiſcuntur, qualia ſunt omnia peccata irregenitorum, itemque regenitorum ea, per quae ex ſtatu gratiae excidunt, & regeniti eſſe deſinunt. Vocantur etiam *mortalia*, quod mortem ſpiritualem partim ſupponunt, partim inferunt. Si enim peccatum ita comparatum eſt, vt arguat, prauum adfectum iam perueniſſe ad plenum dominium, homo eiusmodi ſpiritualiter mortuus merito cenſetur. De peccatis proaereticis idem cenſendum: palam enim, quod cum fide nullatenus conſiſtere queant. Eiusmodi fuit adulterium & homicidium Dauidis, abnegatio Petri, & alia. add. *Luc. XII, 47. 1 Ioan. III, 6. 8. 9. 2 Petr. III, 5.*

§. XVI.

Iam ſi quaeratur, an omnia fidelium peccata ſint infirmitates? id quidem, ſi peccata eiusmodi ſint, per quae ex ſtatu regenerationis non excidant, ita, vt peccata infirmitatis, opponantur peccatis malitiae & proaereticis, adfirmare nulli dubitamus. Qui enim ſecus ſentiunt, ſupponunt, fidem cum peccatis etiam grauioribus conſiſtere poſſe: * idque partim ideo, quod naturam fidei & regenerationis non intelligant, partim quod ſtatuant, eos, quos abſoluto quodam decreto ad aeter-

aeternam vitam praedeſtinauit Deus, fidem amittere non poſſe. Perperam quidem. Fidem namque omnino amiſit, & ex ſtatu gratiae excidit Dauid, factus quippe filius mortis, *2 Sam. XII, 5.* licet deinceps in ſtatum gratiae per veram poenitentiam reſtitutus ſit. add. *Ezech. XVIII, 24. 25. 26. Matth. XIII, 20. ſeqq. Ebr. VI, 4. ſeqq. X, 26. 27. 28. Rom. VIII, 12. 13. 2 Petr. II, 18.*

* Doctorum reformatae eccleſiae hanc eſſe ſententiam, conſtat: quo inductus etiam vir cetera doctiſſimus, IOHAN. HOORNBECKIVS in tractatione de peccatis infirmitatis, *theol. pract. lib.* 8. *cap.* 12. talia admiſcet, quae admitti non poſſunt. Mouet & is quaeſtionem hanc: *an omnia peccata fidelium ſint infirmitates?* & reſpondet: *ſenſu lato concedo, quatenus nunquam peccant, non reclamante parte ſui meliore, plus vel minus, magis tacite vel aperte, & vel in peccato, vel mox ad illud expergefacti: ſtricto autem nego: quia etiam in graue aliquod peccatum poſſunt incidere, quod infirmitas dici nequeat, & in ſcandalum manifeſtum: vti in actum idololatriae, ſcortationis, ebrietatis, abnegationis, & ſimilia.* At qui talia perpetrant, eos adhuc in fidelium ſeu regenitorum numero habendos, quis ſibi perſuadeat? *ſi ſecundum carnem vixeritis,* inquit Paulus, *moriemini Rom. VIII,* 13. Num ergo vita & mors ſecum conſiſtere poſſunt? aut viuere ſimul aliquis ac mortuus eſſe? Secundum carnem autem viuere cenſendi ſunt, qui eiusmodi opera perpetrant. Haec enim ſunt fructus carnis, *Gal. V,* 20. *ſeqq.* de quibus diſerte Paulus, eos, qui talia perpetrant, in eiusmodi ſtatu eſſe, vt regnum Dei conſequi nequeant; *verſ.* 21. In tali ſtatu qui conſtitutus eſt, non habet fidem; adeoque non eſt regenitus. Sentiens autem forte HOORNBECKIVS, conſiſtere ea nullatenus cum veritate poſſe, varia equidem ad errorem hunc palliandum adfert: quae tamen vana ſunt & inania. *Quae delicta,* inquit, *adpello, & quamuis non aeque ſint malitiae peccata, ſunt tamen ſupra infirmitates.* Tertium itaque aliquid inter peccata malitiae & infirmitates, comminiſcitur. At non datur tertium. Aut enim retinent homines fidem, aut amittunt. Si retinent, ſunt peccata infirmitatis. Si amittunt, malitiae. Pergit equidem rem illuſtrare ſequenti ratione: *quemadmodum in corpore infirmitatem diſtinguimus a graui morbo, & hunc a morte; nam cum vita non ſolum infirmitas aliqua et καχεξία, ſed & morbus grauior poteſt conſiſtere, non autem mors: ſic & cum vita ſpirituali, non quotidianae tantum ſanctorum infirmitates, ſed paroxyſmi aliquanto grauiores.* Infirmitates ſanctorum ſuos habere gradus, concedimus. At opera carnis, quae qui committit, non poteſt intrare regnum coelorum, *Gal. V,* 21. quaeue mortem ſpiritualem inferunt, non poſſunt haberi pro infirmitatibus, aut morbis, quibuscum vita ſpiritualis conſiſtere queat. Cum iis, quae hactenus dixit, HOORNBECKIVS non ſatis cauſſae ſuae conſuluiſſe videretur, alia ratione hinc ſe expedire annititur. *Velit ita diſtingui,* inquit, *vt peccatum aliud ſit infirmitatis contra voluntatem; aliud voluntatis quidem, non autem totius; aliud denique deſtinatae malitiae, ex plena voluntate & voluptate peccandi. Quomodo intelligendum, quod de Dauide dicitur 1 Reg. XV, 5. quod fecit id, quod rectum erat in oculis Iehouae, neque receſſit ab omnibus, quae ipſi praeceperat, omnibus diebus vitae ſuae, praeterquam in cauſſa Vriae Chittaei. Nam nemo dubitat, quin & alias peccarit Dauid, ſed quae erant communes ſanctis infirmitates, de quibus Pſalm. XIX,* 13. *errores quis intelligat? abſolue me ab occultis. Verum illud in cauſſa Vriae, quia erat enorme facinus, ſcandalum, alius videlicet generis delictum, hinc inter reliqua excipitur, & notatur, & voluntatis quidem fuit, non malitiae* At non magis hac ratione, quam priori modo proficit vir doctiſſimus. Quae enim non ſunt peccata infirmitatis, mortalia ſunt, etſi in his quoque dentur malitiae gradus. Hoc vnicum enim ex dictis ſequitur, non autem, dari quaedam peccata voluntaria, quae cum fide conſiſtere queant. Ad Dauidem quod attinet, longe aliter de eius peccato iudicat Nathan propheta *2 Sam. XII,* 7. collat. cum *verſ.* 5. aliter ipſe quoque Dauid, *Pſalm. LI,* 12. *ſeqq.* Fons erroris, quod ad HOORNBECKIVM & alios eccleſiae reformatae doctores attinet, eſt hypotheſis, electos fidem & ſpiritus ſancti gratiam amittere non poſſe: contra quam paſſim noſtrates diſputant. Poſſe vero electos & renatos totaliter, hos etiam, ſi electi non fuerint, finaliter fidem amittere,

diſerte

Digitized by Google

diſerte ſcriptura teſtatur. *Si iuſtus*, inquit Deus apud Ezechielem, *ſe auertat a iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, in iniuſtitia, quam operatus eſt, morietur*; *cap. XVIII*, 26. conf. & *verſ.* 6.7.8.9. *Si ſecundum carnem vixeritis* (qui iam eſtis regeniti) *moriemini*, *Rom. VIII*, 13. add. *Matth. XXIV*, 12. 13. *Luc. VIII*, 13. 1 *Tim. I*, 5. 6. 19. Ne quid de exemplis variis dicam, quae hoc luculenter comprobant. Sed hac de re alibi ex inſtituto.

§. XVII.

Non itaque & illorum admittenda ſententia, ex eodem quippe, quod reiecimus, fundamento, fluens, * ex infirmitate peccare, qui deſtinato animo peccant. Qua in re iterum exemplo Dauidis abutuntur, cuius adulterium & homicidium, perperam pro peccato infirmitatis habent. Deſtinato vero animo, ſeu ex proaereſi, peccant, non tantum illi, qui deliberato animo ſecum conſtituunt, ſe peccatum aliquod, quod peccatum eſſe ſciunt, perpetraturos, quod forte non adeo multi faciunt, ſed illi quoque, qui occaſionem peccandi, quam euitare poterant, & debebant, non euitant, & ea conſectantur, per quae peccatis ſe irretitum iri, ſi non certo, certe probabili quadam ratione, perſpectum habent.

* Ex hypotheſi ſcilicet illa, poſſe peccata grauiora & proaeretica conſiſtere cum fide. Hac enim inductus HOORNBECKIVS hoc adfirmat, *theolog. pract. lib.* 8. *cap.* 12 *pag.* 156. Poſſunt tamen & alii in hunc ideo induci errorem, quod ignorant, quaenam ſint peccata infirmitatis, & craſſiſſima ſua peccata malitiae pro infirmitatibus habent. Quod proh dolor! longe eſt frequentiſſimum.

§. XVIII.

Quod ſi quaeras, an quis ex infirmitate, in idem peccatum (infirmitatis) recidere poſſit? ita ſane exiſtimo, * fieri id equidem poſſe, ſed illorum, qui relabuntur, praeſertim ſi ſaepius hoc fiat, ſtatum, ſi modo recte ſe habeat, periculo non carere: cum negligentiae cuiusdam in ſpiritualibus documentum ſit, defectumque vigilantiae, & zeli, in bono proficiendi, *Tit. II*, 14. arguat.

* Habituales, quae ante regenerationem in homine fuere, ad praua diſpoſitiones, vti ſenſim imminuuntur, ante mortem tamen penitus non tolluntur, ita fieri aliter non poteſt, quin ſubinde in motibus ex iis ortis admittat quaedam ex imbecillitate regenitus, quae admiſiſſe eum ſtatim poenitet. Quare, licet inuitus & praeter opinionem interdum in eandem incidat infirmitatem, magno tamen ob id ipſum dolore affligitur, neue id porro contingat, omni opere, quantum in viribus eius poſitum, annititur. At neutiquam hoc de relapſibus in peccata grauiora intelligendum, vti multi intelligunt, duplici iſto, quod iam notauimus, principio falſo inducti. Primo quidem, quod peccata malitiae pro infirmitatibus habent. Qui hominum error vel inde intelligitur, quod relapſum in peccata in minimis ponant, nec vllo eam ob rem affligantur dolore. Qui eo ſunt animo, ſtatim ſeipſos produnt, quod peccata ſua malitiae pro infirmitatibus habeant. Deinde & alterum hic recurrit principium, peccata malitiae non excutere fidem penitus, & poſſe conſiſtere cum gratia ſpiritus ſancti Quo iterum inductus IO HOORNBECKIVS, *theol. pract. lib.* 4. *cap.* 12. *p.* 156. *ſeqq.* de relapſibus regenitorum in idem peccatum talia diſſerit, quae cum

coeleſti

coeleſti veritate aperte pugnant. Nihil autem frequentius ad relapſus in peccata, immo peccata quaeuis excuſanda, adhibetur, quam illud Iacobi: πολλὰ γὰρ πταίομεν ἅπαντες *cap. III*, 2. Nec abnuo, hocce dicto iſtud probari poſſe, multis infirmitatibus regenitos obnoxios eſſe, & in eadem infirmitatis peccata eos quandoque incidere. Sed cauendum, ne in abuſum trahatur hocce Iacobi effatum: quod primo ab illis fit, qui ad peccata mortalia hoc ita referunt, ac ſi ab homine regenito non ſit alienum in eadem peccata grauiora cadere, vt tamen maneat regenitus; deinde ab illis, qui ad peccata leuiora, ſeu infirmitates iſtud ea ratione reſtringunt, ut eas pro peccatis non habendas, ſed peccata ſua natura venialia eſſe, euincant, qui & Pontificiorum error eſt. At, quod ad priorem errorem attinet, verum quidem eſt, quod homines irregeniti etiam hac ratione ſaepius labantur, ſeu eadem peccata grauiora repetant: quod vero Iacobus id hoc loco de regenitis doceat, eos in talia peccata ſaepius recidere poſſe, vt tamen regeniti maneant, perperam ſibi perſuadent, nec comprobari vlla ratione ex hocce textu poteſt. Quid enim? in multis labimur omnes? Ergo qui labuntur eodem loco habendi? ergo regeniti maneant, qui ex malitia labuntur? Poſterior inde profligatur error, quod Iacobo neutiquam conſtitutum ſit, excuſare peccata, (ſi etiam infirmitates fuerint) ſed naturae humanae imbecillitatem, fragilitatemque demonſtrare, vt hac ratione a cenſura ſeueriori in alios exercenda, nos auerteret. Adeo vero non excuſat peccata, vt potius *cap. II*, 10. diſerte doceat, qui vniuerſam legem ſeruauerit, πταίσει δὲ ἐν ἑνί, *lapſus vero fuerit in vno*, omnium reum eum teneri. Legendus etiam de hocce dicto eſt, PHILIPPVS IACOBVS SPENERVS, in libello ſupra iam laudato, quo dicta ſcripturae quaedam ab abuſu profanorum hominum vindicantur, *p. 485. ſeqq.*

§. XIX.

Temeritatis vero notam non effugiunt, qui diuinae ſapientiae arcana rimantur, & cur Deus regenitos ſtatim ad eum perfectionis gradum non deducat, diſquirunt, vt omnis imbecillitatis immunes, non amplius in periculo amittendi ſalutem, verſentur. Hominum enim non eſt, diuini ordinis rationes cauſſasue a Deo exquirere. Interim ſatis patet, quod hac ratione hominibus in fide perſeuerantibus, ſuppeditetur occaſio, conſtantiam, patientiam, fortitudinem, aliasue virtutes demonſtrandi: quarum illuſtriora etiam deinceps a Deo conſecuturi ſunt praemia. Eaque in re Numinis etiam ſapientia, benignitas, potentia, gloria, eo luculentius conſpicitur. conf. *Rom. VII*, 24. 25. *2 Cor. XII*, 7. 8. *ſeqq.* Debebant etiam hac ratione homines prudentiam & circumſpectionem edoceri. *1 Cor. X*, 12. *Gal. VI*, 1.

§. XX.

Nec neceſſe eſt, vt prolixe explicemus, vnde iſtae infirmitates regenitorum oriantur. Non enim ex impotentia Dei renouantis, ſed ex incapacitate hominis, actionem Dei recipientis, eas originem habere, longe eſt manifeſtiſſimum. Agit autem Deus in regno gratiae, aeque ac in regno naturae, ſecundum certum ordinem: hinc, etſi ſecundum potentiam ſuam abſolutam, omnes imperfectiones ſtatim tollere poſſet, non tamen id facit ſecundum potentiam ſuam ordi-

ordinatam. Regeneratio itaque etiam hac in parte imitatur generationem naturalem, quod per certos gradus & aetates homini regenito creſcendum & proficiendum ſit, perfectio autem (ſcilicet graduum) ob remanens impedimentum, peccatum originale, non niſi in altera vita obtinetur. conf. *Rom. VIII, 3. VII, 14. 15.* Ex quibus locis luculenter patet, τὸ ἀδύνατον, perfecte implendi legem non a Deo, ſed ab hominibus eſſe. * add. *Phil. III, 9. 10. 1 Cor. XIII, 9. 10.*

* Verba apoſtoli in loco priori clara ſunt: τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός, *quod impoſſibile erat legi, quatenus infirmabatur per carnem, id Deus praeſtitit, per mortem filii ſui.* Duo hic notanda, ἀδυναμία legis, & eius cauſſa. Τὸ ἀδύνατον legis erat, quod homo per eam iuſtificari, adeoque ſaluari non poſſet. Cauſſa erat infirmitas carnis, ſeu corrupta natura hominum. Ab hac itaque non a lege, multo minus a Deo ipſo, ille defectus oriebatur. conf. *breuiarium* HVLSEMANNI *extenſum, p. m.* 702.

§. XXI.

Quae praeter hominum culpam illis obtingunt ſollicitationes ad malum, etſi generatim infirmitatum quoque nomine comprehenduntur, ſpeciatim tamen *tentationes* vocari, iam ſupra docuimus. De quibus vt eo rectius conſtet, tentationem vel *bonam*, vel *malam* eſſe, obſeruandum eſt. *Bona* iterum vel *Dei* eſt, vel *hominis*: Dei, cum per crucem & calamitatem, aut alia ratione, hominum fidem, obſequium, & conſtantiam explorat, vt, quo haec fuerit illuſtrior, eo etiam ampliora eius conſequantur praemia. *Gen. XXII, 1. Deut. XIII, 3. Pſalm. XXVI, 2. CXXXIX. 23. 24.* Hominis tentatio bona eſt, qua aut ſeipſum aut alios rite explorat, vt defectus, qui forte deprehenduntur, emendentur, & profectus in bono promoueatur. *1 Corinth. XI, 28. 2 Corinth. XIII, 5.*

§. XXII.

Tentatio *mala* eſt, vel qua Deus ab homine, vel qua homines a ſe ipſis, aut ab aliis, ad facinus aliquod malum perpetrandum, tentantur. Prius non vna iterum fit ratione. Tentant enim homines Deum dubitando, aut non recte ſentiendo, aut de prouidentia & voluntate eius, *Pſalm. LXXVIII, 11. 18.* aut de potentia eius, *2 Reg. VII, 2.* aut de iuſtitia eius, *Mal. III, 8.* aut denique de patientia ac longanimitate eius. *Rom. II, 4.* Speciatim huc illi pertinent, qui ordinem a Deo praeſcriptum, tum in regno naturae, tum in regno gratiae inſuper habentes, eius tamen auxilium expetunt, & hac ratione experimentum velut prouidentiae & gratiae eius capere volunt, cum ſapientiam eius ac iuſtitiam hoc ipſo grauiſſime laedant. Ita ſeruatorem tentauit ſatanas, vt hac ratione tentaret Deum, *Matth. IV, 6. 7.* ita Deum

tentant,

Digitized by Google

tentant, qui ſalutem cupiunt, nec tamen media ſalutis a Deo praeſcripta adhibere volunt. conf. *Act. XV, 10.* Haec vero tentatio, quam *actiuam* vocare licet, huius loci non eſt, non magis ac illa, quae ad hominum bonum tendit.

§. XXIII.

Supereſt itaque tentatio *paſſiua*, eaque ad *malum*, qua homines ad peccata varia irritantur atque ſollicitantur. Vt adeo hoc nomine veniant cupiditatum prauarum, vitiorumque, praeſertim eorum, ad quae homo alias per naturam aut conſuetudinem, aut alias cauſſas, pronus eſt, irritationes, a carne, mundo, & diabolo profectae, vt ad peccata varia, corde, ore & opere perpetranda inducatur, quibus tamen vera fide munitus reſiſtit, easque vincendo fortior euadit, & in fide magis magisque confirmatur, corroboraturue. conf. *1 Cor. VII, 5. 1 Tim. VI, 9. Iacob. I, 13. 14.* Et hanc tentationem in oratione dominica deprecamur, rogantes Deum, ne inducat nos in tentationem. *Matth. VI, 6. Luc. XI, 4.* Huic ne ſuccumbamus tentationi, orandum eſt, atque vigilandum. *Matth. XXVI, 41. Marc. XIV, 38. Luc. XXII, 40. 46.*

§. XXIV.

Solent equidem, cum de tentatione ſermo eſt, etiam tentationes bonae, quibus Deus homines tentat, eaeque tum *externae*, vti ſunt omnis generis adflictiones & calamitates, quae piis a Deo immittuntur, tum *internae*, quorſum praeſertim, *deſertiones ſpirituales*, pertinent, in cenſum venire; ſed rectius forte haec omnia ſub *crucis* nomine comprehenduntur, & inter media, quibus, per accidens licet, hominum in ſtudio ſanctitatis profectus promouentur, ſuum ſibi locum poſtulant.

§. XXV.

Tentationibus illis, de quibus nobis nunc ſermo eſt, certo reſpectu & *irregeniti* & *regeniti*, at utrique diuerſo modo & intuitu, praecipue tamen regeniti, obnoxii ſunt. Infideles ita tentantur, vt hoſtibus ſuis victas dent manus, aut non niſi craſſioribus cupiditatibus & incommodum aliquod temporale allaturis, reſiſtant. Immo non tam ſub tentatione ſunt, quam ſub poteſtate ſatanae & dominio peccati. *Actor. XXVI, 18. Coloſſ. I, 13.* Interim magis magisque excoecari, captivari, ac peccatorum vinculis conſtringi poſſunt, ne *irradientur lumine gloriae euangelii Chriſti, 2 Cor. IV, 4. ac mentis ſanitatem recipiant ex diaboli laqueo. 2 Tim. II, 26.*

§. XXVI.

Nobis de *regenitis* hic ſermo eſt, * quorum tentationes proprie hoc nomine veniunt. Etſi enim ex ſtatu irae in ſtatum gratiae translati ſint, nunquam tamen non inſultus carnis, diaboli, ac mundi experiuntur, *1 Petri. V, 8. Epheſ. VI, 12. 13. Gal. V, 17. Rom. VII, 14. ſeqq.* Tantum vero abeſt, vt hiſce tentationibus, ſiue ſubtiliores ſint, ſiue craſſiores, cedant, vt acriter potius renitantur, & per fidem eas vincant, *1 Ioan. V, 4.*

* De irregenitis, quod ea, qua dictum, ratione obnoxii ſint peccatis, & poteſtati ſatanae, nullum eſt dubium: etſi inſultus illi, quibus ſuccumbunt, forte minus proprie tentationes dicantur. Et licet carnis ſuae ac mundi laqueis vel maxime irretiti teneantur, diaboli tamen magnam in eos eſſe poteſtatem, nemo negauerit. Hinc impietatis, quae in eiusmodi hominibus deprehenditur, auctor diabolus paſſim in ſcriptura innuitur. Sic Iudas à diabolo incitatus fuit ad prodendum ſeruatorem, *Ioan. XIII, 2.* Petrus, *ſatanam cor Ananiae impleuiſſe*, dicit, *vt ſpiritui ſancto mentiretur, Act. V, 3.* Paulus Elymam vocat *plenum omni dolo, & omni aſtutia, filium diaboli. Actor. XIII, 10.* Colligas hinc, inſultibus diaboli, quibus mediate & immediate homines aggreditur, impios obnoxios eſſe, iisque facile, dum nulla in iis vis eſt reſiſtendi, ſuccumbere. Quod autem ad pios & regenitos attinet, quos proprie tentari diximus, cum omnibus hoſtium ſuorum inſultibus reſiſtant, in eo quidem omnes conueniunt, quod multiplici ratione a carne propria, & mundo, etiam a diabolo, mediate tententur. Sed an immediate etiam pii a diabolo tententur, ſeu an diabolus immediate prauas in illis cogitationes excitare queat? Id quidem eſt, de quo nonnullos inter ſe diſputare video. Qui affirmant quaeſtionem, ad dicta varia & exempla ſcripturae ſacrae prouocant. Sic ſeruator ipſe dicit, diabolum reuerti in *domum ſcopis mundatam & ornatam*, hoc eſt, hominem iuſtificatum ſanctificatumque, *Matth. XII, 44.* ſed & de apoſtolis ſuis ſeruator ait: *ecce! ſatanas expoſtulauit vos, vt cribraret vos, ſicut triticum. Luc. XXII, 31.* Hoc namque de ſuggeſtionibus & perturbationibus animae internis, a diabolo proficiſcentibus, intelligunt. Huc porro exemplum Petri referunt, quem ſatanam Chriſtus vocauit, quod parcere ſibi dominum iuſſiſſet, ne acerba iſta, quaa praedixerat, pateretur, *Matth. XVI, 23.* Denique & Dauidis exemplum vrgent, quem a ſatana impulſum legimus, ad numerandum populum Iſraelis & Iudae, *2. Sam. XXIV, 1.* collat. cum *1 Paralip. XXI, 1.* Ego vero etſi de re ipſa non dubitem, immediate quoque per prauas cogitationes a diabolo tentari homines pios poſſe, dubito tamen, an ex hiſce, quae allata ſunt, locis, id ſolide euinci queat. Inde enim, quod ex ſatanae inſtinctu aut incitatione aliquid factum dicitur, non ſtatim ſequitur, id factum eſſe ex immediata ſuggeſtione diaboli, aut eum adfectibus hominum aliisque cauſſis, quae ſe offerebant, non vſum ad certas in iis excitandas cogitationes. Quidquid vero huius ſit, de quo diſputari forte in utramque adhuc partem poſſet, nihil obſtat, quo minus immediate etiam in piorum animis prauas cogitationes excitet infernalis genius. Si enim hoc facere non poſſet, hoc aut inde orietur, quod ſpiritus aliquis hac ratione in mentem hominis agere non poſſet, aut quod Deus ei hoc non permitteret. Prius ſi adſumas, ſequetur, quod nec in impiorum animas agere infernalis genius, aut prauas in illis immediate excitare cogitationes queat. Quod tamen non conceditur. Poſterius contra ſi placeat, probandum fuerit, quod nunquam hoc permittat Deus. Immo cum generatim permittat Deus, vt infernalis genius vexet quandoque & adfligat pios, cur hoc quoque non aliquando permittere queat, nulla ratio patet. Hoc interim certum, ſine Numinis permiſſione hic nihil agere malignos ſpiritus poſſe. Actum profecto eſſet cum humano genere, ſi, quae vellet, diabolus agere poſſet. Sed hac de re deinceps.

§. XXVII.

§. XXVII.

Cauſſae tentationum harum ſunt *diabolus, caro noſtra*, & *mundus*. * Diabolus, tum *mediate* homines tentat, tum *immediate*, mouendo intellectum, phantaſiam, voluntatem, adfectus. *1 Petr. V, 8. Epheſ. VI, 12. 13.* ** Huc ſpeciatim pertinent *ingeſtiones & ſuggeſtiones diabolicae*, ſeu cogitationes impiae & blaſphemae immediate a diabolo excitatae, in quibus rite ab aliis tentationibus diſcernendis, circumſpectione opus eſt.

* ἐμφατικῶς hoc exprimit B. LVTHERVS noſter: *eſt autem triplex tentatio, videlicet carnis, mundi & diaboli. Siquidem in carne verſamur, ac veterem Adamum humeris noſtris circumferimus; hic ſuis mouetur adfectibus, & nos ſubinde prouocat ac pellicit ad turpitudinem, ad ſocordiam, ad crapulam, ad ingluuiem, ad auaritiam & fraudulentiam, ad decipiendum & defraudandum proximum, & vt in ſumma dicam, ad omnes prauas cupiditates, quae natura nobis inſitae ſunt, quaeque in nobis ſaepe numero excitantur ab aliis, videlicet ſodalibus, perniciofis exemplis, audiendo & videndo, quae non raro vel Dauidis animum, vel ſi vſpiam adhuc fuit incorruptior, poſſint inflammare & corrumpere. Deinde huic ſuccedit mundus, a quo & dictis & factis offendimur, & plane ad iracundiam ac impatientiam compellimur. Atque vt ſummatim virtutes mundanas perſtringam, hic nihil aliud videre eſt, quam odium & inuidentiam, inimicitias, ſimultates, iurgia, vim, iniurias, perfidiam, vltionem, maledicentiam, conuitia, contumelias, ſuperbiam & inſolentiam, nimio ornatu, honore, iactantia atque potentia ſemet efferentem, vbi nemo poſteriores ferre ſuſtinet, ſed reliquos omnes ſua pompa poſt ſe relinquere ſtudet. His ſuccenturiatus accedit nunc diabolus, paſſim inſtigans ac prouocans. Verum praecipue in his perturbandis occupatus eſt, quae ad conſcientiam & ſpiritualia negotia pertinent, nimirum vt ex aequo & verbum & opera Dei venti & aurae, quod dicitur, committamus, & contemnamus, vt a fide & charitate nos auellat, & in ſuperſtitionem, prauam noſtri fiduciam, & cordis indurationem, aut in extremam deſperationem, & Dei abnegationem & execrationem, aliaque innumera & deteſtanda piacula iterum nos praecipitet. Hi iam ſunt laquei & retia, immo potius illa ignita tela, quae nequaquam caro & ſanguis, verum diabolus in corda humana omnium venenatiſſime torquet & iaculatur*; in *catechiſmo maiori, form. concord.* inſerto p. 529. 530. Videtur hic LVTHERVS tres haſce tentationum cauſſas obiectis quodammodo, & effectibus peculiaribus diſcernere, quod apertius adhuc, licet alia ratione, facit BERNHARDVS, de *conſcientia, opp. pag.* 171. *Omnibus*, inquit, *cogitationibus cordium humanorum quatuor ſpiritus loquuntur aſſidue, ſpiritus mundi, ſpiritus carnis, ſpiritus diaboli, ſpiritus Dei. Spiritus mundi loquitur vana, & ipſe tunc loquitur cordi noſtro, cum vanitatem diligimus, cum de vanitate laetamur, cum delectamur in vanitate. Spiritus carnis loquitur, cum mollia carni & ſenſibus carnis appetimus, cum eius curam in deſideriis & voluptate perficimus. Spiritus diaboli loquitur, quando & amara cogitamus, & aſpera proferimus, triſtes in nobis, aliis iraſcentes, ingrati, inuidi, ſine affectione, ſine federe. Spiritus Dei loquitur, quando dulcia meditamur & loquimur, hilares nobis & proximis, in omni dulcedine & bonitate ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Hae ſunt conſcientiae, hae cogitationes conſcientiarum, hi ſpiritus loquentes in cogitationibus noſtris.* Similia apud alios paſſim legere licet. Non tamen id ita intelligendum puto, ac ſi certum genus tentationum carni, aut mundo, aut diabolo tribuendum ſit. Aliter enim ſe rem habere, facile deprehendet, qui haec paulo accuratius conſiderauerit. Nullum enim reuera eſt tentationum aut prauarum cogitationum genus, quod non caro ſeu corrupta hominum natura excitare queat. Sic, quae mundo tribuit BERNHARDVS, ex ambitione hominum originem ducunt, & quae diabolo aſſignat, hominum auarorum & melancholico temperamento praeditorum ſunt quodammodo propria. Nullum praeterea eſt temere tentationis genus, cui etiam mundus, ſeu obiecta extra nos poſita, occaſionem ac fomitem non praebeant, quippe quae ita comparata ſunt, vt alia ambitionem, alia voluptatem, alia denique auaritiam irritare queant. Nullum denique eſt, ad quod diabolus

non concurrat, qui non tantum ad amara, aſpera, triſtia, ſed ad vana, inania, ludicra, turpia, obſcoena, hominem incitat. Tres itaque iſtae cauſſae tentationum ita ſibi inuicem velut ſubordinandae ſunt, vt nulla ſit tentationis ſpecies, cui non ipſa caro noſtra originem dare queat: mundus tum concurrit per obiecta externa hominem irritando, & eas maxime prouocando cupiditates, ad quas iam ceteroquin natura ſua homo pronus eſt. Diabolus ordinarie mundo & carne ad homines tentandos vtitur, occaſionem & hominis imbecillitatem callide in rem ſuam vertens. Quo pacto autem extraordinarie opus ſuum peragat, ex dicendis conſtabit.

** Diabolum inter tentationum cauſſas recte referri, nemo negauerit, niſi qui cum BALTHASARE BECKERO, euidentiſſima ſcripturae ſacrae dicta ſumma & incredibili impudentia peruertere, & in alienum detorquere ſenſum, auſus fuerit. Proinde id ſaltem obſeruo, tentationes a diabolo excitatas ideo a nonnullis *ſpirituales* dici. Docet id praeter alios B. CHRISTIANVS CHEMNITIVS, theologiae quondam in hac academia profeſſor, & ſacrorum antiſtes, in diſſertatione de *tentationibus ſpiritualibus*, §. 4. Spirituales nimirum, obſeruat, dici tentationes, quia *proueniunt a ſpiritibus malis, prout clare vocantur, Matth. XII*, 4. 5. *τὰ πνεύματα πονηρὰ, item τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, Ephes. VI*, 12. Addit tamen, ſpirituales etiam eas dici, quia primario petunt animam hominis, vt morbi ſpirituales, non vero corpus; item quia occupentur in oppugnandis praeſidiis ſpiritualibus, ſeu eripiendis iis, quae ad ſpiritualem hominis vitam pertinent, qualia ſunt, verbum Dei, ſacramenta, fides, pietas, & vita chriſtiana, & denique quia non niſi armis ſpiritualibus repelli poſſunt. Hoc ſenſu omnes omnino chriſtianorum tentationes erunt ſpirituales: cum nulla earum ſit, ad quam diabolus non concurrat, nulla, quae non animum praecipue adficiat, nulla, quae non vitae ſpiritualis periculum adferat, & armis ſpiritualibus repelli debeat. Nonnulli itaque, ni fallor, ſpeciatim eas tentationes ſpirituales vocant, cum varia de rebus diuinis dubia cogitationesue impiae & blaſphemae, in animis regenitorum oriuntur. Quod ipſe, quem laudauimus, auctor, innuere videtur, cum inter tentationes ſpirituales eminere ait, *profundam triſtitiam, blaſphemiam, & ſollicitationem ad deſperationem & αὐτοχειρίαν*. Nec dubium, quin diabolus ſpeciali quadam ratione ad has tentationes concurrat: etſi neutiquam corrupta hominis natura excludenda ſit, quae ad omnia iſta tentationum genera aliquid conferre poteſt. Sed ſemperne cum natura hic agat diabolus, an vero ſeorſim aliquando & abſque naturae concurſu? id quidem eſt, de quo dubitari poſſet. Prius haud obſcure adfirmat HIERONYMVS ad *cap. V. Matth. verſ.* 19. *T.* 5. *opp. p.* 3?. *de corde*, inquit, *exeunt cogitationes malae. Ergo arguendi ex hac ſententia ſunt, qui cogitationes a diabolo immitti putant, & non ex propria naſci voluntate. Diabolus adiutor & incenſor malarum cogitationum eſſe poteſt, auctor eſſe non poteſt. Sin autem ſemper in inſidiis poſitus leuem cogitationum noſtrarum ſcintillam ſuis follibus inflammauit, non debemus opinari, eum cordis quoque occulta rimari: ſed ex corporis habitu & geſtibus aeſtimare, quid verſemur intrinſecus. Verbi gratia, ſi pulchram mulierem nos crebro viderit inſpicere, intelligit, cor amoris iaculo vulneratum.* HIERONYMVM & alii hac in re ſequuntur. Sed refragatur AVGVSTINVS, ſententiamque contrariam defendit. Nimirum *tract.* 62. in Ioannem, ſcribit: *Prius intrauerat ſatanas in Iudam immittendo in cor eius cogitationem, qua traderet Chriſtum: nunc autem poſt panem, intrauit in eum, non ad hoc, vt alienum tentaret, ſed ut proprium poſſideret.* Cuiusmodi & alibi paſſim. Recte autem rem omnem expedit B. CHRISTIANVS CHEMNITIVS, obſeruando, tentationes diaboli non eſſe vnius eiusdemque generis. Quasdam enim *immediate* ab eo proficiſci, quas ipſemet hominibus ſuggerat, iisque animos illorum adfligat, cuiusmodi erat ſeductio Euae, *Gen. III*, 4. & proditio Iudae, *Ioan. XIII*, 2. quasdam autem *mediate* ab eo oriri, mediante videlicet concupiſcentia, ſeu labe originali, tanquam eius malo ſemine, eaque vel mota ex ſeſe, (addo, aut a mundo excitata) vel mota & incitata a diabolo, *l. c.* § 11. Et ſane, ſi vel Iudae tantum exemplum conſideremus, dubium non eſt, quin immediate homines tentet, variasque cogitationes illis ſuggerat, & ad cupiditates prauas incitet. Cum vero nulla cogitatio praua temere nominari queat, nullaue cupiditas praua, quae non a corrupta hominum natura originem habere poſſit, namque & haec ad impias etiam & blaſphemas cogitationes, ad

varia

Digitized by Google

varia de rebus diuinis dubia incitare aliquem poteſt, praeſertim ſi ante conuerſionem eiuſmodi peccatis aliquis indulſerit, vti ex ſequentibus conſtabit, dubium inde oritur: qua igitur ratione ſuggeſtiones illae, quae immediate a diabolo oriuntur, ab illis, quae a carne & corrupta natura, adeoque mediate, ab eo proueniunt, dignoſci queant? Rem hanc diiudicatu eſſe longe difficillimam, nemo non agnoſcit. Intellexit hoc IOANNES BONA, cardinalis, vir non indoctus, dum ingenue, *de diſcretione ſpirituum cap. 4. p. m. 56.* pronunciat, nos *immiſſiones per angelos malos, a cogitationibus ſiue affectionibus, quae ex nobis oriuntur, indubitanter diſcernere non poſſe*; interim non deeſſe tamen, cenſet, *probabilia quaedam ſigna & coniecturas, quibus illae ab iſtis ſecernantur.* Signa eiuſmodi probabilia haec eſſe putat: *illa, ad quae mouemur a principio intrinſeco, libere inchoamus, proſequimur, perficimus, libere intermittimus & abiicimus, & cum ſtatus praeſens exigit, ad ea nos excitari experimur. Illorum vero, quae ab extrinſeco adueniunt, nec initium eſt in noſtra poteſtate, nec facile poſſumus progreſſum impedire, animum etiam ex improuiſo plerumque praeoccupant, nulla praeſenti cauſſa praeexiſtente.* Praeterea & has regulas ponit: *principio extrinſeco tribuendi ſunt motus, qui vires naturales ſuperant, quia natura ſeipſum non excedit: illi quoque forinſecus immitti cenſentur, quos impetu quodam quaſi aliunde immiſſos patimur, nam motus naturae placidiores eſſe ſolent: a foris item ſunt, cum nulla in nobis diſpoſitio, nulla praecedens occaſio, nullus humorum exceſſus, nulla perturbatio inueniri poteſt, cui adſcribantur.* Haec non equidem contemnenda prorſus ſunt, etſi in adplicatione cautiſſime procedendum ſit: quemadmodum & ab auctore pro coniecturis tantum venditantur. Fallere enim haec ſigna poſſe, manifeſtum eſt. Quidam motus, per naturam & conſuetudinem aliasue cauſſas, tanta pertinacia recurrunt, vt plane in hominis poſitum poteſtate non ſit, libere eos inchoare aut intermittere, etſi fortiter per vires gratiae contra eos pugnare queat; interdum motus quidam naturae vires excedere videntur, qui eas tamen non excedunt, eo quod naturae vires nobis non ſatis cognitae ſint & exploratae: ſed per naturales quoque cauſſas fieri poteſt, vt impetu quodam certi motus in nos ruant, quemadmodum & diſpoſitio, aut occaſio, aut cauſſa quaedam motum aliquem producens, aut ad illum aliquid conferens, tam occulta eſſe poteſt, ut nos prorſus lateat. Recte itaque ipſe BONA addit: *Hoc item obſeruandum, ſaepe multa diabolo tribui, quae deprauatae ac perturbatae naturae germina ſunt. Corporum enim conſtitutio, & humorum praeſertim melancholici exuperantia, prauaeque conſuetudines, ac ſubitaneae perturbationes grauiſſimas efficiunt commotiones, adeo, vt multi a malo ſpiritu obſeſſi & poſſeſſi perperam exiſtimentur, qui nonniſi naturali morbo exagitantur. Idem accidit in bonis motibus. Nam feruor aetatis & complexionis, ingenii acumen & vehemens apprehenſio varios adfectus aliquando excitant, lachrymas & ſuſpiria, altiſſimos animi ſenſus & cogitationes, ecſtaſes quoque & alienationes, quae cum a cauſſis naturalibus oriantur, ab ignaris tamen diuino ſpiritui adſcribuntur.* Cautiſſime itaque in tentationibus diabolicis diiudicandis & diſcernendis, procedendum. De modo quoque, quo diabolus prauas cogitationes ſuggerat, varia diſputari ſolent. IO. BONA, cardinalis, quem laudauimus, de modo, quo angeli boni loquantur & illuminent, iuxta ſcholaſticorum placita, prolixe diſſerit, *de diſcretione ſpirituum cap.* 10 *p. m.* 623. *ſqq.* quae certo modo ad malos ſpiritus adplicari poſſunt. Sed irritam & ſuperuacuam, quae his diſquirendis impenditur, operam eſſe, exiſtimo. Cum enim nobis perſpectum non ſit, quo pacto mens noſtra in corpus agat, quaue ratione varios in eo excitet motus: etſi, quod excitet, dubitari nequeat: multo minus exploratum erit, quo pacto ſpiritus in ſpiritum & mentem noſtram agat, cogitationesue aut motus, quos cupit, excitet, etſi, quod excitet, aut excitare poſſit, dubio careat. Vt vero in mentem pariter ac corpus vis quaedam ſpirituum bonorum pariter ac malorum eſt, ita omnes etiam mentis facultates, intellectum, phantaſiam, memoriam, voluntatem, adpetitum, adfectus, illis obnoxias quodammodo eſſe, vt tamen pro ipſa facultatum diuerſitate, diuerſimode quoque in hominem agant, eſt credibile. Nec enim a natura aut indole ſpiritus hoc abhorret. Legendus de his omnibus CHRISTIANVS CHEMNITIVS aliquoties iam a nobis laudatus *l. c.* §. 12 *ſeqq.* Interim limitatam hic valdeque circumſcriptam eſſe ſpirituum malorum aeque ac bonorum potentiam, arbitramur, vt ea ſaltem hic agere queant, quae Deus permittit.

mittit. Hoc iam ORIGENES bene obſeruauit, qui paſſim hac de re verba facit, in *opere contra Celſum*. Sic, cum docuiſſet, Deum daemonum opera, vt carnificum, ſubinde in iudiciis exercendis, vti, addit, *daemones ſemper quidem nocendi eſſe cupidos, ſed non ſemper poſſe laedere, eo quod prohibeantur*; καὶ μὴν βουλόμενοι ταῦτα ποιεῖν, οὐκ ἀεί γε δυνάμενοι, διὰ τὸ κωλύεσθαι. *lib.* 8. *p. m.* 398. & quibusdam interiectis, *p.* 400. *itaque ne nos quidem negamus, multos eſſe in terra daemones, ſed fatemur, eos eſſe, poſſeque multum in malos, propter eorum malitiam*, μηδὲν δὲ δύνασθαι πρὸς τοὺς ἐνδυσαμένους τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀναλαβόντας ἰσχὺν πρὸς τὸ ἀντιστῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου, καὶ μελετῶντας ἀεὶ τὰ ἐκείνων παλαίσματα, *ſed nihil poſſe in eos, qui ſe induerunt armatura Dei, acceperuntque robur ad reſiſtendum circumuenire ſe conanti diabolo, meditati eiusmodi certamina; vt qui ſciunt, non eſſe nobis luctam aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus huius mundi rectores, aduerſus nequam ſpiritus huius aëris.* Similia & *p.* 424. *habet: nos quoque quoties Dei permiſſu tentator poteſtatem perſequendi nos accipit*, (ὅτε μὲν ἐπιτρέπει ὁ Θεὸς τῷ πειράζοντι, δοὺς ἐξουσίαν τὴν τοῦ διώκειν ἡμᾶς) *perſecutionem patimur: quoties autem Deus nos nihil pati vult, in mundo infenſo nobis mirabiliter pacem habemus, & confidimus in eo, qui dixit: bono animo eſtote, ego vici mundum.* Legi etiam hac de re meretur CASSIANVS, in *collationibus patrum*, *collat.* 7. *cap.* 20.

§. XXVIII.

Carnis nomine omnes inclinationes & diſpoſitiones prauae, intellectus, voluntatis, imaginationis, adpetitus ſenſitiui & adfectuum, ex peccato originali, vel conſuetudine aliisque cauſſis ortae, novis veniunt, quae cum in motus actusue prauos erumpere geſtiunt, homo ab iis tentari dicitur. conf. *Gal. V, 17. ſeqq. Rom. VII, 14. ſeqq.* Atque hoc eſt, quod Iacobus dicit, tentari hominem, ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας ἐξελκόμενον καὶ δελεαζόμενον *cap. I, 14.* vbi tamen per τὴν ἰδίαν ἐπιθυμίαν non excluduntur cauſſae externae, mundus atque diabolus.

§. XXIX.

Mundi nomine, omnia obiecta, quae in hac rerum vniuerſitate continentur, & cupiditates hominum irritare poſſunt, decora, vtilia, iucunda, intelligimus, quorum quo maior ampliorque eſt numerus, eo maiori per ea periculo homo eſt expoſitus, vt, quocunque ſe conuertat, laqueos velut conſpiciat, quibus irretitus, detur in praeceps. conf. *1 Ioan. II, 15. 16* add. *1 Tim. VI, 9. 2 Tim. II, 26.* interim obſeruandum, non omnia obiecta eodem omnes afficere modo, & hinc per quaedam nonnullos tentari, per quae alii non tentantur: magis quosdam tentari per haec, quam per alia. Nec illud praetermittendum, tres iſtas, quas indicauimus, tentationum cauſſas, plerumque equidem concurrere, interdum tamen vnam magis vim ſuam exerere, quam aliam. Sed plura de iis in ſequentibus.

§. XXX.

Tentationes, de quibus nobis hic ſermo eſt, documenta ſunt humanae infirmitatis. Hoc de illis, quae a carne oriuntur, poſitum eſt extra controuerſiam. Documento enim ſunt, habitare in nobis pecca-

peccatum. *Rom. VII, 20.* Diaboli etiam & mundi, nulla in nos poteſtas aut efficacia eſſet, niſi caro noſtra ceu fomes, tentationes illorum exciperet. * Longe alterius itaque indolis fuerunt tentationes, quibus tentari potuerunt, & tentati ſunt homines ante lapſum, ſeu primi parentes. Hi enim, integris adhuc naturae viribus, tentationibus externis ita reſiſtere potuiſſent, ſi mediis a Deo conceſſis rite vti voluiſſent, vt nulla inde labes adſpergi menti eorum potuiſſet, aut infirmitatis nota in illis deprehenſa fuiſſet. Tentationibus autem externis, cum internarum immunes eſſent, ſua ipſorum culpa ſuccubuerunt. conf. *Gen. III.* coll. cum *Ioan. VIII, 44. 2 Cor. XI, 3. 1 Tim. II, 14.*

* Diiudicari hinc etiam quaeſtio poteſt, quae a nonnullis moueri ſolet: cum omnes tentationes ſpirituales ſint peccata, cuius ſint peccata, ſeu cuinam imputari debeant? Prius enim, quod omnes tentationes ſint peccata, ex dictis conſtat. Quis enim cogitationes prauas, motus prauos, prauasque cupiditates, peccata eſſe negaret? De poſteriori autem dubitari poſſit, ad homini imputari debeant iſti motus, iſtaeue cogitationes, quae a diabolo excitantur? Namque de illis iterum, quae a carne hominis proueniunt, nullum eſt dubium. Sed quod ad illas attinet, quae a diabolo excitantur, diſtinguendum iterum inter eas, quas mediate excitat, & quas immediate excitat. De illis, cum peccatum originale corruptamque hominis naturam ſupponant, nulla iterum eſt controuerſia, quod ſint peccata hominis, illique in iudicio diuino imputari queant. Quod ſi ex illarum numero ſint, quae immediate a diabolo excitantur, rurſus diſpiciendum, an conſenſus aliquis, aut delectatio accedat, aut an renitentia & repugnantia contra eiusmodi tentationes ſatis acris ſit & ſeria. Enimuero ſi ex parte hominis nulla accedat delectatio, nullus adſit conſenſus, nulla renitentiae remiſſio, aut ſimile quid, tum quidem peccatum illi imputari nequit: ſeu tum non hominis, ſed diaboli eſt peccatum, etſi saepiſſime ſibi perſuadeant tentati, tentationes iſtas a ſe ipſis, non a diabolo, eſſe. Et hoc ſenſu, tentationes eiusmodi, non hominis ſed diaboli peccata eſſe, adſerit, eamque ſententiam prolixe tuetur B. CHRISTIANVS CHEMNITIVS, in *laudata diſſertatione, de tentationibus ſpiritualibus, §. 33. ſeqq.* Raro tamen, quae hominum eſt imbecillitas, euenire exiſtimo, vt non ex parte hominis etiam vitium aliquod ſeu defectus accedat, cuius tamen ſtatim per fidem in Chriſtum veniam impetrant, vt in illis οὐδὲν ſit κατάκριμα. *Rom. VIII, 1.* Qui tentationum ſuarum, quae interdum non vna ratione illis imputari queunt, culpam ita in diabolum transferunt, vt omnem a ſe amoliantur culpam, falluntur turpiter, & recte reprehenduntur ab AVGVSTINO: *Multi ſic confeſſionem peccati fugiunt, vt ipſum ſatanam accuſent, ſe autem nihil mali feciſſe dicant. Et cum caſtigantur aliqui, & dicitur eis, quare hoc feciſtis? reſpondent, quia diabolus hoc fecit. Non eſt enim vnde plus gaudeat diabolus, niſi quando homo dicit, quod ipſe faceret, vt peccaret. Quando enim dicit, diabolus hoc fecit, non ſe accuſat: & tum peccata ſua diſſimulat confiteri, indulgentiam non meretur accipere. Reſpondet ergo & dicit: diabolus hoc fecit, quaſi reuera traxerit eum diabolus, aut violentiam fecerit. Suadere enim & ſollicitare poteſt, cogere omnino non poteſt. Et ideo, cum per Dei adiutorium in poteſtate tua ſit, vtrum conſentias diabolo, quare non magis Deo, quam ipſi, obtemperare deliberas? &c. tom. 10. opp. p. 439.*

§. XXXI.

Tametſi autem tentationes in ſtatu poſt lapſum inſignem humanae naturae imbecillitatem arguunt, per accidens tamen vſus inde ali-

Digitized by Google

quis & commodum ad illos, qui tentantur, redundat. Campum enim ampliſſimum exercendi fidem, patientiam, aliasque virtutes chriſtianas, fidelibus ſubminiſtrant; vigilantiam ſpiritualem intendunt; humilitatem conſeruant, & experientiam gignunt ſpiritualem; qua qui inſtructus eſt, eo rectius ſibi aliisque conſulere poteſt. conf. *2 Cor. XII, 7. Rom. V, 4.*

§. XXXII.

Magna tentationum eſt varietas, vt earum iniri numerus non poſſit. Nihil tamen obſtat, quo minus certae earum claſſes conſtituantur. Quod ex cauſſa efficiente, illarum quaedam diuerſitas procedat, ex dictis iam intelligitur. Alia enim *diaboli*, alia *carnis*, alia *mundi* eſt: in aliis hae cauſſae, ſed diuerſimode, concurrunt. Carnem ſi ſpectes, alia eſt intellectus, alia voluntatis, alia phantaſiae, & ſic porro; mundi autem tentationes totuplices ſunt, quot ſunt obiecta, cupiditates mortalium mouere apta.

§. XXXIII.

Quod ſi modum ſpectes, alia tentatio eſt *interna*, alia *externa:* alia *permanens*, alia *tranſiens*, alia velut per interualla *recurrens*, ſuosque habens paroxyſmos. Sed cumprimis tamen notanda eſt diuerſitas tentationum, quae ex obiecto prouenit: cumque res aliae intellectum moueant, aliae voluntatem, diuidi poſſunt in *theoreticas* & *practicas.*

§. XXXIV.

Theoreticae tentationes vel circa *credenda* verſantur, vel circa *agenda*. Quae circa credenda verſantur, ad omnia theologiae doctrinaeque chriſtianae capita ſe extendunt; in quibus dubium, aut pronitas ad diſſenſum a veritate, in intellectu hominis regeniti oritur, cui tamen acriter per arma ſpiritualia, ſpeciatim per preces & verbi diuini meditationem, reſiſtit, donec animum iterum confirmet.

§. XXXV.

In ipſo limine theologiae ſe ſtatim offert doctrina de *ſcriptura ſacra*, de qua vt dubia varia & ſcrupulos etiam hominibus piis iniiciat diabolus, omni opera annititur. In hoc enim fidei fundamento, ſi quis titubet atque vacillet, reliqua prope a ruina abſunt. Hinc videas, ſubinde per prauas cogitationes, dubiam atque ſuſpectam reddi mox *θεοπνευςίαν* ſcripturae ſacrae, eiusque diuinam auctoritatem, mox veritatem aut ſanctitatem, mox integritatem & perfectionem, mox perſpicuitatem & verum atque genuinum ſenſum, & quae ſunt reliqua, idque diuerſimode pro diuerſa hominum conditione, qui aut occaſionem in haec accuratius inquirendi nanciſcuntur, aut ea deſtituuntur.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Occaſionem eiusmodi circa ſcripturam ſacram tentationibus, plerumque ſuppeditant, abuſus rationis in diuinis; praepoſtera rerum diuinarum tractatio; defectus humilitatis & languor in precibus; lectio inordinata librorum profanorum, praeſertim eorum, qui varia dubia circa ſcripturam mouent; praua curioſitas, & ignorantia eorum, quae ad prima chriſtianae religionis elementa pertinent; defectus ſtudii, quo quis per legitimam ſcripturae tractationem vim eius diuinam percipere, & ita per internam conuictionem de auctoritate eius diuina certus reddi poſſit, & quae alia ſunt eiusdem generis.

§. XXXVII.

In articulo de *Deo* non minus variae ſuboriri tentationes poſſunt, tum circa exiſtentiam, tum circa attributa diuina. Et circa attributa quidem diuina eo facilius oriri poſſunt, quo latius eorum vera cognitio per omnem vitam chriſtianam, vſum ſuum diffundit. Sed & quo magis improba hominum vita per ea coarguitur, eo libentius ea ſuis attemperata vellent cupiditatibus; cum negare ea, aut vocare in dubium, non ſuſtineant. Exemplo eſſe poteſt *ſanctitas & iuſtitia Dei*, quam cum & ratio & ſcriptura ſacra ſummam eſſe demonſtret, proni tamen homines ſunt, ad credendum, eam tantam non eſſe, vt de quibusuis peccatis euitandis eos ſollicitos eſſe oporteat. Hinc variae cogitationes, diuinam prorſus labefactantes iuſtitiam. *Miſericordiam* gratiamque Numinis, ex ſuo itidem plerique metiuntur adfectu, arbitrioue, aut coarctantes eam vltra, quam par eſt, aut dilatantes & extendentes cum iuſtitiae imminutione. Cogitationes, quae id ſuadent, grauiſſimae in regenitis ſunt tentationes. De *omnipotentia* pariter cenſendum. Haec cum vel abſoluta ſit, vel ordinata; ſubinde illam prae hac mallent homines, ordinis omnis impatientes, ſubinde de vtraque deſperantes, in ſe pariter ac Deum iniurii ſunt Quae vero huc ducunt cogitationes, a praua mortalium indole excitatae, tentationes iſtae ſunt, de quibus hic loquimur.

§. XXXVIII.

Myſterium *Trinitatis*, quod in diuina eſſentia veneramur, vti ſupra captum rationis eſt: ita hanc ſub fidei iugum mittere & in obſequio continere, difficultate interdum non caret, praeſertim apud illos, qui litteras eiusmodi colunt, in quibus plurimum ſe valere, ratio putat. Inde vero contingit, vt apud fideles etiam & regenitos in hocce praecipue coeleſtis doctrinae capite frenum veluti mordeat, & anfractus diſponat, ex quibus, niſi in tempore in ordinem redigatur,

 vix

vix eluctari queat. Interim ſubinde & cum eiusmodi tentationibus hominibus colluctandum eſt, quibus tamen eo felicius reſiſtunt, quo magis corruptae rationis indolem, exploratam atque perſpectam habent.

§. XXXIX.

Tentationibus eiusmodi in articulo de Deo, occaſionem iterum ſuppeditant, peccata habitualia ſimilia, quibus forte tentatus ante conuerſionem indulſit; librorum profanorum curioſa nimis lectio; conuerſatio cum improbis; conceptuum de rebus diuinis ad noſtram indolem, atque adfectus accommodatio, rationis corruptae nimia aeſtimatio, & neglectus eam redigendi in ordinem, & quae alia ſunt eiusdem generis.

§. XL.

Inter opera diuina eminet *prouidentia:* quam quo religioſius venerari debebant homines, eo maiori turpiorique crimine in occaſionem demonſtrandi mentis rationisque impotentiam ſaepius vertunt. Cum enim raro admodum res hominum ita fluant, vt eas fluere ſibi vellent, proniſſimi ſunt ad accuſandam prouidentiam, ſiue eam omnino negent, ſiue in fatum aliquod commutent, ſiue, quae ſumma eſt impietas, ad minimum tacite iniuſtitiae cuiusdam arguant. Hos naturae rationisque corruptae inſultus etiam pii viri quandoque experiuntur, in magnis praeſertim calamitatibus conſtituti, ſuggerente, & ignita eiusmodi tela iniiciente in animam ſatana, num forte ſui curam omnem abiecerit Deus? an nulla rerum humanarum cura tangatur? num ineluctabile forte aliquod premat fatum? confer. *Pſalm. LXXIII, 11. 15. 16.*

§. XLI.

Oriuntur eiusmodi tentationes, ex iniqua operum diuinorum cum noſtris actionibus aut adfectibus comparatione; ex amore ſecuritatis, quia vellemus forte, ne Deus omnium curam gereret; ex metu & ſeruili animi diſpoſitione, qua ad fatum & abſolutam neceſſitatem fingendam homines proni ſunt; ex cauſſarum rerumque naturalium & ſpiritualium ignoratione, quas tamen nos ſcire putamus, aut, cum a nobis neſciuntur, adeſſe negamus, vnde multa fato fieri credimus, quae aut ex accidente fiunt, aut etiam iuxta efficaciam cauſſarum ſecundarum at latentium & nobis ignotarum.

§. XLII.

Vt Deus finis obiectiuus theologiae eſt, ita formalis eſt, ipſa *beatitudo aeterna*, cui *damnatio aeterna* opponitur: ad vtramque per

mortem

mortem temporalem introitus patet, quam *mortuorum reſurrectio & conſummatio ſeculorum* ſequitur. In his omnibus, vt variae impiorum hominum ſunt hallucinationes, aut negantium, quae hominibus poſt mortem expectanda ſunt, aut extenuantium ea, aut erroneos craſſosque de illis ſibi conceptus formantium, ita vt ſimiles quandoque praeter voluntatem, in piorum mentibus oriantur ſcrupuli, contingere poteſt. Idque inde maxime, ſi forte aliquid aut ex ſtatu ſeruili, aut ſecuritatis, illis adhaereat, vel per conſuetudinem aliasque cauſſas, non ſemper rectos ſibi forment de rebus diuinis conceptus.

§. XLIII.

Vt de *peccato*, tum *originali*, tum *actualibus*, erroneas animo concipiant notiones, proni admodum natura ſua ſunt homines. Philautia enim intime omnium cordibus inſidens ſuadet, vt minime tam malos ſe eſſe putent, ac aliis forte videantur. Hinc primo peccatum extenuant: quod in iis conſpicere licet, qui peccatum originale, aut omnino negant, aut intimam ſaltem, quae inde prouenit, naturae corruptionem inficiantur. Deinde culpam, exemplo primorum parentum, *Gen. III, 12. ſeqq.* lubentiſſime a ſe amoliuntur, tanta interdum impudentia, vt Deum ipſum autorem cauſſamque peccati facere non dubitent. Saltem principium aliquod independens mali vellent, in quod omnem mali culpam tranſcriberent, aut fatum aliquod vel abſolutum decretum comminiſci. Ad has cogitationes, cum natura omnes proni ſunt; pii quidem & ſancti fortiter iis reſiſtunt, & diuinae ſcripturae teſtimoniis repellunt, impedire tamen nequeunt, quo minus earum vel inuiti inſultus quandoque patiantur.

§. XLIV.

Et iſtae quidem circa doctrinam de peccato, tentationes, ex duplici potiſſimum fonte procedunt. Aut enim ad ſtatum ſecuritatis natura proni ſunt mortales, aut ad ſtatum ſeruitutis, metusque ſeruilis. Si prius ſit, cogitationes peccata extenuantes facile ſuboriuntur; ſin poſterius, grauitatem peccati exaggerant, ſed ea ratione, vt aut culpam eius a ſe amoliantur, aut maiora eſſe credant, quam vt remitti poſſint,* & tum ad deſperationem ac conſilia violenta prolabantur. Accedunt tamen rurſus aliae cauſſae, rationis abuſus, praeiudicia varia, ſtudium tranquillandi mentem & conſcientiam, neglecto ordine diuino, & aliae.

* Inter omnes tentationes, quas homines pii experiuntur, vt frequentiſſimas, ita longe periculoſiſſimas eſſe, quae circa doctrinam de peccatis oboriuntur, iam pridem obſeruatum eſt prudentioribus. Nemo enim facile reperietur, qui non iis ſit obnoxius, ſiue ſua natura ad extenuanda, ſiue ad exaggeranda peccata pronus ſit. Et licet prius forte frequentius

 contingat,

contingat, vtrumque tamen ſummo periculo hominem exponit, dum alterum ad ſecuritatem, ad deſperationem alterum ducit. Illorum inſuper haec eſt conditio, vt periculum fere ignorent, aut tantum id eſſe non credant, horum, vt difficulter medicinam admittant. Quo vero magis a peccatis aliquis abhorret, eo frequentius poſteriori ratione a diabolo tentatur. Hinc B. LVTHERVS noſter, *deſperatione*, inquit, *tentantur fere omnes homines, & quanto pii magis ſunt, tanto crebrius hoc ſatanae telo petuntur.* Idem porro egregie addit: *hic, quid aliud faciat, quam vt dicat, ſcio me baptizatum, & promiſſam mihi a Deo propter filium gratiam? Haec promiſſio non mentietur, etiamſi in exteriores tenebras abiiciar. Itaque haec Dei voluntas non eſt, quam mihi proponit ſatan, ſed tentat me eo modo Deus, vt adpareat, quid in corde meo abſconditum ſit, non quod Deus id ignorat, ſed quod ego ignoro, & ipſe hac occaſione in me vult conterere caput ſerpentis. Cor enim hominis inſcrutabile eſt, & φρόνημα, ſeu ſenſus carnis, eſt inimicitia erga Deum, nec intelligit haec, niſi per verba legis, qua occiditur caput ſerpentis, vt nos viuificemur, ſicut ſcriptura dicit: deducit Deus ad inferos, & reducit: in Geneſ. cap. XXII. p.* 272. Antea etiam bene obſeruauerat, ſi cum variis calamitatum generibus hominibus conflictandum, dum in earum cauſſas inquirunt, & in peccata ſua incidunt, tum maxime eos irae diuinae vim perſentiſcere, & ad murmur contra Deum, immo odium Dei, concitari, quae rectiſſima ad deſperationem via eſt.

§. XLV.

Vltima theologiae pars, *de mediis perueniendi ad ſalutem* adeoque de *gratia vniuerſali*, de *Chriſto ſeruatore*, eiusque *officiis*, de *fide in Chriſtum*, de *conuerſione & regeneratione, iuſtificatione*, ceterisque praecipit. In hiſce primo nonnulla iterum occurrunt, quae ſupra rationem ſunt: hinc per ſcrupulos negotium ſibi homo faceſſet, niſi mittere ſub iugum fidei rationem didicerit. Ceteroquin, quae in his occurrunt dubitationes tentationesque, ad duas fere reuocari claſſes poſſunt. Oriuntur enim aut circa rem ipſam, aut circa applicationem. Sic de gratia Dei vniuerſali, aliquis cogitans, dubium animo, non recte informatus, concipere poſſet, an omnes omnino homines Deus ſaluos fieri velit, Deinde an ipſe ſpeciatim ex illorum numero ſit, quos ſaluos eſſe cupiat? Pari ratione, de conuerſione cum ſermo eſt, an contritio, an & quae fides ad eam requiratur? dubitare quandoque mens infirma poteſt: tum, an poenitentiam ipſe egerit, an fidem habeat? * an regenitus ſit? an vero ex illorum numero, qui ſe conuertere adhuc debeant? & ita in reliquis ſeſe res habet.

* *Tentatio fidei*, inquit B. LVTHERVS, *eſt maxima & grauiſſima, quoniam fides debet reliquas tentationes vincere*; *colloqu. menſalib. p.* 224. Conſentientes hac in re ſibi facile habet theologos quoslibet praeſtantiſſimos, qui longe miſerrimam illorum conditionem eſſe agnoſcunt, qui fidei defectu ſe laborare exiſtimant, qui non percipiunt, aut ſentiunt in ſe fiduciam in Deum, ſed putant, ſe ab eo, vt iuſto iudice, derelinqui, eumque gratiam ſuam ſibi denegare. De eiusmodi tentationibus locutum cenſent Dauidem, *Pſalm. LXXXVIII*, 15. *Quare domine abominaris animam meam, abſcondis faciem tuam a me*, & *verſ.* 17. *in me tranſierunt irae tuae, & terrores tui conſtrinxerunt me. Circumdederunt me, ſicut aqua, toto die circumdederunt me ſimul.* Immo FRIDERICVS BALDVINVS de hiſce tentationibus ſpeciatim interpretatur illud Pauli: *in omnibus ſumite ſcutum fidei, quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea exſtinguere. Epheſ. VI*, 16. *Tela ſatanae*, inquit, *ſunt*

ſunt tentationes eius de gratia Dei, (hoc eſt, an gratia Dei ad nos pertineat, an eius per fidem ſimus participes?) *quae non ſemper ſcindunt, ſed inſtar ignis lente penetrant, & grauiſſime excruciant, dubitationibus de Deo: extinguuntur autem ſcuto fidei, quae nos de fauore Dei certificat, & dubitationes tollit.* Quomodo hiſce tentationibus obuiam eundum ſit, eleganter explicat MARTINVS CHEMNITIVS, oſtendens, in iis non *experientia & ſenſu,* ſed *verbo diuino,* ſtandum eſſe; in *iudicio de controverſiis quibusdam p.* 49. Quae reperit, qui itidem ex inſtituto hac de re diſſerit, CHRISTIANVS CHEMNITIVS, in *diſſertatione* aliquoties laudata, de *tentationibus ſpiritualibus,* §. 41. Huc etiam, ni fallor, referenda, ſed recte quoque intelligenda ſunt, quae paſſim myſtici, de ſtatu hominum omnis ſolatii diuini experte, tradunt. Fidei enim ſenſus, vt pacem, gaudium, pleniſſimumque ſolatium ſecum coniunctum habet, ita contra ſi ſenſus ille fidei abſit, immo homo putet ſe fide omni plane deſtitutum, non poteſt non ſolatii omnis defectus, triſtitia, & ſumma miſeria oriri. Et hoc eſt, quod *deſolationes* nonnulli vocant, quas *conſolationibus* opponunt, de quibus ex inſtituto IO. BONA, de *diſcretione ſpirituum cap.* 15. Sed hoc addendum, quod defectus aliquis fidei, vel etiam ſenſus fidei, interdum culpa hominum contingat, quorſum pertinent, quae §. *ſequenti* 46. dicimus; interdum praeter hominum culpam eiusmodi quid illis contingit, Deo ipſo huncce gratiae ſuae effectum retrahente tantiſper & cohibente, quod hominum ſaluti id expedire videt: & tum hae tentationes ad eas referendae erunt, quas Deus ipſe, ad hominum commoda promouenda, illis immittit, de quibus ſupra diximus.

§. XLVI.

Sed harum quoque tentationum cauſſa plerumque in corrupta hominum indole quaerenda. Circa ipſa enim ſalutis media, tum haud raro dubia oriuntur, cum iis ita vt decet, homines vti nolunt. Alium itaque ſalutis ordinem, aliam viam cupientes, facile ſibi perſuadent, eam, quae illis proponitur, non recte ſe habere, ad dubia hinc, & ſcrupulos admittendos proniſſimi. Deinde ad applicationem quod attinet, ſaepius contingit, vt media non applicauerint, de quibus an rite applicauerint? dubitant. Et hi pro irregenitis adhuc & impiis, non autem pro tentatis habendi. Quod ſi vero conſtat, eos omnino mediis hiſce legitime vſos, habendosque pro conuerſis, regenitis, iuſtificatis, tum in quadam animi puſillanimitate, aut ſignorum gratiae ignoratione, ſimilibusue intellectus aut voluntatis imbecillitatibus, cauſſa tentationis quaerenda; niſi extraordinarie ita a ſatana tententur, permittente quidem Deo, idque ad fidem illorum eo illuſtriorem reddendam.

§. XLVII.

In hiſce omnibus, de quibus hactenus diximus, tentationibus, caute admodum & circumſpecte procedendum. Primo quidem, ne profanorum hominum aut hypocritarum dubia, quae, vt peccatis ſuis faueant, formant ſibi ipſis atque fingunt, pro tentationibus habeamus. Deinde ſi medelam illis adferre velimus, in cauſſas & fontes illarum inquiramus. Hiſce enim non ſublatis, vix quidquam in curandis eiusmodi morbis proficies. Tum demum ex ſcriptura ſacra adhibenda

argu-

Digitized by Google

argumenta ſolida, ſelecta, cuiusque ſtatui & indoli accommodata, quibus dubium omne, ſcrupulusue, ex mente eius eximatur.

§. XLVIII.

Vt autem circa credenda, ita & circa *agenda* dubia quandoque & tentationes oriri poſſunt. Regulae quidem generales, & praecepta vniverſalia, tam clara ſunt & perſpicua, tam luculenter in ſcriptura ſacra, & recta ratione fundata, vt ſanae mentis vix eſſe cenſeatur, qui ſibi circa ea dubium aliquod mouere velit. At ad ſpecialia vbi fuerit deuentum, praeſertim, vbi adplicatio ad ſingulas actiones inſtituenda; tum ob circumſtantiarum variarum concurſum, res interdum tam obſcura & perplexa euadere poteſt, vt quid faciat quis, aut intermittat, merito ambigat. Id quod ſaepiſſime euenire, infinita illorum teſtantur opera, qui de caſibus conſcientiae praeceperunt. Poſſetque id exemplis in officiis hominis erga Deum, erga ſeipſum, erga alios, demonſtrari, niſi facile vnicuique talia occurrerent, & quotidiana experientia ea ſuppeditaret.

§. XLIX.

Magna tamen hic ſubinde ſe prodit hominum improbitas, & hypocriſis deteſtanda. Qui enim inuiti legibus obſequuntur, maxima vbique circa eas mouent dubia, ſi qua forte ratione ab illarum vinculo ſe liberare queant. Improbi itaque & ſtulti ſunt, non tentati. Et huic hominum ſtultitiae maximam partem inſeruiunt, qui quam operoſiſſime ingentia de caſibus conſcientiae concinnarunt volumina. Caute ergo & hic incedendum, & ſi qua forte ſubeſt hypocriſis & improbitas, ea detegenda & redarguenda: quod ſi reuera tentatio quaedam ſit, in cauſſas eius rurſus inquirendum. Dubium enim non eſt, quin maximam partem ex auaritiae, aut ambitionis, aut voluptatis reliquiis, ſimilibusue cauſſis oriatur. Hiſce vero rite peractis, dubia quaeuis & ſcrupuli ſolide ex verbo diuino tollendi ſunt & diſſoluendi.

§. L.

Et ad intellectum quidem pertinent ea, quae hactenus diximus. Voluntas non minus plurimis grauiſſimisque obnoxia eſt tentationibus, quas *practicas* nobis vocare liceat. Eo vero nomine nobis veniunt omnes motus praui voluntatis & adpetitus ſenſitiui, ſiue ſua ſponte recurrentes, quod homo antea iis indulſiſſet, ſiue per internam vel externam obiectorum repraeſentationem excitati; qui vti legi diuinae repugnant, ita reuera peccata ſunt, quibus tamen homo regenitus per fidem & verbum acriter reſiſtit, donec eos vincat.

§. LI.

Tentationum eiusmodi, vti magna iterum & fere infinita eſt varie-

varietas, ita commode ad certas claſſes reuocari poſſunt, idque non vna ratione. Namque cum iſtae tentationes maximam partem ex peccatis, quibus ante conuerſionem deditus homo fuit, oriantur, primo quidem tot illorum claſſes conſtitui poſſunt, quot ſunt *vitia cardinalia*, vt aliae ex ambitione, aliae ex auaritia, aliae ex voluptatis cupiditate oriantur. Licet enim haec vitia homo regenitus vicerit, ne amplius dominentur, *Rom. VI, 12.* impedire tamen nequit, quo minus erumpere ſubinde geſtiant, idque ea maxime ratione, qua iis antea deditus fuit, ſed tamen vt reſiſtat iis, eosque motus fortiter reprimat.

§. LII.

Rurſus ſi ex *obiectis officiorum*, quae homines praeſtare tenentur, varietatem aeſtimes, vt peccata, ita & tentationes aliae erunt quoad hominis officia erga Deum, aliae quoad officia eius erga ſeipſum, aliae quoad officia erga alios. Eodem res redibit, ſi ſecundum ordinem praeceptorum decalogi incedas, motusque, quibus quisque contra ſingula eius praecepta, ſollicitatur, conſideres.

§. LIII.

Si contra *primum praeceptum* vt peccet homo, tentatur ſollicitaturue, per omnes prauae philautiae motus, per inordinatum rerum creatarum amorem, per languorem in amore Numinis, per metum ſeruilem, aut filialis metus defectum, ſeu propenſionem ad ſecuritatem, per defectum fiduciae & acquieſcentiae in voluntate Dei, per defectum abnegationis ſui, humilitatis item & patientiae, & motus his contrarios, quibus ad ſuperbiam & impatientiam in rebus aduerſis, incitatur.

§. LIV.

Quoad *ſecundum praeceptum*, tentantur homines per motus prauos ad cogitationes impias, blaſphemasque de Deo rebusque diuinis; item ad ſermones inconſultos & inconſideratos de iisdem: tandem ad verbi diuini, ſacramentorum, aliarumque rerum diuinarum, quae magnam venerationem illis iniicere debebant, contemptum, ac vilipendium. Porro huc pertinent omnes motus praui, quibus ad neglectum officii circa preces, gratiarum actiones, iuramenta, item ad omne genus ſuperſtitionis, hominis incitantur.

§. LV.

Ad *tertium praeceptum*, ſi vitam ſuam homines exigunt, tentari ſubinde ſe animaduertent, per adfectus motusque varios ad cultum diui-

diuinum, tum publicum, tum priuatum, aut intermittendum, aut non recte adminiſtrandum, & ea aut agenda, aut intermittenda, quae Numinis praeſcripto aut e diametro repugnant, aut ſecundum illud fieri omnino debebant.

§. LVI.

Eodem modo ſe res habet in praeceptis, quae *ſecunda decalogi tabula* complectitur. Mox enim ad obſequium ſuperioribus denegandum, certe officiorum illis debitorum intermiſſionem; mox ad iram, odium erga alios, inhumanitatem, immiſericordiam, atque amoris defectum; mox ad intemperantiam, libidinem, laſciuiam; mox ad opes illicita ratione acquirendas, & auaritiam exercendam; mox ad obtrectationes, mendacia, falſiloquia, ſimiliaque peccata per motus varios atque adfectus prauos ſollicitari homines videas, aut hoc in te ipſo deprehendas. His omnibus accedunt, variae concupiſcentiae ſpecies, quae licet non eo tendant, vt in actus prauos erumpant, ipſa tamen, quae in his quaeritur, delectatio, vt ſumme vituperabilis eſt, ita motibus etiam omnibus ad concupiſcentiam nos irritantibus, ceu tentationibus grauiſſimis, reſiſtendum eſt.

§. LVII.

Quae a rebus aduerſis oriuntur tentationes piorum, etſi huc non ſpectent, prouti ſupra * iam obſeruatum, cum quae iis a Deo immittuntur, calamitates, eo comparatae ſint, ſi modo iis recte vtantur, vt in vitae ſanctitate, virtutibusque magis magisque proficiant: occaſio tamen hinc quandoque eiusmodi tentationum, de quibus nobis hic ſermo eſt, peculiaris oritur. Cum enim excitare fidem, corroborare fiduciam, confirmare patientiam debeant: ipſorum hominum ſubinde culpa & infirmitate contingit, vt ad murmurationem, incredulitatem, diffidentiam erga Deum, deſperationem, & alia peccata ſollicitentur. Cumque varia ſint adflictionum & calamitatum genera, variae quoque & diuerſae hinc oriuntur tentationes, aliae *pauperum*, aliae *aegrotorum*, aliae *infamia & contemptu laborantium*, aliorum aliae.

* §. 24.

§. LVIII.

Ceterum, dum tentationibus hiſce reſiſtit homo regenitus, & fortiter obluctatur, oritur inde *lucta carnis & ſpiritus*, quam regenitis paſſim ſcriptura tribuit. Quae quidem lucta carnis & ſpiritus a pugna rationis & adpetitus ſenſitiui, maximopere differt. Illa enim in regenitis tantum deprehenditur, *Rom. VII, 15. VIII, 7. Gal. V, 17.* haec vero in irrege-

irregenitis etiam locum habet. *Rom. II, 15.* Diuerſi etiam vtrobique ſunt hoſtes, & milites, qui hoſtibus reſiſtunt. In pugna enim rationis & adpetitus ſenſitiui, adfectus naturales ex repraeſentatione honeſti, decori, laudis, poenae, praemii per rationem excitati, pugnant cum adfectibus & propenſionibus craſſioribus, ad peccata grauiora, & externa homines impellentibus.* In lucta contra carnis & ſpiritus, *ſpiritus*, animus illuminatus, fide ornatus, viribus gratiae inſtructus, pugnat contra propenſiones & adfectus prauos quoscunque, etiam ſubtiliores, ad eiusmodi peccata tendentes, quae in ſe quidem ſatis grauia ſunt, ſed ſubinde ab hominibus irregenitis, ne quidem pro peccatis, ſaltem leuiſſimis, habentur.

* Ita namque pugnam illam rationis & adpetitus ſenſitiui intelligendam eſſe, iam ſupra docui *cap. 1. ſect. 6. not. ad §. 4. circa finem.* Ceterum, qui hic in diuerſum abeunt, & diſcrimen, quod inter pugnam rationis & adpetitus ſenſitiui, ac luctam carnis & ſpiritus intercedit, tollunt aut negant, in duplici poſiti ſunt diſcrimine. Nonnulli namque, cum in ſcriptura ſacra luctam carnis & ſpiritus commemorari audiunt, per carnem *corpus*, & per ſpiritum *animam* intelligunt, exiſtimantes, eam intelligi pugnam, quae eſt inter corpus, ſeu motus quosdam corporeos, & animam. Haec Anabaptiſtis tribuitur opinio, & in Valentinianis, Marcionitis, Manichaeis, aliisque haereticis veteribus notatur, originemque trahere videtur ex gentilium philoſophorum, ſpeciatim Platonicorum & Stoicorum, decretis, qui omnis mali & labis culpam in corpus & materiam transferebant, & ex corporis commercio animam contaminari exiſtimabant. AVGVSTINVS hoc ita exprimit: *ex terrenis artubus moribundisque membris ſic affici animas opinantur, vt hinc eis ſint morbi cupiditatum, & timorum, & laetitiae, ſiue triſtitiae; de ciuitate Dei, lib. 14. cap. 5.* Alii contra luctam hancce carnis & ſpiritus ita interpretantur, vt per ſpiritum *rationem*, ſeu ſuperiorem, vt loqui ſolent, animae facultatem, per carnem vero *adpetitum ſenſitiuum*, ſeu facultatem inferiorem, intelligant. Ita ex pontificiis quidam hac de re philoſophantur, cum Pelagio aperte naturae tribuentes, quae adſcribenda erant gratiae. Verum ad priorem quod attinet ſententiam, ea ſtatim corruit, ſi quid *carnis* nomine in ſcriptura ſacra veniat, attendamus. Errant namque magnopere, qui ea voce ipſum & quidem ſolum corpus denotari putant, cum de carnis & ſpiritus lucta ſermo eſt. De carne enim ita loquitur apoſtolus, vt non tantum concupiſcere, ſed & ſapere, intelligere, velle, ſimilesque actus ei tribuat, qui vtique non ſolius corporis ſunt, ſed & mentis. conf. *Rom. VIII, 5. ſeqq.* Praeterea carnis nomine apoſtolus, quidquid in homine repugnat ſpiritui ſancto, eiusque operationi, ſiue corpus ſit, ſiue anima, complectitur, & ad *veterem hominem* refert: vti contra, quidquid ductum ſpiritus ſancti ſequitur, eidemque obſecundat, id ad ſpiritum refert, *hominisque noui* nomine & titulo indigitat. Opera denique carnis, quae Paulus *Gal. V, 19. 20.* recenſet, neutiquam tantum ſunt corporis, ſed vel maxime etiam opera mentis: vti iam pridem obſeruauit AVGVSTINVS, *lib. 14. de ciuitate Dei cap. 2.* Explicaturus enim ibi, quid ſit, *ſecundum carnem viuere, in operibus*, inquit, *carnis, quae manifeſta eſſe dixit, eaque commemorata, damnauit, non illa tantum inuenimus, quae ad voluptatem pertinent carnis, ſicuti ſunt fornicationes, immunditiae, luxuriae, ebrietates, comeſſationes, verum etiam illa, quibus animi vitia demonſtrantur a voluptate carnis aliena. Quis enim ſeruitutem, quae idolis exhibetur, veneficia, inimicitias, contentiones, aemulationes, animoſitates, diſſenſiones, haereſes, inuidias, non potius intelligat, animi vitia eſſe, quam carnis? Quandoquidem fieri poteſt, vt propter idololatriam, vel haereſis alicuius errorem a voluptatibus carnis temperetur, & tamen etiam tunc homo, quamuis carnis libidines continere atque cohibere videatur, ſecundum carnem viuere hac apoſtolica auctoritate conuincitur, & in eo, quod abſtinet a voluptatibus carnis, damnabilia opera carnis agere demonſtratur.*

Ad alteram vero ſententiam quod attinet, ea ex hac ipſa tractatione noſtra, qua diſcrimen, quod inter luctam carnis & ſpiritus, ac pugnam rationis & adpetitus ſenſitiui intercedit, luculenter oſtendimus, abunde refellitur. Accedit vero, quod, qui iſti ſententiae adſtipulantur, itidem plane ignorare videantur, quid ſcriptura *carnem*, quid *ſpiritum* vocet. Neutiquam enim ſolus adpetitus ſenſitiuus, ſeu facultas, quam vocant, inferior, *carnis* nomine venit, ſed ipſa quoque ratio, ſeu facultas ſuperior. Totum hominem, qualis per naturam eſt, carnem vocat ſeruator, *Ioan. III*, 6. eum, quantus quantus eſt, cum omnibus ſuis facultatibus deprauatum eſſe, innuens. Idem porro ſcriptura docet, cum menti ſeu intellectui tribuit tenebras, voluntati & cordi prauas cogitationes, adulteria, furta, inuidiam, blaſphemiam. Ergo ſuperiores facultates vel maxime corruptae ſunt, & merito *carnis* nomine veniunt. Praeterea Paulus apoſtolus carni *φρόνημα* & *νοῦν* expreſſe tribuit *Rom. VIII*, 7. *Coloſſ. II*, 18. & vtrumque Deo obluctari docet. Haec autem ad rationem pertinere, nemo ignorat. Et hinc facile, quid *ſpiritus* nomine ſcriptura ſignificet, cum carni opponitur, intelligitur. Sed haec paſſim latius deducuntur a theologis, qui contra pontificios diſputant. Ex iure conſultis hanc doctrinam attigit IO. SCHILTERVS, in *manuductione philoſophiae moralis ad veram iurisprudentiam cap.* 2. §. 26. vbi & HVGONEM DE ROY notauit, qui *lib.* 1. *de eo, quod iuſtum eſt tit.* 3. eundem, quem confutauimus, errorem errauit.

§. LIX.

Praeterea in eo quoque differunt, quod diuerſa vtrobique ſit armatura, modusque pugnae. Ratio namque contra adpetitum ſenſitiuum pugnat armis naturalibus, argumentis philoſophicis, repraeſentando peccati turpitudinem, in quantum eam aſſequi poteſt, dedecus, incommoda, poenae ignominiam, praemii praeſtantiam; his armis inſtructa reprimere & coercere ſaltem eousque prauos motus annititur, ne in externa peccata erumpant. Spiritus contra, armis vtitur ſpiritualibus, ſcuto fidei, gladio verbi, precibus gemitibusque ad Deum fuſis, ceterisque a Paulo enarratis, *Epheſ. VI*, 11. *ſeqq.*

§. LX.

Denique & euentu pugnae differunt; qui in regenitis, modo rite pugnent, nec ſibi ipſis deſint, eſt victoria, 1 *Ioan. V*, 4. 2 *Tim. II*, 3. 4. 5. & libertas a dominio prauorum adfectuum, *Rom. VI*, 12. 14. 17. Irregeniti autem, licet interdum vtcunque prauos motus reprimant, ſubinde tamen, quantumuis omnes animi vires intendant, ſuccumbunt, & a iugo iſto ſe liberare nequeunt: aut ſi victoriam referre ſibi videantur, plerumque hoc fit ope alterius adfectus praui, quem illi, cuius impetum infringere cupiunt, opponunt. Adeoque iugum prauorum adfectuum neutiquam excutiunt, ſed mutant ſaltem, ſeruitio illius adfectus ſe dedentes, cuius beneficio alterum ſuperauerant.

§. LXI.

Lucta haecce carnis & ſpiritus vt eo rectius nobis innoteſcat, conſiderandi primo ſunt hoſtes; motus ſcilicet praui in anima noſtra excitati vna cum cauſſis, per quas excitantur, niſi illos potius pro telis

& ar-

& armis hoſtium ſpiritualium habere velis. conf. *Epheſ. VI, 16.* Hi vero motus ſunt tentationes iſtac, de quibus antea, quantum ſatis eſt, dictum.

§. LXII.

Cauſſas horum motuum ſeu tentationum, ***diabolum***, ***carnem noſtram***, ***mundum***, antea quidem iam indicauimus. Nunc tamen paulo accuratius adhuc, ceu hoſtes, quibuscum pugnandum eſt, deſcribendi erunt. Primus, praecipuusque *diabolus* eſt, cauſſa & principium omnis mali. *Ioan. VIII, 44.* Hinc κατ' ἐξοχὴν ὁ πονηρὸς, *Matth. VI, 13.* ***inimicus***, *Matth. XIII, 28. 29.* dictus, item ***ſatan***, hoc eſt, aduerſarius, *Zach. III, 1. Iob. I, 7. Luc. XXII, 31.* ***leo rugiens***, deuoraturus incautos, *1 Petr. V, 8.* Cumque & vi & fraudibus rem agat, vocatur etiam διάβολος, ***calumniator***, quia & Deum apud homines calumniatur, *Gen. III, 14. 15.* & homines apud Deum, *Apoc. XII, 9. 10. XXII, 2.* Vt vero animum ſuum hoſtilem iam erga primos parentes demonſtrauit, *Gen. III, 1. ſeqq. Ioan. VIII, 44.* ita eundem hodie erga omnes homines, maxime qui pertinent ad ſemen Meſſiae, demonſtrat. *Gen. III, 15. 1 Ioan. III, 8.*

§. LXIII.

Quodſi eum maxime formidamus hoſtem, qui & ingenio ac aſtutia valet, & viribus potentiaque inſtructus eſt, & odio vehementiſſimo erga nos flagrat; in infernali quidem genio haec omnia eminenter conſpiciuntur. Callidiſſimus enim eſt, *Gen. III, 1.* & tum natura, tum experientia longoque vſu peritiſſimus earum rerum, quibus nocere hominibus queat; ideo ***ſerpens ille antiquus*** dictus, *Apoc. XII, 9.* in quo & ſint τὰ βάθη ***profunditates.*** *Apoc. II. 24.* Idem & potentiſſimus eſt, ὁ ἰσχυρὸς ὁ καθωπλισμένος, *Luc. XI, 21.* ***princeps huius mundi***, *Ioan. XII, 31.* quin & ***Deus huius ſeculi***, dictus, *2 Cor. IV, 4.* ***draco ille magnus.*** *Apoc. XII, 9.* add. *Epheſ. II, 2. VI, 12.* Sed nocendi quoque cupiditas in eo infinita eſt & inſatiabilis, ratione praecipue ex *Gen. III, 15.* petenda, vnde, vt diximus, ἐχθρὸς, ***hoſtis***, nomine per eminentiam venit, *Matth. XIII, 39.* & ***leonis rugientis***, *1 Petr. V, 8.*

§. LXIV.

Dum ſcriptura ſacra τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου *Epheſ. VI, 11.* commemorat, & ſummam hoſtis huius calliditatem, & artes etiam ac methodum velut aſtutiae plenam, indicat. * Interdum immediate, interdum mediate hominem aggreditur: mox intellectum, mox phantaſiam, mox voluntatem, aut ſenſus externos adoritur: mox terret, mox blanditur: veritatem primo oblique vellicat, dubiamque

 red-

reddit, mox impugnat aperte: incipit ab imbecillioribus; vt per hos fortiores proſternat. *Gen. III, 1. ſeqq.* Accurate obſeruat, ex qua parte homo maxime imbecillis eſt, ** & ex ea parte eum maxime impugnat. *Matth. XXVI, 15.* Tempus, occaſionem, naturam hominis, reliqua omnia, callide in rem ſuam vertit.

* *Quid μεθοδεία ſit*, inquit DANIEL HEINSIVS, *& quare μεθοδευτὴς diabolus dicatur, fruſtra ex auctoribus profanis ſcire ſategerunt eruditi.* Μεθοδεύω, *qui vagatur, qui circumit, ſed inſidiatur. Quod, quo pacto ſpiritui maligno conveniat, e Jobo petendum, apud quem primo capite: quodam autem die, cum veniſſent filii Dei, vt adſiſterent coram domino, adfuit inter eos etiam ſatan. Cui dixit dominus: vnde venis? qui reſpondens ait: circumivi terram, & perambulaui eam &c.* in *exercitationibus ſacris ad h. l. p.* 472. Callidam itaque circumuagationem hac voce vult indicari, vt idem Paulus hic innuat, ac quod Petrus dixit: *aduerſarius veſter diabolus, vt leo rugiens, περιπατεῖ, circumambulat, quaerens, quem deuoret. 1 Petr. V,* 8. Non procul hinc diſcedunt, qui μεθοδείαν a voce μέθοδος dictam, obſeruant, quae ſignificet *compendium recte & breuiter tradendi artes.* Cumque ingenioſi ſint methodici, ideo translatam vocem eſſe ad captiones aſtutas, & artes fallendi, in qua re facile princeps eſt diabolus, qui compendio fallere, & incautos dare in praeceps didicit. conf. quae ex ARETIO ad *h. l.* notat CALOVIVS. Vltimae interpretationi etiam fauet CHRYSOSTOMVS, quamuis aliis praeferenda videatur prior. Quo ergo callidior iſte hoſtis eſt, eo diligentius obſeruandae & euitandae fallendi artes, quibus hominum decipit genus. De *ſtratagematibus ſatanae* ſcripſit IACOBVS ACONTIVS, ſed ea faltem attingit, quae generatim ad ſtatum eccleſiae, & controuerſias theologicas ſpectant, & quae in iis ad turbandam eccleſiae quietem ac tranquillitatem diaboli artes ſint, condocet, nonnulla tamen admiſcet, quae ſeueriorem cenſuram promerentur. Sed hac de re alibi.

** Sapienter hoc iam obſeruauit BERNHARDVS. *Diabolus*, inquit, *quando decipere quemquam tentat, prius naturam vniuſcuiusque intendit, & inde ſe adplicat, vnde aptum hominem ad peccandum aſpicit. Blandis & leuibus mentibus luxuriam aut vanam gloriam proponit: aſperis vero mentibus iram, ſuperbiam, vel crudelitatem: de interiori domo cap.* 48.

§. LXV.

Alter hoſtis *caro* eſt; quo nomine quid nobis veniat, iam ſupra* indicatum eſt. Haec eſt tota natura corrupta, cum omnibus omnium facultatum prauis inclinationibus, quam late ſuo loco,** deſcripſimus, *peccatum* illud *in nobis habitans, Rom. VII, 17. corpus mortis, ibid. verſ 24. lex peccati*, item *lex membrorum, v. 21. 23. 25.* Carnales autem qui ſunt, inimici Dei ſunt. *Rom XIII, 7. 8.* Qui ergo amici Dei eſſe cupiunt, ſuae carnis inimici ſint, neceſſe eſt.

* §. 28.
** *cap. 1.*

§. LXVI.

Diuerſi admodum hoſtis huius, carnis puto, inſultus ſunt, pro inclinationum & adfectuum prauorum ac tentationum, de quibus diximus, diuerſitate. Et licet omnes omnino homines, nemine excepto, carnis inſultus experiantur, non iisdem tamen omnes obnoxii ſunt praecipua quadam ratione tentationibus, his alius, alius aliis: Quod Iacobum etiam innuere puto, cum tentari quemque dicit,

ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας, *cap. I, 14.* add. *2 Tim. IV, 3. 2 Petr. III, 3.* Huc nonnulli referunt, quod *Actor. XIV, 16.* alibique dicitur, *incedere ſuis ipſorum viis.* add. & *Eſ. LIII, 6. LVII, 17.* Suum ergo peculiarem, & proprium quilibet habet hoſtem.

§. LXVII.

Carnis etiam haec eſt indoles, vt, quantumuis ſupprimatur, coërceatur, crucifigatur, *Gal. V, 24.* nunquam tamen in hac vita ita debelletur penitus, vt non ſubinde ad certamen redeat. *Gal. V, 17. Rom. VII, 24.* Nunquam itaque ſecuro, alicui eſſe licet, cum vires quandoque maxime reſumat hoſtis, cum eneruatum eum penitus credimus. Periculum vero eo maius eſt, quod internus, & velut domeſticus hicce hoſtis ſit; nec ſine noſtro dolore vinci queat. Tum etiam cauendus quam diligentiſſime & impugnandus, cum nobis blanditur quam ſuauiſſime, periculoſiſſimas quippe tum inſidias ſtruens.

§. LXVIII.

Tertius, quocum regenitis quotidie pugnandum, hoſtis, *mundus* eſt, quo nomine, quid hic intelligatur, itidem iam ſupra * indicatum eſt. Nunc illud ſaltem obſeruamus, cum mundus, ſeu obiecta, quae in hacce rerum vniuerſitate comprehenduntur, illis demum noceat, qui eius illecebris non reſiſtunt, adeoque rebus creatis honorem deferunt, quem ſoli Deo debebant, rationem inde intelligi, cur in ſcriptura ſacra *Deus, & mundus,* eſſe vel *ex Deo,* vel *ex mundo, amor Dei, & amor mundi,* inter ſe opponantur. *1 Ioan. II, 15. Ioan. VIII, 23. XVII, 16.* conf. & *1 Cor. III, 19.*

* §. 29.

§. LXIX.

Duplici autem ratione hicce hoſtis nos oppugnat, aut blandiendo, aut terrendo. Blandiendo, dum per oſtentatos honores ad ambitionem, per opes ac diuitias ad auaritiam, per delectamenta ſenſuum ad voluptatis cupiditatem ſollicitamur. *1 Ioan. II, 16. 1 Tim. VI, 9. 10.* Terret vero per odia, minas, irriſiones, perſecutiones, quibus a virtutis & pietatis tramite abducere homines annititur; & ad peccandum impellit. conf. *Ioan. XV, 18. 19. 20.* Obuiam autem hiſce inſultibus iri poteſt, ſi partim mundi vanitatem, *1 Cor. VII, 31.* partim ad nocendum impotentiam, agnoſcamus. *Ioan. XIV, 30. XVI, 33.*

§. LXX.

Milites, qui cum hoſtibus iſtis pugnant, ſunt omnes fideles, ſub vexillo Chriſti ſeruatoris, qui eſt ὁ ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας ἡμῶν, *Ebr. II, 10.* conf. & *cap. XII, 2.* dimicantes, qui adeo in eccleſia militante conſtituti dicun-

dicuntur. *Apoc. XII, 7. ſeqq.* Horum vt tirones alii ſunt, alii veterani & exercitati, ita in vtriſque legitima ad pugnam praeparatio, exercitatio, vigilantia, circumſpectio, fortitudo notanda, & quae reliqua ſunt, ex analogia cum militia huius ſeculi, quodammodo diiudicanda. Arma ſunt ipſa media, quibus in vitae ſanctae ſtudio proficitur, quo ipſo & hoſtium vis infringitur & debilitatur, de quibus ſuo loco ex inſtituto dicetur. Interim armaturam chriſtianorum in compendio exhibet Paulus, * *Epheſ. VI, 10. 11. ſeqq.*

* Iuuabit, eam paucis conſiderare. τὸ λοιπὸν, inquit, ἀδελφοί μου, ἐνδυναμοῦσθε ἐν κυρίῳ, καὶ ἐν τῷ κράτει τῆς ἰσχύος αὐτοῦ. In ſeipſis enim cum robur & fortitudinem non inueniant homines, eam in domino, & in robore fortitudinis eius, quaerere iubet. Maximum illud in haece pugna ſpirituali momentum eſt, ne quis ſuis viribus nitatur. ἐνδύσασθε τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ, πρὸς τὸ δύνασθαι ὑμᾶς στῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου. Etſi enim non ſuis viribus nitantur fideles, ſed robore virtutis diuinae, non tamen negligunt arma ſpiritualia, quibus inſultus hoſtium repellere queant. Πανοπλίαν itaque illis tribuit, vt omni armorum genere ſint inſtructi, vt quibuslibet hoſtium inſultibus reſiſtere queant. Ad grauem tamen ſaltem armaturam hanc vocem refert vir clariſſimus, IO. CLERICVS, *not. ad Hammondum ad h. l.* qua erant inſtructi apud Romanos legionarii, apud Macedones, qui in phalange erant: idque eo magis, quod hoc loco Paulus non de velitatione agat, quae per leuem armaturam confici poſſit, ſed de grauiſſimis praeliis, contra formidoloſiſſimos hoſtes faciendis. Non repugno: cum hoc ipſo non negetur, nullum chriſtianis deeſſe armorum genus, quibus inſultibus hoſtium quibusuis reſiſtere poſſint. Armaturam autem non humanam intelligit, ſed armaturam Dei, non carnalem, ſed ſpiritualem, arma δυνατὰ τῷ Θεῷ 2 *Cor. X, 4.* De μεθοδείαις τοῦ διαβόλου ſupra dictum. Iam ipſos hoſtes indicat, quibuscum fidelibus pugnandum: ὅτι οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Qui cum noſtri aeui ſadducaeis principes hic rerumque dominos deſignari exiſtimant, qui fideles aliquando vexant, nec de daemonibus hic ſermonem eſſe, contendunt, eos, principes rerumque dominos carnem & ſanguinem habere, negare neceſſe eſt. Principatus & poteſtates, quae carni & ſanguini opponuntur, ſunt ſpiritus: qua de re ne quis dubitaret, & ſimul vt quales intelligeret ſpiritus, ſignificaret, addidit Paulus: τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας. Vbi vt per πνευματικὰ cum DANIELE HEINSIO ad *h. l.* intelligamus peruerſas doctrinas, ſchiſmata, ſectas, nulla nos cogit neceſſitas. His ſpiritibus vt ſummam malitiam, quae vis eſt vocis πονηρίας, tribuit, ita qua in re iſtam malitiam oſtendant, ſignificat, dum addit: ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, in *rebus coeleſtibus*, ſeu *diuinis* & *ſpiritualibus*, quae ad hominum ſalutem ſpectant, quibuscum ita certant, vt pro veritate errorem & caliginem illis offundere, bonorumque coeleſtium omnium poſſeſſione eos priuare, annitantur. Ita rectius cuncta ſibi conſtant, quam ſi ſpiritus aëreos, ſeu in aëre verſantes, intelligamus cum HVGONE GROTIO, quem ſequuntur HENRICVS HAMMONDVS atque IOAN. CLERICVS, ad *h. l.* Hoſtium iſtorum malignitatem calliditatemque expendens, denuo Epheſios adhortatur: διὰ τοῦτο ἀναλάβετε τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ, ἵνα δυνηθῆτε ἀντιστῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι. Namque vt callidus eſt daemon ille malus; ita tempus accurate obſeruat, quo facillime nos proſternere queat, atque haec eſt ἡμέρα illa πονηρά. Quo tamen non obſtante, κατεργάζεσθαι, conficere, proſternere eum poſſumus, modo ipſi nobis non deſimus, ſed parati ſimus ad omnes inſultus & armaturam illam ſpiritualem ſumamus, quam nunc paulo ſpecialius deſcribit. Στῆτε οὖν περιζωσάμενοι τὴν ὀσφὺν ὑμῶν ἐν ἀληθείᾳ, καὶ ἐνδυσάμενοι τὸν θώρακα τῆς δικαιοσύνης. Veritate itaque animum munitum cupit, vt cingulo veſtes & lumbi conſtringi ſolent, vt ad curſum, laborem, aut negotia quaeuis, expediti ſimus. Veritate namque & animus firmus ac ſtabilis redditur, ne fluctuet aut dubitet. Thorax pectoris munimentum eſt: cumque *thoracem*

iuſtitiae

iuſtitiae dicat, iuſtitiam Chriſti nonnulli hic intelligunt, quam per fidem induimus, *Gal. III*, 27. & qua pectus aduerſus hoſtes ſpirituales vel maxime munitur. conf. *Prouerb. IV*, 23. Pergit apoſtolus: καὶ ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης. Qui enim itineri ſe accingunt, calceis indui ſolent, vt prompte pergere queant. Si conſtat, Iſraelitas calceatis pedibus paſcha celebrare iuſſos, vt eſſent itineri parati: Sic & apoſtoli ὑποδεδεμένοι τὰ σανδάλια, vt parati eſſent itineri, *Marc. VI*, 9. Quanquam & alii obſeruent, calceoa inter arma apud veteres recenſeri. add. ANTONIVS BYNAEVS de *calceis Ebraeorum lib.* 1. *cap.* 5. item HAMMONDVS & CLERICVS ad *h. l.* Seuſus itaque eſt, expeditoa & paratos nos eſſe debere, ad curſum, quem nos ingredi debemus, abſoluendum, & ſtrenue obuiam eundum hoſtibus quibusuis: idque fieri poſſe, ſi inſtructi ſimus euangelio. Non enim dicit, quod calceati debeamus eſſe ad euangelium, ſed induitio calceorum eſt ipſa ἑτοιμασία τοῦ εὐαγγελίου. Qui enim euangelio pacis inſtructus eſt, promptus etiam paratusue ad quiduis erit. Ἐπὶ πᾶσιν ἀναλαβόντες τὸν θυρεὸν τῆς πίστεως, ἐν ᾧ δυνήσεσθε πάντα τὰ βέλη τοῦ πονηροῦ τὰ πεπυρωμένα σβέσαι. Vt enim hoſtes, vrbem quandam obſidentea, tela ignita in eam, ad incendium excitandum, mittere ſolebant, ita infernalis genius in corda hominum mittit cogitationea impias, blaſphemas, impuras, quibus aut ad deſperationem aut ſecuritatem eos ſollicitet, & ita flammam vitiorum peccatorumue maximorum in iis ſuſcitet. Haecce tela itaque excipienda ſunt ſcuto fidei. Alias equidem & verbum Dei ſcutum vocatur: *Prouerb. XXX*, 5. *Pſalm. XCI*, 4. quemadmodum & Deus ipſe ſcutum ſeu clypeus fidelium dicitur, *Gen. XV*, 1. alibique. Sed fides quoque recte ſcutum dicitur, quatenus verbo Dei nititur, immo Deum ipſum eiusque promiſſionea apprehendit, iisque acquieſcit. Sequitur galea ſalutis: καὶ τὴν περικεφαλαίαν τοῦ σωτηρίου δέξασθε; quae nihil aliud, quam ſpes eſt, interprete Paulo ipſo 1 *Theſſal. V*, 8. Spes enim animum pugnantibus addit, pollicendo auxilium, oſtendendo coronam, praemiumque legitime certantibus, quo ipſo efficit, ne cedant, ſed vt inſiſtant conſtanter acriterque, donec victoriam referant. Cum vero non ſatis ſit militi, ſe ipſum tueri, ſed adgredi etiam hoſtem debeat, addit Paulus, *gladium ſpiritus*, καὶ τὴν μάχαιραν τοῦ πνεύματος, hoc eſt, vt ipſe interpretatur, *verbum Dei*, ὅ ἐστι ῥῆμα Θεοῦ. Verbo enim Dei non tantum contra hoſtes externos, qui diuinam veritatem variis corrumpere erroribus annituntur, ſed internos etiam, ſeu quasuis tentationes, carnis, mundi & ſatanae, pugnandum eſt, exemplo Chriſti, *Matth. IV*, 4. *ſeqq.* At cum haecce arma, vt ſupra dictum, parum profutura ſint homini gratiae viribus deſtituto, ſi modo vlla ratione illi tribui poſſint, ideo *precum vigilantiam* vltimo loco commendat: διὰ πάσης προσευχῆς καὶ δεήσεως προσευχόμενοι, &c. Quamdiu enim manus in precibus ad Deum leuamus, vincit Iſrael Amalekitas, hoc eſt, ſpiritus carnem, cum intermittimus orationem, Amalekitae vincunt Iſraelitas, caro ſpiritum. Ceterum armaturam hanc ſpiritualem, de qua hactenus diximus, pluribus ex re militari veterum illuſtrat IACOBVS LYDIVS, in *agnoſtica ſacra*, cum additamentis IO. LOMEIERI, Zutphaniae anno MDCC. recuſa.

§ LXXI.

Feliciter pugnaturo exploratae eſſe debent hoſtium vires. Hoc ergo & athleta chriſtianus agat, ne ignotae ſint ſibi hoſtium ſuorum vires, & qua ex parte maxime valeant. Et haec exploratio conflictum praecedat, neceſſe eſt. Ipſe vero conflictus, in acri & ſtrenua conſiſtit reſiſtentia, quae praecipue per fidem fit & patientiam. *Apoc. XII*, 11. 1 *Ioan. V*, 4 *Ebr. X*, 36. Quod ſi recte quis pugnet, non poteſt non ſequi victoria, *Rom. VIII*, 37. 2 *Cor. II*, 14. 1 *Ioh. V*, 4. vti victoriam corona ſequitur, atque praemium. *Phil. III*, 14. 2 *Tim. II*, 3. 4. 5. *IV*, 7. *Apoc. II*, 7. 11. & *ſeqq.*

CAPVT TERTIVM DE REGENITORVM SANCTITATE ET INCREMENTIS VITAE SPIRITVALIS.

Σύνοψις.

Sanctitas fidelium, quo ſenſu finis theologiae moralis dicatur? §. I.
Vox ſanctitatis, quid ſignificet? §. II.
Sanctitatis deſcriptio, §. III.
cur & quo ſenſu dicatur complexus virtutum omnium? §. IV.
Cauſſa eius efficiens, §. V.
Subiectum ſanctitatis, homo regenitus, adeoque iuſtificatus, & cum Deo vnitus, §. VI.
Sanctitatis ſtudium ad incrementum vitae ſpiritualis & imaginis diuinae reſtaurationem tendit, §. VII.
Vocatur ſanctitas alias irreprehenſibilitas, item perfectio chriſtiana, §. VIII.
Qui in ſtatu gratiae conſtituti ſunt, ſancti ſunt: & quo intuitu ſeorſim de ſanctitate agatur, §. IX.
Vitae ſanctae neceſſitas, §. X.
difficultas & poſſibilitas, §. XI.
imperfectio, §. XII.
profectus in ea, §. XIII.
Regenitorum quoad vitae ſanctitatem inaequalitas, §. XIV.
Diſtinctio bonorum a malis, & ſingularitas, ex vitae ſanctitate fluens, §. XV.
Commoda & effectus vitae ſanctae, §. XVI.
Virtutis ſplendor, qui vitae ſanctitatem comitatur, §. XVII.
Gaudium item perenne, & animi tranquillitas, §. XVIII.
Commoda vitae ſanctae externa, §. XIX.
Commoda, quae inde ad alios redundant, §. XX.
Quae omnia, benedictionis diuinae nomine comprehenduntur, §. XXI.

§. I.

VT morbis opponitur ſanitas, ita poſtquam de infirmitatibus regenitorum egimus, nunc oſtendendum, quo pacto omnem adhibere operam debeant, *vt ſani ſint in fide, Tit. I, 13.* * Quae quidem ſanitas, alias etiam *ſanctitas* dicitur, & tanquam finis theologiae moralis a pleriſque conſideratur. Non quidem, quod ſanctitatem omni ex parte perfectam aut conſummatam conſequi queamus, ** ſed quod progreſſus & incrementum, in vita ſancta & ſpirituali, hac ratione nobis commendetur.

* Sanitas, vt alias, ita hic quoque tum abſolute, tum relatiue ſpectari poteſt. Infirmitatibus dum opponimus ſanitatem, eam relatiue conſideramus. Abſolute nemo ſpiritualiter ſanus eſt, vti nemo abſolute & perfecte ſanctus. Praeterea, vti infirmitates non ſunt vnius generis, ſed quaedam communes omnibus, quaedam quibusdam propriae, vt *cap. praeced.* §. 6. 7. *& ſeqq* obſeruauimus: ita & ſanitas, tum reſpectu infirmitatum, quae omnibus communes ſunt, tum reſpectu earum, quae quibusdam propriae ſunt, conſiderari poteſt, & vltimo quidem modo hic ſpectatur, praeſertim ſi infirmitates culpa & imprudentia homi-

hominum illis obtingant. Tum enim vel maxime, vt ab iſtis infirmitatibus liberentur, ad ſanitatem illis adſpirandum eſt.

** Non deſunt quidem, qui ſanctitatem omni ex parte conſummatam deſcribunt, & tanquam finem externum theologiae moralis conſiderant: quod & IVSTVS CHRISTOPHORVS SCHOMERVS facit, qui ad ſtudium ſanctitatis plurimum hoc conferre putat, ſi perfectae & conſummatae ſanctitatis imago ſemper oculis noſtris obuerſetur. *Neque enim*, inquit, *conatus vnquam iuſtus, aut ſtudium ſanctitatis ſedulum erit, ſi illum ipſum apicem, ad quem propius accedere conamur, quam alte poſitus ſit, ignoremus.* Hinc & vt conſummatae omnique ex parte perfectae ſanctitatis ideam proponat, requiri ad eam docet, habitualem perfectionem, partium ſubiectiuarum, partium obiectiuarum, graduum intenſionis, & graduum extenſionis; *theol. moral. cap.* 2. §. 1. & 2. *pag.* 31. *ſeqq* Quod quidem viri inſtitutum nullo modo reprehendendum cenſeo. Interim, cum conſummata illa ſanctitatis idea in doctrina, de imagine diuina, item de lege, alias exhibeatur, nobis quidem conuenientius viſum, de ſanctitate vitae agere, prout in regenitos cadit, ſpeciatim prout infirmitatibus illorum, praeſertim ſpecialibus, opponitur, vt hinc profectus & incrementum in vita ſpirituali conſtaret.

§. II.

Sanctitas, ſi vocem ſpectes, * ſignificat diſtinctum, ſeparatum, ſegregatum, & hoc ipſo certo vſui deſtinatum conſecratumue eſſe: quo ſenſu ſancti erunt homines regeniti, dum a mundo rebusque omnibus, quae Deo diſplicent, ſeparati ſunt, ſeque magis magisque ſecernere ac ſeparare annituntur: ſimulue Deo ſunt deſtinati, dicati & conſecrati, & eius veluti proprii. *Tit. II.* 14.

* *Sanctitatis* vox longe aliam notionem apud ſcriptores profanos habet, aliam in ſcriptura ſacra, & apud ſcriptores eccleſiaſticos. Apud illos interdum idem eſt, ac moribus integris ac inculpatis, iudicio ſcilicet gentilium, praeditum eſſe; interdum eiusmodi quid denotat, quod laedere & violare nefas eſt, quo pacto non hominibus modo, ſed aliis quoque rebus tribuitur. In ſcriptura ſacra, & quidem veteri teſtamento praecipua eius notio eſt, diſtinctum, ſecretum, ſegregatum eſſe a vulgi vſu & ſorte. Vnde ſancto non raro opponitur κοινὸν, commune *Actor. X*, 14. 15. *Ebr. X*, 29. quo quidem ſenſu & Deo, & hominibus, & aliis rebus paſſim tribuitur. Deo quidem per eminentiam quandam, dum is ſegregatus ſecretusque eſt ab omni labe, omnique imperfectione Hominibus, dum itidem ad exemplum numinis ſe ſeparant ſegregantque ab iis omnibus, quae ſummo ſtudio fugere lex diuina iubet. Sed rebus etiam aliquando tribuitur, quae ab vſu communi ſeparabantur: quae ſeparatio cum eum in finem fiebat, quod certo vſui deſtinatae eſſent, hinc noua notio vocis, ſed cum priori coniuncta, orta eſt, vt ſanctificari interdum idem ſit, ac ad certum vſum ſeparari & ſeponi, quo pacto ſacrificia interdum ſanctificari dicebantur. Et hoc ſenſu ſpeciatim homines ſancti dicuntur, qui a mundi conſortio ſegregati, Deo dicati conſecratique ſunt, vt illi tantum ſeruiant, & faciant, quae illi grata ſint. Qua ratione ſanctitas & iuſtitia coniungi ſolent. *Luc. I*, 74. 75. *Epheſ. IV*, 24. add. IOAN. HOORNBECKIVS *theolog. pract. lib.* 9. cap. 4.

§. III.

Rem ipſam vero ſi ſpectes, ſanctitas erit complexus virtutum omnium, per ſingularem ſpiritus ſancti gratiam in hominem regenitum collatarum, in quibus imago Dei, quae in iis reſtauratur, eluceſcit.

§. IV.

Complexum virtutum omnium dum *ſanctitatem* diximus, virtutes intelligimus chriſtianas, quae ex fide fluunt, vti ſupra docuimus: omnes praeterea intelligimus virtutes: non morales tantum, vt vocari ſolent, & quarum ſumma in amore Dei continetur, ſeu quae ad voluntatem pertinent, ſed eas etiam, quibus intellectus hominis regeniti ornatus eſt. Sanctificari enim homo debet, quoad omnes mentis facultates; * vnde & ſequitur, quod omnes propenſiones, inclinationesue, cogitationes, adfectus, actiones, ſanctae eſſe debeant.

* Ad quas quippe gratia diuina ſe extendit, vti fuſe *cap.* 1. *ſect.* 2. 3. *item* 5 *&* 6. &c. demonſtrauimus.

§. V.

Sanctitatis huius cauſſa efficiens eſt Deus triunus, ſpeciatim ſpiritus ſanctus. *Rom. I,* 4. *VIII.* 2. 9. 10. *Gal. V,* 22. *Epheſ. III,* 16. *V,* 9. Pertinet enim ſanctificatio ad gratiam cooperantem, quam ſupra late deſcripſimus. Eſt itaque & Chriſtus ſeruator cauſſa ſanctitatis, & quidem ſpeciali quadam ratione, non ſolum, quatenus hanc gratiam nobis promeruit, factus nobis in ſanctificationem, 1 *Cor. I,* 30. & luculentum etiam vitae ſanctae exemplar nobis reliquit, 1 *Ioan. II,* 6. 1 *Petr. II,* 21. ſed & quatenus vt caput influxum praebet in membra corporis ſui, *Epheſ. IV,* 15. 16. vel vt vitis, ſuccum largitur palmitibus. *Ioan. XV,* 5. Hinc & Chriſtus in renatis viuere & habitare dicitur. *Gal. II,* 20. *Epheſ. III,* 17. & conuenientia etiam quaedam inter vitam ſanctam hominis renati, & operationes officii Chriſti, partim a diuina, partim ab humana Chriſti natura proficiſcentes, a nonnullis obſeruatur.

§. VI.

Quod diximus, in regenitum haſce virtutes a ſpiritu ſancto collatas, explicatione non indiget. Namque hunc, moralis theologiae ſubiectum eſſe, conſtat. Ergo talem etiam intelligimus, qui eſt iuſtificatus, ſupponimusque ſanctitatem appropriatam, ſeu imputatam, cum hic ſermo nobis ſit de inchoata vel propria. * Qui vero iuſtificatus eſt, etiam cum Deo vnitus eſt: ex qua vnione Dei ſpeciatim & hoc fluit, quod regeniti *templa Dei, templa ſpiritus ſancti*, vocentur, & *Deus in iis habitare* dicatur. 1 *Cor. III,* 16. 17. *VI,* 19. 2 *Cor VI,* 16. &c. Huc etiam *ſpirituale* regenitorum *ſacerdotium* pertinet, quod homines indicat, ſpiritus ſancti gratia vnctos, & ſacrificia Deo placentia offerre paratos. 1 *Petr. II,* 5. *Rom. XII,* 1.

* Diſci-

* Diſcrimen itaque inter ſanctitatem *appropriatam*, ſeu *imputatam* Chriſti, & inter *inhaerentem*, ſeu *propriam*, probe tenendum. Etſi enim vtraque coniunctiſſima ſit, ſimul tamen eſt diſiunctiſſima: & aeque illicitum, ſeparare vnam ab altera, ac vnam cum altera confundere. Diſcrimen nimirum, quod inter vtramque intercedit, manifeſtum eſt. Altera enim non inhaeret nobis, tantum imputatur, altera vero inhaeret: altera eadem eſt in omnibus fidelibus, altera in ſingulis eſt diuerſa: altera ordine & natura praecedit, altera ſequitur: altera per ſe Deo placet, altera non niſi per aliud: altera in hac & futura vita ſemper eadem, altera minor in hac, & maior in futura vita: altera eſt ſuperior ea, quam habuimus in Adamo, altera vero inferior: altera ne quidem locum habuit in ſtatu ante lapſum, altera habuit, ſed plenior: altera ſibi non ſolum ſufficit, ſed & alterius adhaerentibus infirmitatibus tegendis inſeruit, altera ne ſibi quidem ſufficit, nedum aliis: altera ne quidem ius reprehendendi Deo relinquit, altera vero actum tantum tollit: altera ſumma eſt, per nullos gradus intendenda, altera ſuis gradibus conſtat, iam intenſior, iam remiſſior; altera legem perfecte implet, altera non: & quae alia ſunt eiusdem generis, quae erudite ediſſerit & eleganter illuſtrat BARTOLDVS BOTSACCVS, in *medulla theologiae moralis, ſeu tract. theol. de irreprehenſibilitate, praeprimis fidelium theſ. 20. & ſeqq. p. 162. ſeqq.* Longe tamen coniunctiſſima etiam eſt vtraque ſanctitas & iuſtitia. Eadem enim fides, quae meritum Chriſti adprehendit, & adeo nos ſanctos & iuſtos reddit, ſanctitate imputata, etiam efficax eſt per charitatem, *Gal. V*, 6. non quidem, quod iſta efficacia in articulo iuſtificationis in cenſum veniat, in quo fides tantum vt organon aliquod ſpectatur, ſed quod efficacia iſta & vita a fide ſeparari nequeat. Hinc & eadem fides corda purificat, *Actor. XV*, 9. non ſolum ſanguinem iis adſpergendo, qui mundat ab omni peccato, 1 *Ioan.* I, 7. ſed & dominium peccari maxime commaculans infringendo, *Rom. VI*, 6. 12. dum carnem compeſcere, *Gal. V*, 24. mundum vincere, 1 *Ioan. V*, 4. & diabolo reſiſtere, 1 *Petr.* V, 9. docet. Praeterea, vt fruſtra eſſet, qui ſanctitati vitae ſine ſanctitate imputata ſtuderet, cum Deo quippe nondum conciliatus, filiusque adeo adhuc irae, & gratiae diuinae, ſine qua in ſpiritualibus nihil poſſumus, expers; ita rurſus, qui ſtudium ſanctitatis intermitteret, ſe fide adhuc deſtitutum, adeoque imputatae ſanctitatis expertem demonſtraret. Ex fructibus enim fides agnoſcitur: quorſum & ea pertinent, quae deinceps de neceſſitate ſanctitatis inhaerentis dicemus. Sed id tamen non praetermittendum, quod itidem nonnulli obſeruant, iuſtitiam & ſanctitatem Chriſti, quae per fidem adpropriatur, eam ipſam eſſe, quae nobis ad imitationem proponitur, *Matth*, *XI*, 29. *Phil. II*, 5. 1 *Ioan. II*, 6. 1 *Petr. II*, 21. Huc & ea pertinent, quae MACARIVS haud inconcinne diſſerit, dum oſtendit, fieri non poſſe, quin imago Chriſti in illis pingatur, qui oculis fidei eum conſtanter intuentur. *Quemadmodum enim*, inquit, *ſtatuarius attendit ad faciem regis, dum pingit: ac ſi ex aduerſa parte ſit facies regis, intendens in ipſum pictorem, facile atque eleganter ille imaginem ad viuum depingit: ſin vero faciem auertat, pingere nequit, eo quod intentis oculis non intuebatur pingentem:* τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ὁ καλὸς ζωγράφος Χριστὸς, τοῖς πιστεύουσιν αὐτῷ καὶ ἀτενίζουσιν διὰ παντὸς πρὸς αὐτὸν, εὐθέως ζωγραφεῖ κατὰ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ ἐπουράνιον ἄνθρωπον, ἐκ τοῦ αὐτοῦ πνεύματος, ἐκ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, τοῦ φωτὸς τοῦ ἀνεκλαλήτου, γράφει εἰκόνα οὐράνιον, καὶ δίδωσιν αὐτῇ τὸν καλὸν καὶ ἀγαθὸν αὐτῆς νυμφίον· *eodem quoque modo inſignis ille pictor, Chriſtus, credentibus, & fixis eum oculis ſemper intuentibus, confeſtim depingit ad imaginem ſuam hominem coeleſtem, ex ipſo ſpiritu, ex ſubſtantia ipſius luminis arcani pingit imaginem coeleſtem, & largitur ei praeclarum & bonum illius ſponſum. Si quis ergo immotis oculis eum non ſemper intueatur, ſpretis omnibus, nequaquam pingit dominus imaginem eius e ſuo ipſius lumine. Oportet ergo fixis oculis intueri nos eum, credere & diligere illum, omnia proiicere, eique attendere, vt pingat ſui ipſius imaginem coeleſtem, & immittat animis noſtris, &c. homil.* 30. §. 4. *p.* 414. 415. Addatur, quem laudauimus, quique pluribus hoc ediſſerit BOTSACCVS, *l. c. theſ.* 19. *pag.* 158. *ſeqq.*

§. VII.

Sanctitatis ſtudium, ad incrementum vitae ſpiritualis, ſeu ulteriorem imaginis diuinae reſtaurationem, comparatum eſt. Et huc finis proximus theologiae moralis tendit. conf. *Coloſſ. III. 10. Epheſ. IV, 24.* Supponitur itaque, imaginem diuinam, ad quam homo conditus erat, per lapſum primorum parentum amiſſam: eiùs reſtaurationem in regeneratione inchoari, in ſanctificatione continuari, donec tandem in vita aeterna perficiatur.

§. VIII.

Sanctitas iſta, quam hactenus delineauimus, alias etiam dicitur *irreprehenſibilitas*. Vult enim ſcriptura ſacra, omnes chriſtianos eſſe ἀμωμήτους, ἀνεγκλήτους, ἀπταίστους, ἀκαταγνώστους, ἀνεπιλήπτους, & ἀμέμπτους. Hiſce enim vocibus *irreprehenſibilitas* illa deſcribitur, quae etſi reſpectum aliquem ad vitam & mores externos inferre videatur, ſecundum ſtilum tamen ſcripturae ἄμωμον & ἅγιον ſunt ſynonyma. conf. *Epheſ. I, 4. V, 27. Coloſſ. I, 22.* add. *Philipp. II. 15.* Vocatur etiam alias *perfectio chriſtiana*, *Matth. V, 48. Philip. II, 15. Coloſſ. IV. 12. Ebr. V, 14. Iacob. I, 4.** non omnimoda quidem, ſed ſtatui & conditioni noſtrae conueniens, quae & ideo a nonnullis *inchoatiua*, dici ſolet.

* Tam multis itaque ſcripturae dictis, cum *integritas*, *irreprehenſibilitas*, *perfectio*, regenitis tribuatur, nemo, quin recte hoc fiat, dubitauerit. Neque fidelibus tantum noui teſtamenti, ſed iis etiam, qui ante Chriſtum natum vixerunt, ſcriptura perfectionem atque integritatem tribuit, *Gen. VI, 9. Pſalm. XV, 2. Iob. I, 1.* Eodem vero pertinet, quod ſeruare quoque mandatum diuinum, *Gen. XXVI, 5. Deuter. XXVI, 13. Iob. XXIII, 12. Luc. I, 6. 1 Ioan. III, 22.* alibique, & implere legem, *Rom. XIII, 8. Gal. VI, 2.* dicantur. Quorſum & referendum, quod Paulus *Rom. III, 31.* diſerte docet, *legem per fidem ſtabiliri. Legem igitur*, inquit, *inutilem reddimus per fidem? Abſit! immo legem ſtabilimus.* Quae apoſtoli verba, quo minus de ſola iuſtificatione accipi queant, ſcopus eius prohibet, qui eſt, reſpondere ad obiectionem Iudaeorum, ac ſi legem tolleret: quod negat, docetque in ſequentibus, quae fidei, non tantum qua iuſtificationem, ſed & qua ſanctificationem, ſit ratio, & quo pacto homines iuſtificati non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulare debeant, hoc eſt, per vires gratiae actiones ſuas ad legem diuinam componere. Interim, cum aliunde ſatis conſtet, & ſupra a nobis probatum ſit, multis imbecillitatibus obnoxios eſſe regenitos, eorumque ſanctitatem valde imperfectam eſſe, quo ſenſu illis perfectio quaedam tribuatur? quaeritur. Diſtinguitur autem hic inter perfectionem *partium*, & perfectionem *graduum*: & vti in eo omnes noſtratium conſentiunt, perfectionem graduum regenitis non conuenire, adeoque hactenus ſanctitatem eorum valde imperfectam eſſe, ita contra de perfectione partium intelligendum eſſe, quod de perfectione chriſtiana dicitur, ſi recte explicetur, nemo temere inficias ibit. B. SCHOMERVS equidem, conſummatae & omni ex parte abſolutae ſanctitatis ideam deſcripturus, quadruplicem, vt ſupra iam obſeruauimus, notat perfectionem, primo *partium ſubiectiuarum*, quae ad omnes mentis, immo corporis, facultates ſe extendat, quemadmodum Paulus totum *corpus*, *Rom. XII, 1.* & omnia *membra*, *cap. VI, 23.* Deo

non

non minus, quam cor, ſeu animum Salomo *Prouerb. XXIII, 26.* dare iubeat; deinde *partium obiectiuarum*, vt in omnibus actionibus, & in omnibus rebus, circa quas actiones noſtrae occupari debent, exactiſſima cum voluntate Dei conformitas obſeruetur; porro, *perfectionem graduum intenſionis*, vt penitus, totis agendi viribus & habituali omnigena inclinatione eo feramur, quo voluntati diuinae ſatisfiat, *Matth. XXII, 37.* & denique *perfectionem graduum extenſionis*, ne vllo loco vel tempore, quantumuis aduerſo, exactiſſima illa conformitas remittatur, *theol. moral. cap.* 2. §. 3. *pag.* 33. 35. At talem perfectionem in homines regenitos in hac vita non cadere, poſitum eſt extra omnem controuerſiam. Idque vti quoad perfectionem graduum, intenſionis & extenſionis, dubio caret, ita, quod ad perfectionem partium ſubiectiuarum & obiectiuarum attinet, licet talis vtique, qualem SCHOMERVS deſcribit, perfectio itidem in eos non cadat, alio tamen modo & ſenſu, perfectio quaedam partium regenitis omnino adſcribi debet. Nimirum, ad partes ſubiectiuas, quod attinet, conſtat ex ſupra dictis, facultates mentis, ſpeciatim intellectum & voluntatem, arctiſſimo vinculo inter ſe eſſe coniunctas, adeo vt vna per gratiam emendata, non poſſit non emendari altera, modo emendatio iſta recte ſe habeat. Neceſſe itaque eſt, vt inchoatiue ſaltem emendatio quaedam in omnibus hominis regeniti facultatibus conſpiciatur: quae quidem noſtro ſenſu erit perfectio partium ſubiectiuarum. Partium obiectiuarum nomine, ſi, quod res ipſa poſtulat, legem diuinam, ſaltem praecipue, intelligamus, eatenus perfectio quaedam vel integritas regenitis & ſanctis non poteſt denegari, quatenus ex proaereſi nullam legem violant, ſed, vt omnes ſeruent, omni annituntur opere. Et haec eſt illa *perfectio*, partium ſcilicet, quam regenitis noſtrates theologi tribuunt, & a qua *graduum perfectionem* diſcernunt. Rem omnem luculenter explicat B. IO. GERHARDVS noſter: *abſoluta*, inquit, *eſt perfectio, quae ſummum illum obedientiae gradum, quem lex requirit, integre praeſtat. Talis perfectio fuit in Adamo ante lapſum, talis etiam in Chriſto, qui integram ac numeris & gradibus omnibus abſolutam obedientiam legi praeſtitit. In renatis talis perfectio non eſt, niſi tantum imputatione, quatenus perfecta illa Chriſti obedientia per fidem ipſis imputatur. Perfectio conditionata eſt*, (quam nos perfectionem partium vocamus) *ſincera renatorum, ſecundum totam legem obedientia, in hac vita inchoata, in aeterna tandem vita conſummanda, ſiue eſt ſerium ac ſincerum ſtudium obediendi Deo, ſecundum omnia eius praecepta, etſi aliquid deſit reſpectu graduum. Hanc perfectionem renatis tribui, non diffitemur. Dicitur autem haec obedientia renatorum perfecta* 1) *ratione omnium mandatorum, ſiquidem omnibus & ſingulis Dei mandatis obedire ſtudent renati, quamuis obedientia ſit inchoata, Pſalm. CXIX, 6. tunc pudore non afficiar, cum reſpexero ad omnia praecepta tua*: 2) *ratione ſinceritatis qua vero, & non ſimulato affectu, ſerio & non hypocritico ſtudio, renati Deo obediunt, & prauis motibus reſiſtunt &c. tom.* 3. *locor. theolog. de lege Dei c.* 1. Praeter multos alios, eandem diſtinctionem inculcat B. IO. GVILIEL. BAIERVS noſter *compend. theol. moral. part.* 1. *cap.* 1. §. 8 & 9. Cum enim §. 8. dixiſſet: *Quamuis autem vita iſta ſancta quoad plenam perfectionem conſiderari poſſit, quatenus tamen actu contingit, fatendum eſt, neminem renatorum, ad eum ſanctimoniae gradum peruenire in hac vita, vt non aliquo defectu laboret & contaminetur*, ſubiicit, hoc intelligendum eſſe de *perfectione graduum*; & tum §. 9. addit: *interim cadit in renatos ſanctimonia vitae eatenus perfecta, quatenus actiones eorum internae atque externae magis magisque perfectiores ſiunt, & promptius exercentur*, &, hanc eſſe ait *perfectionem partium, quae perfectioni graduum contradiſtinguatur*. Et ſane, res ipſa, quod perfectio quaedam partium regenitis tribuenda ſit, longe eſt manifeſtiſſima. Praeterquam enim, quod loca ante allata, in quibus *integri, perfecti, irreprehenſibiles* vocantur, itemque *ſeruare mandata Dei & implere legem* dicuntur, hoc docent, patet idem ex regeneratione, ex indole imaginis diuinae, & denique ex natura & indole ſanctificationis. Per regenerationem enim fides accenditur, nouusque adeo homo primum producitur, qui etſi initio prorſus ſit imperfectus, quoad perfectionem graduum, non tantum, prout generatim nemo in hac vita conſummatam perfectionem graduum conſequi poteſt ſed ſpeciatim, prout infans imbecillior longe imperfectior cenſetur homine adulto, etſi eo adhuc non fortiſſimo ſed imperfecto, conf. *Eph. IV*, 13. 14. perfectus tamen eſt, quatenus

partes

partes eſſentiales hominis habet: ceteroquin non infans eſſet, ſed monſtrum. Ita ergo homo ſpiritualis recens natus, etſi imperfectus valde ſit quoad gradus, neceſſe tamen eſt, vt partes velut eſſentiales noui hominis habeat, nec propoſitum adſit, vlla in re proterue & petulanter legem Dei migrandi. Iſtae vero partes ſummatim in imagine diuina conſpiciuntur, ſuntque lux & ſapientia diuina ratione intellectus, & ſanctitas ac iuſtitia ratione voluntatis. Hiſce ſi quid demas, quo minus & illuminatus, & iuſtus ſanctusque homo dici queat, non amplius erit imago diuina. Fateor, conſpici in homine regenito initio lineamenta ſaltem, & quandam velut adumbrationem, magis magisque deinde perficiendam ſed tamen lineamenta haec imaginem ita referre debent, ne quid, quod ad eius eſſentiam pertinet, deſit: ceteroquin enim quiduis potius, quam imaginem iſtam referrent. Hinc diſerte ſeruator dicit: *quidquid natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt Ioan. III,* 6. Ergo & ſpiritu ducitur & regitur, nec carnem amplius ſequitur. Qui vero vna in re carnem ſequi vellet, demonſtraret profecto, ſe ſpiritum non ſequi, neque ex ſpiritu natum eſſe. Iam indolem conſideremus ſanctificationis. Haec in eo ſita eſt, vt homo nouus creſcat & augeatur, corroboreturue. *Epheſ. III,* 16. 2 *Petr. III,* 18. Quod profecto intelligendum de omnibus partibus, ex quibus nouus homo conſtat. Si enim pars quaedam eſſentialis deeſſet nouo homini, nec nouus homo eſſet, nec creſcere poſſet, vt nouus homo. Et in eo ſtudium ſanctitatis conſiſtit: de quo hic loquimur, quod augeri, creſcere, corroborari debeat nouus homo. Quo ipſo perfectionem quandam partium ſupponit, & in ea quoad gradus augenda occupatur, & hinc merito *perfectio chriſtiana* audit. Idem praeterea patet ex natura legis, cuius ſumma eſt, *amor Dei & proximi*, *Matth. XXII,*40. Vnde & Paulus *amore*, ſeu *dilectione*, totam legem complectitur, *Gal. V,* 14. Amoris autem haec eſt indoles, vt gradus equidem admittat, ſed diuidi nequeat, vt diſerte docet ſeruator, *Matth. VI,*24. Qui itaque perfectionem partium regenitis denegant, nihil alid agunt, quam vt amorem diuidere annitantur, quod eſt ἀδύνατον. Qui enim Deum ſincere diligit, diliget etiam proximum, & qui proximum diligit, non poteſt non diligere Deum. conf. 1 *Ioan. IV,* 20. Et in eo conſiſtit ſumma legis: & qui pro viribus ſibi conceſſis hoc agit, vt Deum proximumque ſincere diligat, hoc ipſo legem implet, mandata Dei ſeruat. Summa equidem iſta legis in varia praecepta abit, affirmatiua ac negatiua, prout humani generis conditio poſtulauit, diſtinctius illis proponere, quae agenda aut intermittenda eſſent, vnde difficultas oriri poſſet, an his omnibus ſatisfacere homo regenitus queat: ſufficit tamen, quod, qui Deum & proximum ſincere amat, ex proaereſi & data opera nullum praeceptum ſit violaturus. Hoc, inquam, ad perfectionem iſtam partium ſufficit. Et licet contra omnia & ſingula praecepta ſaepius ex infirmitate peccet, in eo tamen omnem induſtriam collocat, vt iſtas magis magisque exuat imbecillitates, & accuratiori ſtudio ad ſingula Dei praecepta vitam actionesque ſuas componat. Confirmat haec omnia Iacobus apoſtolus, dum ſcribit: *qui enim, quamuis alioquin totam legem obſeruet, tamen in vno delinquit, is omnibus tenetur, cap. II,* 10. Praecepta enim legis inſeparabilia hinc eſſe, conſtat. Malo itaque magis, qui proaeretice contra vnum praeceptum peccat, totam legem repudiaſſe data opera cenſebitur: ita quidem, vt, cui voluntas deeſt hoc aut illud praeceptum ſeruandi, generatim quoque voluntatem ſeruandi legem habere nequeat. Namque voluntas ſeruandi legem neceſſario ſe ad omnes leges extendit: vt amor Dei ad omnia ea, quibus amor hicce declarari poteſt. Atque hoc etiam eſt, quod ſupra *cap.* 1. *ſect.* 4 §. 136. iam docuimus, vnicam reuera tantum eſſe virtutem: cum vnicum tantum ſit ſtudium ſe componendi ad voluntatem Numinis: virtutes autem, quae vulgo conſtituuntur ſpeciales, diuerſas ſaltem eſſe virtutis denominationes: vnde porro ſequitur, quod ibid. §. 142. demonſtrauimus, virtutes omnes inſeparabili vinculo inter ſe eſſe connexas, vt, qui vnam reuera habet, omnes habeat, & qui vna deſtituitur, deſtituatur omnibus. Vltimo denique loco obſeruamus, hanc de *perfectione partium*, quam regenitis & ſanctis tribuimus doctrinam, eam ipſam eſſe, quam orthodoxi veteris eccleſiae patres contra Pelagianos defenderunt, vt praeclare obſeruauit GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, *hiſt. Pelag. lib.* 5. *part.* 1. Cum enim Pelagiani omnimodam perfectionem vrgerent, reſpondebant orthodoxi patres, per eam *perfectionem*, quam ſcriptura ſanctis tribuit,

intelligi

intelligi tum ſinceritatem, ſiue verum & non ſimulatum ſtudium obediendi omnibus Dei mandatis, tum obedientiae, iſtius actualem impletionem, ſed pro modulo huius vitae, & comparatae ad alios fideles, non plenam & omnibus numeris abſolutam &c. De neceſſitate huius doctrinae addimus adhuc monitum B. IVSTI CHRISTOPHORI SCHOMERI, *theol. mor. c.* 3. §. 18. *p.* 85. Cum enim docuiſſet, perfectionem chriſtianis non ſemel in ſcriptura ſacra tribui, ſubiicit *Quanquam enim contra gloriationes phariſaicas docemur, legem a nobis perfecte impleri non poſſe, docere tamen etiam contra carnalem ſecuritatem oportet, quod implere illam aliqua ratione poſſimus, & ſicut illa propoſitio in theologia polemica frequens eſt, ita hanc in morali non minus ſedulo proponendam eſſe, celeberrimus Chemnitius quondam iudicauit.* Adfert hinc CHEMNITII verba *locor. theolog. part. 2. de lege Dei cap.* 8. quorum ſumma huc redit: *in ſingulis praeceptis, haec doctrina diligenter inculcanda eſt; & quomodo lex ſit impoſſibilis, & quomodo impletionem eius habere poſſimus. Vtrinque enim periculoſe, & ſaepe non ex ignorantia, ſed ex petulantia erratur. Phariſaei fingunt, ſe poſſe ſingulis praeceptis perfecta obedientia ſatisfacere. Epicuraei hoc velamine excuſant omnes lapſus contra conſcientiam. Diligenter igitur in ſingulis praeceptis oſtendendum eſt, quomodo & quatenus lex ſit vel impoſſibilis, vel poſſit impleri, & diſtinctim dicendum eſt de renatis, & non-renatis.* Quae CHEMNITII verba cum recitaſſet SCHOMERVS, addit: *quae vtinam omnes catechetae & concionatores probe obſeruarent, cum in hoc argumento occupantur.*

§. IX.

Vt ſpecialius, quo pacto ſanctitas haecce per omnes animi facultates, qua intellectum, voluntatem, facultatem imaginatiuam, adpetitum ſenſitiuum & adfectus, omnes item cogitationes, & actiones hominis ſe diffundat, explicemus, neceſſe non eſt, cum ſupra hoc iam factum ſit. Namque ſanctitas illa prorſus cum ſtatu gratiae conuenit, & qui in hoc conſtituti ſunt, ac proficere in vita ſpirituali annituntur, omnibusque adeo virtutibus chriſtianis ſtudent, ſancti in ſcriptura ſacra vocantur. Id itaque ſaltem reſtat, & huius quoque maxime loci eſt, vt, quae vitam ſanctam in regenitis comitari ſoleant, & quo pacto in ea creſcere & proficere debeant, paucis explicemus.

§. X.

Supponimus hic merito vitae ſanctae *neceſſitatem*, quae itidem inter adiuncta eius referri ſolet. Hanc qui negaret, omnem veri chriſtianiſmi rationem euerteret. Patet ea vero, quod omnia ſalutis media eo tendant, vt imago diuina in nobis reſtauretur, *Epheſ. IV, 24. Coloſſ. III, 10.* Quae reſtauratio, vt in regeneratione inchoatur, ita continuatur, cum vitae ſanctitati ſtudemus. Hinc *exuere veterem hominem & induere nouum, Epheſ. IV, 22. Coloſſ. III, 9. 1 Petr. II, 1. crucifigere carnem cum concupiſcentiis, Gal. V, 24. per ſpiritum carnis negotia interficere* iubemur, *Rom. VIII, 13.* Ideo etiam Chriſtus venit, non tantum vt peccata noſtra expiaret, ſed & vt *opera diaboli deſtrueret, 1 Ioan. III, 8.* qui & ſeipſum pro nobis dedit, vt *redimeret nos ab omni iniuſtitia, & purgaret ſibi ipſi populum περιούσιον, proprium*, qui peculium eius eſſet, ipſi conſecratum, ſanctum, *ζηλωτὴν καλῶν ἔργων, Tit. II, 14.* conf. &

verſ. 11. 12. idemque ὑπογραμμὸν nobis reliquit, vt eius veſtigia ſequeremur, ad quod etiam vocati ſumus, *1 Petr. II, 21.* Paucis: haec *voluntas* Dei eſt, vt ſanctitati ſtudeamus, *1 Theſſ. IV, 3.* vt ſancti ſimus, quemadmodum & ipſe ſanctus eſt. *1 Petr. I, 15. 16.* Vnde & diſerte Paulus: *ſine ſanctimonia nemo videbit Deum. Ebr. XII, 14.*

§. XI.

Difficultatibus equidem non caret ſanctitatis ſtudium: immo plures ſubeundae & ſuperandae illis ſunt, qui huncce campum ingrediuntur. Colluctandum enim illis quotidie eſt cum carne, mundo & diabolo. Hinc ὄγκον καὶ εὐπερίστατον ἁμαρτίαν in ſe deprehendunt viri ſancti. *Ebr. XII, 1.* Hinc acerbiſſimae ſanctorum querelae. *Pſalm. XIII, 1. XLII, 6. Rom. VIII, 24.* Quantacunque autem ſit difficultas in ſanctitate vitae, quam multi haud raro ſua imprudentia & incredulitate augent: non tamen eſt ἀδύνατον, ſanctitatem vitae colere, vti nonnulli perperam ſibi perſuadent. Quod enim ἀδύνατον eſt penes homines, non eſt ἀδύνατον penes Deum, *Luc. XVIII, 27.* conf. & *Luc. I, 37.* Et quod fieri nequit per vires naturae, fieri poteſt per vires gratiae. *Epheſ. I, 19.* Neque hoc Deus a nobis exigeret, ſi fieri non poſſet. Paucis: vim gratiae & indolem regni Chriſti ignorant, qui de poſſibilitate vitae ſanctae dubitant.

§. XII.

Interim quantamcunque aliquis adhibeat diligentiam, ſemper tamen *imperfecta* manebit vitae noſtrae ſanctitas: cum nemo renatorum ad eum ſanctimoniae gradum peruenire queat, vt non aliquo defectu laboret & contaminetur. Quemadmodum enim, quamdiu in hac vita ſumus, ex parte intellectus ἐκ μέρους, δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι cognoſcimus, *1 Cor. XIII, 9. 12.* ita, quod ad voluntatem attinet, cum Paulo ſemper profitendum erit, *non quia iam conſecutus ſum, aut iam perfectus, ſed perſequor, vt comprehendam, quatenus a Ieſu Chriſto ſum comprehenſus, Phil. III, 12.* Huc praeterea ea omnia pertinent, quae de imperfectionibus & infirmitatibus regenitorum antea commentati ſumus. Etſi enim in hiſce exuendis, omnem collocet operam homo regenitus, nunquam tamen eousque proficiet, vt non labes quaedam ſuperſit: etſi vincat hoſtes, non tamen, quamdiu durat ſtatus eccleſiae militantis, debellabit penitus, donec veniat ſtatus eccleſiae triumphantis.

§. XIII.

Hinc vero ſua ſponte ſequitur, quod *proficere* in ſanctitate ſemper debeant. Qui enim terminum perfectionis iam attigerunt, profi-

proficere vlterius nequeunt. Qui contra ab eodem abſunt adhuc, operam omnem merito nauant, vt eum attingant, propiusque ad illum accedant. Hinc paſſim creſcere, augeri, diteſcere, confirmari, corroborari dicuntur homines ſancti, *2 Petr. III, 18. 1 Petr. V, 10. Epheſ. III, 16. 17. Phil. I, 9.* donec *omnes perueniamus ad vnitatem fidei, cognitionisque Dei filii, in virum adultum, ad modum plenae aetatis Chriſti. Epheſ. IV, 13.* Quod incrementum, quoad omnes mentis facultates intelligendum, quoad intellectum, vt proficiat in cognitione & ſapientia: quoad voluntatem, in amore Dei & proximi, item in abnegatione ſui, patientia, humilitate, aliisque virtutibus chriſtianis; porro in adfectuum quoque omnium motuumque prauorum exceſſibus ſubigendis, corrigendisque proficiat, maioremque in his omnibus acquirat promptitudinem. conf. *Rom. XV, 13. 1 Cor. XIV, 12. 2 Cor. VII, 1. VIII, 7. 1 Theſſ. IV, 1. 10. 2 Theſſal. I, 3.*

* Incrementum hoc in vita ſpirituali eadem fere ratione ſe habet, ac in vita naturali. Vt enim hoc ſenſibus non percipitur, vt non tam creſcere, quam creuiſſe, corpus, animaduertamus, ita & in ſpiritualibus ſe res habet. Accedit, quod in hisce nonnulli, vano errore decepti, tum maxime decreſcant, cum ſe inſigniter creſcere ſibi perſuadent, vti alii, nullum in ſe incrementum ſentire videntur, vel maxime creſcunt. Quae ſi quis recte perpendat, facile deprehendet, quo loco habenda ſint, quae pontificii quidam de gradibus ſanctitatis comminiſcuntur. Infirmo profecto fundamento hanc ſententiam ſuperſtruunt, qui quindecim pſalmos graduum, vti vocantur pſalmos CXX. vsque ad CXXXIV. in ſubſidium vocant, vt quindecim gradus perfectionis inde exſtruant. Praeter multos alios, totus in eo eſt IO. BONA, cardinalis, in *pſalmodia diuina, cap. 15. ſeqq. p. 391. ſeqq.* qui & ad HILARIVM AVGVSTINVM, CHRYSOSTOMVM aliosque prouocat, quos hac in re ſibi habuerit praeeuntes. Vt vero euincat, quindecim hisce pſalmis gradualibus totidem gradus chriſtianae perfectionis indicari, quinque conſtituit gradus incipientium, totidem mediorum, & denique perfectorum totidem. Incipientium gradus eſſe putat, omne mortale, omne veniale crimen deſerere; diuitias ac dignitates contemnere; prauos motus cohibere; proprium iudicium & propriam voluntatem abnegare: proficientium: virtutes omnes acquirere; virtutum exemplar aliis eſſe; iuſtitiae vias docendo monſtrare; ſe humilem in omnibus exhibere; omnes irriſiones & detrectationes patienter ferre; denique perfectorum: orationis ſtudium; puriſſimam intentionem; in omne opus bonum magno impetu ferri; velle ſemper, quod vult Deus; adhaerere Deo, & vnum fieri cum eo ſpiritum, intimo charitatis adfectu. Verum in hisce haud pauca reprehenſione digna occurrunt. Quae enim ad perfectionem partium pertinent, confunduntur cum illis, quae ad perfectionem graduum ſpectant: & graduum quoque perfectio, vltra quam par eſt, extenditur. Idem fere cenſendum de IOANNIS abbatis, quem a loco commorationis *Sinaitam*, a ſcriptionis argumento *climacum*, ſeu *ſcholaſticum*, vocant, libro, cui titulum fecit: *ſcala paradiſi.* Licet enim ſexto ſeculo vixerit auctor, talia tamen tradit, quae non omnibus ſe probabunt, & errore myſticis pontificiisque ſatis vſitato, perfectionem partium cum graduum perfectione confundit. Nec ferenda illorum ſententia, qui ex virtutibus aut bonis operibus ſcalam in coelum conficiunt. Non enim aliam in coelum ſcalam nouimus, niſi Chriſtum, cui fide innitendum, *Ioan. I, 51.* Quod vero IO. BONA, cardinalis aliique, pſalmis gradualibus, quos vocant, ſuam de gradibus perfectionis philoſophiam ſuperſtruunt, in eo ingenio magis indulgent ſuo, quam vt ſolidam vllam huius ſententiae adferre valeant rationem. Etſi enim variae eruditorum ſint ſententiae, cur pſalmi iſti ita

dicti ſint, probabilior tamen ceteris illorum videtur opinio, eos ita adpellatos, quod a muſicis Dauidis ſolenniter decantarentur, ad gradus arcis regiae. vid AVGVSTI PFEIFFERI *dubia vexata*, *cent.* 3. loc. 81. *p.* 628. Rectius ſapiunt, qui in incremento vitae ſpiritualis diiudicando, & gradibus ſanctitatis aeſtimandis, ſequentia momenta tradunt: *comparationem cum aliis non temere inſtituendam, ne quis in hypocriſin aut ſuperbiam incidat: aeſtimandum profectum in vita ſpirituali ex ſtatus praeſentis cum ſtatu praeterito comparatione, ſed ita, vt ſemper cogitemus, longe plura nobis reſtare, quam quae conſecuti ſumus: quemcunque gradum aliquis ſibi aſſecutus videatur, nimium quantum tamen abeſſe ab eo gradu, vt perfectus dici queat: omnem iſtam incrementi vitae ſpiritualis aeſtimationem eo comparatam eſſe debere, vt intuitu eorum, quae reſtant, quaeue nobis deſunt, ad humilitatem nos ducat; nec abiiciendum tamen animum, ſed ſemper plus vltra contendendum, etſi cum maximis nobis colluctandum ſit imbecillitatibus*, & quae alia ſunt eiusdem generis add. BARTOLDVS BOTSACCVS in *medulla theologiae moralis*, *theſ.* 29. & 30. *p.* 205. *ſeqq.*

§. XIV.

Cumque hac ratione vnus vlterius in vitae ſanctitate progrediatur, quam alius, ſua ſponte hinc etiam ſequitur, dari *inaequalitatem* quandam, inter renatos, vt alii magis, alii minus perfecti & ſancti ſint. Hinc eſt, quod in ſcriptura ſacra alii cum infantibus, alii cum adultis, cum iuuenibus alii, alii cum patribus comparentur. *1 Cor. III, 1. 2. Ebr. V, 12. 13. 14. Epheſ. IV, 14. 1 Ioan. II, 13. 14.* Sic & centurionis fides perfectior dicitur fide Iſraelitarum. *Matth. VIII, 10.* Maiorem quoque in quorundam cordibus fert fructum ſemen verbi diuini, quam in cordibus aliorum. *Matth. XIII, 23.*

§. XV.

Ex vitae etiam ſanctae ſtudio non poteſt non fluere *diſtinctio & ſeparatio* quaedam ſanctorum a non ſanctis. Sancti enim moribus ſuis, omnique vitae ratione teſtantur, ſe pertinere ad regnum Chriſti, cum irregeniti contra, quod ad regnum tenebrarum pertineant, ſatis aperte prodant. Hinc ἀντίϑεσις maxima inter vtrosque, *Gen. III, 15. Ioan. XV, 18. 19. XVII, 16.* Huc & ἀκρίβεια illa pertinet, quam nonnulli *ſingularitatem* interpretantur, qua ſtudio ſanctitatis ea fugiunt & euitant diligenter, quae reliqui mortales erronea perſuaſione ducti pro licitis ac indifferentibus rebus, aut omnino honeſtis, habent. Inde fit, vt vita ſanctorum longe alia & *ſingularis* hominibus irregenitis videatur, *Sap. II, 15.* conf. & *Phil. II, 15.* cum non agant, quae agere eos vellent improbi, & intermittant, quae ab illis intermitti nollent. Speciatim vero & ſchema mundi reſpuunt, *Rom. XII, 2.* ne quid cum illo ſibi commune eſſe videatur. Et haec laudabilis eſt ἀκρίβεια & ſingularitas, vti vitio contra non caret, quae ambitione excitata, vulgaria faſtidit, communia reſpuit, & in licitis a via communi & trita ita diſcedit, vt ad illicita & prohibita prolabatur. *

* Diſcrimen inter ſingularitatem laudabilem & illaudabilem pluribus expoſui in *theſibus practicis περὶ τῆς ἐθελοθρησκείας in vita chriſtiana*, vbi & tertiam addidi ſingularitatis ſpeciem, quae cum non ſit laudabilis tamen cenſeri debet, §. 40. *ſeqq.*

§. XVI.

Habet denique ſanctitatis ſtudium ſua *commoda*, ampliſſima, praeſtantiſſimaque. *Pietas* enim *ad omnia vtilis eſt*, *habetque promiſſionem & huius & futurae vitae* 1 *Tim. IV*, 8. immo *quaeſtus magnus eſt pietas, & ſua ſorte contentum eſſe*, 1 *Tim. VI*, 6. Hinc & ſi quae eos incommoda premere videntur, haec ipſa tamen tandem in illorum commodum cedunt, docente apoſtolo; οἴδαμεν, ὅτι τοῖς ἀγαπῶσιν τὸν Θεὸν πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν. *Rom. VIII*, 28.

§. XVII.

Speciatim inter effectus & commoda vitae ſanctae referri meretur, δόξα illa, ſeu *claritas*, qua virtutis ſplendorem vndiquaque ſpargunt, vt ipſi quoque impii eodem quandoque conuicti, venerationem hominibus ſanctis exhibeant, ad minimum vberrima inde enaſcatur occaſio Numinis ſanctitatem benignitatemque praedicandi. *Luceat lux veſtra*, inquit ſeruator, *apud homines, vt veſtra recte facta videntes, collaudent veſtrum patrem, qui eſt in coelis. Matth. V*, 16 Et Paulus, homines pios atque ſanctos lucere iubet inter impios, tanquam *luminaria in mundo*: *Phil. II*, 14. 15. conf. & 1 *Petr. II*, 12. add. *Ioan. XVII*, 22. 2 *Cor. III*, 7. 8. 9. *Sap. VIII*, 10. 13.

§. XVIII.

Haud infimum quoque locum inter vitae ſanctae commoda tenet, *gaudium* ſingulare & conſtans, cum animi tranquillitate coniunctum: de quo Salomo: *bonus corde, in conuiuio iugi. Prouerb. XV*, 15 Quod quidem gaudium non poteſt non oriri, vbi bona eſt conſcientia, & filialis erga Deum fiducia, *Ebr. X*, 22. & pax cum Deo, *Rom. V*, 1. *Phil. IV*, 7. Sed intelligendum tamen hoc eſt, cum exceptione crucis & calamitatis, qua carere renati nequeunt, quamdiu in hac vita verſantur. * *Actor. XIV*, 22 *Matth. VII*, 13. 14. *Ioan XII*, 24. Interim in calamitatibus etiam diuino ſolatio recreantur. 2 *Cor. I*, 3. *ſeqq.* Vnde *in his omnibus ὑπερνικῶσι, plus quam victores ſunt per eum, qui dilexit eos, Rom. VIII*, 37. *ſeqq.* ſuntque *tanquam dolentes ſemper autem gaudentes.* 2 *Cor. VI*. 10.

* Eiuſmodi itaque gaudium, quod triſtitiae, etiam ſalutaris, viciſſitudines excludat, quale praeter alios vir alias haud indoctus, FRIDERICVS ALEENHOFF, in libro, cui titulum fecit *coelum in terris*, ſibi finxit, inter paradoxa & portenta Stoicorum merito referendum. Quam quidem ſententiam alibi ex inſtituto refutaui.

§. XIX.

Quemadmodum etiam improbi, ſua improbitate plurima ſibi ipſis

attra-

attrahunt mala, morbos corporis, paupertatem, infamiam, ita, quae his oppoſita ſunt, iure meritoque inter ea ſunt referenda, quae per accidens ſaltem ex vita ſancta fluunt. conf. *Prouerb. III, 7.8. Pſal. CXII, 3. 1Tim. VI, 6.8.* Accedit vero, quod verae prudentiae radix & genuinum fundamentum, ſit virtus chriſtiana, vitaeque ſanctitas. Prudentia rebus ſuis maxime conſulunt mortales, vti imprudentia maxime nocent. Imprudentiae porro fontes praecipui ſunt vitia quaeuis, prauique mortalium adfectus, quibus aguntur in transuorſum, adeo vt ne humanae quidem prudentiae ſpeciem ſibi vindicare queat, qui non vtcunque ſubigere adfectus, atque coercere, didicerit.

§. XX.

Quae ad alios ex vita ſancta redundant commoda, pro ſuis etiam merito reputat regenitus. Illa vero longe plurima ſunt, & fere infinita. Ne enim de communibus dicam, dum exemplo, opere, voce aliis prodeſt, ſalutem illorum aeternam & temporalem, directe vel indirecte promouendo: propria & ſpecialia ſunt, quae ſinguli ſtatus inde percipiunt, cum & rei domeſticae, & officiis tum ciuilibus, tum eccleſiaſticis, is demum recte & inſigni cum fructu praeſit, qui vitae ſanctitati, & quae hinc oritur, prudentiae chriſtianae, ſtudet.

§. XXI.

Denique cum omnia, quae ſibi obtingunt bona, Numinis voluntate ſibi obtingere credant, meritoque ſibi perſuadeant homines ſancti, idque praeeunte ſcriptura, *Iacob. I, 17.* ideo iſthaec omnia *benedictionis diuinae* apud eos habent rationem. Praecipue equidem in ſpiritualibus benedictionis diuinae vis conſpicitur, *Epheſ. I, 3. Gal. III, 14.* ſed tamen nec in temporalibus ea excludenda, niſi quae in his piis obtingunt, pro diuinis beneficiis agnoſcere nolimus, quod impium foret. conf. *Gen. XLIX, 25. 26. Deut. XXVIII, 2. ſeqq. Prouerb. X, 22.*

CAPVT QVARTVM
SEMEIOTICA THEOLOGICA
VBI ET
DE DOKIMASIA SPIRITVALI.

Σύνοψις.

EXplorationis, ſeu δοκιμασίας in ſpiritualibus, neceſſitas, §. I.

Alia eſt δοκιμασία irregenitorum, alia regenitorum; ab vtraque diſtinguitur δοκιμασία conuertendorum, §. II.

De δοκιμασίᾳ regenitorum hic ſpeciatim ſermo eſt, §. III.

Difficultas δοκιμασίας ſpiritualis: & quid ad eam requiratur, §. IV.

Quaenam hic in cenſum veniant ſigna, de quibus ita

ita dicendum, vt ſignata prius rite conſtituantur, §. V.
Ea ad tria reuocantur capita, §. VI.
quorum primum eſt ipſe hominum ſtatus: ſigna regenerationis, §. VII.
Signa ſanctificationis, ſeu renouationis, §. VIII.
Quaenam in applicatione hic obſeruanda, §. IX.
Alterum, ipſae hominum propenſiones: quarum ſigna ſummatim indicantur, §. X.
Tertium, ſinguli hominum regenitorum actus: quorum ſigna itidem indicantur, §. XI.
De aliorum quoque hominum ſtatu actibusue quandoque iudicandum, vnde diſcretio ſpirituum, §. XII.
Intelligitur ſcilicet non doctrinae, ſed hominum, eaque non extraordinaria, ſed ordinaria diſcretio, §. XIII.
de diſcretione ſpirituum in iis, quae vires naturae excedere videntur, §. XIV.
quoad dona naturalia, ſed ſanctificata, §. XV.
quoad dona ſpiritualia, §. XVI.
Inſignis doctrinae huius, in vita tum propria, tum aliorum. emendanda dirigendaque, vtilitas, §. XVII.

§. I.

CVm & ipſe hominum ſtatus ſpiritualis, & eius, ſi regeniti fuerint, incrementum ac decrementum haud raro lateat, vt illum longe alium ſibi eſſe perſuadeant, quam reuera eſt: explorationem quandam neceſſariam eſſe, nemo non intelligit. Prorſus ac medici ex certis ſignis morbi aut ſanitatis indicium capiunt, & hac ratione etiam in illius cauſſas inquirunt. Hinc *δοκιμασία* illa ſpiritualis oritur, de qua vt nonnulla tradamus, ordo & inſtituti ratio poſtulat.

§. II.

Alia autem eſt *δοκιμασία irregenitorum*, alia *regenitorum*. Illi, ſi forte ad *δοκιμασίαν* quandam accedant, tantum quid in genere bonum aut malum ſit, explorant, *Rom. II, 18.* idque plerumque ſecundum normam quandam, quam ſuis ipſi ſibi ſtruxerunt praeiudiciis, *1 Petr. I, 18.* aut ſi ſeipſos explorant, magis hoc fit ad excuſationem & defenſionem peccatorum, quam ad eorum exuitionem. Regeniti contra diligenter ſtatum ſuum explorant, vt cognoſcant defectus, & eos emendent per renouationem, de qua *δοκιμασίᾳ* Paulus loquitur, *1 Cor. XI, 28. 2 Cor. XIII, 5.* Eſt tamen & quaedam exploratio *conuertendorum*, a qua vera conuerſio incipit, quando aliquis ſe explorat, ſitne in ſtatu regenerationis, an non ſit? vt, ſi poſterius deprehendat, de ſui emendatione ſerio ſit ſollicitus.

§. III.

Vtraque *δοκιμασία*, tum hominis conuertendi, tum eius, qui iam conuerſus eſt, maximopere eſt neceſſaria. Sine illa enim conuerſio, ſine hac incrementum in vita ſpirituali non recte procedit. Poſterior tamen *δοκιμασία* ſpecialiori quadam ratione hic in cenſum venire ſolet, eoque tendit, vt regeniti defectus ſuos cognoſcentes ſimul intelligant, *quae perfecta Dei ſit voluntas, Rom. XII, 2.* hoc eſt, quid Deus a ſe fieri velit, vt in iuſtitia, & ſanctitate proficiant. conf. *Epheſ. V, 17.*

§. IV.

§ IV.

Licet autem ſigna, per quae δοκιμασία iſta inſtitui queat, ſatis manifeſta ſint, difficulter tamen illa procedit, ob innatam omnibus philautiam, qua quilibet, ſtatum ſuum longe meliorem eſſe, facile ſibi perſuadet, quam reuera eſt. Quare ſi feliciter procedere haec δοκιμασία & exploratio ſui ipſius debeat, initium faciendum ab abnegatione ſui, & per eam mens ſedulo a praeiudiciis carnalibus purganda, ad quae ceteroquin omnes natura proni ſunt. *1 Cor. III, 3. Rom. VIII, 5. 6.* Opera contra] nauanda, vt ſpirituali iudicio cuncta ponderentur & expendantur. Πνευματικὰ enim πνευματικῶς diiudicanda. *1 Cor. II, 13. 14.* add. *Phil. III, 13. 14. 15.*

§. V

Ad ſigna ipſa quod attinet, nunc de iis non ſumus ſolliciti, quibus hominum irregenitorum, ſeu in ſtatu naturae conſtitutorum, latitantes mores propenſioneſque innoteſcunt, * ſed de illis, quibus conuertendi, aut conuerſi, ſtatum ſuum, aut eius conditionem, incrementum vel decrementum, dignoſcere poſſunt. Qua de re vt adferamus, quae neceſſaria ſcituque digna ſunt, diſtinctim, *id, quod per ſigna inueſtigatur,* & tum *ſigna* ipſa, ſeu characteres conſiderandi ſunt.

* De illis enim ſignis, quibus mores, propenſioneſque naturales, latitantes, innoteſcunt, ſolliciti ſunt philoſophi: quorum nonnulli peculiarem inde moralis philoſophiae partem conſtituunt, quam ad exemplum medicorum σημειωτικὴν adpellitant. Eadem vero ratione, & theologiae moralis pars quaedam σημειωτικὴ conſtitui poteſt. vid. GISBERTI VOETII *aſcetica, cap. 19. pag. 452.* Et ad philoſophos quidem quod attinet, iam ex veteribus ARISTOTELES, POLEMO, ADAMANTIVS ſophiſta, hanc doctrinam quodammodo delibarunt. SENECA quoque & CICERO, nonnulla huc ſpectantia paſſim adferunt, ſed ſparſim, & aliud velut agendo. Ex recentioribus plures animum ad hoc ſtudiorum genus adpulere, ſed ita, vt plerique partem ſaltem eius attingerent. Pleniori habitu ſi quis hanc doctrinam exhibere vellet, illi tum ad ſignatum, ſeu id, cuius ſigna quaerit, tum ad ſigna ipſa attendendum eſſet. Quod ad prius attinet, inter mentis facultates primo occurrit intellectus, cuius iterum varias operationes atque δυνάμεις eſſe conſtat, ingenium, iudicium memoriam. Harum ſigna explicanda ſibi ex inſtituto ſumſit IANVS HVARTVS in *ſcrutinio ingeniorum*; quanquam & nonnulla huc ſpectantia delibet EDMVNDVS RICHERVS, in *obſtetrice animorum*; & IOAN. CHRISTIANVS LANGIVS, in *protheoria eruditionis humanae vniuerſae.* Nec contemnenda ſunt, quae hac in re praeſtitit DIODORVS TVLDENVS, in libello prorſus aureo, *de cognitione ſui,* cum praefatione noſtra ante paucos annos recuſo, praeſertim *lib. 3. cap. 2. ſeqq.* Quod ad voluntatem attinet, in ea tum ipſae propenſiones bonae, malaeue, tum adfectus, in morum doctrina in cenſum veniunt, & interdum per certa ſigna ſunt indagandi. Ad propenſiones vitia pariter ac virtutes, ſaltem apparentes, hominum naturalium pertinent. In illis depingendis iam ex veteribus ſtudium induſtriamque poſuit THEOPHRASTVS, in *characteribus morum,* quem in Gallicam linguam translatum continuarunt DE LA BRVYERE & PASCAL, quanquam dubitem, an Theophraſti inſtitutum ſatis aſſecuti ſint. Eandem viam ingreſſus eſt LVDOVICVS MOLINAEVS, in *exemplari morum.* Virtutes autem per characteres & ſigna delineandas ſibi ſumpſit IOSEPHVS HALLVS, inter Angliae theologos haud infimus, cuius *characteres virtutum,* ex lingua Anglicana in Germanicam translatos habemus. Sed a propenſionibus & habitualibus inclinationibus iterum differunt adfectus, in quibus depin-

depingendis ingenii vires periclitari voluit DE LA CHAMBRE, medicus & philoſophus celeberrimus, in libro Gallicano idiomate ſcripto, cui titulum fecit: *characteres paſſionum.* Sed cum per corporis conſtitutionem, &, quae huc plurimum confert, locorum in quibus quisque degit, conditionem, itemque pro diuerſitate ſtatuum, vitaeque generis, varii itidem ac diuerſi ſint hominum mores, per ſigna itidem & characteres cognoſcendi, hoc ſibi datum crediderunt alii, vt gentium integrarum, aut hominum ſingulorum in certis ſtatibus degentium mores ex hisce cauſſis praecipue fluentes per characteres deſcriberent, quod IOANNES BARCLAIVS praeſtitit, in *icone animorum,* & EDO NEVHVSIVS, in *theatro ingenii humani,* quanquam hic paulo latius ſe diffundat. Cuncta tandem vnico eoque pleno ſyſtemate complecti aggreſſus eſt SCIPIO CLARAMONTIVS, Caeſenas, in notiſſimo opere, de *coniectandis cuiusque moribus, & latitantibus animi adfectibus,* quod recudi curauit, maximisque elogiis extulit HERMANNVS CONRINGIVS. Nec vituperandus viri conatus, etſi principia, quibus inſiſtit, pleraque hodie placere ſolidiora edoctis, nequeant. Accuratiora vtique ſemeioticae doctrinae fundamenta, ex iſtis moralis doctrinae principiis petuntur, quae in introductione ſua ad ethicam poſuit, vir celeberrimus, CHRISTIANVS THOMASIVS, quem & alii ex recentioribus ſequuntur. Aliis tamen conſultius viſum, non tam in abſtracto, quam concreto potius, vt loqui amant, ſemeioticam doctrinam tradere, ſingulorum hominum exempla conſiderantes, cum hac demum ratione, quanta morum varietas, quaeue cauſſarum plurium in ea producenda vis ſit, intelligi queat. Quae quidem ratio characteres hominum delineandi, hiſtoricorum eſt propria, ex inſtituto tamen illuſtratur a IO. HENRICO BOECLERO, in *characteribus Velleianis,* & CASPARO ERASMO BROCHMANDO, in *ſpecimine ethices hiſtoricae,* aliisque. Ad ſigna quod attinet, ea vel *cauſſalia,* vel *non cauſſalia* eſſe, & haec iterum vel *naturalia,* vel *moralia,* docui in *element. philoſ. pract. part.* 1. *cap* 5. §. 7. *ſeqq.* Ad ſigna naturalia ſpeciatim phyſiognomica pertinent, quibus magnum pretium ſtatuebant veteres. Ipſum ſane Pythagoram conſtat, vultum corporisque habitum contemplando, mores atque indolem illorum exploraſſe, qui in eius diſciplinam ſe tradere volebant. vid. AVL. GELLIVS, *noct. Attic. lib.* . *cap.* 9. & IAMBLICHVS, in *vita Pythag. cap.* 7. add. IO. SHILTERI *diſſertat. de diſciplina Pythagor.* §. 20. MORHOFIVS *Polyhiſt lib.* 2. *cap.* 1. Hinc & Ariſtoteles ex inſtituto artem phyſiognomicam tradidit, quem alii ſecuti ſunt, etiam ex recentioribus: qui tamen cum inanibus & ridiculis commentis hanc artem deturparent, ſenſim contemni coepit. Ego quantum illi tribuendum ſit, aliis diiudicandum relinquo: longe tamen rectius & conſultius ex moralibus ſignis latitantium propenſionum diiudicationem inſtitui, exiſtimo. Et ita quidem in hoc argumento verſati ſunt philoſophi; a quorum diſciplina etiam hac in re multum diuerſa eſt theologica iſtud tradendi ratio. Longe alia enim hic inueſtiganda ſunt, ſtatus ſcilicet hominum, eorumque propenſiones, non modo naturales, ſed & ſpirituales, & quodnam in ſingulis actibus inter gratiam ac naturam intercedat, diſcrimen. Signa ex quibus talia intelliguntur, etſi itidem ex genere mortalium ſint, longe tamen alterius ordinis ſunt, quam illa, de quibus philoſophi agunt. Neſcio vero, an aliquis ex inſtituto hanc moralis theologiae partem pertractauerit, qui hinc inde quaedam attingunt, aut delibant, vtique non deſunt: nobis eam pro inſtituti ratione delineaſſe, ſuffecerit.

§. VI.

Quae per ſigna ſeu characteres inueſtigantur, ad tria reuocari capita poſſunt. Primo namque ipſe hominis huc *ſtatus* pertinet, ſitne aliquis regenitus, an non ſit? & ſi ſit, num ſanctificationi ſeu renouationi, ita vt par eſt, ſtudeat? Deinde, ipſae *propenſiones* habituales, tum *naturales,* vt defectus illorum cognoſcamus, tum *ſpirituales,* vt num genuinae ſint, intelligamus, & naturae gratiam imitari geſtientis falla-

ciam detegamus. Denique & ſinguli *actus*, hic quodammodo in cenſum veniunt, vt naturae gratiaeue diſcrimen, in iis obſeruemus.

§. VII.

Iam quod ad *ſtatum* ipſum hominum attinet, ſi quis primo explorationem inſtituere velit, an ſit *regenitus*, ex ſeria quidem & non fucata cordis, cogitationum & cupiditatum ſuarum intimarum perſcrutatione, quilibet facile hac de re certus reddi poteſt, modo per ſtultam hypocriſin ſibi ipſi fucum facere nolit. Non tamen negligenda ſunt ſigna, ſeu characteres fidei, regenerationis, conuerſionis, quos ſcriptura paſſim tradit: cuiusmodi ſunt, quod fides corda purget, *Actor. XV, 9.* quod, qui ex Deo natus eſt, per fidem mundum vincat, *1 Ioan. V, 4.* quod illi, qui credunt, ſpiritum υἱοθεσίας habeant, in quo clament Abba Pater! *Rom. VIII, 15. Gal. IV, 6.* quod omni ſtudio exuere veterem hominem annitantur, *Epheſ. IV, 20.* quod ſpiritus in illis ſerio pugnet contra carnem, *Gal. V, 17.* quod verbo diuino delectentur, & in eo ſummam ſapientiam quaerant, hinc & ei libenter morem gerant, *Pſalm. I, 2. Pſalm. CXIX, 2. 8. 9. ſeqq. Ioan. VIII, 47. 1 Ioan. IV, 6.* quod vocem paſtoris ſui, Chriſti, audiant, *Ioan. X, 14.* quod crucem & calamitates pro gloria Chriſti libenter ſuſcipiant, *Luc. XIV, 27. Ebr. XII, 5. 10.* quod humilitatem & patientiam eius imitentur, *Matth. XI, 29. 30. 1 Petr. II, 21.* quod Schema huius mundi reſpuant, *Rom. XII, 2.* cumprimis denique, & Chriſtum, & eius diſcipulos, ſeu, qui itidem ex Deo nati ſunt, immo omnes homines ſincere diligant, *Ioan. VIII, 42. XIII, 34. XV, 12. 1 Ioan. IV, 20.* & quae reliqua ſunt eiusdem generis. *

* Prolixe de ſignis regenerationis, ſed vt more ſuo varia inter ſe miſceat, agit GISBERTVS VOETIVS, *diſput. ſelectar. part. 2. diſſertat. de ſinceritate, & hypocriſi, p. 485. ſeqq.* vbi & TAFFINI librum laudat, de *notis filiorum Dei.*

§. VIII.

Sanctificationis, *renouationis* ſigna capiuntur ex ipſo incremento ſecundum interiorem hominem, *Epheſ. IV, 15.* & cognitionis rerum diuinarum ſpiritualis vbertate, maiorique copia, *Epheſ. I, 17. 18.* & promtiori obſequio, quod veritati cognitae praeſtamus, eiusque fructibus vberioribus, *2 Petr. I, 5. 6. 8 Ioan. VII, 17. VIII, 12. 31. 32.* ex ardentiori ſtudio, abnegatis rebus huius ſeculi omnibus, potiundi felicitate a Chriſto propoſita, *Phil. III, 13. 14.* ex maiori rerum huius mundi prae amore Chriſti contemptu, *ib. v. 8.* ex accuratiori conformatione ad imaginem virtutum, quam nobis reliquit Chriſtus, *1 Cor. III, 18.* & ſtudio enixiori ſimplicitatis, ſinceritatisque chriſtianae,

Pſalm.

Pſalm. XIX, 8. Matth. XI, 25. 1 Cor. V, 8. item humilitatis & patientiae, *1 Petr. V, 5. Iacob. V, 10. 11.* ex gaudio in ſpiritu ſancto, eiusque conſeruatione & incremento, *Rom. XIV, 17. Gal. V, 22.* feruentiori zelo conſectandi optima dona, *1 Cor. XIV, 1.* & quae alia ſunt, eiusdem generis. Ex hiſce vt ipſum ſanctitatis ſtudium, ita incrementum quoque in ſanctitate dignoſcitur.

§. IX.

In applicatione ſi quis recte incedere velit, illi id praecipue obſeruandum, in ſtatu hominis explorando ſigna iſta, iunctim ſumenda, ne quis decipiatur, ſaltem ex ſigni cuiusdam neceſſarii defectu, cetera merito ſuſpecta reddi, in ſingulis vero ſignis, ſeorſim diiudicandis, quod naturae eſt, ſedulo diſcernendum eſſe ab eo, quod eſt gratiae. Interim, ne quis & ex altera parte fallatur, excipiendus eſt ſtatus tentationis, in quo qui conſtituti ſunt, multa ſaepius ſibi non habere videntur ſigna regenerationis aut ſanctificationis, quae reuera habent. In iis vero ſignis, quae a ſenſu & perceptione gratiae diuinae deſumuntur, caute admodum procedendum.

* Ex defectu enim ſenſationis in ſpiritualibus, non ſtatim defectus rei ipſius colligendus, vt recte monet B. SPENERVS, qui omnino hac de re legendus, in libro de *natura & gratia*, §. 93. & 94. p. 286. ſeqq. Cauendum tamen, ne, quae hic in ſolatium regenitorum, qui ob iſtum ſenſationis defectum anguntur, dicuntur, temere ab improbis arripiantur, qui hypocriſin & ſecuritatem ſuam hac ratione alere ſtudent.

§. X.

De *propenſionum* habitualium ſignis, vt multa dicamus, neceſſe non eſt. Naturalium enim propenſionum, quorſum & omnia vitia ſpectant, quaenam ſigna ſint, aliunde conſtat. Spiritualium, quorſum virtutes omnes chriſtianae pertinent, vt magna eſt varietas, ita ex cauſſis, proximis ſcilicet & ſpecialibus, effectibus, proprietatibus, quae ſingularum propenſionum, virtutumque ſigna, qui characteres ſint, intelligitur.

§. XI.

Singulorum denique *actuum*, ſintne ex natura, an ex gratia (cum in hiſce naturae gratiam imitantis fallacia longe ſit frequentiſſima) ſi inſtituenda ſit exploratio, itidem ad certa ſigna ac characteres, ex quibus hoc diiudicari poſſit, recurrendum. Quae quidem ſigna ex intentione & ſcopo, ſolerter prius, ſi per ſubtiliorem hypocriſin occultetur, detegendo, ex modo operandi, effectu, collatione & harmonia cum aliis actibus, praeparatione ad actum eiusmodi ſuſcipiendum, ſimilibusque circumſtantiis, ſunt deſumenda. *

* Paucis

* Paucis haec attingimus: prolixius enim & eleganter ea diſſeruit B. SPENERVS, in egregio libro *de natura & gratia*: in quo primo generatim de characteribus operum, quae ex gratia fluunt, agit, §. 6. *ſeqq. pag.* 13. *ſeqq.* tum ſpeciatim de characteribus amoris erga Deum, §. 23. *& ſeqq. pag.* 62. *ſeqq.* de characteribus amoris erga alios, §. 41. *ſeqq. p.* 121. *ſeqq.* de characteribus humilitatis, §. 62. *ſeqq. p.* 282. de characteribus patientiae, §. 71. *ſeqq. p.* 221. *ſeqq.* & ſic porro.

§. XII.

Et hac quidem ratione, *δοκιμασία* ſpiritualis, ſi quis ſe ipſum ſuumque ſtatum, propenſiones, actus explorare velit, rite procedet: praeſertim ſi non tantum, quae hactenus dicta ſunt, ſincere, diligenterque obſeruet, nec ſibi blandiatur, ſed &, ſi, quod maximum eſt, praecipuumque momentum trahit, ſapientiam, ad ſui explorationem neceſſariam, precibus a Deo impetrare fatagat. *Pſalm. CXXXIX, 23. 24. Iac. I, 5.* Interdum tamen & res & muneris ratio, aliaeque cauſſae poſtulant, vt aliorum quoque indolem cognitam exploratamque habeamus. Quae quidem *δοκιμασία*, *diſcretio ſpirituum* vocari ſolet, & per ſigna itidem atque characteres recte inſtituitur.

§. XIII.

Non vero nunc loquimur, de diſcretione *doctrinae*, quae itidem hoc nomine venit, & de qua Ioannes praecipue verba facit, *1 Ep. IV, 1.* conf. *Act. XVII, 11.* ſed de diſcretione *hominum*, num ex ſpiritu diuino an humano, an omnino diabolico fluant, quae dicunt, agunt, ſuſcipiunt, ſeu ſintne haec opera naturae, an gratiae? * Nec loquimur de *extraordinaria* illa ſpirituum diſcretione, qua apoſtoli per immediatam ſpiritus ſancti reuelationem intimos cordium receſſus explorare poterant, cuius illuſtre admodum exemplum occurrit *Act. V, 1. ſeqq.* ſed de *ordinaria*, quae per certos characteres & ſigna, applicatione rite facta inſtituitur, ** ad quam tamen, cum & diuina quaedam ſapientia, & facultas *πνευματικὰ πνευματικῶς* diiudicandi, requiratur, *1 Cor. II, 15.* quouſque ſolis regenitis haec propria ſit, facile inde intelligitur.

* *Diſcretio ſpirituum*, inquit CHRYSOSTOMVS, *ſignificat cognitionem, quisnam ſpiritualis ſit, quis non: quis propheta, & quis deceptor, hom. 29. in ad Corinth.* Non itaque ad doctrinam tantum, ſed & ad mores, ſtatumque hominum, *an quis ſpiritualis ſit?* vt CHRYSOSTOMVS loquitur, hoc eſt, regenitus, ſe extendit ſpirituum diſcretio. Nec incommode vox *ſpiritus* hic adhibetur, cum non tantum doctrina, quam homo profert, ſed cogitationes eius omnesque motus animi, aut Deum, aut Diabolum, aut hominem ipſum, ſeu mentem eius, auctorem habeant. BERNHARDVS equidem, in ſermone, qui de *ſeptem ſpiritibus* titulum praefert, cum de *ſex* inſcribi debeat, ſex ſpiritus, ſeu motuum & operationum in hominibus principia affert, *ſpiritum* ſcilicet *diuinum, angelicum, diabolicum, ſpiritum* porro *carnis, huius mundi*, & *humanum:* ſed quod ad tria cuncta reuocari capita poſſint, ſpiritum ſcilicet *diuinum, diabolicum*, & *humanum*, docet IO. BONA, de *diſcretione ſpirituum cap. 3. p. m. 557.* Immo ad duas vt dixi, claſſes cuncta reduci poſſunt, *opera natura & gratiae.* Vti enim haec Deum auctorem agnoſcunt, ita in illis cum corrupta hominis natura concurrit diabolus, quanquam interdum quaedam ſpecialiori

ſpecialiori quadam ratione diabolo tribuenda ſint. Ceterum quem laudauimus IO. BONA cardinalis, ex inſtituto hoc argumentum tractat, ita quidem, vt ad eam, de qua antea diximus, δοκιμασίαν reſpiciat, ſeu quo pacto quisque ſuum, quo ducatur, ſpiritum explorare debeat: ſpeciatim tamen ad extraordinaria, viſiones, reuelationes, raptus, reſpicit, & licet diligenter in hoc argumento verſetur, paſſim tamen talia tradit aut immiſcet, quae ſine cenſura dimitti nequeunt.

** An hac ratione, ad certum firmumque iudicium perueniri queat? quaeri poſſet. IOANNES quidem BONA, *iudicium, quo ſit discretio, non eſſe certum & infallibile, niſi adſit expreſſa reuelatio diuina*, diſerte aſſerit, *de diſcretione ſpirit. cap.5. p.* 565. Sed calculum non merentur, quae hac de re profert. Diſtinguenda hic primum δοκιμασία propria, a δοκιμασίᾳ aliorum. Ad illam quod attinet, cum eorum, quae in mente ſua peragantur, omniumque motuum ſuorum, & cogitationum, praeſertim intentionis, quam in ſingulis actibus habet, ſibi homo ſit conſcius, certus etiam eſſe poteſt de characteribus gratiae, qua ſtatum ſuum, qua ſingulas actiones. Cumque porro de gratia Dei, nullam dubitandi rationem habeat, certus etiam eſſe poteſt, non tantum de ſtatu praeſenti, ſed & de futuro, quod vitae aeternae haeres certiſſime ſit futurus: quod contra Romanenſes iam dudum euicerunt noſtrates: ſpeciatim, qui prae ceteris legendus, IOAN. TARNOVIVS, in *diſſert. de certitudine gratiae erga pios diuinae*, quae inſerta eſt *commentario* eius in *duodecim prophetas minores* p. 519. *ſeqq.* Sed id nunc non eſt, de quo agitur. De aliorum itaque δοκιμασίᾳ ſi quaeſtio ſit, a doctrina rurſus, ſtatus illorum & actiones ſunt discernendae. De doctrina, num vera an falſa ſit, quod certi eſſe queamus, nullum eſt dubium. Ad ſtatum vero quod attinet, ſigna iterum vel negatiua ſunt, vel affirmatiua. Negatiua voco, ex quibus concluditur, hominem non eſſe regenitum. Quae licet non vnius eiusdemque generis ſint, quaedam tamen ita comparata ſunt, vt de rei veritate nos dubitare non ſinant. Si quis enim e. g. ex proaereſi & data opera ea agat, quae voluntati diuinae repugnant, eum regenitum non eſſe, certiſſime inde concludimus. In affirmatiuis cautione omnino opus eſt, cum eorum, quae intus in animis aliorum latent, quae certiſſima ſtatus cuiuslibet hominis ſigna ſunt, conſcii non ſimus: quod ſi tamen ſigna externa, quoad facta & verba, diu & conſtanter conſpirent, certitudine morali, de ſtatu illorum certi eſſe poſſumus. In motibus ſingulis aliorum, aut actionibus externis diiudicandis, maiori adhuc cautione opus eſt: ob ſignorum, quae in his plerumque ſuppetunt, inſufficientiam. Non vlterius itaque hic progrediendum, quam aut probabilitatis, aut certitudinis gradus permittunt. De motibus autem ordinariis intelligenda ſunt, quae diximus: de extraordinariis, in ſequentibus, verba facimus.

§. XIV.

Quae in aliis ſe nobis offerunt, & *δοκιμασίαν* quandam ſeu explorationem poſtulant, iterum aut *extraordinaria* ſunt, aut *ordinaria*, & haec rurſus, vel *naturalia*, vel *ſpiritualia*. In illis ad verbi diuini regulam cuncta diligenter exigenda ſunt, vt ceu ſpurium, & ad fallaciam comparatum ſtatim reiiciatur, quod ei repugnat, aut in fide vel vita aliud quid, quam quod in eo continetur, nobis obtrudit, vel alia vlla ratione, auctoritatem eius, aut ſufficientiam labefactat. Deinde in his omnibus naturae vires ſedulo explorandae, quae in phyſicis operationibus, prout moralibus opponuntur, longe plerumque maiores ſunt, quam vulgo eſſe creduntur, & tum demum, ſi naturae vires aliquid certo excedere cognoſcamus, deque illorum, qui extraordinaria obtendunt, ſinceritate, ſatis nobis conſtet, & quod omnis abſit fallacia,

num ad Deum, an diabolum auctorem, quod iactatur, referendum ſit, diſpiciendum, idque ex ſubiecti conditione, effectibus, circumſtantiis, ſimilibusque characteribus, quantum fieri poteſt, diiudicandum: ita tamen, vt in re obſcura & dubia, ſuſpendatur potius iudicium, quam certi quid pronuntietur.

* Hinc itaque diiudicanda, quae de viſionibus, reuelationibus, raptibus, motibusque ecſtaticis paſſim diſputari ſolent: in quibus quanta naturae vis ſit, & fallacia, conſtat ex iis, quae ſupra *cap. 1. ſect. 5. §. 17. & ſeqq.* docuimus. IOANNES quidem BONA, magnam induſtriam in hiſce explicandis collocauit, & ſigna, quo pacto quae in ecſtaſibus, viſionibus, reuelationibus, diuina ſunt, a naturalibus & diabolicis diſcerni queant, indicauit, *de diſcret. ſpirituum cap. 14. & ſeqq.* ſed accuratius omnino examen, quae adfert, promerentur, quod inſtituere huius loci non eſt.

§. XV.

Ordinaria & quidem *naturalia*, omnes complectuntur animi dotes, quae per naturam, induſtriam, & exercitationem inſunt, quorſum & dona quaedam, quae vocantur, miniſtrantia, referenda: quae tum demum omnia recte ſe habent, ſi per gratiam ſanctificentur, & legitimus ſobriusque eorum vſus accedat. Vt vero, quibus ſignis & characteribus illa ipſa dona naturalia, innoteſcant, & eorum diuerſitas cognoſcatur, aliunde conſtat, * ita num per gratiam ſanctificata ſint, id vero diſpicere, δοκιμασίας ſpiritualis opus eſt. conf. *1 Cor. II, 15. XIV, 29. 1 Theſſ. V, 22.* Sed doctrina hic iterum ipſa, ab ipſis donis doctrinae proponendae & applicandae inſeruientibus, ſedulo diſtinguenda. In illa diiudicanda, ad verbum diuinum & analogiam fidei, vnice reſpiciendum, *Actor. XVII, 11.* vt nec angelo credatur, ſi quid contra euangelii apoſtolici doctrinam protulerit. *Gal. I, 5.* In hiſce vero dignoſcendis, pro certo tenendum, etſi ipſa doctrina, quam tenent, profitentur, docent homines, diuina ſit atque ſupranaturalis, ipſae tamen animi facultates, quae hic in cenſum veniunt, ſeorſim ſpectatae, ſi corda illorum templa ſpiritus ſancti non ſint, nec ipſi regenerationis aut ſanctificationis participes facti, non niſi pro naturalibus, quantumuis excellentes ſint, habendae erunt.

* Speciatim ex auctoribus, ſupra ad §. 5. allegatis: & iis, quae diximus, *element. philoſ. pract. part. 1. cap. 5. §. 7. ſeqq.*

§. XVI.

In ſpiritualium δοκιμασίᾳ & exploratione, quoad alios, ita verſandum, vt cuiusque ſtatus, propenſiones, actuumque ſingulorum indoles, per ſigna & characteres, quantum fieri poteſt, exploretur, idque ea fere ratione, qua in ſui ipſius δοκιμασίᾳ & exploratione procedendum eſſe, ſupra diximus. Si enim hac ratione ſtatum aliorum, num rege-

regeniti an irregeniti, proficientes, an deficientes ſint, quidue in illorum aut propenſionibus, aut actionibus, naturae, quid gratiae tribuendum, didicerimus, faciliori ratione aut ad meliorem, ſi opus fuerit, eos traducemus mentem, aut imbecillitatibus eorum medebimur.

§. XVII.

Magnam etiam aliorum hominum qua ingenium, qua mores, propenſionesue, eſſe diuerſitatem, conſtat. Quae diuerſitas, cum ex ſingulorum natura, accedentibus cauſſis variis, originem habeat, non tollitur, per conuerſionem, ſed hactenus remanet, vt, quae mala ſunt, emendentur, cetera legitimo modo dirigantur. Sed hanc ipſam diuerſitatem & ingeniorum & propenſionum per certa ſigna & characteres, qui alibi ediſſeruntur, * exploratam habere iuuat, tum, vt quibus quisque officiis & praeſtationibus maxime aptus ſit, intelligatur, tum vt morbi & tentationes, quibus quisque obnoxius eſt, cognoſcantur, & qua ratione iis quam commodiſſime obuiam iri queat, inueſtigetur. Ex dictis vero intelligitur, tum in propria, tum in aliorum vita, emendanda, dirigenda, & gubernanda, hanc de δοκιμασία doctrinam, vſum habere maximum praeſtantiſſimumque.

* conſ. dicta ad §. 5.

CAPVT QVINTVM
DE
MEDIIS STVDIVM SANCTITATIS, INCREMENTVMQVE VITAE SPIRITVALIS PROMOVENDI.

Σύνοψις.

DE mediis theologicis hic ſermo eſt, non de philoſophicis, §. I.
Ipſas actiones ſanctas, ſeu bona opera non ſatis commode inter media referri, § II.
De mediis genuinis vt rite pronuncietur, obſeruandum, quid Deus, quid homo ipſe ad ſanctificationem conferat? §. III.
Ex parte hominis inter media ſanctificationis primo refertur, poenitentia quotidiana, §. IV.
ad quam requiritur agnitio peccatorum: quorſum & pertinet, examen conſcientiae, §. V.
item, dolor ob admiſſa peccata, ſeu praxis contritionis chriſtianae, §. VI.
denique & fides, §. VII.
Accedat, neceſſe eſt, ſerium propoſitum emendandi vitam, §. VIII.
Poenitentia quotidiana, cum carni parum grata ſit, variis nominibus id ſignificantibus, exprimitur, §. IX.
Ad eam, vti & generatim ad vitae ſanctitatem, plurimum confert legitima verbi diuini tractatio, §. X.
Ad quam non ſine iuſta praeparatione accedendum, §. XI.

Tractatio

Tractatio ipſa abſoluitur, partim auditione verbi, cuius neceſſitas oſtenditur, §. XII.
partim lectione, cuius indicatur methodus, §. XIII.
De certo tempore, verbi diuini tractationi, deſtinando, §. XIV.
die ſabbathi praecipue eam inſtituendam, §. XV.
De aliorum librorum, ſpeciatim aſceticorum lectione, quid cenſendum? §. XVI.
De meditatione, §. XVII.
Ad media promouendi ſtudium ſanctitatis pertinet quoque praxis legitima ſacramentorum, ſpeciatim baptismi, §. XVIII.
& ſacrae eucbariſtiae, §. XIX.
quis ea rite & ſalutariter vti poſſit? §. XX.
quando & quoties ea vtendum? §. XXI.
quo pacto praeparatio ad eam comparata eſſe debeat? §. XXII.
ad vſum eius legitimum & ſalutarem quid praecipue requiratur? §. XXIII.
quis fructus eius ſit & effectus, item ſigna, dignum aliquem ſacrae coenae fuiſſe conuiuam, §. XXIV.
Oratio quoque ad media promouendi ſtudium ſanctitatis pertinet: quo nomine quid intelligatur? §. XXV.
Quid ſit mentis eleuatio? in qua conſiſtere dicitur, §. XXVI.
ea non excludit ſermonem oris, §. XXVII.
Ad orationem ſolos regenitos eſſe idoneos, §. XXVIII.
Legitima ad orandum requiritur praeparatio, §. XXIX.
Adeſſe debet in ipſa oratione fides, deuotio, feruor, animusque purus, §. XXX.
De perſeuerantia in oratione, item de certo tempore orationi deſtinando, §. XXXI.
Quid a Deo in oratione petendum? §. XXXII.
Summa rerum a Deo petendarum continetur in oratione dominica, §. XXXIII.
Formula haec orationis, ceu omnium perfectiſſima, merito retinenda: quid de aliis formulis cenſendum: & ſine formulis orandum eſſe, §. XXXIV.
Orationis vtilitas, neceſſitas, efficacia, §. XXXV.
De exauditione precum, quando & quousque homo certus eſſe queat, §. XXXVI.
Ad orationem, & rerum diuinarum, tractationem, plurimum conducit temperantia: vbi & de ieiuniis, §. XXXVII.
itemque vigilantia ſpiritualis, §. XXXVIII.
Denique & imitatio ad ſtudium ſanctitatis plurimum confert, praecipue quidem exempli, quod Chriſtus ſeruator nobis reliquit, §. XXXIX.
tum & aliorum, ſanctitatis laude illuſtrium, §. XL.
Conuerſatio quoque cum hominibus piis & ſanctis, §. XLI.
Quo pacto ſpeciatim certis tentationibus obuiam eundum, §. XLII.
De applicatione mediorum rite & prudenter inſtituenda, §. XLIII.

§ I.

De mediis promouendi ſtudium ſanctitatis, incrementumque vitae ſpiritualis, dum ſumus ſolliciti, ea, vti par eſt, intelligimus, quae theologiae ſunt propria, & a ſcriptura ſacra commendata. Solent namque & philoſophi, media afferre, quibus proficere quis in virtute queat, * vti ſunt firmum animi propoſitum, conſideratio praemiorum, quae virtutem conſequuntur, & incommodorum, quae comitantur vitia, & alia eiusdem generis; ſed vt ſanctitas chriſtianorum, multis paraſangis a virtute philoſophica differt, ita mediis quoque iſtis philoſophicis ad rei ſummam parum proficitur.

* Media haecce philoſophica prolixe recenſui in *element. philoſ. pract.* §. 10. *& ſeqq.* poſſentque, quae ibi dixi, ex philoſophorum, Stoicorum maxime, qui hoc in genere eminent, vt SENECAE, EPICTETI, M. AVRELII ANTONINI, ſcriptis illuſtrari. Huc etiam pertinent ἀσκήσεις illae veterum philoſophorum, Gymnoſophiſtarum, Pythagoraeorum, ad coercenda & perdomanda vitia, ſpeciatim voluptatis cupiditatem, auaritiam, & ambitionem comparatae: qua de re ex inſtituto dictum in *diſſertat. de ἀσκήσει philoſophica,* in

in *analectis hiſtor. philoſ. p. 409. ſeqq.* Harum autem exercitationum licet vis quaedam ſit & efficacia ad impetum prauorum affectuum infringendum, ne in externa crimina temere erumpant: ad curandos tamen animi morbos & latitantia vitia ſananda, minime ſufficiunt. Non equidem negauero, vſum quendam mediorum iſtorum philoſophicorum eſſe poſſe, ſi praemittantur, quae chriſtiana diſciplina ſuppeditat, & tum ceu adminicula quaedam adiungantur, rem omnem dirigente vera in Chriſtum fide: abſque iſta autem cautione, qui iſta adhibet, inſuper habita iſta, quam chriſtiani prae ethnicis hac in re habent, ἐξοχῇ ſeipſum decipiet turpiter. Multorum tamen ea eſt impudentia, vt mediis hisce philoſophicis omnia tribuant, neglectis praeſtantioribus. Eodem ego loco habeo inſtituta monaſtica Pontificiorum, maximam partem a gentilium philoſophis mutuo accepta, quos ideo nonnulli eorum inter monachos, aut monaſticae vitae praecurſores, referre non dubitant. Pleraque enim ad exercitationem ſaltem quandam redeunt, neglecta fide, quae tamen *victoria eſt, quae mundum vicit,* 1 *Ioan. V,* 4 Quo ipſo hae exercitationes ab exercitationibus gentilium non differunt. De ſuperſtitione, quae in hisce accedit, & opinione meriti, nunc nihil dicam. Sed quaedam etiam abſona adoptant, quae & vſu & exemplo in ſcriptura ſacra, multo magis mandato diuino carent, & interdum plus nocent, quam proſunt. Quorſum flagellationes refero, quas nonnulli ex ipſis Pontificiis ceu noxias damnant. vid. *hiſtoria flagellantium, de recto & peruerſo flagrorum vſu apud chriſtianos,* Pariſiis anno MDCC. edita, cuius auctorem BOILAEVM, abbatem eſſe, ferunt. Mitto reliqua.

§. II.

Ipſas actiones ſanctas, ſeu bona opera, eſſe media, quibus ad ſanctitatem vitae tenditur, quod a quibusdam aſſeritur, licet, ſi recte explicetur, admitti queat: * accuratius tamen inter fructus vitae ſanctae, actiones ſanctas retuleris. Quo magis enim in habituali ſanctitate homo regenitus proficit, eo frequentius in actiones ſanctas erumpet, & hoc ipſo ſuam fertilitatem velut demonſtrabit. *Gal. V, 22.* add. *Matth. III, 8. VII, 17. 18.* Ipſa equidem habitualis ſanctitas itidem eſt fructus ſeu effectus ſpiritus, quem ſpiritus ſanctus per fidem producit, ſed hoc non obſtat, quo minus actiones ſanctae fructus iterum & effectus habitualis ſanctitatis, adeoque itidem ſpiritus, dicantur. Accedit, quod varia incommoda eam ſententiam premant, ** quae ipſas actiones ſanctas, ad media proficiendi in ſanctitate habituali, refert.

* conf. B. IO. GVIL. BAIERI *compend. theolog. moral. part. 3, cap. 1.*

** Etenim ſi bona opera inter media ſanctitatis referuntur, Romanenſibus hinc ſuppeditatur occaſio inferendi, ac ſi bona opera inter principia & cauſſas ſalutis etiam locum obtineant. Scio, quo pacto his obuiam iri ſoleat, diſtinguendo inter media *cauſſalia* & *non-cauſſalia*: vnde ad diſputationem, an dentur media non cauſſalia? deuoluimur. Hisce omnibus opus non eſſe videretur, ſi bona opera, quod res ipſa poſtulat, fructus ſeu effectus vitae ſanctae non media, dicamus: vti & alias actus ſeu opera, propenſionum habitualium, ex quibus procedunt, effectus cenſentur. Nec aliud ſententiae eius, quam impugnamus, videtur eſſe fundamentum, quam methodus Ariſtotelico-ſcholaſtica, iuxta quam morum doctrina philoſophica ita quandoque proponi ſolet, vt virtutes habeantur pro mediis ſummum bonum conſequendi: quod tamen nec ex ipſius Ariſtotelis mente recte fieri, aliis eſt obſeruatum. Nos iſta parum mouent. Fieri equidem poteſt, vt per virtutum chriſtianarum exercitium propenſio ad bonum, quae in regenitis eſt, quodammodo

verſ. 11. 12. idemque ὑπογραμμὸν nobis reliquit, vt eius veſtigia ſequeremur, ad quod etiam vocati ſumus, *1 Petr. II, 21.* Paucis: haec *voluntas* Dei eſt, vt ſanctitati ſtudeamus, *1 Theſſ. IV, 3.* vt ſancti ſimus, quemadmodum & ipſe ſanctus eſt. *1 Petr. I, 15. 16.* Vnde & diſerte Paulus: *ſine ſanctimonia nemo videbit Deum. Ebr. XII, 14.*

§. XI.

Difficultatibus equidem non caret ſanctitatis ſtudium: immo plures ſubeundae & ſuperandae illis ſunt, qui huncce campum ingrediuntur. Colluctandum enim illis quotidie eſt cum carne, mundo & diabolo. Hinc ὄγκον καὶ εὐπερίστατον ἁμαρτίαν in ſe deprehendunt viri ſancti. *Ebr. XII, 1.* Hinc acerbiſſimae ſanctorum querelae. *Pſalm. XIII, 1. XLII, 6. Rom. VIII, 24.* Quantacunque autem ſit difficultas in ſanctitate vitae, quam multi haud raro ſua imprudentia & incredulitate augent: non tamen eſt ἀδύνατον, ſanctitatem vitae colere, vti nonnulli perperam ſibi perſuadent. Quod enim ἀδύνατον eſt penes homines, non eſt ἀδύνατον penes Deum, *Luc. XVIII, 27.* conf. & *Luc. I, 37.* Et quod fieri nequit per vires naturae, fieri poteſt per vires gratiae. *Epheſ. I, 19.* Neque hoc Deus a nobis exigeret, ſi fieri non poſſet. Paucis: vim gratiae & indolem regni Chriſti ignorant, qui de poſſibilitate vitae ſanctae dubitant.

§. XII.

Interim quantamcunque aliquis adhibeat diligentiam, ſemper tamen *imperfecta* manebit vitae noſtrae ſanctitas: cum nemo renatorum ad eum ſanctimoniae gradum peruenire queat, vt non aliquo defectu laboret & contaminetur. Quemadmodum enim, quamdiu in hac vita ſumus, ex parte intellectus ἐκ μέρους, δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι cognoſcimus, *1 Cor. XIII, 9. 12.* ita, quod ad voluntatem attinet, cum Paulo ſemper profitendum erit, *non quia iam conſecutus ſum, aut iam perfectus, ſed perſequor, vt comprehendam, quatenus a Ieſu Chriſto ſum comprehenſus, Phil. III, 12.* Huc praeterea ea omnia pertinent, quae de imperfectionibus & infirmitatibus regenitorum antea commentati ſumus. Etſi enim in hiſce exuendis, omnem collocet operam homo regenitus, nunquam tamen eousque proficiet, vt non labes quaedam ſuperſit: etſi vincat hoſtes, non tamen, quamdiu durat ſtatus eccleſiae militantis, debellabit penitus, donec veniat ſtatus eccleſiae triumphantis.

§. XIII.

Hinc vero ſua ſponte ſequitur, quod *proficere* in ſanctitate ſemper debeant. Qui enim terminum perfectionis iam attigerunt, profi-

proficere vlterius nequeunt. Qui contra ab eodem abſunt adhuc, operam omnem merito nauant, vt eum attingant, propiusque ad illum accedant. Hinc paſſim creſcere, augeri, diteſcere, confirmari, corroborari dicuntur homines ſancti, *2 Petr. III, 18. 1 Petr. V, 10. Epheſ. III, 16. 17. Phil. I, 9.* donec *omnes perueniamus ad vnitatem fidei, cognitionisque Dei filii, in virum adultum, ad modum plenae aetatis Chriſti. Epheſ. IV, 13.* Quod incrementum, quoad omnes mentis facultates intelligendum, quoad intellectum, vt proficiat in cognitione & ſapientia: quoad voluntatem, in amore Dei & proximi, item in abnegatione ſui, patientia, humilitate, aliisque virtutibus chriſtianis; porro in adfectuum quoque omnium motuumque prauorum exceſſibus ſubigendis, corrigendisque proficiat, maioremque in his omnibus acquirat promptitudinem. conf. *Rom. XV, 13. 1 Cor. XIV, 12. 2 Cor. VII, 1. VIII, 7. 1 Theſſ. IV, 1. 10. 2 Theſſal. I, 3.*

* Incrementum hoc in vita ſpirituali eadem fere ratione ſe habet, ac in vita naturali. Vt enim hoc ſenſibus non percipitur, vt non tam creſcere, quam creuiſſe, corpus, animaduertamus, ita & in ſpiritualibus ſe res habet. Accedit, quod in hisce nonnulli, vano errore decepti, tum maxime decreſcant, cum ſe inſigniter creſcere ſibi perſuadent, vti alii, nullum in ſe incrementum ſentire videntur, vel maxime creſcunt. Quae ſi quis recte perpendat, facile deprehendet, quo loco habenda ſint, quae pontificii quidam de gradibus ſanctitatis comminiſcuntur. Infirmo profecto fundamento hanc ſententiam ſuperſtruunt, qui quindecim pſalmos graduum, vti vocantur pſalmos CXX. vsque ad CXXXIV. in ſubſidium vocant, vt quindecim gradus perfectionis inde exſtruant. Praeter multos alios, totus in eo eſt IO. BONA, cardinalis, in *pſalmodia diuina, cap. 15. ſeqq. p. 391. ſeqq.* qui & ad HILARIVM AVGVSTINVM, CHRYSOSTOMVM aliosque prouocat, quos hac in re ſibi habuerit praeeuntes. Vt vero euincat, quindecim hisce pſalmis gradualibus totidem gradus chriſtianae perfectionis indicari, quinque conſtituit gradus incipientium, totidem mediorum, & denique perfectorum totidem. Incipientium gradus eſſe putat, omne mortale, omne veniale crimen deſerere; diuitias ac dignitates contemnere; prauos motus cohibere; proprium iudicium & propriam voluntatem abnegare: proficientium: virtutes omnes acquirere; virtutum exemplar aliis eſſe; iuſtitiae vias docendo monſtrare; ſe humilem in omnibus exhibere; omnes irriſiones & detrectationes patienter ferre; denique perfectorum: orationis ſtudium; puriſſimam intentionem; in omne opus bonum magno impetu ferri; velle ſemper, quod vult Deus: adhaerere Deo, & vnum fieri cum eo ſpiritum, intimo charitatis adfectu. Verum in hisce haud pauca reprehenſione digna occurrunt. Quae enim ad perfectionem partium pertinent, confunduntur cum illis, quae ad perfectionem graduum ſpectant: & graduum quoque perfectio, vltra quam par eſt, extenditur. Idem fere cenſendum de IOANNIS abbatis, quem a loco commorationis *Sinaitam*, a ſcriptionis argumento *climacum*, ſeu *ſcholaſticum*, vocant, libro, cui titulum fecit: *ſcala paradiſi.* Licet enim ſexto ſeculo vixerit auctor, talia tamen tradit, quae non omnibus ſe probabunt, & errore myſticis pontificiisque ſatis vſitato, perfectionem partium cum graduum perfectione confundit. Nec ferenda illorum ſententia, qui ex virtutibus aut bonis operibus ſcalam in coelum conficiunt. Non enim aliam in coelum ſcalam nouimus, niſi Chriſtum, cui fide innitendum, *Ioan. I, 51.* Quod vero IO. BONA, cardinalis aliique, pſalmis gradualibus, quos vocant, ſuam de gradibus perfectionis philoſophiam ſuperſtruunt, in eo ingenio magis indulgent ſuo, quam vt ſolidam vllam huius ſententiae adferre valeant rationem. Etſi enim variae eruditorum ſint ſententiae, cur pſalmi iſti ita

dicti ſint, probabilior tamen ceteris illorum videtur opinio, eos ita adpellatos, quod a muſicis Dauidis ſolenniter decantarentur, ad gradus arcis regiae. vid AVGVSTI PFEIFFERI *dubia vexata*, *cent.* 3. loc. 81. *p.* 628. Rectius ſapiunt, qui in incremento vitae ſpiritualis diiudicando, & gradibus ſanctitatis aeſtimandis, ſequentia monita tradunt: *comparationem cum aliis non temere inſtituendam, ne quis in hypocriſin aut ſuperbiam incidat: aeſtimandum profectum in vita ſpirituali ex ſtatus praeſentis cum ſtatu praeterito comparatione, ſed ita, vt ſemper cogitemus, longe plura nobis reſtare, quam quae conſecuti ſumus: quemcunque gradum aliquis ſibi aſſecutus videatur, nimium quantum tamen abeſſe ab eo gradu, vt perfectus dici queat: omnem iſtam incrementi vitae ſpiritualis aeſtimationem eo comparatam eſſe debere, vt intuitu eorum, quae reſtant, quaeue nobis deſunt, ad humilitatem nos ducat; nec abiiciendum tamen animum, ſed ſemper plus vltra contendendum, etſi cum maximis nobis colluctandum ſit imbecillitatibus*, & quae alia ſunt eiusdem generis add. BARTOLDVS BOTSACCVS in *medulla theologiae moralis*, *theſ.* 29. & 30. *p.* 205. *ſeqq.*

§. XIV.

Cumque hac ratione vnus vlteriùs in vitae ſanctitate progrediatur, quam alius, ſua ſponte hinc etiam ſequitur, dari *inaequalitatem* quandam, inter renatos, vt alii magis, alii minus perfecti & ſancti ſint. Hinc eſt, quod in ſcriptura ſacra alii cum infantibus, alii cum adultis, cum iuuenibus alii, alii cum patribus comparentur. *1 Cor. III, 1. 2. Ebr. V, 12. 13. 14. Epheſ. IV, 14. 1 Ioan. II, 13. 14.* Sic & centurionis fides perfectior dicitur fide Iſraelitarum. *Matth. VIII, 10.* Maiorem quoque in quorundam cordibus fert fructum ſemen verbi diuini, quam in cordibus aliorum. *Matth. XIII, 23.*

§. XV.

Ex vitae etiam ſanctae ſtudio non poteſt non fluere *diſtinctio & ſeparatio* quaedam ſanctorum a non ſanctis. Sancti enim moribus ſuis, omnique vitae ratione teſtantur, ſe pertinere ad regnum Chriſti, cum irregeniti contra, quod ad regnum tenebrarum pertineant, ſatis aperte prodant. Hinc ἀντίθεσις maxima inter vtrosque, *Gen. III, 15. Ioan XV, 18. 19. XVII, 16.* Huc & ἀκρίβεια illa pertinet, quam nonnulli *ſingularitatem* interpretantur, qua ſtudio ſanctitatis ea fugiunt & euitant diligenter, quae reliqui mortales erronea perſuaſione ducti pro licitis ac indifferentibus rebus, aut omnino honeſtis, habent. Inde fit, vt vita ſanctorum longe alia & *ſingularis* hominibus irregenitis videatur, *Sap. II, 15.* conf. & *Phil. II, 15.* cum non agant, quae agere eos vellent improbi, & intermittant, quae ab illis intermitti nollent. Speciatim vero & ſchema mundi reſpuunt, *Rom. XII, 2.* ne quid cum illo ſibi commune eſſe videatur. Et haec laudabilis eſt ἀκρίβεια & ſingularitas, vti vitio contra non caret, quae ambitione excitata, vulgaria faſtidit, communia reſpuit, & in licitis a via communi & trita ita diſcedit, vt ad illicita & prohibita prolabatur. *

*Diſcrimen

* Diſcrimen inter ſingularitatem laudabilem & illaudabilem pluribus expoſui in *theſibus practicis περὶ τῆς ἀκριβείας in vita chriſtiana*, vbi & tertiam addidi ſingularitatis ſpeciem, quae cum non ſit laudabilis tamen cenſeri debet, § 40. *ſeqq.*

§. XVI.

Habet denique ſanctitatis ſtudium ſua *commoda*, ampliſſima, praeſtantiſſimaque. *Pietas* enim *ad omnia vtilis eſt*, *habetque promiſſionem & huius & futurae vitae* 1 *Tim. IV, 8.* immo *quaeſtus magnus eſt pietas, & ſua ſorte contentum eſſe*, 1 *Tim. VI, 6.* Hinc & ſi quae eos incommoda premere videntur, haec ipſa tamen tandem in illorum commodum cedunt, docente apoſtolo; *οἴδαμεν, ὅτι τοῖς ἀγαπῶσι τὸν Θεὸν πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν. Rom. VIII, 28.*

§. XVII.

Speciatim inter effectus & commoda vitae ſanctae referri meretur, *δόξα* illa, ſeu *claritas*, qua virtutis ſplendorem vndiquaque ſpargunt, vt ipſi quoque impii eodem quandoque conuicti, venerationem hominibus ſanctis exhibeant, ad minimum vberrima inde enaſcatur occaſio Numinis ſanctitatem benignitatemque praedicandi. *Luceat lux veſtra*, inquit ſeruator, *apud homines, vt veſtra recte facta videntes, collaudent veſtrum patrem, qui eſt in coelis. Matth. V, 16* Et Paulus, homines pios atque ſanctos lucere iubet inter impios, tanquam *luminaria in mundo*: *Phil. II, 14. 15.* conf. & 1 *Petr. II, 12.* add. *Ioan. XVII, 22. 2 Cor. III, 7. 8. 9. Sap. VIII, 10. 13.*

§. XVIII.

Haud infimum quoque locum inter vitae ſanctae commoda tenet, *gaudium* ſingulare & conſtans, cum animi tranquillitate coniunctum: de quo Salomo: *bonus corde, in conuiuio iugi. Prouerb. XV, 15* Quod quidem gaudium non poteſt non oriri, vbi bona eſt conſcientia, & filialis erga Deum fiducia, *Ebr. X, 22.* & pax cum Deo, *Rom. V, 1. Phil. IV, 7.* Sed intelligendum tamen hoc eſt, cum exceptione crucis & calamitatis, qua carere renati nequeunt, quamdiu in hac vita verſantur. * *Actor. XIV, 22 Matth. VII, 13. 14. Ioan XII, 24.* Interim in calamitatibus etiam diuino ſolatio recreantur. *2 Cor. I, 3. ſeqq.* Vnde *in his omnibus ὑπερνικῶσι, plus quam victores ſunt per eum, qui dilexit eos, Rom. VIII, 37. ſeqq.* ſuntque *tanquam dolentes ſemper autem gaudentes. 2 Cor. VI, 10.*

* Eiuſmodi itaque gaudium, quod triſtitiae, etiam ſalutaris, viciſſitudines excludat, quale praeter alios vir alias haud indoctus, FRIDERICVS ALEENHOFF, in libro, cui titulum fecit *coelum in terris*, ſibi finxit, inter paradoxa & portenta Stoicorum merito referendum. Quam quidem ſententiam alibi ex inſtituto refutaui.

§. XIX.

Quemadmodum etiam improbi, ſua improbitate plurima ſibi ipſis

 attra-

Digitized by Google

attrahunt mala, morbos corporis, paupertatem, infamiam, ita, quae his oppoſita ſunt, iure meritoque inter ea ſunt referenda, quae per accidens ſaltem ex vita ſancta fluunt. conf. *Prouerb. III, 7. 8. Pſal. CXII, 3. 1 Tim. VI, 6. 8.* Accedit vero, quod verae prudentiae radix & genuinum fundamentum, ſit virtus chriſtiana, vitaeque ſanctitas. Prudentia rebus ſuis maxime conſulunt mortales, vti imprudentia maxime nocent. Imprudentiae porro fontes praecipui ſunt vitia quaeuis, prauique mortalium adfectus, quibus aguntur in transuorſum, adeo vt ne humanae quidem prudentiae ſpeciem ſibi vindicare queat, qui non vtcunque ſubigere adfectus, atque coercere, didicerit.

§. XX.

Quae ad alios ex vita ſancta redundant commoda, pro ſuis etiam merito reputat regenitus. Illa vero longe plurima ſunt, & fere infinita. Ne enim de communibus dicam, dum exemplo, opere, voce aliis prodeſt, ſalutem illorum aeternam & temporalem, directe vel indirecte promouendo: propria & ſpecialia ſunt, quae ſinguli ſtatus inde percipiunt, cum & rei domeſticae, & officiis tum ciuilibus, tum eccleſiaſticis, is demum recte & inſigni cum fructu praeſit, qui vitae ſanctitati, & quae hinc oritur, prudentiae chriſtianae, ſtudet.

§. XXI.

Denique cum omnia, quae ſibi obtingunt bona, Numinis voluntate ſibi obtingere credant, meritoque ſibi perſuadeant homines ſancti, idque praeeunte ſcriptura, *Iacob. I, 17.* ideo iſthaec omnia *benedictionis diuinae* apud eos habent rationem. Praecipue equidem in ſpiritualibus benedictionis diuinae vis conſpicitur, *Epheſ. I, 3. Gal. III, 14.* ſed tamen nec in temporalibus ea excludenda, niſi quae in his piis obtingunt, pro diuinis beneficiis agnoſcere nolimus, quod impium foret. conf. *Gen. XLIX, 25. 26. Deut. XXVIII, 2. ſeqq. Prouerb. X, 22.*

CAPVT QVARTVM
SEMEIOTICA THEOLOGICA
VBI ET
DE DOKIMASIA SPIRITVALI.

Σύνοψις.

Explorationis, ſeu δοκιμασίας in ſpiritualibus, neceſſitas, §. I.

Alia eſt δοκιμασία irregenitorum, alia regenitorum; ab vtraque diſtinguitur δοκιμασία conuertendorum, §. II.

De δοκιμασία regenitorum hic ſpeciatim ſermo eſt, §. III.

Difficultas δοκιμασίας ſpiritualis: & quid ad eam requiratur, §. IV.

Quaenam hic in cenſum veniant ſigna, de quibus ita

ita dicendum, vt ſignata prius rite conſtituantur, §. V.
Ea ad tria reuocantur capita, §. VI.
quorum primum eſt ipſe hominum ſtatus: ſigna regenerationis, §. VII.
Signa ſanctificationis, ſeu renouationis, §. VIII.
Quaenam in applicatione hic obſeruanda, §. IX.
Alterum, ipſae hominum propenſiones: quarum ſigna ſummatim indicantur, §. X.
Tertium, ſinguli hominum regenitorum actus: quorum ſigna itidem indicantur, §. XI.
De aliorum quoque hominum ſtatu actibusue quandoque iudicandum, vnde diſcretio ſpirituum, §. XII.
Intelligitur ſcilicet non doctrinae, ſed hominum, eaque non extraordinaria, ſed ordinaria diſcretio, §. XIII.
de diſcretione ſpirituum in iis, quae vires naturae excedere videntur, §. XIV.
quoad dona naturalia, ſed ſanctificata, §. XV.
quoad dona ſpiritualia, §. XVI.
Inſignis doctrinae huius, in vita tum propria, tum aliorum, emendanda dirigendaque, vtilitas, §. XVII.

§. I.

CVm & ipſe hominum ſtatus ſpiritualis, & eius, ſi regeniti fuerint, incrementum ac decrementum haud raro lateat, vt illum longe alium ſibi eſſe perſuadeant, quam reuera eſt: explorationem quandam neceſſariam eſſe, nemo non intelligit. Prorſus ac medici ex certis ſignis morbi aut ſanitatis indicium capiunt, & hac ratione etiam in illius cauſſas inquirunt. Hinc *δοκιμασία* illa ſpiritualis oritur, de qua vt nonnulla tradamus, ordo & inſtituti ratio poſtulat.

§. II.

Alia autem eſt *δοκιμασία irregenitorum*, alia *regenitorum*. Illi, ſi forte ad *δοκιμασίαν* quandam accedant, tantum quid in genere bonum aut malum ſit, explorant, *Rom. II, 18.* idque plerumque ſecundum normam quandam, quam ſuis ipſi ſibi ſtruxerunt praeiudiciis, *1 Petr. I, 18.* aut ſi ſeipſos explorant, magis hoc fit ad excuſationem & defenſionem peccatorum, quam ad eorum exuitionem. Regeniti contra diligenter ſtatum ſuum explorant, vt cognoſcant defectus, & eos emendent per renouationem, de qua *δοκιμασίᾳ* Paulus loquitur, *1 Cor. XI, 28. 2 Cor. XIII, 5.* Eſt tamen & quaedam exploratio *conuertendorum*, a qua vera conuerſio incipit, quando aliquis ſe explorat, ſitne in ſtatu regenerationis, an non ſit? vt, ſi poſterius deprehendat, de ſui emendatione ſerio ſit ſollicitus.

§. III.

Vtraque *δοκιμασία*, tum hominis conuertendi, tum eius, qui iam conuerſus eſt, maximopere eſt neceſſaria. Sine illa enim conuerſio, ſine hac incrementum in vita ſpirituali non recte procedit. Poſterior tamen *δοκιμασία* ſpecialiori quadam ratione hic in cenſum venire ſolet, eoque tendit, vt regeniti defectus ſuos cognoſcentes ſimul intelligant, *quae perfecta Dei ſit voluntas, Rom. XII, 2.* hoc eſt, quid Deus a ſe fieri velit, vt in iuſtitia, & ſanctitate proficiant. conf. *Epheſ. V, 17.*

§. IV.

§ IV.

Licet autem ſigna, per quae δοκιμασία iſta inſtitui queat, ſatis manifeſta ſint, difficulter tamen illa procedit, ob innatam omnibus philautiam, qua quilibet, ſtatum ſuum longe meliorem eſſe, facile ſibi perſuadet, quam reuera eſt. Quare ſi feliciter procedere haec δοκιμασία & exploratio ſui ipſius debeat, initium faciendum ab abnegatione ſui, & per eam mens ſedulo a praeiudiciis carnalibus purganda, ad quae ceteroquin omnes natura proni ſunt. *1 Cor. III, 3. Rom. VIII, 5. 6.* Opera contra| nauanda, vt ſpirituali iudicio cuncta ponderentur & expendantur. Πνευματικὰ enim πνευματικῶς diiudicanda. *1 Cor. II, 13. 14.* add. *Phil. III, 13. 14. 15.*

§. V

Ad ſigna ipſa quod attinet, nunc de iis non ſumus ſolliciti, quibus hominum irregenitorum, ſeu in ſtatu naturae conſtitutorum, latitantes mores propenſionesque innoteſcunt, * ſed de illis, quibus conuertendi, aut conuerſi, ſtatum ſuum, aut eius conditionem, incrementum vel decrementum, dignoſcere poſſunt. Qua de re vt adferamus, quae neceſſaria ſcituque digna ſunt, diſtinctim, *id, quod per ſigna inueſtigatur,* & tum *ſigna* ipſa, ſeu characteres conſiderandi ſunt.

* De illis enim ſignis, quibus mores, propenſionesque naturales, latitantes, innoteſcunt, ſolliciti ſunt philoſophi: quorum nonnulli peculiarem inde moralis philoſophiae partem conſtituunt, quam ad exemplum medicorum σημειωτικὴν adpellitant. Eadem vero ratione, & theologiae moralis pars quaedam σημειωτικὴ conſtitui poteſt. vid. GISBERTI VOETII *aſcetica, cap. 19. pag. 452.* Et ad philoſophos quidem quod attinet, iam ex veteribus ARISTOTELES, POLEMO, ADAMANTIVS ſophiſta, hanc doctrinam quodammodo delibarunt. SENECA quoque & CICERO, nonnulla huc ſpectantia paſſim adferunt, ſed ſparſim, & aliud velut agendo. Ex recentioribus plures animum ad hoc ſtudiorum genus adpulere, ſed ita, vt plerique partem ſaltem eius attingerent. Pleniori habitu ſi quis hanc doctrinam exhibere vellet, illi tum ad ſignatum, ſeu id, cuius ſigna quaerit, tum ad ſigna ipſa attendendum eſſet. Quod ad prius attinet, inter mentis facultates primo occurrit intellectus, cuius iterum varias operationes atque δυνάμεις eſſe conſtat, ingenium, iudicium memoriam. Harum ſigna explicanda ſibi ex inſtituto ſumſit IANVS HVARTVS in *ſcrutinio ingeniorum*; quanquam & nonnulla huc ſpectantia delibet EDMVNDVS RICHERVS, in *obſtetrice animorum*; & IOAN. CHRISTIANVS LANGIVS, in *protheoria eruditionis humanae vniuerſae.* Nec contemnenda ſunt, quae hac in re praeſtitit DIODORVS TVLDENVS, in libello prorſus aureo, *de cognitione ſui*, cum praefatione noſtra ante paucos annos recuſo, praeſertim *lib. 3. cap. 2. ſeqq.* Quod ad voluntatem attinet, in ea tum ipſae propenſiones bonae, malaeue, tum adfectus, in morum doctrina in cenſum veniunt, & interdum per certa ſigna ſunt indagandi. Ad propenſiones vitia pariter ac virtutes, ſaltem apparentes, hominum naturalium pertinent. In illis depingendis iam ex veteribus ſtudium induſtriamque poſuit THEOPHRASTVS, in *characteribus morum*, quem in Gallicam linguam translatum continuarunt DE LA BRVYERE & PASCAL, quanquam dubitem, an Theophraſti inſtitutum ſatis aſſecuti ſint. Eandem viam ingreſſus eſt LVDOVICVS MOLINAEVS, in *exemplari morum.* Virtutes autem per characteres & ſigna delineandas ſibi ſumpſit IOSEPHVS HALLVS, inter Angliae theologos haud infimus, cuius *characteres virtutum*, ex lingua Anglicana in Germanicam translatos habemus. Sed a propenſionibus & habitualibus inclinationibus iterum differunt adfectus, in quibus depin-

Digitized by Google

depingendis ingenii vires periclitari voluit DE LA CHAMBRE, medicus & philoſophus celeberrimus, in libro Gallicano idiomate ſcripto, cui titulum fecit: *characteres paſſionum.* Sed cum per corporis conſtitutionem, &, quae huc plurimum confert, locorum in quibus quisque degit, conditionem, itemque pro diuerſitate ſtatuum, vitaeque generis, varii itidem ac diuerſi ſint hominum mores, per ſigna itidem & characteres cognoſcendi, hoc ſibi datum crediderunt alii, vt gentium integrarum, aut hominum ſingulorum in certis ſtatibus degentium mores ex hisce cauſſis praecipue fluentes per characteres deſcriberent, quod IOANNES BARCLAIVS praeſtitit, in *icone animorum,* & EDO NEVHVSIVS, in *theatro ingenii humani,* quanquam hic paulo latius ſe diffundat. Cuncta tandem vnico eoque pleno ſyſtemate complecti aggreſſus eſt SCIPIO CLARAMONTIVS, Caeſenas, in notiſſimo opere, de *coniectandis cuiusque moribus, & latitantibus animi adfectibus,* quod recudi curauit, maximisque elogiis extulit HERMANNVS CONRINGIVS. Nec vituperandus viri conatus, etſi principia, quibus inſiſtit, pleraque hodie placere ſolidiora edoctis, nequeant. Accuratiora vtique ſemeioticae doctrinae fundamenta, ex iſtis moralis doctrinae principiis petuntur, quae in introductione ſua ad ethicam poſuit, vir celeberrimus, CHRISTIANVS THOMASIVS, quem & alii ex recentioribus ſequuntur. Aliis tamen conſultius viſum, non tam in abſtracto, quam concreto potius, vt loqui amant, ſemeioticam doctrinam tradere, ſingulorum hominum exempla conſiderantes, cum hac demum ratione, quanta morum varietas, quaeue cauſſarum plurium in ea producenda vis ſit, intelligi queat. Quae quidem ratio characteres hominum delineandi, hiſtoricorum eſt propria, ex inſtituto tamen illuſtratur a IO. HENRICO BOECLERO, in *characteribus Velleianis,* & CASPARO ERASMO BROCHMANDO, in *ſpecimine ethices hiſtoricae,* aliisque. Ad ſigna quod attinet, ea vel *cauſſalia,* vel *non cauſſalia* eſſe, & haec iterum vel *naturalia,* vel *moralia,* docui in *element. philoſ. pract. part. 1. cap. 5. §. 7. ſeqq.* Ad ſigna naturalia ſpeciatim phyſiognomica pertinent, quibus magnum pretium ſtatuebant veteres. Ipſum ſane Pythagoram conſtat, vultum corporisque habitum contemplando, mores atque indolem illorum exploraſſe, qui in eius diſciplinam ſe tradere volebant. vid. AVL. GELLIVS, *noct. Attic. lib. . cap. 9.* & IAMBLICHVS, in *vita Pythag. cap. 7.* add. IO. SHILTERI *diſſertat. de diſciplina Pythagor. §. 20.* MORHOFIVS *Polyhiſt. lib. 2. cap. 1.* Hinc & Ariſtoteles ex inſtituto artem phyſiognomicam tradidit, quem alii ſecuti ſunt, etiam ex recentioribus: qui tamen cum inanibus & ridiculis commentis hanc artem deturparent, ſenſim contemni coepit. Ego quantum illi tribuendum ſit, aliis diiudicandum relinquo: longe tamen rectius & conſultius ex moralibus ſignis latitantium propenſionum diiudicationem inſtitui, exiſtimo. Et ita quidem in hoc argumento verſati ſunt philoſophi: a quorum diſciplina etiam hac in re multum diuerſa eſt theologica iſtud tradendi ratio. Longe alia enim hic inueſtiganda ſunt, ſtatus ſcilicet hominum, eorumque propenſiones, non modo naturales, ſed & ſpirituales, & quodnam in ſingulis actibus inter gratiam ac naturam intercedat, diſcrimen. Signa ex quibus talia intelliguntur etſi itidem ex genere mortalium ſint, longe tamen alterius ordinis ſunt, quam illa, de quibus philoſophi agunt. Neſcio vero, an aliquis ex inſtituto hanc moralis theologiae partem pertractauerit, qui hinc inde quaedam attingunt, aut delibant, vtique non deſunt: nobis eam pro inſtituti ratione delineaſſe, ſuffecerit.

§. VI.

Quae per ſigna ſeu characteres inueſtigantur, ad tria reuocari capita poſſunt. Primo namque ipſe hominis huc *ſtatus* pertinet, ſitne aliquis regenitus, an non ſit? & ſi ſit, num ſanctificationi ſeu renouationi, ita vt par eſt, ſtudeat? Deinde, ipſae *propenſiones* habituales, tum *naturales,* vt defectus illorum cognoſcamus, tum *ſpirituales,* vt num genuinae ſint, intelligamus, & naturae gratiam imitari geſtientis falla-

Digitized by Google

ciam detegamus. Denique & ſinguli *actus*, hic quodammodo in cenſum veniunt, vt naturae gratiaeue diſcrimen, in iis obſeruemus.

§. VII.

Iam quod ad *ſtatum* ipſum hominum attinet, ſi quis primo explorationem inſtituere velit, an ſit *regenitus*, ex ſeria quidem & non fucata cordis, cogitationum & cupiditatum ſuarum intimarum perſcrutatione, quilibet facile hac de re certus reddi poteſt, modo per ſtultam hypocriſin ſibi ipſi fucum facere nolit. Non tamen negligenda ſunt ſigna, ſeu characteres fidei, regenerationis, conuerſionis, quos ſcriptura paſſim tradit: cuiusmodi ſunt, quod fides corda purget, *Actor. XV, 9.* quod, qui ex Deo natus eſt, per fidem mundum vincat, *1 Ioan. V, 4.* quod illi, qui credunt, ſpiritum υἱοθεσίας habeant, in quo clament Abba Pater! *Rom. VIII, 15. Gal. IV, 6.* quod omni ſtudio exuere veterem hominem annitantur, *Epheſ. IV, 20.* quod ſpiritus in illis ſerio pugnet contra carnem, *Gal. V, 17.* quod verbo diuino delectentur, & in eo ſummam ſapientiam quaerant, hinc & ei libenter morem gerant, *Pſalm. I, 2. Pſalm. CXIX, 2. 8. 9. ſeqq. Ioan. VIII, 47. 1 Ioan. IV, 6.* quod vocem paſtoris ſui, Chriſti, audiant, *Ioan. X, 14.* quod crucem & calamitates pro gloria Chriſti libenter ſuſcipiant, *Luc. XIV, 27. Ebr. XII, 5. 10.* quod humilitatem & patientiam eius imitentur, *Matth. XI, 29. 30. 1 Petr. II, 21.* quod Schema huius mundi reſpuant, *Rom. XII, 2.* cumprimis denique, & Chriſtum, & eius diſcipulos, ſeu, qui itidem ex Deo nati ſunt, immo omnes homines ſincere diligant, *Ioan. VIII, 42. XIII, 34. XV, 12. 1 Ioan. IV, 20.* & quae reliqua ſunt eiusdem generis. *

* Prolixe de ſignis regenerationis, ſed vt more ſuo varia inter ſe miſceat, agit GISBERTVS VOETIVS, *diſput. ſelectar. part. 2. diſſertat. de ſinceritate, & hypocriſi, p. 485. ſeqq.* vbi & TAFFINI librum laudat, de *notis filiorum Dei.*

§. VIII.

Sanctificationis, *renouationis* ſigna capiuntur ex ipſo incremento ſecundum interiorem hominem, *Epheſ. IV, 15.* & cognitionis rerum diuinarum ſpiritualis vbertate, maiorique copia, *Epheſ. I, 17. 18.* & promtiori obſequio, quod veritati cognitae praeſtamus, eiusque fructibus vberioribus, *2 Petr. I, 5. 6. 8 Ioan. VII, 17. VIII, 12. 31. 32.* ex ardentiori ſtudio, abnegatis rebus huius ſeculi omnibus, potiundi felicitate a Chriſto propoſita, *Phil. III, 13. 14.* ex maiori rerum huius mundi prae amore Chriſti contemptu, *ib. v. 8.* ex accuratiori conformatione ad imaginem virtutum, quam nobis reliquit Chriſtus, *1 Cor. III, 18.* & ſtudio enixiori ſimplicitatis, ſinceritatisque chriſtianae,

Pſalm.

Pſalm. XIX, 8. Matth. XI, 25. 1 Cor. V, 8. item humilitatis & patientiae, *1 Petr. V, 5. Iacob. V, 10. 11.* ex gaudio in ſpiritu ſancto, eiusque conſeruatione & incremento, *Rom. XIV, 17. Gal. V, 22.* feruentiori zelo conſectandi optima dona, *1 Cor. XIV, 1.* & quae alia ſunt, eiusdem generis. Ex hiſce vt ipſum ſanctitatis ſtudium, ita incrementum quoque in ſanctitate dignoſcitur.

§. IX.

In applicatione ſi quis recte incedere velit, illi id praecipue obſeruandum, in ſtatu hominis explorando ſigna iſta, iunctim ſumenda, ne quis decipiatur, ſaltem ex ſigni cuiusdam neceſſarii defectu, cetera merito ſuſpecta reddi, in ſingulis vero ſignis, ſeorſim diiudicandis, quod naturae eſt, ſedulo diſcernendum eſſe ab eo, quod eſt gratiae. Interim, ne quis & ex altera parte fallatur, excipiendus eſt ſtatus tentationis, in quo qui conſtituti ſunt, multa saepius ſibi non habere videntur ſigna regenerationis aut ſanctificationis, quae reuera habent. In iis vero ſignis, quae a ſenſu & perceptione gratiae diuinae deſumuntur, caute admodum procedendum.

* Ex defectu enim ſenſationis in ſpiritualibus, non ſtatim defectus rei ipſius colligendus, vt recte monet B. SPENERVS, qui omnino hac de re legendus, in libro de *natura & gratia*, §. 93. & 94. p. 286. ſeqq. Cauendum tamen, ne, quae hic in ſolatium regenitorum, qui ob iſtum ſenſationis defectum anguntur, dicuntur, temere ab improbis arripiantur, qui hypocriſin & ſecuritatem ſuam hac ratione alere ſtudent.

§. X.

De *propenſionum* habitualium ſignis, vt multa dicamus, neceſſe non eſt. Naturalium enim propenſionum, quorſum & omnia vitia ſpectant, quaenam ſigna ſint, aliunde conſtat. Spiritualium, quorſum virtutes omnes chriſtianae pertinent, vt magna eſt varietas, ita ex cauſſis, proximis ſcilicet & ſpecialibus, effectibus, proprietatibus, quae ſingularum propenſionum, virtutumque ſigna, qui characteres ſint, intelligitur.

§. XI.

Singulorum denique *actuum*, ſintne ex natura, an ex gratia (cum in hiſce naturae gratiam imitantis fallacia longe ſit frequentiſſima) ſi inſtituenda ſit exploratio, itidem ad certa ſigna ac characteres, ex quibus hoc diiudicari poſſit, recurrendum. Quae quidem ſigna ex intentione & ſcopo, ſolerter prius, ſi per ſubtiliorem hypocriſin occultetur, detegendo, ex modo operandi, effectu, collatione & harmonia cum aliis actibus, praeparatione ad actum eiusmodi ſuſcipiendum, ſimilibusque circumſtantiis, ſunt deſumenda. *

* Paucis haec attingimus: prolixius enim & eleganter ea diſſeruit B. SPENERVS, in egregio libro *de natura & gratia*: in quo primo generatim de characteribus operum, quae ex gratia fluunt, agit, §. 6. *ſeqq. pag.* 13. *ſeqq.* tum ſpeciatim de characteribus amoris erga Deum, §. 23. *& ſeqq. pag.* 62. *ſeqq.* de characteribus amoris erga alios, §. 41. *ſeqq. p.* 121. *ſeqq.* de characteribus humilitatis, §. 62. *ſeqq. p.* 282. de characteribus patientiae, §. 71. *ſeqq. p.* 221. *ſeqq.* & ſic porro.

§. XII.

Et hac quidem ratione, *δοκιμασία* ſpiritualis, ſi quis ſe ipſum ſuumque ſtatum, propenſiones, actus explorare velit, rite procedet: praeſertim ſi non tantum, quae hactenus dicta ſunt, ſincere, diligenterque obſeruet, nec ſibi blandiatur, ſed &, ſi, quod maximum eſt, praecipuumque momentum trahit, ſapientiam, ad ſui explorationem neceſſariam, precibus a Deo impetrare ſatagat. *Pſalm. CXXXIX, 23. 24. Iac. I, 5.* Interdum tamen & res & muneris ratio, aliaeque cauſſae poſtulant, vt aliorum quoque indolem cognitam exploratamque habeamus. Quae quidem *δοκιμασία*, *diſcretio ſpirituum* vocari ſolet, & per ſigna itidem atque characteres recte inſtituitur.

§. XIII.

Non vero nunc loquimur, de diſcretione *doctrinae*, quae itidem hoc nomine venit, & de qua Ioannes praecipue verba facit, *1 Ep. IV, 1.* conf. *Act. XVII, 11.* ſed de diſcretione *hominum*, num ex ſpiritu diuino an humano, an omnino diabolico fluant, quae dicunt, agunt, ſuſcipiunt, ſeu ſintne haec opera naturae, an gratiae? * Nec loquimur de *extraordinaria* illa ſpirituum diſcretione, qua apoſtoli per immediatam ſpiritus ſancti reuelationem intimos cordium receſſus explorare poterant, cuius illuſtre admodum exemplum occurrit *Act. V, 1. ſeqq.* ſed de *ordinaria*, quae per certos characteres & ſigna, applicatione rite facta inſtituitur, ** ad quam tamen, cum & diuina quaedam ſapientia, & facultas *πνευματικὰ πνευματικῶς* diiudicandi, requiratur, *1 Cor. II, 15.* quouſque ſolis regenitis haec propria ſit, facile inde intelligitur.

* *Diſcretio ſpirituum*, inquit CHRYSOSTOMVS, *ſignificat cognitionem, quisnam ſpiritualis ſit, quis non: quis propheta, & quis deceptor, hom. 29. in ad Corinth.* Non itaque ad doctrinam tantum, ſed & ad mores, ſtatumque hominum, *an quis ſpiritualis ſit?* vt CHRYSOSTOMVS loquitur, hoc eſt, regenitus, ſe extendit ſpirituum diſcretio. Nec incommode vox *ſpiritus* hic adhibetur, cum non tantum doctrina, quam homo profert, ſed cogitationes eius omnesque motus animi, aut Deum, aut Diabolum, aut hominem ipſum, ſeu mentem eius, auctorem habeant. BERNHARDVS equidem, in ſermone, qui de *ſeptem ſpiritibus* titulum praefert, cum de *ſex* inſcribi debeat, ſex ſpiritus, ſeu motuum & operationum in hominibus principia afſert, *ſpiritum* ſcilicet *diuinum, angelicum, diabolicum, ſpiritum* porro *carnis, huius mundi*, & *humanum*: ſed quod ad tria cuncta reuocari capita poſſint, ſpiritum ſcilicet *diuinum, diabolicum*, & *humanum*, docet IO. BONA, de *diſcretione ſpirituum cap. 3. p. m.* 557. Immo ad duas vt dixi, claſſes cuncta reduci poſſunt, *opera naturae & gratiae*. Vti enim haec Deum auctorem agnoſcunt, ita in illis cum corrupta hominis natura concurrit diabolus, quanquam interdum quaedam ſpecialiori

ſpecialiori quadam ratione diabolo tribuenda ſint. Ceterum quem laudauimus IO. BONA cardinalis, ex inſtituto hoc argumentum tractat, ita quidem, vt ad eam, de qua antea diximus, δοκιμασίαν reſpiciat, ſeu quo pacto quisque ſuum, quo ducatur, ſpiritum explorare debeat: ſpeciatim tamen ad extraordinaria, viſiones, reuelationes, raptus, reſpicit, & licet diligenter in hoc argumento verſetur, paſſim tamen talia tradit aut immiſcet, quae ſine cenſura dimitti nequeunt.

** An hae ratione, ad certum firmumque indicium perueniri queat? quaeri poſſet. IOANNES quidem BONA, *iudicium, quo ſit discretio, non eſſe certum & infallibile, niſi adſit expreſſa reuelatio diuina*, diſerte aſſerit, *de diſcretione ſpirit. cap.* 5. *p.* 565. Sed calculum non merentur, quae hac de re profert. Diſtinguenda hic primum δοκιμασία propria, a δοκιμασίᾳ aliorum. Ad illam quod attinet, cum eorum, quae in mente ſua peragantur, omniumque motuum ſuorum, & cogitationum, praeſertim intentionis, quam in ſingulis actibus habet, ſibi homo ſit conſcius, certus etiam eſſe poteſt de characteribus gratiae, qua ſtatum ſuum, qua ſingulas actiones. Cumque porro de gratia Dei, nullam dubitandi rationem habeat, certus etiam eſſe poteſt, non tantum de ſtatu praeſenti, ſed & de futuro, quod vitae aeternae haeres certiſſime ſit futurus: quod contra Romanenſes iam dudum euicerunt noſtrates: ſpeciatim, qui prae ceteris legendus, IOAN. TARNOVIVS, in *diſſert. de certitudine gratiae erga pios diuinae*, quae inſerta eſt *commentario* eius in *duodecim prophetas minores* p. 519. *ſeqq.* Sed id nunc non eſt, de quo agitur. De aliorum itaque δοκιμασίᾳ ſi quaeſtio ſit, a doctrina rurſus, ſtatus illorum & actiones ſunt diſcernendae. De doctrina, num vera an falſa ſit, quod certi eſſe queamus, nullum eſt dubium. Ad ſtatum vero quod attinet, ſigna iterum vel negatiua ſunt, vel affirmatiua. Negatiua voco, ex quibus concluditur, hominem non eſſe regenitum. Quae licet non vnius eiusdemque generis ſint, quaedam tamen ita comparata ſunt, vt de rei veritate nos dubitare non ſinant. Si quis enim e. g. ex proaereſi & data opera ea agat, quae voluntati diuinae repugnant, eum regenitum non eſſe, certiſſime inde concludimus. In affirmatiuis cautione omnino opus eſt, cum eorum, quae intus in animis aliorum latent, quae certiſſima ſtatus cuiuslibet hominis ſigna ſunt, conſcii non ſimus: quod ſi tamen ſigna externa, quoad facta & verba, diu & conſtanter conſpirent, certitudine morali, de ſtatu illorum certi eſſe poſſumus. In motibus ſingulis aliorum, aut actionibus externis diiudicandis, maiori adhuc cautione opus eſt: ob ſignorum, quae in his plerumque ſuppetunt, inſufficientiam. Non vlterius itaque hic progrediendum, quam aut probabilitatis, aut certitudinis gradus permittunt. De motibus autem ordinariis intelligenda ſunt, quae diximus; de extraordinariis, in ſequentibus, verba facimus.

§. XIV.

Quae in aliis ſe nobis offerunt, & *δοκιμασίαν* quandam ſeu explorationem poſtulant, iterum aut *extraordinaria* ſunt, aut *ordinaria*, & haec rurſus, vel *naturalia*, vel *ſpiritualia*. In illis ad verbi diuini regulam cuncta diligenter exigenda ſunt, vt ceu ſpurium, & ad fallaciam comparatum ſtatim reiiciatur, quod ei repugnat, aut in fide vel vita aliud quid, quam quod in eo continetur, nobis obtrudit, vel alia vlla ratione, auctoritatem eius, aut ſufficientiam labefactat. Deinde in his omnibus naturae vires ſedulo explorandae, quae in phyſicis operationibus, prout moralibus opponuntur, longe plerumque maiores ſunt, quam vulgo eſſe creduntur, & tum demum, ſi naturae vires aliquid certo excedere cognoſcamus, deque illorum, qui extraordinaria obtendunt, ſinceritate, ſatis nobis conſtet, & quod omnis abſit fallacia,

num ad Deum, an diabolum auctorem, quod iactatur, referendum ſit, diſpiciendum, idque ex ſubiecti conditione, effectibus, circumſtantiis, ſimilibusque characteribus, quantum fieri poteſt, diiudicandum: ita tamen, vt in re obſcura & dubia, ſuſpendatur potius iudicium, quam certi quid pronuntietur.

* Hinc itaque diiudicanda, quae de viſionibus, reuelationibus, raptibus, motibusque ecſtaticis paſſim diſputari ſolent: in quibus quanta naturae vis ſit, & fallacia, conſtat ex iis, quae ſupra *cap.* 1. *ſect.* 5. §. 17. *& ſeqq.* docuimus. IOANNES quidem BONA, magnam induſtriam in hiſce explicandis collocauit, & ſigna, quo pacto quae in ecſtaſibus, viſionibus, reuelationibus, diuina ſunt, a naturalibus & diabolicis diſcerni queant, indicauit, *de diſcret. ſpirituum cap.* 14. *& ſeqq.* ſed accuratius omnino examen, quae adfert, promerentur, quod inſtituere huius loci non eſt.

§. XV.

Ordinaria & quidem *naturalia*, omnes complectuntur animi dotes, quae per naturam, induſtriam, & exercitationem inſunt, quorſum & dona quaedam, quae vocantur, miniſtrantia, referenda: quae tum demum omnia recte ſe habent, ſi per gratiam ſanctificentur, & legitimus ſobriusque eorum vſus accedat. Vt vero, quibus ſignis & characteribus illa ipſa dona naturalia, innoteſcant, & eorum diuerſitas cognoſcatur, aliunde conſtat, * ita num per gratiam ſanctificata ſint, id vero diſpicere, *δοκιμασίας* ſpiritualis opus eſt. conf. *1 Cor. II, 15. XIV, 29. 1 Theſſ. V, 22.* Sed doctrina hic iterum ipſa, ab ipſis donis doctrinae proponendae & applicandae inſeruientibus, ſedulo diſtinguenda. In illa diiudicanda, ad verbum diuinum & analogiam fidei, vnice reſpiciendum, *Actor. XVII, 11.* vt nec angelo credatur, ſi quid contra euangelii apoſtolici doctrinam protulerit. *Gal. I, 5.* In hiſce vero dignoſcendis, pro certo tenendum, etſi ipſa doctrina, quam tenent, profitentur, docent homines, diuina ſit atque ſupranaturalis, ipſae tamen animi facultates, quae hic in cenſum veniunt, ſeorſim ſpectatae, ſi corda illorum templa ſpiritus ſancti non ſint, nec ipſi regenerationis aut ſanctificationis participes facti, non niſi pro naturalibus, quantumuis excellentes ſint, habendae erunt.

* Speciatim ex auctoribus, ſupra ad §. 5. allegatis: & iis, quae diximus, *element. philoſ. pract. part.* 1. *cap.* 5. §. 7. *ſeqq.*

§. XVI.

In ſpiritualium *δοκιμασίᾳ* & exploratione, quoad alios, ita verſandum, vt cuiusque ſtatus, propenſiones, actuumque ſingulorum indoles, per ſigna & characteres, quantum fieri poteſt, exploretur, idque ea fere ratione, qua in ſui ipſius *δοκιμασίᾳ* & exploratione procedendum eſſe, ſupra diximus. Si enim hac ratione ſtatum aliorum, num rege-

regeniti an irregeniti, proficientes, an deficientes ſint, quidue in illorum aut propenſionibus, aut actionibus, naturae, quid gratiae tribuendum, didicerimus, faciliori ratione aut ad meliorem, ſi opus fuerit, eos traducemus mentem, aut imbecillitatibus eorum medebimur.

§. XVII.

Magnam etiam aliorum hominum qua ingenium, qua mores, propenſionesue, eſſe diuerſitatem, conſtat. Quae diuerſitas, cum ex ſingulorum natura, accedentibus cauſſis variis, originem habeat, non tollitur, per conuerſionem, ſed hactenus remanet, vt, quae mala ſunt, emendentur, cetera legitimo modo dirigantur. Sed hanc ipſam diuerſitatem & ingeniorum & propenſionum per certa ſigna & characteres, qui alibi edifferuntur, * exploratam habere iuuat, tum, vt quibus quisque officiis & praeſtationibus maxime aptus ſit, intelligatur, tum vt morbi & tentationes, quibus quisque obnoxius eſt, cognoſcantur, & qua ratione iis quam commodiſſime obuiam iri queat, inueſtigetur. Ex dictis vero intelligitur, tum in propria, tum in aliorum vita, emendanda, dirigenda, & gubernanda, hanc de δοκιμασία doctrinam, vſum habere maximum praeſtantiſſimumque.

* conf. dicta ad §. 5.

CAPVT QVINTVM
DE
MEDIIS STVDIVM SANCTITATIS, INCREMENTVMQVE VITAE SPIRITVALIS PROMOVENDI.

Σύνοψις.

DE mediis theologicis hic ſermo eſt, non de philoſophicis, §. I.
Ipſas actiones ſanctas, ſeu bona opera non ſatis commode inter media referri, § II.
De mediis genuinis vt rite pronuncietur, obſeruandum, quid Deus, quid homo ipſe ad ſanctificationem conferat? §. III.
Ex parte hominis inter media ſanctificationis primo refertur, poenitentia quotidiana, §. IV.
ad quam requiritur agnitio peccatorum: quorſum & pertinet, examen conſcientiae, §. V.
item, dolor ob admiſſa peccata, ſeu praxis contritionis chriſtianae, §. VI.
denique & fides, §. VII.
Accedat, neceſſe eſt, ſerium propoſitum emendandi vitam, §. VIII.
Poenitentia quotidiana, cum carni parum grata ſit, variis nominibus id ſignificantibus, exprimitur, §. IX.
Ad eam, vti & generatim ad vitae ſanctitatem, plurimum confert legitima verbi diuini tractatio, §. X.
Ad quam non ſine iuſta praeparatione accedendum, §. XI.

Tractatio

Tractatio ipſa abſoluitur, partim auditione verbi, cuius neceſſitas oſtenditur, §. XII.
partim lectione, cuius indicatur methodus, §. XIII.
De certo tempore, verbi diuini tractationi, deſtinando, §. XIV.
die ſabbathi praecipue eam inſtituendam, §. XV.
De aliorum librorum, ſpeciatim aſceticorum lectione, quid cenſendum? §. XVI.
De meditatione, §. XVII.
Ad media promouendi ſtudium ſanctitatis pertinet quoque praxis legitima ſacramentorum, ſpeciatim baptiſmi, §. XVIII.
& ſacrae euchariſtiae, §. XIX.
quis ea rite & ſalutariter vti poſſit? §. XX.
quando & quoties ea vtendum? §. XXI.
quo pacto praeparatio ad eam comparata eſſe debeat? §. XXII.
ad vſum eius legitimum & ſalutarem quid praecipue requiratur? §. XXIII.
quis fructus eius ſit & effectus, item ſigna, dignum aliquem ſacrae coenae fuiſſe conuiuam, §. XXIV.
Oratio quoque ad media promouendi ſtudium ſanctitatis pertinet: quo nomine quid intelligatur? §. XXV.
Quid ſit mentis eleuatio? in qua conſiſtere dicitur, §. XXVI.
ea non excludit ſermonem oris, §. XXVII.
Ad orationem ſolos regenitos eſſe idoneos, §. XXVIII.
Legitima ad orandum requiritur praeparatio, §. XXIX.
Adeſſe debet in ipſa oratione fides, deuotio, feruor, animusque purus, §. XXX.
De perſeuerantia in oratione, item de certo tempore orationi deſtinando, §. XXXI.
Quid a Deo in oratione petendum? §. XXXII.
Summa rerum a Deo petendarum continetur in oratione dominica, §. XXXIII.
Formula haec orationis, ceu omnium perfectiſſima, merito retinenda: quid de aliis formulis cenſendum: & ſine formulis orandum eſſe, §. XXXIV.
Orationis vtilitas, neceſſitas, efficacia, §. XXXV.
De exauditione precum, quando & quousque homo certus eſſe queat, §. XXXVI.
Ad orationem, & rerum diuinarum, tractationem, plurimum conducit temperantia: vbi & de ieiuniis, §. XXXVII.
itemque vigilantia ſpiritualis, §. XXXVIII.
Denique & imitatio ad ſtudium ſanctitatis plurimum confert, praecipue quidem exempli, quod Chriſtus ſeruator nobis reliquit, §. XXXIX.
tum & aliorum, ſanctitatis laude illuſtrium, §. XL.
Conuerſatio quoque cum hominibus piis & ſanctis, §. XLI.
Quo pacto ſpeciatim certis tentationibus obuiam eundum, §. XLII.
De applicatione mediorum rite & prudenter inſtituenda, §. XLIII.

§ I.

DE mediis promouendi ſtudium ſanctitatis, incrementumque vitae ſpiritualis, dum ſumus ſolliciti, ea, vti par eſt, intelligimus, quae theologiae ſunt propria, & a ſcriptura ſacra commendata. Solent namque & philoſophi, media afferre, quibus proficere quis in virtute queat, * vti ſunt firmum animi propoſitum, conſideratio praemiorum, quae virtutem conſequuntur, & incommodorum, quae comitantur vitia, & alia eiusdem generis; ſed vt ſanctitas chriſtianorum, multis paraſangis a virtute philoſophica differt, ita mediis quoque iſtis philoſophicis ad rei ſummam parum proficitur.

* Media haecce philoſophica prolixe recenſui in *element. philoſ. pract.* §. 10. *& ſeqq.* poſſentque, quae ibi dixi, ex philoſophorum, Stoicorum maxime, qui hoc in genere eminent, vt SENECAE, EPICTETI, M. AVRELII ANTONINI, ſcriptis illuſtrari. Huc etiam pertinent ἀσκήσεις illae veterum philoſophorum, Gymnoſophiſtarum, Pythagoraeorum, ad coercenda & perdomanda vitia, ſpeciatim voluptatis cupiditatem, auaritiam, & ambitionem comparatae: qua de re ex inſtituto dictum in *diſſertat. de ἀσκήσει philoſophica,* in

in *analectis hiſtor. philoſ. p. 409. ſeqq.* Harum autem exercitationum licet vis quaedam ſit & efficacia ad impetum prauorum affectuum infringendum, ne in externa crimina temere erumpant: ad curandos tamen animi morbos & latitantia vitia ſananda, minime ſufficiunt. Non equidem negauero, *vſum* quendam mediorum iſtorum philoſophicorum eſſe poſſe, ſi praemittantur, quae chriſtiana diſciplina ſuppeditat, & tum ceu adminicula quaedam adiungantur, rem omnem dirigente vera in Chriſtum fide: absque iſta autem cautione, qui iſta adhibet, inſuper habita iſta, quam chriſtiani prae ethnicis hac in re habent, ἐξοχῇ ſeipſum decipiet turpiter. Multorum tamen ea eſt imprudentia, vt mediis hisce philoſophicis omnia tribuant, neglectis praeſtantioribus. Eodem ego loco habeo inſtituta monaſtica Pontificiorum, maximam partem a gentilium philoſophis mutuo accepta, quos ideo nonnulli eorum inter monachos, aut monaſticae vitae praecurſores, referre non dubitant. Pleraque enim ad exercitationem ſaltem quandam redeunt, neglecta fide, quae tamen *victoria eſt, quae mundum vicit, 1 Ioan. V, 4.* Quo ipſo hae exercitationes ab exercitationibus gentilium non differunt. De ſuperſtitione, quae in hisce accedit, & opinione meriti, nunc nihil dicam. Sed quaedam etiam abſona adoptant, quae & vſu & exemplo in ſcriptura ſacra, multo magis mandato diuino carent, & interdum plus nocent, quam proſunt. Quorſum flagellationes refero, quas nonnulli ex ipſis Pontificiis ceu noxias damnant. vid. *hiſtoria flagellantium, de recto & peruerſo flagrorum vſu apud chriſtianos,* Pariſiis anno MDCC. edita, cuius auctorem BOILAEVM, abbatem eſſe, ferunt. Mitto reliqua.

§. II.

Ipſas actiones ſanctas, ſeu bona opera, eſſe media, quibus ad ſanctitatem vitae tenditur, quod a quibusdam aſſeritur, licet, ſi recte explicetur, admitti queat: * accuratius tamen inter fructus vitae ſanctae, actiones ſanctas retuleris. Quo magis enim in habituali ſanctitate homo regenitus proficit, eo frequentius in actiones ſanctas ea erumpet, & hoc ipſo ſuam fertilitatem velut demonſtrabit. *Gal. V, 22.* add. *Matth. III, 8. VII, 17. 18.* Ipſa equidem habitualis ſanctitas itidem eſt fructus ſeu effectus ſpiritus, quem ſpiritus ſanctus per fidem producit, ſed hoc non obſtat, quo minus actiones ſanctae fructus iterum & effectus habitualis ſanctitatis, adeoque itidem ſpiritus, dicantur. Accedit, quod varia incommoda eam ſententiam premant, ** quae ipſas actiones ſanctas, ad media proficiendi in ſanctitate habituali, refert.

* conf. B. IO. GVIL. BAIERI *compend. theolog moral. part. 3. cap. 1.*

** Etenim ſi bona opera inter media ſanctitatis referuntur, Romanenſibus hinc ſuppeditatur occaſio inferendi, ac ſi bona opera inter principia & cauſſas ſalutis etiam locum obtineant. Scio, quo pacto his obuiam iri ſoleat, diſtinguendo inter media *cauſſalia* & *non-cauſſalia*: vnde ad diſputationem, an dentur media non cauſſalia? deuoluimur. Hisce omnibus opus non eſſe videretur, ſi bona opera, quod res ipſa poſtulat, fructus ſeu effectus vitae ſanctae non media, dicamus: vti & alias actus ſeu opera, propenſionum habitualium, ex quibus procedunt, effectus cenſentur. Nec aliud ſententiae eius, quam impugnamus, videtur eſſe fundamentum, quam methodus Ariſtotelico-ſcholaſtica, iuxta quam morum doctrina philoſophica ita quandoque proponi ſolet, vt virtutes habeantur pro mediis ſummum bonum conſequendi: quod tamen nec ex ipſius Ariſtotelis mente recte fieri, aliis eſt obſeruatum. Nos iſta parum mouent. Fieri equidem poteſt, vt per virtutum chriſtianarum exercitium propenſio ad bonum, quae in regenitis eſt, quodammodo

confirmetur: quorſum nonnulli referunt illud *Rom. VI,19. ſiſtite membra veſtra ſerua iuſtitiae, εἰς ἁγιασμὸν*, hoc eſt, vt illi interpretantur: *vt ſancti reddamini*: ſed hoc nondum ſufficit, vt euincatur inde, bona opera eſſe media ſanctitatis, cum hoc velut ex accidenti fiat, vt propenſio quaedam ſeu habitualis diſpoſitio per virtutum exercitium corroboretur: & alia ſanctitatis media ſcriptura praeſcribat. Verborum apoſtoli hic quoque ſenſus eſſe poteſt: *vt ſancti ſitis, vt tales agnoſcamini, vt reuera vos ſanctos demonſtretis.* Pari fere ratione reſponderi poteſt ad locum, 2 *Petr. I,5. ſeqq.*

§. III.

Miſſis ergo hiſce, vt de mediis proficiendi in vitae ſanctitate recte ſtatuatur, ſupponendum ante omnia, ſanctificationem eſſe opus Dei, ſpeciatim ſpiritus ſancti, qui incrementum illud vitae ſpiritualis operatur, hominesque ſanctiores reddit, dum magis magisque ad imaginem ſuam eos transformat. *Ezech. XX,12. Eſ. LXIII,11. 1 Theſſal. V, 23. 2 Theſſal. II,13. Tit. III,5.* Et licet homo, per vires nouas in regeneratione acceptas, itidem aliquid conferat: hoc tamen in eo praecipue conſiſtit, vt obſtacula ſanctificationem impedientia remoueat, & ita opus Dei in anima ſua promoueat. * conf. *Ioan. XV, 2. 5.*

* Iungenda hic, quae ſupra diximus, *cap. 1. ſect. 1. §. 45.*

§. IV.

Quae cum ita ſint, inter media ex parte hominis primo occurrit *poenitentia quotidiana*, quam & alias *poenitentiam ſtantium* vocant, in quantum ad eam homo, per vires gratiae ſibi iam collatas, concurrit. Haec eſt *purgatio*, de qua paſſim ſcriptura loquitur. conf. *1 Petr. I, 22. 2 Tim. II,21. 1 Ioan. III,3.* Immo haec eſt ipſa renouatio & ſanctificatio, *intranſitiue* accepta, qua homines ſeipſos renouare & ſanctificare dicuntur, *Ezech. XVIII, 32. 2 Cor. VII,1.* Cumque realem quandam in homine renato mutationem denotet, *terminus* eius, *a quo*, ſunt reliquiae peccati, quae poſt conuerſionem remanent, *terminus ad quem*, maiores illae vires ſpirituales, quae poſt conuerſionem demum acquirendae ſunt. Et hoc eſt, quod *exuere veterem hominem*, ceu veſtem indecentem, turpem, foedam, & *induere nouum*, *Epheſ. IV, 22. Col. III, 9. membra terreſtria mortificare, Col. III,5. crucifigere carnem cum cupiditatibus ſuis, Gal. V, 24* dicuntur.

§. V.

Ad hancce poenitentiam primo requiritur *agnitio peccatorum*, tum originalis, tum actualium, eorumque omnium, in quantum nobis innoteſcere poſſunt, ſiue corde, ſiue ore, ſiue opere fuerint perpetrata; ſiue omiſerimus, quae fieri debebant, ſiue commiſerimus, quae erant vetita. Huc pertinet *quotidianum conſcientiae examen*, tantopere & merito quidem commendatum, * dum homo regenitus ſerio, & accurate

Digitized by Google

rate in inclinationes & actiones ſuas inquirit, & cuncta ad legem diuinam exigit, vt quoties, & quantopere ab ea deflexerit, intelligat. Haec eſt *praxis conſcientiae*, vt a nonnullis vocari ſolet, quae vt recte inſtituatur, in diuinae legis ſenſum verum & genuinum accurate eſt inquirendum. **

* Pudore hic ſuffundi oportet plurimos chriſtianorum, ſi cogitemus, ethnicis quibusdam hoc receptum fuiſſe, vt quotidianum vitae examen inſtituerent, eo conſilio, vt non recte a ſe facta corrigerent & emendarent. Pythagoraeis cumprimis hoc in vſu fuiſſe conſtat. P. Sextium etiam hoc nomine laudat SENECA. *Faciebat hoc*, inquit, *Sextius, vt conſummato die, cum ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum: quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? qua parte melior es?* Et paucis interiectis: *quid ergo pulchrius hac conſuetudine excutiendi totum diem? qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur? quam tranquillus, altus ac liber, cum aut laudatus eſt animus, aut admonitus, & ſpeculator ſui cenſorque ſecretus, cognoſcit de moribus ſuis?* Tum de ſeipſo pergit: *Vtor hac poteſtate, & quotidie apud me cauſſam dico: cum ſublatum e conſpectu lumen eſt, & conticuit vxor, moris iam mei conſcia, totum diem meum ſcrutor, facta & dicta mea remetior. Nihil mihi ipſe abſcondo, nihil tranſeo; quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cum poſſim dicere: vide, ne iſtud amplius facias, nunc tibi ignoſco; de ira lib. 3. cap. 36.* add. IVSTVS LIPSIVS *manuduct. ad philoſ. Stoic. lib. 3. diſſertat. 14.* Quod quidem iſtorum virorum inſtitutum ecquis non laudet? etſi ob verae poenitentiae ignorantiam, non eum, quem poterant, inde perceperint fructum. Ob diuinae enim legis, prout in ſcriptura nobis reuelata eſt, ignorantiam, multa pro peccatis non habuerunt, quae grauisſima tamen ſunt peccata, & intimam naturae humanae corruptionem, non cognouerunt, multo minus veram rationem placandi Numinis iram, tranquillitatemque veram conſcientiae obtinendi, intellexerunt. Haec autem cum longe rectius edocti ſint, aut edoceri queant chriſtiani, longe aliter in peccatorum ſuorum agnitione, & quotidiano conſcientiae examine verſari poſſunt. Quod ſi hoc intermittant, committent profecto, vt ethnicis iſtis ἀνεκτότερον futurum ſit ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, quam iſtis, *Matth. XI*, 22.

** Ne ſcilicet, more phariſaico, peccata externa & grauiora ſaltem pro peccatis habeamus, miſſis internis & leuioribus: quem iſtorum hominum errorem ex inſtituto redarguit ſeruator, *Matth. V*, 20. *ſeqq.* Ad ſpecialia ſi deſcendere vellemus, ſumma totius legis hic repetenda eſſet, item quae de conſcientia, eiusque morbis & ſanitate alibi dicta ſunt, quod huius loci non eſt. Interim conf. GISBERTVS VOETIVS in *aſceticis cap. 8. p. 288. ſeqq.*

§. VI.

Adſit etiam neceſſe eſt, *dolor animi*, quo ob admiſſa peccata intime afficiatur homo regenitus, eaque ſerio deteſtetur, non tantum propter poenas, quas attrahunt, ſed vel maxime propter ipſam peccatorum foeditatem, & quod Deum, patrem ſuum benigniſſimum offenderit. * Qui quidem dolor, licet non vno eodemque modo & gradu apud omnes, aut eosdem omni tempore deprehendatur, vt tamen verus & non fucatus ſit, neceſſe eſt, niſi nos ipſos decipere turpiter velimus. *Pſalm. VI, 7. CXXX, 1. 2 Cor. VII, 9.* Et haec eſt *praxis contritionis chriſtianae.*

* Recte & luculenter hac de re diſſerit B. IO. GVIL. BAIERVS noſter: *equidem intuitu poenae*, inquit, *peccando contractae, dolere, aequum eſt, ac neceſſe: verum haec neque vnica, nec praecipua cauſſa eſſe debet. Nam & oderunt peccare mali formidine poenae: dolent peccaſſe, inflicta aut imminente poena. Sed in poenitentia chriſtiana dolor pro obiecto*

 aut

aut motiuo genuino, aut primario habere debet ipſam peccati rationem formalem, quae eſt violatio legis, &, quam haec inuoluit, offenſam Dei optimi maximi. Vnde & pudor peccatorum poenitentibus tribuitur, quando v. g. Ezechiel. cap. XVI, 61. futuram iudaicae gentis poenitentiam praedicens, ait: recordata viarum tuarum, pudore ſuffunderis &c. compend. theolog. moral. part. 3. cap. 5. §. 5. p. 220. Et hoc eſt, quod nonnulli obſeruant, ad dolorem hunc excitandum & augendum concurrere amorem Dei, vt, quo purior ſinceriorque hic fuerit, eo magis doleamus, quod benignisſimum iſtum patrem peccatis noſtris laeſerimus. Huc illud B. LVTHERI *tom. 1. Ienenſ. latin. de poenit. & confeſſ. fol.* 13. pertinet: *poenitentia debet eſſe dulcis, & ex dulcedine in iram deſcendere ad odium peccati: amor enim eſt vinculum perpetuum, quia voluntarium. Igitur perſuade homini primum vt diligat iuſtitiam, & ſine magiſterio tuo conteretur de peccato: diligat Chriſtum, & ſtatim ſui prodigus odio habebit ſeipſum: ſic Pſalm XLV. dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem: prius, inquit, dilexiſti iuſtitiam, & ſic odiſti iniquitatem.* Similia pasſim & alibi in ſcriptis LVTHERI leguntur: quibus addenda, quae eundem fere in modum diſſerit B. IO. ARNDIVS de *vero chriſtianiſmo, lib. 3. cap. 7.* Sunt tamen haec & ſimilia caute accipienda, ne diſtinguenda confundamus, & vt cauſſas, ex quibus aut per ſe aut per accidens dolor ob peccata fluit, diſcernamus, cumprimis autem, vt, quod inter poenitentiam ſtantium & lapſorum intercedit diſcrimen, probe obſeruemus. Quae enim de regenitis, quorum eſt poenitentia ſtantium, & de quibus hic loquimur, dicuntur, non perinde ad irregenitos adplicari poſſunt. His enim amor Dei, aut motus, qui amorem Dei, vel eius concurſum ſupponunt, tribui nequeunt, quia, vt contritionem ſequitur fides, ita ex fide demum gignitur amor Dei. Quo nomine ſcholaſticos recte refellit B. IO. MVSAEVS noſter, quod, *contritionem* omnem ex charitate, ſeu dilectione Dei ſuper omnia, proficiſci debere, contendant, eam diſplicentiam & dolorem, quem quis de peccatis vel ex turpitudine eorum, vel ex gehennae & poenae metu concipit, *attritionem* vocantes: recteque docet, dilectionem Dei ſupra omnia, viribus naturae acquiſitam, commentum eſſe mere Pelagianum, in *theſibus theolog. de conuerſione hominis peccatoris ad Deum, ſeu de reſipiſcentia*, §. 30. *ſeqq.* Addenda ſunt, quae hac de re leguntur in *apologia Aug. confeſſ. p.* 165.

§. VII.

Accedit denique *fides*, ceu pars poenitentiae latius acceptae, conſtans notitia, aſſenſu & fiducia, * immo quoad ſingulas partes incrementa ſumens. Nimirum, non tantum noſſe & pro veris habere debet regenitus, quae de reconciliatione hominum peccatorum per meritum ſanguinemque Chriſti in ſcriptura ſacra Deus reuelauit, ſed inſigni quoque flagrare deſiderio, vt diuini huius beneficii particeps fiat: quod eſt, *eſurire & ſitire iuſtitiam, Matth. V, 6.* & toto denique animo, in merito Chriſti acquieſcere, certus quippe, & ſua propter illud remiſſa & condonata ſibi eſſe peccata. Hoc eſt *accedere ad Deum μετὰ ἀληθινῆς καρδίας ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, Ebr. X, 22.*

* Supponimus, quae de fide eiusque partibus alibi latius & ex inſtituto diſputari ſolent. Sunt equidem, qui plures, quam tres iſtos commemoratos, fidei actus, notitiam, aſſenſum, & fiduciam, conſtituunt, quos inter & HERMANNVS WITSIVS eſt, *exercit. 3. in ſymbol. apoſtol.* §. 8. *ſeqq.* At ſine neceſſitate, cum cuncta, quae ad fidem proprie ſic dictam pertinent, ad tres iſtos actus commode reuocari queant. Interim non male idem auctor monet §. 3. in praxi fidei ordinem actuum fidei non ſemper tam diſtinctum eſſe, quam in theoria proponitur. Patet autem ex dictis, immo ex ipſa natura fidei, quod nunquam non ſe nobis occaſio, qua fides noſtra ſe exerere poſſit ac debeat, offerat: & haec eſt *praxis illa fidei,*

fidei, de qua & GISBERTVS VOETIVS quaedam monet, *diſput. de praxi fidei, part. 2. diſput. ſelectar.* ſed vt more ſuo ἀλλότρια varia admiſceat.

§. VIII.

Haec autem, quae hactenus diximus, vt praecipue ad abolitionem praeteritorum ſpectant, quae arctiorem hominis cum Deo vnionem impedire, & hinc gratioſum Numinis ad ſanctificationem influxum, ſufflaminare poterant, ita ratione futurorum accedere debet & *deſiderium*, & conſtans firmumque *animi propoſitum*, in omnibus ſe componendi ad voluntatem Numinis, & ea, quae illi aduerſantur, diligenter euitandi, carnem quoque cum ſuis concupiſcentiis, magis magisque crucifigendi. Nec intra votum aut propoſitum, res ſubſiſtere debet, * ſed ipſe actus, accedat neceſſe eſt. Quo saepius enim & fortius carnis motus repelluntur, eo magis imminuitur vis peccati nobis adhaerentis, & impedimenta recipiendi augmentum virium diuinarum remouentur. Idque per fidem, qua mundum vincimus. *1 Ioan. V, 4. 5.* Eſt hic effectus fidei, *ſubiectiuus*, ** vt nonnulli vocant, a quo *obiectiuum*, de quo antea diximus, diſtinguunt.

* Propoſitum enim, quod nunquam executioni datur, & inefficax manet, ſerium non fuiſſe, inde intelligitur. Et hinc, num tota poenitentia ſeria, an vero hypocritica fuerit? quodammodo colligere licet. Ad homines vero, qui ſibi videntur propoſitum aliquod emendandi vitam habere, quod tamen reuera non habent, adplicari poteſt illud SALOMONIS: *deſideria pigri interficiunt eum, Prouerb. XXI, 25.* Quemadmodum enim in rebus oeconomicis, de quibus ſapientiſſimo regi ſermo eſt, ſeſe res habet, vt ignaui homines votis & deſideriis parum proficiant, ſed fruſtra iis excrucientur & enecentur, niſi manum tandem operi admoueant: eadem quoque ratione vota nuda & inefficacia, quibus res ipſa non reſpondet, in ſpiritualibus ignauiam quandam atque deſidiam produnt.

** Ita breuiter & perſpicue rem omnem exprimit B. FRIDEMANNVS BECHMANNVS, in *annotat. ad Ioan. Olearii theolog. moral. p. 127. Effectus fidei ſubiectiuus*, inquit, *dicitur, qui reuera in homine, tanquam ſubiecto, per fidem producitur. Atque hic effectus eſt renouatio, quae fit, quando fides inclinat voluntatem hominis renati ad virtutes chriſtianas, & nouitatem vitae, vt prauis concupiſcentiis reſiſtat, & bonis operibus det operam* add. 2 Petr. I, 5. Plura hac de re alibi.

§. IX.

Renouatio iſta, ſeu poenitentia quotidiana, * cum coniuncta ſit cum incommodis, carni & ſanguini parum gratis, cum inuiti admodum a cupiditatibus ſuis ſe abſtrahi patiantur homines, ratio patet, cur per locutiones ſummum dolorem ſignificantes in ſcriptura ſacra exprimatur. ** Quales ſunt, *crucifixio carnis cum cupiditatibus ſuis, Gal. I, 24. abſciſſio & mortificatio membrorum, Matth. XVIII, 8. 9. Coloſſ. III, 5. circumciſio cordis, Rom. II, 29. purgatio veteris fermenti, 1 Cor. V, 7. 8.* & ſimiles. Licet enim pleraeque iſtarum locutionum latius pa-

teant & ad omnem prauarum cupiditatum oppreſſionem & coercitionem pertineant, nihil tamen obſtat, quo minus, ſpeciatim ad renouationem, quae in ***poenitentia*** fit ***quotidiana***, referantur.

* *Quotidianam* ſubinde hanc vocamus poenitentiam, ſeu renouationem, eo quod eam repetendi neceſſitas quotidie nobis incumbat. Idque ex perpetuis carnis, aliorumque hoſtium ſpiritualium inſultibus, quibus expoſiti ſunt chriſtiani, ſatis patet. Vnde & error illorum, qui amplioribus periodis poenitentiam hancce ſtantium circumſcribunt, eamque tum demum neceſſariam putant, cum ſacra euchariſtia vti volunt, aut cum magiſtratus auctoritate, vel imminentium calamitatum periculo ad eam inuitantur, manifeſtus eſt. Enimuero, licet tum peculiaris ratio accedat, cur accuratius vitae examen inſtituere debeamus: periculi tamen, in quo regeniti omnes verſantur, ſe ignarum prorſus demonſtraret, qui eousque omnem renouationem ſeu poenitentiam differre velit. Probabile autem admodum eſt, eos, qui in iſto errore verſantur, diſcrimen inter poenitentiam ſtantium & lapſorum prorſus ignorare, & grauiſſimo inſuper verſari in errore, indulgere hominem proaereticis peccatis poſſe, modo ſtatis temporibus peccata ſua confiteatur, ſeque illorum poenitere teſtetur. Quo quidem errore, licet admodum communi, nihil pernicioſius vnquam cogitari poteſt. Nec tamen is ſenſus eſt, cum *quotidianam poenitentiam* dicimus, ac ſi non aliquando ſpecialiori quadam ratione ad hocce negotium accedendum ſit, cum animi ſtatus hoc exigit; aut ac ſi certis horis, matutinis aut veſpertinis, ita ſe adſtringere oporteat, vt per reliquum diei ſpatium de animae ſalute non ſimus ſolliciti: minime gentium: ſed hoc volumus, eum eſſe animae noſtrae ſtatum, ut quotidie iſta renouatione nobis opus ſit, ita tamen, vt ſtatus ipſius, in quo verſamur, & neceſſitatis, quae nos circumſtat, magis rationem habeamus, quam temporis: nec huic ita nos alligemus, vt non maior illius apud nos cura ſit.

** Atque inde eſt, quod poenitentia haec quotidiana carni & ſanguini, ſi ſeria ſit, adeo ingrata, *crucis* nomine veniat, quae ſolis regenitis ſit propria, quamque *quotidie* in ſe ſuſcipere iubentur, qui in numero diſcipulorum Chriſti haberi cupiunt. *Luc. IX*, 23. *Matth. XVI*, 24. Licet enim piis hominibus nec alia incommoda & calamitates externae deſint: communes tamen iſtae illis ſunt cum hominibus improbis, quibus itidem cum infamia, paupertate, morbis, aliis calamitatibus eſt colluctandum: at iſta, quae ex poenitentia quotidiana oriuntur, incommoda, tantum regenitis conueniunt. Legendus ea de re B. IO. ARNDIVS, *veri chriſtianiſmi lib*. 1. *cap*. 4. item *cap*. 9. *&* 32.

§. X.

Ad poenitentiam quotidianam rite inſtituendam, immo generatim ad ſtudium ſanctitatis promouendum, plurimum confert *legitima verbi diuini tractatio*. Vnde & haec, non vltimum inter media conſeruandi & augendi vitam ſpiritualem, tenet locum. Legitimam autem dixi verbi diuini tractationem. Qui enim non ea, qua decet, ratione, hac in re verſantur, ſibi ipſis imputent, ſi ſperato excidant fructu.

§. XI.

Vt ergo legitima ſit verbi diuini tractatio, ſine debita praeparatione ad eam non eſt accedendum. Praeparatio autem in eo conſiſtit, vt collectis omnibus animi viribus, rei grauitatem probe ponderemus, ſcopumque, quem conſtitutum atque praefixum habemus, conſideremus, quippe qui non alius eſſe debet, quam vt in fide & ſanctitate vitae proficiamus, & denique vt noſtrae infirmitatis & impotentiae memo-

memores, diuini ſpiritus auxilium deuotis precibus a Deo petamus. Qui ſapientiam huius ſeculi ſaltem in diuinis litteris quaerunt, aut eas diſcunt, vt eruditi euadant, & hac ratione ad opes & honores peruenire queant, oppido peruerſe agunt, exiſtimantes, *pietatem lucrum eſſe, 1 Tim. VI, 5.* Cuius ſtultitiae ſuae grauiſſimas etiam dabunt poenas, expertes dum remanent theſauri iſtius, quem ex ſcriptura referunt, qui, vt decet, recto animo & humili mente eam ſcrutantur.

§. XII.

Tractatio ipſa verbi diuini partim *lectione*, partim *auditione* abſoluitur, non excluſa meditatione, de qua deinceps dicetur. Nec calculum promerentur, qui auditionem contemnunt, aut negligunt, cum iſti quidem ſibi ſolis ſapere videantur, arrogantiamque prodant, & a ſimplicitate chriſtiana multum ſe abeſſe demonſtrent. Habet namque auditio commoda plurima.* Vehementius ſaepe afficit viua vox, excitatque attentionem, vt accuratius percipiantur, & altius in animum penetrent hinc & firmius retineantur, quae audiuntur, quam quae leguntur. Accedit, quod illi qui viua voce docent, adplicationem ſpecialius, ad auditorum ſtatum & conditionem inſtituere, praeiudicia, quibus laborant, remouere, & ita fortius conſtringere animos, & per verbum veritatis in viam reducere queant. Hinc apoſtoli eorumque ſucceſſores, & antiqui eccleſiae doctores, nullam occaſionem viua voce docendi, verbumque praedicandi praetermiſerunt. Quodſi etiam contingat, verbum diuinum non ea fidelitate ac prudentia proponi, qua decebat, aut aliena admiſceri, non tamen ideo omnis reſpuenda eſt auditio, cum inter minus recte & prudenter dicta, adeſſe adhuc quaedam poſſint, quae nos erudiant, animumque afficiant.

* Quantum in litterarum ſtudiis viuae vocis inſtitutio commodi adferat, & quam male ſibi conſulant *αυτοδίδακτοι*, pluribus a me expoſitum, in *diſſertat. de cultura ingenii cap.* 3. §. 4. *in ſelectis iuris nat. & gent. p.* 406. Quae quidem eiusmodi ſunt, vt in verbi diuini tractatione, quae omnibus hominibus incumbit, locum inueniant. Multum ſibi nocent, qui auditionem reſpuunt, vbi copia eius illis fieri poteſt, ex ſola lectione ſe proficere poſſe ſatis, exiſtimantes. Rationes, quas obtendunt, qui concionibus ſacris intereſſe nolunt, tam leues ſunt, vt, quia eas proferunt, ingenii ſaltem ſtupiditatem, aut mentem profanam prodant. Sed non vtile modo eſt ac ſalutare, cum lectione coniungere auditionem, ſed noſtri quoque officii, diuina id diſerte a nobis exigente lege, vt conuentibus ſacris, quando licet, interſimus, vt in parte ſequenti copioſius & ex inſtituto demonſtrabimus.

§. XIII.

Lectio ſcripturae ita inſtituenda, vt per ſcopi, connexionisque conſiderationem, ſenſum eius verum & genuinum, pro viribus a Deo conceſſis, inueſtigemus, tum ea eruamus, quae ad fidem & vitam per-

pertinent, iis immoremur, & denique adplicatione inſtituta, ſtatum noſtrum accurate exploremus. Iuuatque omnino certum hic obſeruare ordinem, modo non nimis hoc ſcrupuloſe fiat. * Nec enim refert, quantum quis legerit, aut quoties ſcripturam ſacram perlegerit (vnde vanae & inanis gloriolae argumentum quandoque nonnulli capiunt) ſed quam bene, quo animo, quaue vtilitate. Cumprimis adfectuum, ſtatusque animi, in quo quisque verſatur, habenda eſt ratio, vt ea legantur, quae huic maxime ſunt accommodata.

* Loquimur de ea ſcripturae lectione, quae non ab eruditis, ſed ab hominibus chriſtianis, requiritur. Eruditis ea, quae per media hermeneutica verum & genuinum ſenſum, etiam in locis difficilioribus eruit, propria eſt. At quorumuis etiam chriſtianorum eſt, pro viribus a Deo conceſſis ſcrutari ſcripturam, quae in iis, quae ad fidem & mores pertinent, ita eſt plana & perſpicua, vt quilibet, quantumuis eruditionis expers, hauriri ex ea queat, quae excitandae, alendae, fouendae fidei, moribusque formandis inſeruiant. Idque haud difficulter fieri poteſt, ſi modo ea, quae hic ſuppeditamus, probe obſeruentur.

§. XIV.

Hinc & quid de *tempore*, tractationi verbi diuini deſtinando, ſentiendum ſit, patet. Recte quidem agunt, qui quotidie certum tempus lectioni ſcripturae ſacrae conſecrant: * imprudenter tamen ageret, quia ita illi ſe adſtringeret, vt vltra iſtius temporis ſpatium lectionem producere nollet, ſi aut animi ardor, aut partium ſcripturae, in quibus verſatur, connexio, aliud quid iuberet, aut non ad animi potius ſui ſtatum, alio tempore medicinam iſtam ſpiritualem poſtulantem, quam ad tempus ſemel praeſcriptum, attendere vellet.

* Et hinc etiam patet, quid de *calendariis*, quae vocant, *biblicis*, ſit ſentiendum. Viſum namque nonnullis, vniuerſam ſcripturam ſacram per certa penſa, quotidie abſoluenda, ita partiri, vt per anni ſpatium lectio eius ad finem perducatur, quorundam autem librorum, e. g. Pſalmorum, ſemel, aut ſaepius repetatur. Cuius quidem conſuetudinis exemplum iam in veteri eccleſia ſibi nonnulli inueniſſe viſi ſunt, idque ex iure canonico *diſtinct.* 15. *can. S. Romana* &c. colligunt. Immo iam apoſtolorum tempore omnes ſacros libros intra anni circulum fuiſſe praelectos, nonnulli, ſed lubrico admodum fundamento innixi, contendunt. Commendat idem inſtitutum ANDREAS HYPERIVS, in libro de *ſacrae ſcripturae lectione quotidiana*: eoque calendaria biblica varia, editionibus quibusdam bibliorum Germanicis praefigi ſolita, comparata ſunt. Nec iſtud ego vituperauero, ſed omni laude dignum cenſeo, modo abuſus abſit & ſuperſtitio. Qua de re etiam atque etiam monendi ſunt ſcripturae ſacrae lectores. Primo namque contingere poteſt, vt nonnulli omnem chriſtianiſmi praxin in eo conſtituant, ſi penſum, quod in ſcriptura quotidie legendum eſt, abſoluerint. Exempla hoc docent: homines ebrietati, aliisque vitiis deditos, magnam inde pietatis captaſſe laudem, quod quotannis ſcripturae ſacrae lectionem abſoluant. Deinde, id quoque euenire poteſt, vt quis in ſcripturae lectione non tam de aedificatione, quam de penſo abſoluendo, ſollicitus ſit. Quo ipſo omni lectionis fructu priuabitur. Accedit, quod illa ſcripturae portio, quae iuxta praeſcriptum legenda eſt, non ſemper ſtatui animi ſit accommodata: cum fructus maior ſperandus ſit, ſi legantur interdum, quae animi ſtatui ſunt conuenientia. Et ne tegeras, in hominum, qui

litteras

teras ignorant, in quorum praecipue gratiam calendaria eiusmodi concinnantur, viribus non eſſe poſitum, talia ſeligere, obſeruari velim, aeque facile eſſe deſignare loca quaedam & capita, quae diuerſis ſtatibus & tentationibus hominum conueniunt, ac calendaria ſcribere biblica. Denique diſpiciendum, ne attentio impediatur, ſi temporis forte anguſtia non permittat penſum abſoluere, & nobis tamen perſuadeamus, id neceſſario abſoluendum eſſe: vnde non poteſt non contingere, vt verba legantur citiſſime, ſed ſine ſenſu. Haec ſimiliaue ſi euitentur incommoda, cetera ſatis bene ſe habent.

§. XV.

Licet autem quotidie, verbi diuini tractatio inſtituenda ab illis ſit, qui in vitae ſanctitate rite proficere cupiunt, ſpeciatim tamen tum reliquis exercitationibus ſpiritualibus, tum huic quae circa verbum divinum verſatur, merito conſecratur dies dominica. * Hanc enim tum demum ex Numinis praeſcripto, & ea, vt par eſt, ratione, celebramus, ſi non tam de corporis, quam animi quiete ſimus ſolliciti, & hunc ab omni rerum huius ſeculi commercio abſtrahentes, verbi diuini legitima tractatione, beneficiorumque diuinorum recordatione reficiamus, & ad continuandum ſtrenue, quem ingreſſi ſumus, curſum, excitemus. Hinc & nonnulli, inter media promouendi ſtudium ſanctitatis referre ſolent, *praxin legitimam ſabbathi*.

* Praeter alios, ἐμφατικῶς hoc monuit B. IO. ARNDIVS, in *informatorio biblico*, cuius pauca, ſed lectu digna, hac de re ſunt verba. Supponimus nunc, hominem inſuper iure diuino ad ſabbathi, vel potius diei dominicae, ſanctificationem eſſe obligatum: eiusque ſanctificationis partem praecipuam eſſe verbi diuini auditionem, lectionem & meditationem. Qua de re in *iurisprudentia diuina* ex inſtituto.

§. XVI.

Praeter ſcripturam ſacram ad ſtudium ſanctitatis aliquid etiam *aliorum librorum aſceticorum*, & in quibus aut fidei dogmata explicantur, aut vitae chriſtianae praecepta inculcantur, confert lectio. * Sed magna & diligenti hic opus eſt circumſpectione, ne plus damni, quam emolumenti, eiusmodi lectio adferat. Legendi itaque ſunt eiusmodi ſaltem ſcriptores, qui veritatem pure & integre, ſine admixtis erroribus, proponunt. Venenum abeſſe debet, vbi medicina quaeritur. Legendi ſunt, qui ſine pompa, aut ingenii & eruditionis oſtentatione, diuina tractant, chriſtianae ſimplicitati vbique ſtudentes. Qui enim de rebus diuinis ita ſcribunt, praeſertim ſi in aſcetico genere verſentur, vt ſui potius nominis, quam Dei, gloriam quaerere videantur, tantum abeſt, vt profectus in vita chriſtiana promoueant, vt eos impediant potius. Diſpiciendum denique ſedulo, ne eiusmodi librorum lectio, praeferatur lectioni ſcripturae ſacrae, vel illa ita nos patiamur capi, vt hanc poſtponamus. Perinde enim hoc eſſet, ac ſi quis ex riuulis libentius bibere vellet, quam ex ipſis fontibus.

* Praecipuos, qui huic inſtituto accommodati ſunt, indicauimus ſupra in *prolegom.* §. 25. Optandum vero eſſet, ne nimia eiusmodi ſcriptorum copia orbis obrueretur. Inde enim contingit, vt ſuppreſſis melioribus, leuioris notae ſcripta vbique regnent, & per omnium manus volitent. Praecipue vero veterum ſcripta fere ignorantur, cum nimia recentiorum copia locum illis non concedat. Non errauerit, qui B. LVTHERI noſtri, & IO. ARNDII, prae reliquis diligentius legerit.

§. XVII.

Ad lectionem, aut etiam auditionem, verbi, accedere debet *meditatio.** Quae adeo hoc nomine inter media ſtudium ſanctitatis promouendi, recte refertur. Quae enim ex lectione aut auditione verbi percepimus, ſedulo mente pertractanda, & ponderanda ſunt, vt ad fidei & vitae vſum transferantur. Sed ſeorſim quoque ita inſtitui meditatio poteſt, vt, quae de Deo, eiusque eſſentia, voluntate, operibus, nobis innotuerunt, reputemus nobiſcum. Speciatim opera diuina, tum in regno gratiae, tum in regno naturae, quae quotidie ſe nobis magno numero offerunt, promptiſſimam meditandi occaſionem nobis ſuppeditant. Hinc enim mox prouidentiam, mox ſapientiam, mox iuſtitiam, mox benignitatem Numinis admirandi, ampliſſimus nobis aperitur campus. Sed principem inter obiecta meditationis locum, merito tenet paſſio atque mors Ieſu Chriſti. Haec nunquam non, animo noſtro obuerſari debet, ad alendam fouendamque pietatem & ſtudium ſanctitatis excitandum, vel maxime comparata. Vt vero rite meditatio procedat, iuuat mentem ab eiusmodi obiectis, quantum fieri poteſt, auertere, quae diſtrahere aliorſum cogitationes poterant, & reliqua etiam meditationis impedimenta remouere.

* Quantum ceteroquin in humana eruditione acquirenda valeat *meditatio*, aliunde conſtat. Notumque eſt illud PERIANDRI: *μελέτη τὸ πᾶν.* Quod pluribus explicat EDMVNDVS RICHERIVS, in *obſtetrice animor. cap.* 9. *pag.* 248. Addenda, quae diximus, in diſſertat. de *cultura ingenii, cap.* 3. §. 10. In ſacrarum rerum cognitione ſalutari, qui rite proficere cupit, illi itidem neceſſaria eſt meditatio. Haec ſi non accedat, auditio pariter ac lectio parum iuuabunt. Meditatio efficit, vt in ſuccum & ſanguinem conuertantur lecta & audita, & ita ad vſum tandem transferantur. Exemplum nobis praebet beatiſſima virgo Maria, de qua Lucas: *ἡ δὲ Μαριὰμ πάντα συνετήρει τὰ ῥήματα ταῦτα, συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς, cap.* 1, 19. Vbi voce *συμβάλλειν* tam eleganter exprimitur actus meditandi, vt elegantius exprimi nequeat. Ad meditationem quodammodo ſpectant, quae myſtici quidam ſcriptores de *contemplatione* tradunt. Sed talia paſſim admiſcent, quae, accuratiori examini ſubiecta, admitti nequeunt, & captum praeterea ac conditionem hominum in hac vita excedere videntur. Certe qui de contemplatione ita loquuntur, vt in ea finem velut vitae chriſtianae conſtituant, non ſatis mea opinione perpendunt, quid ſcribant ſtatuantue. Verum eſt, quod ſtatus beatorum poſt hanc vitam per *intuitionem* deſcribatur 1 *Ioan.* III, 2 alibique: ſed id quoque notum eſt, ſcripturam ſacram frequenter ea, quae ad vtramque animae facultatem, intellectum & voluntatem pertinent, vocibus vnius actum ſignificantibus, exprimere. Conſtat praeterea, intelligendi ſeu cognoſcendi actus eſſe propter actus voluntatis. A ſtatu etiam vitae futurae minus recte argumentum ducitur ad ſtatum huius vitae, Intuitio illa beatorum longe alterius generis eſt, quam

cognitio

cognitio & meditatio viatorum. Interim iſti haec confundere videntur. Nobis itaque meditatio non pro fine habetur, ſed inter media refertur proficiendi in vita ſancta, idque pro vitae huius conditione, ideoque obiecta eius, finem, & adiumenta paucis indicauimus. Quo pacto, quae myſtici de contemplatione tradunt, in ſano ſenſu de meditatione accipi queant, oſtendit BALTHASAR KÖPKENIVS, in *theologia myſtica*, ſeu *aſcetica* Germanice edita, *cap.* 2. §. 4. *p.* 92. *ſeqq.*

§. XVIII.

Ad media promouendi ſtudium ſanctitatis porro referimus, *vſum* legitimum, atque *praxin ſacramentorum.* Et ad *baptiſmum* quidem quod attinet, ad vitae ſanctitatem plurimum confert, ſi federis baptiſmalis memores ſimus, & an etiam diligenter & exacte eius obſeruemus conditiones? exploremus. *1 Petr. III, 21.* * Quod etſi quouis tempore fieri queat, & debeat, cumprimis tamen hoc noſtri eſt officii, cum actui baptiſmali nos intereſſe oportet, vel temporis ratio, aut alia quaedam hoc a nobis exigit cauſſa.

* Quo ſenſu baptiſmus hic dicatur συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν? inter viros doctos varie diſputatur. Sunt, qui ἐπερώτημα *ſtipulationem* vertunt, notantque, apud antiquos iuris interpretes verbi ἐπερωτᾶσθαι hanc eſſe notionem, vt ſignificet, *promitto*, *ſpondeo.* Quorſum & B. LVTHERI verſio Germanica collinear nec a re ipſa hoc eſt alienum, cum reuera in baptiſmo ſit ſtipulatio quaedam, quia per eum de gratia diuina certi reddimur, & in eo ſpiritum ſanctum ceu pignus diuinae gratiae accipimus: quemadmodum vice verſa bonae conſcientiae ſtudium polliceatur neceſſe eſt, qui hac ratione in fedus cum Deo recipitur. Nulla tamen nos cogit neceſſitas, vt a recepta & vſitata vocum ἐπερωτάω & ἐπερώτημα ſignificatione diſcedamus, quae eſt. *interrogo*, *interrogatio.* conf. *Matth.* XII, 10. *Luc.* XVII, 20. *Ioann.* XVIII, 20. Et verba Petri hanc ſignificationem omnino admittunt, quorum plenus & integer ſenſus hic erit: baptiſmus non eſt externa ſordium corporis ablutio, ſeu interior ablutio ſordium animi, vnde oriatur conſcientiae bonae ἐπερώτημα, vt & interrogari conſcientiam noſtram a Deo ſuſtineamus, vtpote mundatam & ob gratiae diuinae certitudinem tranquillam, atque ſecuram, & reſpondere Deo prompte poſſimus, *corda adſperſi a mala conſcientia & abluti a peccatis aqua baptiſmi*, *Ebr.* X, 22. atque *mundati ſanguine Chriſti ab operibus mortuis*, *Ebr.* IX, 14. id eſt, a peccatis puram & pacatam conſcientiam habemus. conf. ABRAHAMVS CALOVIVS ad *h. l.* Significatio vocis ἐπερώτημα, qua *interrogationem* denotat, pluribus confirmatur in libro, multiplici eruditione referto, cui titulus: *Veſperae Groeninganae*, qui Amſtelodami MDCXCVIII. prodiit, *colloq.* 3. *p.* 35. *ſeqq.* ſed tamen, vt ſenſus alius verborum Petri inde eruatur. Cum enim auctor, qui hanc ibi ſententiam profert, receptam hanc eſſe vocis ἐπερωτάω ſignificationem probaſſet, qua interrogare ſignificat, & inter alia erudite monuiſſet, HESYCHIVM ἐρωτησώμεθα explicare per πυθόμεθα, quae vox vſurpari ſoleat, cum agitur de conſulendo oraculo, cum etiam ſententiam eorum, qui vocem iſtam h. l. per *ſponſionem*, vel *ſtipulationem*, vertunt, reieciſſet, ſuam ita explicat mentem: *vnde colligo*, inquit, ἐπερώτημα συνειδήσεως ἀγαθῆς *eſſe proprie interrogationem bonae conſcientiae, qua Deus conſulitur, & ab eo rationem dirigendae vitae noſtrae poſtulamus. Hoc ſenſu accepit hanc vocem Dorotheus*, *in* διδασκαλ. οὐδέποτε συνεχώρουν λογισμῷ πείθεσθαι ἐμαυτῷ ἄνευ ἐπερωτήσεως, *meis ipſius ratiociniis nunquam ſum obſecutus*, *quin alium aliquem conſuluerim.* Et ibid. σπουδάσατε ἐπερωτᾷν ἀδελφοί, καὶ μὴ στοιχεῖν ἑαυτοῖς, *nolite aliis inconſultis, veſtra ipſorum placita ſequi; ſtudioſi eſtote alios conſulere, nec eam ſtatim inire viam, quae vobis arriſit. Cum fidelis poenitens ad Deum accedit, tanquam ad oraculum, illum conſulturus,*

turus, & ab illo docendus, qua ratione vitam ſuam inſtituat, dicendo cum Paulo, quid vis a me fieri? vel cum adoleſcente euangelico, de quo Matth. XIX, 16. *quid a me fieri oportet, vt ſalutem conſequar? cum certo obſequendi propoſito, & voluntatem ſuam Dei voluntati ſubiiciendi, firmum hoc propoſitum ſincerae, vniuerſalis, intemeratae, & nunquam violandae obedientiae cum animo recti conſcio, illud eſt, quod Petrus opponit βαπτίσματι σαρκὸς & ῥύπου ἀπόθεσιν in illa corporis ablutione, quae eſt mera ceremonia qua ſignificatur ea animi diſpoſitio & ſubmiſſio conſcientiae Deo nos docturo, & praecepturo, quid a nobis exigat, vt ſalutis compotes euadamus, ſine qua baptismus eſſet ceremonia inanis & omni fructu vacua &c.* In quibus viri docti verbis id quidem reprehenſione dignum, quod baptismum externum pro *mera ceremonia* habere videatur, cum aliunde conſtet, eum ſimul eſſe medium efficax producendi fidem in infantibus, & eandem confirmandi ac augendi in adultis. Quod ad rem ipſam attinet, prior equidem praeferenda nobis videtur ſententia, ſed poſteriorem tamen cum ea quodammodo coniungi poſſe, exiſtimo. Si enim hominis regeniti hic eſt character, vt conſcientiam ſuam interrogari ſuſtineat a Deo, eum ſanguine Chriſti eam mundatam & purgatam a peccatorum ſordibus ſciat; eiusdem profecto etiam eſt, dare operam, ne peccatorum ſordibus eam iterum contaminet, ſed potius, vt Deum ceu oraculum conſulat & interroget, quid porro a ſe fieri velit, vt in fide perſeueret & in vitae ſanctitate proficiat, ſeu vt cognoſcat, τί τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον, *Rom.* XII, 2. Et haec eſt praeſtantiſſima *baptiſmi praxis*, ſi in iſta interrogatione & inquiſitione voluntatis diuinae quotidie pergamus, cum firmiſſimo propoſito eidem in omnibus nos ſubiiciendi.

§. XIX.

Sacrae euchariſtiae, alia eſt ratio quam baptiſmi. Vt enim hic ſemel rite collatus non repetitur; ita illa ſaepius vti fas eſt, idque ad labaſcentes vires ſpirituales reſtituendas, augendasque.* Quin itaque inter media promouendi vitae ſanctitatem eaque efficaciſſima, locum obtineat haud vltimum, nemo de hocce ſacramento ſanam fouens ſententiam, dubitauerit. At proderit tum demum ſacra euchariſtia, ſi quis ea recte vtatur. Indignis enim ſacrae huius coenae conuiuis, grauiſſima potius inde imminere pericula, nouimus. conf. *1 Cor. XI, 27.*

* Vt enim cibus & potus naturalis ad conſeruandas & augendas vires corporis neceſſarius eſt, ita ad animi vires ſpirituales conſeruandas augendasque comparata eſt ſacra euchariſtia, in qua verum corpus verumque ſanguinem Chriſti accipimus. Hinc & eleganter a CHRYSOSTOMO vocatur τροφὴ πνευματική, *cibus ſpiritualis.* Πηροῦται, inquit, ἡμῶν ἡ ψυχὴ, ὅταν μὴ μετέχωμεν τῆς πνευματικῆς τροφῆς, *corrumpitur anima noſtra, ſi cibi ſpiritualis non reddamur participes. homil.* 3. *in epiſt. ad Epheſ.*

§. XX.

Si ergo quaeratur, quis ſacra coena vti debeat, ac poſſit? reſpondemus, omnes illos hoc rite facere poſſe & cum fructu, qui habent facultatem ſeipſos explorandi. *1 Cor. XI, 28.* Vti vero illi, qui rationis vſu deſtituuntur, ad δοκιμασίαν plane ſunt inidonei, ita recte ſpiritualis δοκιμασία, de qua Paulus loquitur, non niſi a regenitis inſtitui poteſt. Et hoſce demum ſalutariter & cum fructu, ſi ea qua decet, ratione accedant, euchariſtia ſacra vti poſſe, inde quoque palam eſt, quod ad confirmationem, augmentumque fidei, & vitae ſpiri-

ſpiritualis hocce ſacramentum ſpectet. * Qui autem fide & vita ſpirituali adhuc deſtituuntur, nec dum conuerſi aut regeniti ſunt, in iis fides & vita ſpiritualis nec confirmari nec augeri poteſt. In hoc itaque ſtatu qui ſe conſtitutos norunt, ſe conuertere prius ad Dominum debent, quam ad ſacram coenam accedant, niſi grauiſſima Dei iudicia, ſibi ipſis attrahere velint.

* Huc apud veteres ſolennis illa pertinebat formula: τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, qua in euchariſtiae celebratione, alii quidem accedere, alii autem recedere iubebantur. Qua de re multa habet CHRYSOSTOMVS, *homil. 17. in epiſt. ad Ebraeos. Clara*, inquit, *voce, terribili clamore, tanquam praeco aliquis, manum tollens in altum, in ſublimi ſtans, & omnibus conſpicuus, & in tremendo illo ſilentio vehementer vociferans, alios quidem vocat, alios arcet ſacerdos, non hoc manu faciens, ſed lingua clarius & apertius, quam manu.* Tum de ipſa, qua vtebatur formula: τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, ſubiicit: ὅταν εἴπῃ τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, τοῦτο λέγει, εἴ τις οὐκ ἔστιν ἅγιος, μὴ προσίτω: *quando dicit, ſancta ſanctis, hoc dicit, ſi quis non eſt ſanctus, non accedat.* Et hoc eſt, quod hic contendimus.

§. XXI.

Praeterea cum ſacra coena in commemorationem mortis Chriſti inſtituta ſit, *1 Cor. XI, 25. 26.* hoc eſt, vt mortis & paſſionis Chriſti recordatione, in fide & amore Dei & aliorum hominum fortiores ardentioresque reddamur, toties ad eam accedendum eſſe patet, quoties per imbecillitates, quibus circumſepti ſumus, & tentationes, quibuscum nobis confligendum, confortatione quadam nobis opus eſt. Certo itaque temporis ſpatio vſus ſacrae coenae circumſcribi nequit, vt definiatur, quando aut quoties ea vtendum. * Sed cuiuslibet arbitrio & iudicio ſpirituali hoc eſt relinquendum. Si quis autem, num in ſpiritualibus fortis an imbecillis ſit, num confortatione egeat, an non egeat? ignorat, documentum inde capere poteſt, ſe forte omnino fide & vita ſpirituali adhuc deſtitutum eſſe.

* Bene hoc explicat B. LVTHERVS in *catechiſmo maiori pag. 560.* Crebriorem enim ſacrae coenae vſum verbis grauisſimis commendans, haec poſt alia ſubiicit: *Dixeris autem fortaſſis: tamen haec quoque particula, quotiescunque feceritis, adiecta eſt: haec equidem cogit neminem, ſed relinquit ſacramenti vſum, in cuiusque arbitratu, liberum: reſpondeo: audio, ſed non dixit, vt perpetuo nunquam faciamus; quin potius haec ipſa verba dicens: quotiescunque feceritis, vna iniunxit, vt ſaepe ſacramenti communionem iteremus. Eſtque propterea adiectum, quod ſacramentum velit habere liberum, non certo tempori alligatum, velut erat Iudaeorum paſcha, quod ſingulis annis ſemel tantum, ac non niſi decimo ſeptimo die primi menſis, veſperi manducare, nec vllum diem tranſilire cogebantur. Quaſi velit dicere: ego vobis feſtiuitatem paſchalem ſeu coenam adorno & conſtituo, quam non tantum ad huius diei veſperam quotannis celebrabitis, ſed ea ſaepe fruemini, quando & quotiescunque libitum fuerit, prout cuique integrum erit & neceſſarium, nulli loco aut tempori alligatum, &c.*

§. XXII.

Praeparatio ad ſalutarem ſacrae euchariſtiae vſum, conſiſtit in δοκιμασίᾳ iſta antea nobis commemorata, qua homo regenitus ſeipſum accurate explorat, vt quibus adhuc obnoxius ſit defectibus, intelligat.

 *Nec.

* Nec iſtos defectus infirmitatesque cognouiſſe, ſatis eſt: ſed in cauſſas quoque earundem eſt inquirendum, vt iis perſpectis, tanto felicius in iis emendandis elaboremus. Coniuncta vero iſta exploratio eſſe debet cum ſeria omnium iſtorum defectuum deteſtatione, itemque cum fiducia in Chriſtum de remiſſione illorum per eius meritum impetranda, & propoſito ſerio, eos, quantum in nobis eſt, emendandi corrigendique, item cum ardenti deſiderio per euchariſtiae vſum vires ad hoc neceſſarias, impetrandi. Vtque rite procedat iſta exploratio, iungendas eſſe preces, animumque ab iis omnibus, quae illum turbare poterant, auertendum eſſe, nemo non intelligit.

* Diſerte hoc docet Paulus: δοκιμαζέτω δὲ ἄνθρωπος ἑαυτὸν, καὶ οὕτως ἐκ τοῦ ἄρτου ἐσθιέτω, καὶ ἐκ τοῦ ποτηρίου πινέτω: 1 *Corinth.* XI, 28. Conſtat autem, quod δοκιμάζειν idem ſit, ac *explorare, iudicare, num aliquid recte ſe habeat?* Sic *Rom.* II. 18. dicitur: δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, quod THEOPHYLACTVS explicat: κρίνεις, τί δεῖ πρᾶξαι, καὶ τί μὴ δεῖ πρᾶξαι, *iudicas, quid faciendum, & quid non faciendum ſit.* Pari ratione & THEODORETVS ad *h. l.* καὶ δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, ἀντὶ τοῦ ἐναντία ἀλλήλοις, δικαιοσύνην καὶ ἀδικίαν, σωφροσύνην καὶ ἀκολασίαν, εὐσέβειαν καὶ ἀσέβειαν; *& probas vtiliora, id eſt, iudicas de iis, quae ſunt contraria, exploras iuſtitiam, & iniuſtitiam, temperantiam & intemperantiam, pietatem & impietatem.* Hinc & HESYCHIVS, δοκιμάσας, explicat per κρίνας, ἐξετάσας, qui *iudicauit, explorauit.* Immo ipſe ita hanc vocem explicat Paulus apoſtolus, *verſ.* 31. εἰ γὰρ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα. Quod antea dixerat δοκιμάζειν, hic vocat διακρίνειν. Qui enim hic διακρίνειν per *pa ire* interpretantur, quid dicant, ſentiantue, parum penſi habere videntur, multo minus memores eſſe eorum, quae antea dixerat apoſtolus. Accuratam itaque & exquiſitam ſui explorationem requirit. Quo ſenſu & *Gal.* VI, 4. dixit: τὸ ἔργον ἑαυτοῦ δοκιμαζέτω ἕκαστος. Quod THEOPHYLACTVS explicat: ἐξεταζέτω μετὰ ἀκριβείας τὰς ἑαυτοῦ πράξεις *examinet accurate actiones ſuas.* Hinc & δοκιμὴ *notitia experimentalis, Rom.* V, 4. conf. & *Iac.* 1, 3. 1 *Petr.* 1, 7.

§. XXIII.

In Ipſo vſu ſalutari fides vtramque facit paginam, * qua certi ſumus, nos verum corpus verumque ſanguinem Chriſti accipere, idque ad commemorationem mortis eius. Quam enim vere & certo ipſum corpus, ipſumque ſanguinem Chriſti ore noſtro accipimus, manducamus, & bibimus, tam verum certumque eſt, pro nobis Chriſtum cruci affixum, mortuumque, & ſanguinem ſuum effudiſſe, ut pro noſtris ſatisfaceret peccatis. iramque Dei placaret, & a poteſtate ſatanae mortisque metu nos liberaret. Quo ipſo fides noſtra mirifice confirmatur, animusque accenditur, vt pro tanto beneficio ſe gratum demonſtrare velit, idque accurata mandatorum Dei obſeruatione, ardenti amore Dei & aliorum hominum, & diligenti euitatione eorum omnium, quae Chriſtum ſeruatorem noſtrum offendere poterant.

* Ἐμφατικῶς, more ſuo, hoc ediſſerit B. LVTHERVS noſter, in *catechiſmo maiori, p.* 518. *Neque enim,* inquit, *ſaxis aut truncis dicta aut annuntiata ſunt, ſed audientibus, ad quos ita inquit: accipite, & manducate &c. Et quia peccatorum condonationem offert, benigneque ſollicetur,*

polliceturr, non poſſunt haec aliter atque per fidem percipi. Eam fidem ipſe iis verbis exigit, inquiens, pro vobis traditur, pro vobis effunditur &c. Et nonnullis interiectis: *Theſaurus equidem apertus eſt, atque omnibus obuius & expoſitus, atque adeo ad fores vsque adductus, immo potius menſae ad veſcendum impoſitus; at requiritur porro, vt hunc tibi peculiariter vindices, huic manum extenſam admoueas, conſtanter credens, quemadmodum ipſa verba te docent.*

§. XXIV.

Et hinc ſimul, quis fructus & effectus ſacrae coenae ſit, itemque quid poſt ſacrae coenae vſum, noſtri ſit officii, intelligitur. Fructus eſt, fidei & virium ſpiritualium corroboratio, qua ad pugnam contra hoſtes ſpirituales, ſpeciatim carnem & ſanguinem alacriores, fortioresque, & in omni officiorum genere ardentiores facti, in coepto ſemel ſanctitatis curſu ſtrenue pergimus. * Vnde maximum, quod in ſacra coena nobis exhibetur, Numinis beneficium grato agnoſcere animo, propoſitique vitam emendandi corrigendique, memores & tenaces eſſe, noſtrarum vtique eſt partium: Fructus vero iſti & effectus ſacrae coenae, ſigna ſunt, & documenta, dignos nos fuiſſe eius conuiuas: qua de re vt certi ſimus, magnopere noſtra refert: ſed obſeruanda tamen, quae de ſignis incrementi vitae ſpiritualis ceteroquin tradi ſolent, & in applicatione caute procedendum, vt & eorum, qui in tentatione quadam conſtituti ſunt, habeatur ratio, & quae naturae ſunt, ab iis, quae ſunt gratiae, diligenter diſcernantur: cum vti in aliis, ita in iis, quae ad legitimum ſacrae euchariſtiae vſum pertinent, naturae gratiam imitantis fallacia, longe ſit frequentiſſima.

* Eleganter CHRYSOSTOMVS ſacram coenam vocat: τὰ τῆς ψυχῆς ἡμῶν νεῦρα, τῆς διανοίας σύνδεσμον, τῆς παῤῥησίας ὑπόθεσιν, ἐλπίδα, σωτηρίαν, φῶς, ζωὴν *animae noſtrae neruos, mentis vinculum, libertatis fiducialis cauſſam, ſpem, ſalutem, vitam, in prior. ad Corinthios homil. 24.*

§. XXV.

Quae hactenus commemorauimus media promouendi ſtudium ſanctitatis, ita comparata ſunt, vt in omnibus concurrat *oratio:* quae adeo, tum hoc nomine, tum quod per ſe ad ſanctificationem plurimum conferat, & ad gratiam Numinis impetrandam neceſſaria ſit, inter media ſanctificationis omnino referenda, nec vltimum inter ea locum tenet. Eſt autem oratio, eleuatio ſeu applicatio mentis ad Deum, ad impetranda, quae nobis neceſſaria ſunt, ſecundum voluntatem eius, per Ieſum Chriſtum.

§. XXVI.

Dum in *mentis eleuatione* orationem conſiſtere dixi, hoc nomine tum intellectum, tum voluntatem, intelligo. Vtramque enim facultatem ad Deum eleuari oportet. Voluntatem quidem, vt ſerio concupiſca-

cupiſcamus ea, quae a Deo petimus. Ceteroquin illuſoria prorſus eſſet oratio. Quod tamen ſaepius contingit, dum verbis externis bona ſpiritualia a Deo ſe petere homines profitentur, nominis v. g. diuini ſanctificationem, regni diuini aduentum, & alia, quae reuera non expetunt, & ea ſe non expetere deprehenſuri eſſent, ſi ſe ipſos ſerio explorare vellent. Hinc & patet, ſi miſeriam ſuam homo ſentiat, & bonorum, quae a Deo petit, indigentiam, tum demum voluntatem prompte ad Deum eleuari. Eleuari autem voluntas nequit, vt non eleuetur ſimul intellectus, qui cogitationes omnes ad Deum dirigit, quibus miſeriam noſtram coram Deo explicamus & bona, quae neceſſaria nobis ſunt, expetimus. Et hoc eſt, quod Chriſtus dicit, adorandum Deum eſſe *in ſpiritu & veritate, Ioan. IV, 23. 24.*

* Non vna equidem interpretum de horum verborum, *in ſpiritu & veritate*, ſignificatione, eſt ſententia. Sunt enim, qui verba haec per ἓν διὰ δυοῖν explicant, *in ſpiritu veritatis.* Spiritum namque & veritatem pro vno eodemque habent; prouocantes ad *Rom.* I, 9. II, 29. 2 *Corinth* III, 8. Alii *ſpiritum* volunt opponi carni, ſeu ritibus carnalibus, *veritatem* figuris & vmbris, ac hypocriſi externarum actionum. Alii aliter. Mihi illorum maxime placet ſententia, qui obſeruant, quod adorare in ſpiritu & veritate, duo ſignificare poſſit, alterum, quod commune eſt omnibus temporibus, alterum, quod vni alicui tempori eſt proprium. Omnibus commune eſt temporibus, Deum adorare ſpiritu, hoc eſt, mente, non externis ſolum corporis geſtibus, aut verbis ſine ſenſu animique attentione prolatis, ac veritate, id eſt, ſincere & ſine fuco; ſic vt *ſpiritus* opponatur geſtibus corporis, verbis ſine ſenſu & attentione prolatis, *veritas* autem fuco & hypocriſi; quemadmodum & alias vox ἀληθεία ſumitur conf. *Ephes.* IV, 21. Qua quidem ratione Deum adorandum eſſe, nec Iudaeis nec gentilibus prorſus ignotum fuit, multo autem magis chriſtianis ex luculenta euangelii promulgatione conſtare debet. Videtur tamen aliquid in verbis ſeruatoris contineri, quod tempori noui teſtamenti eſt proprium. Et tum Deum adorare in ſpiritu & veritate, eſt eum colere ſine apparatu elementorum mundi, & praecepti carnalis, ſine figuris & vmbris, ſine reſpectu ad certum aliquem locum, certosque ritus. Qua quidem ratione *ſpiritus* opponitur *litterae & praecepto carnali; veritas, vmbris.* Poſterior autem hicce ſenſus priorem adeo non excludit, vt includat potius & ſupponat: cum & in nouo teſtamento preces, quae fiunt ſine *ſpiritu*, hoc eſt ſine mente & verborum ſenſu, & ſine *veritate*, hoc eſt per fucum & hyprocryſin, Deo neutiquam gratae ſint. conf. HERMANNVS WITSIVS, *exercitat.* I. *in orat. domin.* §. 39.

§. XXVII.

Mentis praeterea iſta eleuatio, in qua orationem conſtituimus, neutiquam excludit ſermonem oris. Etſi enim hic non ſemper ſit neceſſarius, temporisque & loci, & aliarum circumſtantiarum ratio eum non ſemper permittat, Deo etiam cordium ſcrutatori omniſcio, cogitationes omnes animique motus innoteſcant, etſi verbis non exprimantur, fieri tamen vix poteſt, quin cor ſpiritualibus motibus plenum, in verba prorumpat. *Ex abundantia* enim *cordis, loquitur os. Matth. XII. 34.* conf. *1 Sam. I, 13.* Praeterea ad excitandam fouendamque deuotionem

nem plurimum confert, ſi mentis conceptus verbis proferamus. * Vnde & ad torporem & ignauiam animi excutiendam, non tantum expedit, ſed & neceſſarium quandoque eſt, ex parte hominis, vt hac ratione preces ad Deum fundantur.

* Id iam recte, vt multa alia, AVGVSTINVS obſeruauit, dum, *neſcio*, inquit, *cum hi motus corporis fieri, niſi motu animi praecedente, non poſſint, iisdem rurſus exterius viſibiliter factis, ille interior inuiſibilis, qui eos fecit, augetur. lib. de cur. pro mort. cap.* 5. Accedunt exempla ſanctorum hominum, qui clara voce preces ad Deum fuderunt. Hinc & in ſcriptura ſacra *clamare* aliquando eſt Deum ardentiſſimo animi adfectu inuocare. vid. *Exod.* VIII, 12. XIV, 10. 15. *Matth.* XXVII, 46. 50. & *clamor* ponitur pro oratione ſeu precatione vehementiſſima, *Exod.* II, 23. *Pſalm.* XVII, 1. XVIII, 7. Immo inde ratio petenda, cur ardentiſſimi gemitus, & ſuſpiria cordis, ſine vocis externae emiſſione, apud veteres, *clamoris cordis* nomine veniant. Ceterum quod Deus clamore externo & clara voce non egeat, vt preces ſuorum exaudire queat, eleganter docet CLEMENS ALEXANDRINVS *lib. 7. Stromat. pag. 724. loquaces*, inquit, *linguas Deus non expectat, vt ab hominibus interpretes*, ἀλλὰ ἀπαξαπλῶς ἁπάντων γνωρίζει τὰς νοήσεις, *ſed cognoſcit omnium omnino mentes, &c.*

§. XXVIII.

Licet autem oratio ab omnibus hominibus, immo creaturis ratione praeditis, requiratur, non tamen omnes ad orationem ſunt idonei, ſed illi tantum, qui in ſpiritu & veritate mentem eleuare poſſunt. Quod quidem tantum regenitorum eſt proprium. Etſi enim irregeniti & hypocritae etiam ſibi orare videantur, immo multi & prolixi ſint in precibus, verba tamen faciunt, aut ſine ſenſu, & ſpiritu, aut ſine veritate, vt ea petant, quae petere nefas eſt, aut ſi petant, quae petere fas eſt, idque eo, quo decet ordine, ipſi tamen ſerio eo non cupiant, quae petunt. Hinc & Deus peccatores non audit, *Ioan. IX, 31.* * Super regenitos autem effundit *ſpiritum gratiae & precum, Zach. XII, 10.* illi acceperunt *ſpiritum, per quem clamant: Abba pater! Rom. VIII, 15. Gal. IV, 6.*

* Eſt haec equidem vox coeci iſtius a natiuitate, cui Chriſtus ſeruator viſum reſtituit: οἴδαμεν δὲ ὅτι ἁμαρτωλῶν ὁ Θεὸς οὐκ ἀκούει· ἀλλ' ἐάν τις θεοσεβὴς ᾖ, καὶ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιῇ, τούτου ἀκούει. Nihil tamen dixit, quod a rei veritate alienum ſit, aut non aliis quoque ſcripturae ſacrae dictis confirmari queat, modo id, quod dixit, recte intelligatur. Veriſſimum id eſt: ſi primo id, de quo ibi ſermo eſt, conſideremus, de facultate ſcilicet edendi miracula. Hanc ſi impii a Deo expetant, non eſt, quod ſibi polliceantur exauditionem. Id recte admodum HVGO GROTIVS obſeruauit, dum verba haecce ita explicat: *eſt & hoc prouerbiale, vt videre eſt Pſalm.* XXXIV, 16. *& alibi. Sed & hoc aptandum eſt ad praeſentem materiam, vt intelligatur Deus libenter concedere poteſtatem ſignorum his, qui pio animo Dei mandata exequntur, & ad hoc ſignis opus habent.* Quod non ita capiendum, ac ſi promiſcue ſigna a Deo petere fas ſit: ſed quod legitima ſit hominis iſtius ratiocinatio, eum, qui precibus ſuis a Deo hoc impetrare poteſt, non eſſe hominem impium. Interim hoc aſſertum, licet huic caſui ſpeciatim accommodatum, inuoluit tamen ſententiam generalem, Deum peccatorum preces non exaudire. Quod itidem veriſſimum, modo recte intelligatur. Peccatorum ſcilicet nomine intelligi poſſunt, aut illi, qui in peccatis perſeuerant, nec vllam curam, vitam moresque mutandi, animum ſubire patiuntur: aut illi, qui ſaniora admittere conſilia parati ſunt, gratiaeque diuinae non amplius reluctantur. Illorum quod non exaudiat preces Deus, certiſſimum; at de his

ſecus ſentiendum, ſi modo cereroquin preces eo modo fundantur, quo fundi debent. conf. *Pſalm.* LXVI, 18. *Prouerb.* XV, 29. XXVIII, 9. *Eſ.* I, 15. Si vero Deus interdum facit, quae impii precantur, inde non inferendum, quod preces illorum exaudiat, ſed vel ideo hoc facir, quod ordinem ſaluris, quem praeſcripſit, obſeruet, vel quod ſingularis aut benignitaris aur iuſtitiae exemplum, concedendo quae ſuo ipſimet malo expetuut, ſtatuere erga eiusmodi homines velit.

§. XXIX.

Quod ad *ſolum Deum* oratio ſit dirigenda, per ſe patet, idque alibi ex inſtituto comprobabitur. * Nunc ſaltem obſeruamus, quod ipſa Dei, quem adoramus, maieſtas requirat, ne quid in oratione ea indignum admittamus. Ante omnia itaque requiritur, vt animus ad tantum negotium rite praeparetur, noſtrae imbecillitatis & diuinae maieſtatis meditatione, ad humilitatem nos excitando, *Kohel. V, 1.* eum a cogitationibus alienis & adfectibus importunis euacuando, *Eſ. XXVI, 20. Matth. VI, 6.* & ab omnibus obiectis, quae illum turbare poterant, auocando, & ab ipſo Deo ſpiritum precum petendo, *Luc. XI, 1. Rom. VIII, 16.* conf. & *Iob. XI, 13. 14. 15. Pſalm. LVII, 8.*

* Hac de re ex inſtituto, in *part. 2.* ſeu in *iuriſprudentia diuina*, dicetur.

§. XXX.

Animo ita rite praeparato & diſpoſito, in ipſa oratione cumprimis adſit *fides*, iuxta illud Iacobi: *poſtulet autem* (qui aliquid a Deo petit) *cum fiducia, nihil dubitans. Qui enim dubitat, ſimilis eſt fluctui maris, ventis acto & excito. Neque vero ſe putet is homo quidquam a domino impetraturum, cap. I, 7.* conf. & *1 Tim. II, 8.* Ea vero fides cum fundetur in merito Chriſti, intelligitur inde, cur dictum, quod omnis oratio fieri debeat per Chriſtum, vel in nomine Chriſti. Ideo enim de exauditione certi eſſe poſſumus, & cum fiducia absque dubitatione orare, quia Chriſtus nobis omnia bona coeleſtia promeruit. Qui ergo in Chriſtum credit, certus etiam eſſe poteſt, quod per Chriſtum omnia impetrare queat. vid. *Ioan. XVI, 23.* add. *Rom. VIII, 32.* Adſit etiam animus attentus & feruidus, *Apoc. III, 14. 15. 16.* idemque purus, & prauae conſcientiae immunis, hoc eſt, in quo nullum amplius ſit peccandi propoſitum, ſed qui peccata contra ſerio deteſtetur. *Ebr. X, 22. Iacob. IV, 2. 3.*

* Hoc ipſe nos ſeruaror docuit: *καὶ ὅτι ἂν αἰτήσητε ἐν τῷ ὀνόματί μου, τοῦτο ποιήσω, Ioan* XIV, 13. Quod & repetitur *cap.* XV, 16. XVI, 23. 24. Solebant equidem Ebraei, Abrahami, Iſaaci, Iacobi, in precibus ſuis facere menrionem: ſed ſi quis inde inferre vellet, eodem ſenſu intelligendum eſſe, cum in nomine Chriſti precari iubemur, is magnopere falleretur. Nec enim patriarchae iſti quidquam poſteris ſuis aut promeruerunt, aut promereri potuerunt, vt hoc ſenſu in illorum nomine preces ad Deum fundendae fuerint, aut fundi potuerint. Promiſſionis autem patriarchis iſtis factae merito in precibus ſuis recordabantur,

cum

cum ea ad Chriſtum ſpectaret, in quem dum fidem ſuam hac ratione profitebantur, in eius quoque nomine oraſſe merito cenſentur. In nomine namque Chriſti orare nihil aliud eſt, quam vera fide, quae merito Chriſti innititur, orare, quemadmodum in *nomine Chriſti* remiſſio peccatorum, & vita, communicatur & obtinetur, id eſt, per *meritum Chriſti*, *Luc.* XXIV, 47. *Ioan.* XX, 31. *Actor.* X, 43. Vnde liquet, quod haec precandi ratio in nomine Chriſti, hoc ſenſu omni tempore obtinuerit apud fideles: & quorumcunque exauditae a Deo preces ſunt, ideo exauditae ſunt, quod factae fuerint in nomine Chriſti, hoc eſt, vera fide in Chriſtum. De apoſtolis equidem ipſe ſeruator: *ἕως ἄρτι οὐκ ᾐτήσατε οὐδὲν ἐν τῷ ὀνόματί μου*, *Ioan.* XVI, 24. at inde non ſequitur, nec apoſtolos, nec fideles veteris teſtamenti in nomine Meſſiae quidquam petiiſſe, ſeu fidem in Meſſiam fundamenti veluc loco precibus ſuis non ſubſtrauiſſe: ſed hoc tantum, quod determinate in nomine Jeſu Nazareni non orauerint, aduentum veri Meſſiae hoc ipſo profeſſi. Hoc namque diſcrimen inter veteris & novi teſtamenti fideles intercedit: quod illi in nomine Meſſiae, cuius adhuc aduentum expectabant, petierint, hi vero in nomine Meſſiae, qui iam venit, hominumque peccata ſuo ſanguine expiauit. Ceterum patet ex dictis, verba Chriſti non id ſibi velle, quod ſemper expreſſe nominis eius fieri mentio debeat, cum de fide ſint intelligenda: interim & id quoque recte fit, modo fides ſimul adſit; ceteroquin nuda iſta verborum: *in nomine Ieſu Chriſti*, prolatio, parum aliquem iuuabit, ſecus ac multi hominum plebeiorum ſibi perſuadent.

§. XXXI.

Perſeuerandum quoque eſt in oratione. Orandum enim eſt *omni tempore*, *Epheſ. VI, 18. ſemper*, *Luc. XVIII, 1. indeſinenter*, *1 Theſſ. V, 17. nocte & die*, *1 Theſſ. III, 10.* exigente cumprimis neceſſitate. *Eſ. XXVI, 16. 17.* Nimirum, non id ſibi volunt iſta ſcripturae dicta, ac ſi negotiis omnibus ſepoſitis, tantum precibus vacandum ſit, cum ex aliis contrarium conſtet, conf. 1 *Theſſ. II, 9.* 2 *Theſſ. III, 8. 9.* ſed quod quandocunque licet, etiam inter labores, ſaltem per ſuſpiria mens ad Deum eleuanda ſit, ita tamen, vt certum etiam quotidie tempus orationi deſtinetur, quo ſepoſitis reliquis negotiis orationi tantum vacemus, & ita vires ſpirituales colligamus, praeſertim quando beneficiorum diuinorum recordatio ipſa huius nos officii admonet. Omnis tamen hic abeſſe debet ſuperſtitio, & non tam ad temporis rationem, quam ad animi ſtatum conditionemque eſt reſpiciendum. Vnde &, quid de *horis*, quas vocant, *canonicis* Pontificiorum * cenſendum ſit, patet.

* Haud contemnendam cultus diuini partem apud Romanenſes conſtituunt *horae*, quas vocant, *canonicae*; ita dictae, aut quod canonicum idem ſit ac eccleſiaſticum, aut, quod precea ſint canonicorum choro addictorum. Preces ſcilicet hic deſignantur, cum canticis & hymnis certis quotidie horis peragendae, quarum praeter nocturnas vigilias, ſeptem vulgo conſtituunt, matutinam ſcilicet ſeu laudes, primam, tertiam, ſextam, nonam, veſperas, & completorium. Quae, quid ſibi velint, nomina, & quae ſingularum horarum ſint myſteria, prolixe & cum variae eruditionis adparatu ediſſerit IO. BONA, cardinalis, *in tractatu de diuina pſalmodia, eiusque cauſſis, myſteriis & diſciplinis &c. cap. 4. ſeqq.* De ſingulis etiam officii, quod in iſtis horis canonicis peragi ſolet, partibus, oratione dominica, ſalutatione angelica, ſymbolo apoſtolorum, &c. item hymnis, antiphonis, canticis, pſalmis &c. idem auctor copioſe diſſerit, *cap. 16. pag. 423. ſeqq.* Non minus operoſus eſt in afferendis cauſſis, cur certae quaedam horae precibus eiusmodi & pſallendis hymnis fuerint deſtinatae, *cap. 2. pag. 48. ſeqq.* ex quibus praecipua eſt, quam quarto

loco

loco adfert, & omnium ſcriptorum calculo adprobatum dicit, in memoriam paſſionis Chriſti horas iſtas inſtitutas fuiſſe. Quorſum ſi primi huius inuenti autores hocce inſtitutum comparatum eſſe voluerunt, minime quidem illud reprehendendum eſſe, vt fateamur, neceſſe eſt. Quid enim laudabilius, quid homine chriſtiano dignius, quam quotidie mortem cruentam ſeruatoris optimi pio gratoque concelebrare animo, & horas quoque in eius paſſione prae reliquis memorabiles deuota recolere mente? Sunt vero plurima Romanenſium inſtituta ita comparata, vt ex pio & innocenti conſilio orta, in foediſſimam turpiſſimamque degenerauerint ſuperſtitionem. Certas vtique precibus deſtinatas habere horas, neutiquam vituperandum: laudabile hoc potius, immo quodammodo neceſſarium. De publicis precibus hoc palam eſt, quae ordine, niſi ſtatis hoc fieret horis, administrari commode non poſſent. Ad priuatas quod attinet, iam ex dictis conſtat, quo pacto omni quidem tempore, inter labores etiam, mentis ad Deum eleuatione, orandum ſit: ſed quod certae quoque quotidie horae huic officio deſtinandae ſint, at abaque ſuperſtitione, vel ipſa infirmitatis, & ad mala quaeuis pronitatis, qua circumſepti ſumus, ratio nos admonet. Qua in re exemplum etiam nobis praeeuntes habemus viros ſanctiſſimos. De Daniele legimus: *temporibus tribus de die ipſe, procumbens in genua ſua, orabat, & confitebatur coram Deo, quemadmodum fecerat antea, Dan.* VI, 10. Pari ratione Dauidem mane, meridie & veſpere, preces ad Deum fudiſſe, colligunt ex *Pſalm.* LV, 18. *Veſpere, & mane, atque meridie meditabor, & perſtrepam, donec audiuerit vocem meam.* Occaſio hinc forte enata Iudaeorum magiſtris, tria quotidie tempora precibus ſtatuendi, &, ac ſi a patriarchis ipſis ea acceperint, comminiſcendi. Ebraeos imitati ſunt veteres chriſtiani, qui & ipſi ſtata habuerunt orandi tempora. Auctor *conſtitutionum apoſtolicarum*, quem CLEMENTEM Romanum ferunt, *lib. 7. cap.* 48. ter quotidie orare iubet, praeſcriptis etiam orationum formulis, quas mane & veſpere, & ἐν ἀρίστῳ ad prandium, circa meridiem vult recitari. At alter, CLEMENS Alexandrinus, Gnoſticum ſuum quem inſtruit, non ita ſtricte horis certis vult alligatum, etſi haud obſcure innuat, iam tum certas horas precibus fuiſſe deſtinatas: εἰ δέ τινες, inquit, καὶ ὥρας τακτὰς ἀπονέμουσιν εὐχῇ, ὡς τρίτην φέρε καὶ ἕκτην καὶ ἐνάτην, ἀλλ' οὖν γε ὁ γνωστικὸς παρὰ ὅλον εὔχεται τὸν βίον, δι' εὐχῆς συνεῖναι σπεύδων θεῷ. *Quod ſi nonnulli certas & definitiuas horas conſtituunt orationi, vt, verbi cauſſa, tertiam, ſextam, nonam, vt is, qui eſt cognitione praeditus per totam oret vitam, dum per preces ſuas cum Deo ſtudet verſari; ſtromat. lib. 7. p.* 722. Quod tamen non ita intelligit, ac ſi plane ſtatas orandi horas reſpuat; ſed eo modo, quo chriſtianis quibuſuis ſemper orandum eſſe ſupra diximus. Haec tamen omnia Pontificiorum horis canonicis parum fauent: quippe qui ſuperſtitioſe admodum hac in re verſantur, precibus, etſi ſine ſenſu, ſine deuotione fuſis, modo certae horae obſeruentur, magnam vim tribuentes, & huncce numerum, ſublata libertate chriſtiana, quibusdam obtrudentes, idque ſub ſpe & ratione meriti cuiusdam, modo externo iſto officio, iuxta eccleſiae praeſcriptum, ſatisfiat. Quae omnia impia ſunt & ſuperſtitioſa, & cum indole veri chriſtianiſmi, & ratione precum, quae in ſpiritu & veritate fieri debent, e diametro pugnant. Sed plura de horis canonicis Pontificiorum dabunt ANDREAS RIVETVS *cathol. orthod. quaeſt.* 35. GISBERTVS VOETIVS, *part. 3. diſput. ſelect. p.* 1056. HERMANNVS WITSIVS, *exerc. 5. in orat. dom. p. 72. ſeqq.*

§. XXXII.

Sed diſpiciendum quoque, *quid a Deo petamus*. Qui a Deo petunt, quae concupiſcere, multo magis petere nefas, grauiſſime offendunt Deum, adeoque nec exaudiuntur, niſi forte in illorum poenam Deus fieri permittat, quae volunt.* Paucis dici poteſt, petenda neceſſaria, at cum haec vel ad ſpiritualem vel ad temporalem vitam ſpectent, iſta quidem abſolute, haec cum conditione, ſi modo proſint nobis, nec ad aeterna adſpirantibus, ſint obſtaculo. Hinc

dictum

dictum ſupra, quod oratio inſtituenda ſit ſecundum voluntatem Numinis: vt ea velimus, quae vult Deus, vt ea petamus, quae nobis conducere ipſe iudicauerit. *conſ. Matth XXVI, 39.*

* Hoc & ipſi intellexere ethnici, dum nihil a Deo petendum eſſe docuerunt, quod optare nefas eſſet. *Nihil Deum roges*, inquit SENECA, *niſi quod rogare poſſis palam*, *epiſt.* 10. conf. quae dixi in diſſertat. *de pietate philoſophica* §. 33. *in ſelect. iuris nat. & gent.* p. 225. *ſeqq.*

§. XXXIII.

Summa rerum a Deo petendarum continetur in *oratione dominica*, ſeu formula omnium perfectiſſima, abſolutiſſimaque, quam nobis praeſcripſit ipſe ſeruator noſter Jeſus Chriſtus. * In ipſa namque compellatione *patris noſtri, qui eſt in coelis*, ipſa fundamenta, quibus innixi de exauditione certi eſſe poſſumus, in memoriam nobis reuocat, quae ſunt ſumma & infinita Dei benignitas, eiusdemque omnipraeſentia. Quo pacto & ad filialem fiduciam animus accenditur. ** Hinc ipſae petitiones, breuitate ſane, & ordinis concinnitate, admirandae, ſequuntur, omnia ea, quae ad noſtrae ſalutis conſummationem pertinent, mirifico compendio complectentes. Earum tres priores, vt ipſam ſalutis noſtrae ſummam, finem & media exhibent: ita reliquae obſtacula & impedimenta ſalutis veluti remouent. Finem & ſcopum vltimum operum diuinorum prima ſiſtit petitio, *ſanctificetur nomen tuum.* Huc namque omnia tendere debent, vt ſanctitas diuini nominis, eiusque gloria agnoſcatur ab omnibus; hic nobis quoque in omnibus dictis factisque propoſitus eſſe debet ſcopus. *** At tum demum hoc fieri poteſt, ſi deſtructo regno diaboli, quod ſanctitati & gloriae Numinis obſtat, magis magisque in nobis excitetur, augeatur, confirmetur regnum Chriſti. Hinc orare iubemur: *adueniat regnum tuum.* **** Vt vero conſtet, adeſſe in nobis regnum Chriſti, quod eſt *iuſtitia, pax & gaudium in ſpiritu ſancto. Rom. XIV, 17.* re ipſa atque opere, hoc eſt, obſequio erga Deum, hoc demonſtrari debet. Vnde porro orare iubemur: *fiat voluntas tua, ſicut in coelis, ſic & in terra.* * Namque perfectiſſimum obſequium angelorum, merito nobis in exemplum quod imitemur, proponitur. Inter obſtacula, & ſalutis impedimenta, quae remouenda ſunt, primum eſt cura, quae nos circumſtat, de iis quae ad vitam hanc ſuſtentandam ſunt neceſſaria. Cui vt obuiam eatur, docet ſeruator, haec omnia precibus a Deo impetrari: & quidem in ſingulos dies, vt de futuris ſollicitum eſſe hominem non neceſſe ſit: ideoque nos orare iubet: *panem quotidianum da nobis hodie.* ** Alterum obſtaculum, quod regni diuini in nobis promotionem, rectumque ad ſalutem curſum impedit, eſt peccatorum conſcientia. Cum enim homo conſiderat,

 quam

quam facile ſit, a recto deflectere tramite, immo quam ſaepe deflectat, & admittat, quae admiſiſſe nollet, facile inducitur, vt animum abiiciat, & bene coeptum interrumpat curſum. Huic occurrit ſeruator, remiſſionem peccatorum per meritum ſuum a Deo nos nunquam non petere, docens, ideoque orare iubet: *remitte nobis debita noſtra, ſicut nos remittimus debitoribus noſtris.* Remiſſionem namque peccatorum is demum impetrat, quem eorum poenitet, & qui illam ſerio expetit: quod vero peccatorum noſtrorum nos poeniteat, ſignum certiſſimum eſt, ſi & aliis ea, quibus nos laeſerunt, remittere parati ſimus. *** Sed obſtant porro tentationes variae, praecipue mundi, carnis & ſanguinis noſtri, quae arduam & difficilem viam ſalutis reddunt, immo ſaepius in magnum periculum ea prorſus excidendi, nos inducere poſſunt. Quibus vt reſiſtere queamus, ad diuinam iterum confugiendum eſt gratiam: ideoque orare nos ſeruator iubet: *ne inducas nos in tentationem* **** Reliqua omnia denique, quae affligere animum, & in mala quaevis praecipitem dare poſſunt, vnico complectitur faſce, ipſam ſimul omnis mali cauſam & auctorem, cuius potentia calliditasque maxime formidanda eſt, infernalem genium indigitans, dum nos orare iubet: *& libera nos a malo.* * Finit tandem δοξολογία, eaque finem ſimul omnium petitionum, omnisque orationis, docet, qui eſt regni, potentiae, & gloriae diuinae demonſtratio. ** Huc enim omnia tendere debent, nec in noſtris commodis ſubſiſtendum. A gloria enim Dei inchoandum, in ea finiendum eſt.

* Ipſum enim ſeruatorem formulae huius auctorem eſſe, diſerte euangeliſtae tradunt; *Matthaeus cap.* VI, 9. *ſeqq. Luc.* XI, 2. *ſeqq.* Vt adeo valde impium eſſe neceſſe ſit, qui hoc negare auſit: quod an quis vnquam fecerit, aut, vt faceret, animum induxerit ſuum, neſcio, certe valde dubito. Ex eo autem, quod nonnulli aſſerunt, vſum eſſe ſeruatorem phraſibus ſententiisque apud Iudaeos ceteroquin receptis, & tum in doctrina Cabbaliſtica, tum formulis precum, quibus gaudent, obuiis, minime ſequitur, Chriſtum formulae huius auctorem non eſſe, aut a Iudaeis eam mutuo accepiſſe. Namque, vt auctor aliquis formulae cuiusdam dicatur, ſufficit, ſi ipſe eam componat, etſi phraſibus & ſententiis alias etiam notis vtatur. Immo ſummae hoc ſapientiae documentum eſt, genio & conditioni hominum hac ratione ſe attemperare. Quod autem in oratione dominica phraſes ſententiaeque occurrant, Iudaeis ceteroquin vſitatae, a viris clariſſimis tam luculenter oſtenſum eſt, vt, ſi quis hoc negare velit, cum eo non amplius diſputandum cenſeam. Demonſtrauit hoc, vt alios nunc taceam, euidenter HERMANNVS WISTIVS *exercitat. 6. in orat. domin.* §. 12. *ſeqq.* qui tractationem etiam hanc hiſce verbis finit: *Procul ab omni veriſimilitudine repulſum eſt, vt tanta phraſium ac petitionum conuenientia, quanta deprehenditur inter orationem dominicam, easque precationes, quae Iudaeis in vſu ſunt, caſu fortuito contigerit. Vnde alterutrum factum eſſe oportet, vel vt recentiores Ebraeorum magiſtri ea ex euangelio deſumpta ad ſynagogae ſuae tranſtulerint vſus, vel vt Chriſtus ea ex veterum catechiſmis* (ſub quo nomine etiam Cabbalam comprehendere poſſumus) *ac Iudaeorum ſui temporis conſuetudine mutuatus, diſcipulis ſuis vt bona & ſancta*

& ſancta commendauerit. Vtrumuis dicatur, certe in honorem Chriſti, huiusque orationis cedit. Nam ſi Iudaei, iurati euangelii hoſtes, ea ex euangelio ſua fecerint, oportet eos admodum captos fuiſſe elegantia, ſapientia, ac ſanctitate iſtorum dictorum, vt, non abſterriti exoſi ſibi nominis auctoritate, ea in ſuorum quotidie ore eſſe voluerint. Sed difficulter ab animo meo impetro, vt id factum eſſe credam. Probabilius longe videtur, Chriſtum ſe, quantum ſapienter & ſancte fieri poterat, populi genio accommodantem, quae bona apud ipſos inueniebantur, vt priſcae fidei ac ſpei aureas reliquias, ſuis vſibus adplicuiſſe. Ita factum eſt, vt neque nimiae & adfectatae nouitatis auidus videri poſſit, & facilius intelligerentur atque acciperentur ea, quae tradebat, ſi pateret, ea collectionem eſſe praeſtantiſſimorum cimeliorum, quae adhuc in Eccleſiae Iudaicae theſauro reſtabant. Ita WITSIVS, vir doctiſſimus, reformatae quidem eccleſiae theologus, ſed inſigni iudicio praeditus. Diſplicuit equidem haec ſententia auctori eruditisſimo diſſertationis, quae Helmſtadii ſub titulo: *oratio dominica hiſtorice & dogmatice propoſita, praecipue autem Iudaiſmo oppoſita*, prodiit, qui eam *pag.* 62. *& ſeqq.* refellendam ſibi ſumpſit. Sed, aut me omnia fallunt, aut reuera inter ſe conſentiunt, qui diſſentire videntur. Quae enim auctor diſſertationis prolixe diſputat, eo tandem redeunt, Chriſtum eas phraſes formulasque in ſenſu erroneo Iudaeorum non adhibuiſſe, ſed iſtum potius ſenſum correxiſſe, & hac ratione formulam hanc Iudaeorum erroribus oppoſuiſſe. Recte. Nec tamen aut WITSIVS, aut qui cum illo ſentiunt, hoc docent, quod Chriſtus in ſenſu corrupto aut falſo Iudaeorum iſtas formulas adhibuerit. Immo diſerte WITSIVS docet, *Chriſtum, quae bona apud Iudaeos inuenerit, & priſcae fidei ac ſpei reliquias, vſibus ſuis adplicuiſſe.* Phraſibus autem formulisque loquendi Ebraeorum vſum ſeruatorem, poſt operoſam diſquiſitionem ipſe tandem fatetur diſputator, dum *pag.* 67. *ceterum non negamus*, inquit, *ſed lubentes concedimus, ſeruatorem vocabulis phraſibusque ſuetis, quibus phariſaei, inter orandum fuiſſe vſum, meliori tamen ſenſu & plane contrario.* Idem, vt puto, ſibi voluit WITSIVS, & qui cum eo conſentiunt. Idem etiam cenſendum de iis, quae eiusdem diſſertationis auctor contra ſententiam illorum, qui conuenientiam quandam inter formulas ſententiasque doctrinae ſephiroticae Cabbaliſtarum, & phraſes formulasque orationis dominicae deprehendere ſibi viſi ſunt, adfert. Cui & ego ita olim adſtipulatus ſum, vt tamen neutiquam, ex cabbala Chriſtum hanc formulam deſumpſiſſe, ſtatuerem, quam mihi perperam nonnulli tribuerunt ſententiam. Qui enim aſſerit, conuenientiam quandam inter doctrinam ſephiroticam Cabbaliſtarum, & orationem dominicam dari, non ſtatim aſſerere tenetur, hanc ex illa deſumptam, ſed id tantum inde ſequitur, loquendi formulas, ſententiasque, quae in oratione dominica continentur, non ignotas fuiſſe veteribus Ebraeis. Praeterea, quae de ſenſu doctrinae ſephiroticae Cabbaliſtarum hunc in finem attuli in medium, non alio, quam coniuncturarum, loco habenda eſſe, res ipſa docet. Qui enim, quae de re tam ancipiti ambiguaque diſputantur, alio loco habere vellet, oppido falleretur. Quam ob rem ineptum eſſet, hac ſuper re pertinaciter cum quoquam diſputare velle. Poteſtque adeo mihi perinde eſſe, quamcunque aliquis doctrinae ſephiroticae in medium adferat interpretationem, cum eam, quam ego dedi, ceu infallibilem propugnare, mihi nunquam in mentem venerit. Interim ad eam ſtabiliendam, quae auctor citatae diſſertationis in medium attulit, plurimum conferunt. Doctrinam ſephiroticam Cabbaliſtarum iam ante Chriſtum natum receptam fuiſſe, non concedit tantum, ſed prolixe probat; concedit, immo demonſtrat, in ea exhibitam inter alia fuiſſe doctrinam de regno Meſſiae, *pag.* 49. *ſeqq.* concedit, & ex inſtituto docet, euangeliſtas & apoſtolos Iudaeorum corruptelas ſaltem ab hac doctrina remouiſſe, *pag.* 58 *ſeqq.* Immo concedit, & palam fatetur, quod praecipuum momentum trahit, & caput cauſſae eſt, *Chriſtum & apoſtolos, Iudaeos inter Iudaeos, ad Iudaeos, & aduerſus Iudaeos non potuiſſe non Iudaeorum vti ſtilo, de Iudaeorum rebus & regno differentes, pag.* 60. Et id quidem, nec aliud quidquam eſt, quod hac de re docui. An ergo reuera ab aliis, contra quos ſe diſputare vult videri, diſſentiat, valde dubito. Certe non ſatis capio, quid ſibi velint verba iſta *pag.* 61. *Omnia*

autem

autem eo tendunt, non ex cabbala orationem a Chriſto eſſe deſumptam, licet alii καθ' ἀθεν-νον agentes tale quid in ea quaerere velint, ſed potius hanc illi oppoſitam & ad deſtructionem eius tendentem. Scilicet, in doctrina ſephirotica multa vera & bona ineſſe, concedit, at a Iudaeis perperam intellecta. His erroribus dogmata ſua & orationem ſuam oppoſuiſſe ſeruatorem. Recte. Num quis vero illorum, qui conuenientiam quandam inter orationem dominicam, & doctrinam ſephiroticam ſtatuerunt, in erroneis illis & falſis, iuxta ſenſum Iudaeorum, eam poſuit? Ad me quod attinet, mihi eiusmodi quid in mentem non venit. Sed cum ipſe auctor concedat, in doctrina ſephirotica veritates praeſtantiſſimas de regno Chriſti contineri, cum concedat, euangeliſtas & apoſtolos vera a falſis ſolerter diſcreuiſſe, & corruptelas Iudaeorum emendaſſe, cum concedat, eos phraſibus formulisque Ebraeorum adeoque & Cabbaliſtarum, vſos, ſed in ſano ſenſu, me in hiſce quidem capitibus cum eo conſentire, palam profiteor. Et quemadmodum in oratione dominica veritates veteris & purae religionis Iudaicae continentur: ita hanc erroribus ſimul & corruptelis Iudaeorum oppoſitam eſſe, lubens concedo. Paucis haec monenda fuere, ne quis alia mihi tribuere pergat, quae mihi nunquam in mentem venere, & ita graui crimine ſeſe obſtringat.

vv Grauiſſimas Chriſto ſeruatori fuiſſe rationes, cur Deum nomine *patris* nos compellandum docuerit, nemo rem omnem paulo accuratius ſecum expendens, dubitauerit. Poteſt namque Deus non minus, vt rex potentiſſimus, & iudex iuſtiſſimus, quam vt pater benigniſſimus, conſiderari. Sed cum in illis, qui preces rite fundere cupiunt, filialis adfectus vel maxime requiratur, recte *patris* nomine compellatur Deus, cum ad hunc adfectum excitandum conceptus ille vel maxime accommodatus ſit. Et eſt ſane Deus pater ille, *ἐξ οὗ πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται*, *Epheſ.* III, 15. Cauſſae namque quamplurimae ſunt, cur merito patris nomine Deus intuitu hominum veniat. Vt enim ceteroquin, qui nos genuerunt, patres vocantur, ita multo magis eodem nomine Deus dignus eſt, qui nos creauit: conf. *Deuteronom.* XXXII, 16. *Malach.* II, 10. & vt ſuſtentationem ſuam, moralemque conſeruationem a parentibus ſuis mortales habent, ita in Deo *ſumus, viuimus atque mouemur*, *Actor.* XVII, 28. ab eo etiam omnia, quae vitae ſuſtentandae inſeruiunt, accipimus, *Matth.* VI, 25. *ſeqq.* Multo magis adhuc Deus ita dici meretur, propter *regenerationem*, dum per verbum & baptiſmum nos regenerat, 1 *Petr.* I, 3. & 23. per quam diuinae etiam participes reddimur naturae. 2 *Petr.* I, 4. Vnde & omnibus, qui in Chriſtum credunt, poteſtatem facit, vt fiant filii Dei, *Ioan.* I, 12. Et hac quidem ratione Deus omni tempore eſt hominum, ſpeciatim fidelium, pater, etiam in veteri teſtamento, conf. *Ieſ.* LXIII, 16. LXIV, 8. Speciatim tamen in tempus noui teſtamenti admodum quadrat haec compellatio, tum quod luculentioribus documentis paternus Dei adfectus ſit tum manifeſtatus, tum quod vetus teſtamentum ſchema aliquod habuerit ſtatus ſeruilis, vti nouum contra teſtamentum in plenam & filialem libertatem fideles adſeruit. Iudaiſmo autem dum haec compellatio, vti & reliquae orationis dominicae partes oppoſitae dicuntur, hoc de erroribus Iudaeorum, ſeu Iudaiſmo corrupto & deprauato, intelligendum eſt, eorum ſcilicet hominum, qui ſeruili ſpiritu Deum colebant, eumque adeo reuera patrem ſuum appellare non poterant. Verae enim & veteri Iudaeorum religioni, quae quoad ſubſtantiam cum chriſtiana vna eademque, *Actor.* XV, 11. haec compellatio opponi non potuit. Denique nec id praetermittendum, *patris* compellatione primam ſpeciatim Trinitatis venire perſonam, interprete ipſo ſeruatore optimo, *Ioan.* XV, 16. XVI, 23. idque iuxta loquendi rationem, qua alias vſus eſt, *Matth.* VI, 6. 8. 14. 15. non tamen excluſo filio & ſpiritu ſancto, cum de patre nemo cogitare queat, vt non de filio ſimul & ſpiritu ſancto cogitet. Sed haec iam aliis ſunt obſeruata, vti & illud, quod partim fidei, partim charitatis ſit, Deum patrem *noſtrum* vocare: cum eo ipſo indicetur, nos credere, eum erga nos quoque paterno adfectu praeditum eſſe, & alios homines eodem, quo nos, habere loco profiteamur, quibus non minus, quam nobis ipſis, bene cupiamus. Additur autem porro in hac compellatione: *qui es in coelis.*

coelis. Quibus vocibus partim Iudaeorum, partim ethnicorum errores redargui, nonnulli cenſent. Iudaeorum quidem, quod exiſtimarent, gratas Deo nullas alias preces eſſe, quam quae in templo, vel ſi procul inde abeſſent, animo facieque ad templum conuerſa fierent. Ethnicorum autem, quod itidem aut in templis ſuis, aut in certis coeli regionibus Deum, quem adoraturi erant, praeſentem ſibi fingerent. Cumque templum Hieroſolymitanum eſſet typus & figura Chriſti, addunt nonnulli, ſenſum verborum iſtorum huncce eſſe poſſe, non amplius in templo Hieroſolymitano, ſed in Chriſto, ceu throno gratiae, Deum adorandum eſſe. Erudita ſunt, & lectu digna, quae hac de re adfert GOTTFRIEDVS OLEARIVS, theologus Lipſienſis longe celeberrimus, in *obſeruat. philolog.* ad *Matth.* VI, 9. 10. Simplicitate ſua eorum ſe maxime commendat ſententia, qui ſeruatorem omnipraeſentiam Dei in memoriam nobis reuocare voluiſſe, cenſent, indicando, Deum loco nulli alligatum, ſed vbique praeſentem, omni etiam loco & tempore adorari poſſe. Et ita haecce compellatio paucis verbis omnia ea continet, quae filialem adfectum in oraturis excitare poſſunt. Si enim omnipraeſens eſt, ergo preces noſtras audire poteſt, ſi pater benignisſimus, non eſt, quod dubitemus, eum etiam hoc facere velle.

*** Si quis primo cogitet, quid *nomen Dei*, tum, quid *ſanctificari* ſignificet, illi quoque haud obſcurum eſſe poteſt, quid ſignificet coniunctim: *ſanctificetur nomen tuum.* Nomine ſuo homo aliis innoteſcit, & ab aliis hominibus dignoſcitur; hinc & per nomen Dei Deus quidem ipſe, ſed prout ſe manifeſtum reddit, & rebus creatis cognoſcendum praebet, intelligitur. Idque cum varia fiat ratione, ea omnia nominis diuini notione venire, intelligitur. Duobus autem modis Deus ſe manifeſtat, operibus ſcilicet ſuis, tum in regno naturae, tum in regno gratiae, & verbo etiam, quod hominibus patefecit. Haec itaque ſanctificanda ſunt: hoc eſt, ita circa ea verſandum, vt palam fiat, Deum eſſe ſanctum, longe remotum ab omni imperfectione, iis contra virtutibus praeditum, quae non poſſunt non omnes in eius admirationem rapere, quo pacto, ſi ſanctitas Numinis agnoſcatur, & agnita vbique praedicetur, laus & gloria, illi debita, ei redditur. Atque hic vltimus eſt operum Dei omnium finis, ad quem promouendum omnia omnium hominum, dicta, facta, cogitata, conſilia debebant eſſe comparata. Quod & angelorum exemplo condocemur, qui in viſione illa Eſaiae vati oblata, illud: *ſanctus, ſanctus, ſanctus eſt Dominus Zebaoth*, ſubinde ingeminant, *Eſ.* VI, 3. Quod ſi quis dubiter, cur iſtud a Deo petamus, quod ceteroquin noſtri eſt officii, & forte ab aliis, nobis etiam non petentibus, recte peragitur, illum ſcire oportet, eum in noſtris viribus poſitum non ſit, vt rite, & vt decet, nomen Dei ſanctificemus, merito hoc a Deo expetendum, deinde ſi Deum recte amamus, noſtra non minus, quam ipſius Dei, intererit, vt nomen eius ſanctificetur. Vnde qui Deum amat, non poteſt non hoc ſerio optare, & a Deo petere, vt nomen eius ſanctificetur, gloriaque eius magis magisque diffundatur, omnibusque innoteſcat. conf. *Eſa.* XXVI, 8. *Pſalm.* XL, 17. Ceterum ex prima haecce petitione ſtatim eluceſcit, an quis Deum non tantum in ſpiritu, ſed & in veritate adoret. Si quis enim ſerio gloriam Numinis non quaerat, & ad eam promouendam omnia, quae in ſuis poſita ſunt viribus, conferat, immo ea potius agat, dicat, cogitet, quae cum ſanctitate Numinis pugnant, eum ſincere, vt nomen Dei ſanctificetur, expetere, nemo ſibi perſuadebit.

**** Non repetam, quae de triplici regno Dei, *potentiae, gratiae & gloriae*, paſſim tradi ſolent. Nota haec ſatis ſunt. Nec dubitabit, vt puto, quisquam de regno gratiae, cuius conſequens, & quoddam velut complementum eſt regnum gloriae, praecipue hic ſermonem eſſe, eiusque oeconomia ſub nouo teſtamento. Ita vox *regni Dei*, ſiue, quod idem eſt, *regni coelorum*, paſſim ſumitur, *Matth.* III, 2. IV, 17. *Luc.* XVII, 20. XXIII, 51. & alibi. Cuius quidem regni haec eſt indoles, vt per verbi praedicationem, legitimamque ſacramentorum adminiſtrationem eccleſia Chriſti conſtituatur, augeatur, dilatetur & conſeruetur. Cuius eccleſiae qui vera & genuina ſunt membra,

Digitized by Google

a duriſſimo peccati & diaboli iugo per fidem in Chriſtum liberantur, vt hac ratione in illorum etiam cordibus, deſtructo Satanae regno, erigatur & ſtabiliatur regnum Chriſti, per prauarum cupiditatum imminutionem, & liberationem a conſcientiae accuſatione, in cuius locum ſuccedat pax, tranquillitas & gaudium, cum dominio in concupiſcentias prauas. *Rom.* VI, 12. *ſeqq.*. Aduentum itaque regni dum a Deo petimus, id tum ratione vniuerſae eccleſiae, tum ratione ſingulorum hominum intelligi poteſt. Ratione quidem vniverſae eccleſiae regnum Chriſti aduenit per efficacem euangelii praedicationem, & felicem doctrinae coeleſtis propagationem, aut, ſi obſcurata fuerit, reſtaurationem, per hominum improborum conuerſionem, & hoſtium euangelii propagationi obſtacula varia obiicientium, remotionem atque deletionem. Cumque nullum tempus ſit, aut fuerit, aut ante ſeculi conſummationem futurum ſit, quo non regnum Chriſti propagari & dilatari queat, aut quo eccleſiae cum variis hoſtium generibus non ſit pugnandum, omni quoque tempore orare homines potuiſſe, & adhuc poſſe, *adueniat regnum tuum*, manifeſtum eſt. Sed cum regni huius diuerſa variis temporibus ſit oeconomia, eo in legitimo petitionis huius vſu reſpiciendum eſſe, ſimul intelligitur. Ea enim ratione, qua fideles veteris teſtamenti optabant & orabant, vt regnum Chriſti per eius in carnem aduentum, & euangelii per orbem vniuerſum promulgationem adueniret, id orare non poſſunt fideles noui teſtamenti, cum hac ratione regnum Chriſti iam aduenerit: & porro, qua ratione, qui circa initium noui teſtamenti viuebant, hoc optabant & orabant, id orare & optare non poſſunt, qui noſtro tempore viuunt, cum non ad praeterita, ſed ad futura haecce oratio ſpectet. Qui autem cogitauerit, minimam omni tempore illorum hominum eſſe partem, qui vera fide in Deum praediti ſint, etſi ore externo hoc profiteantur plurimi, non quoque dubitabit, augeri ſemper, propagari, & dilatari regnum Chriſti poſſe, ne quid de hoſtibus dicam, quibuscum eccleſiae colluctandum eſt, a quorum vt liberetur inſultibus, itidem ſubinde haec ingeminanda eſt oratio. Non autem tantum ratione vniuerſae eccleſiae, ſed & ratione ſingulorum hominum orandum eſt: *adueniat regnum tuum.* Namque & in hominibus regnum Dei eſt, quando ad Deum conuertuntur, in Chriſtum credunt, & in vitae ſanctimonia proficiunt. conf. *Luc.* XVII, 21. *Rom.* XIV, 17. Hoc ergo ſimul petimus, vt, qui nondum conuerſi aut regeniti ſunt, conuertantur & regenerentur, qui vero conuerſi ſunt, in fide & vita ſpirituali creſcant, augeantur, & confirmentur. Vnde patet, etſi regnum Dei certo modo iam aduenerit, ſemper tamen adhuc orandum eſſe, vt adueniat vlterius. Eoque pertinet, quod erudite obſeruat GOTTFRIEDVS OLEARIVS, vocem ἐλθέτω, iuxta Ebraeorum loquendi rationem, quam nunquam fere non ſequantur euangeliſtae, *continuationem cum aliquo incremento*, ſignificare: vt ſenſus ſit: *capiat* (regnum Dei) *incrementa in nobis, quoad intenſionem, vt in ſcholis loquuntur, maioremque in dies manifeſtationem, capiat quoad extenſionem in aliis, Iudaeis hucusque malitioſe reſiſtentibus, gentilibus in tenebris aberrantibus, anti-chriſti mancipiis, incantamentis eius & veneficiis hucusque excoecatis; in obſeruationibus philolog. ad Matth.* VI, 9. 10. Ex dictis autem patet, quod tum amor Numinis & aliorum hominum, tum propriae neceſſitatis recordatio ad petitionem hanc ingeminandam impellere nos debeat: patet etiam, quo pacto tum a praecedenti, tum a ſequentibus petitionibus differat.

• Voluntas Dei duplici ratione fieri dicitur. Primo quidem, cum diuinae voluntati nos in omnibus ſubmittimus, vt rata nobis atque grata ſint, quaecunque decreuit atque conſtituit Deus, etiamſi forte carni & ſanguini dura & aſpera videantur: quemadmodum ipſe ſeruator fecit, qui, in grauiſſimis licet doloribus conſtitutus, ita tamen orauit: *mi Pater, ſi fieri poteſt, fac vt effugiam hoc poculum: quanquam non, vt ego volo, ſed vt tu, Matth.* XXXVI, 39. & amici iſti Pauli apoſtoli, qui, cum, ab itinere Hieroſolymitano vt deſiſteret, eum inducere precibus & lachrymis non poſſent, *acquieuerunt, dicentes: fiat voluntas Domini, Actor.* XXI, 12. 13. 14. Deinde & facimus voluntatem Numinis, cum ſtrenue & prompte ea exequimur, quae a nobis vult fieri. Vtrobique modo noſtrum

Digitized by Google

ſtrum declaramus obſequium, quod a nobis Deus requirit. Neue neſcitemus, quale illud obſequium eſſet, angelorum exemplo ſeruator nos hoc docere voluit, dum addidit: *ſicut in coelo, ita & in terra.* Quod de coelo beatorum ſpirituum, ſeu angelis, omnino eſt intelligendum. Etſi enim aſtra quoque & ſidera coeleſtia motu ſuo ordinato & conſtantiſſimo iuſſa Dei exequantur, *Pſalm.* CIV, 19. non tamen aeque commode, ac ſpiritus beati ſeu angeli, in exemplum proponuntur hominibus, quod imitentur. Quemadmodum itaque coeleſtes illi ſpiritus non tantum lubenti animo ſe voluntati diuinae ſubmittunt, ſed prompte etiam, ſine reluctantia, alacriter, ſapienter & conſtanter ea omnia faciunt, quae fieri ab iis vult Deus; ita & homines ſe gerere debent, vt pari promptitudine & alacritate conſtantiaque & Numinis ſe ſubmittant voluntati, &, quae iuſſit, exequantur. Intelligendum autem hoc eſt, in quantum imbecillitatis, qua circumſepti ſunt, ratio hoc permittit. Licet enim perfectiſſimum hoc obſequii exemplum hominibus merito proponatur, officiique noſtri ſit, ad iſtam perfectionem contendere & adſpirare, ob adhaerens tamen peccatum nemo ad perfecti iſtius obſequii gloriam pertingere poteſt: ſed futura expectanda vita, in qua erimus ἰσάγγελοι. Petimus autem merito, tum vt a nobis, tum ab aliis hominibus omnibus voluntas Numinis fiat: a nobis quidem, cum noſtra maximopere interſit, ne vlla ratione Deum laedamus, eiusque fauore & benignitate nos reddamus indignos: & ea inſuper naturae noſtrae infirmitas ſit, & imbecillitas, vt ſine auxilio Dei nullatenus, quae ei placeant, agere valeamus: ab aliis, quia tum Numinis, tum aliorum hominum amor, vt hoc ſerio optemus, atque cupiamus, exigit.

* De pane ἐπιουσίῳ multa diſputant eruditi. Cum enim vox ἐπιούσιος alias nec in ſcriptura ſacra, nec in aliis auctoribus graecis occurrat, tum de origine, tum de ſignificatione eius inter ſe non conueniunt. Aliorum hac de re referre opiniones, aut in eas inquirere, noſtrum non eſt: diligenter id iam & cum laude praeſtitit IO. MARCKIVS, reformatae eccleſiae theologus, in *quinque diſſertationibus de pane ἐπιουσίῳ, quae in exercitationibus* eius *iuuenilibus* extant, *p.* 319. *ſeqq.* Iungatur & BALTHASARIS STOLBERGII peculiaris de hoc argumento diſſertatio, in *tractat.* eius, de *ſoloeciſm. & barbariſm. graecae noui foed. dictioni falſo tributis*, *pag.* 220. *ſeqq.* item B. CHRISTIANI KORTHOLTI, de eodem argumento diſſertatio, quae cum reliquis eius *Anti-Baronianis disquiſitionibus* recuſa eſt Hamburgi, MDCCVIII. Ex duabus, in quas doctiſſimi viri circa vocis originem abeunt, ſententiis, quarum altera vocem iſtam ex ἐπὶ & οὐσία compoſitam docet, altera autem, ἐπιούσιον nomen verbale eſſe, contendit, a participio foeminino ἐπιοῦσα, poſterior magis placet: quae enim opponi eidem poſſunt, erudite & accurate diſcuſſit vir celeberrimus, GOTTFRIEDVS OLEARIVS, in *obſeruationibus philolog. ad Matth.* VI, 9. 10. Et ille quidem ſenſum vocis eſſe exiſtimat, vt tempus futurum ſignificet, non, ac ſi de eo ſolliciti eſſe debeamus, quod monito Chriſti ſeruatoris, *Matth.* VI, 31. diſerte repugnaret, *ſed potius, vt futurorum abiecta ſollicitudine prouidentiae diuinae ea permittantur, dum oramus, vt ἄρτον ἐπιούσιον, panem omnis temporis, deinceps nobis viuendo tranſigendi, det nobis σήμερον, vel vt Lucas id exprimit, die quauis, hoc eſt, vt neceſſaria per omnem vitam ſuppeditet, quotidie, quantum opus eſt, largiendo.* Neſcio tamen, an non planior illorum ſit ſententia, qui, ſtante eadem vocis origine, panem ἐπιούσιον dici putant, qui nobis ex accidenti, ſeu ex improuiſo, adeſt, qui ſine anxia cura noſtra, ſola Numinis & benignitate & liberalitate nobis obtingit. Senſus ita non tantum planus eſt, ſed & vis vocis ſibi conſtat. Nimirum ſupponimus, panis nomine ſignificari, quae ad victum vitamque ſuſtentandam ſunt neceſſaria: qua de re inter illos, qui de rebus temporalibus hanc petitionem capiunt, nulla lis eſt. Ita vero eam capiendam, ego quidem cenſeo, etſi ſimul vel maxime ad ſpiritualia reſpiciatur, dum eo fine panem quotidianum a Deo petimus, vt, rerum huius ſeculi cura procul faceſſere iuſſa, Numinis prouidentia & benignitate vnice innitamur, vt ipſe B. LVTHERVS noſter in petitionis huius explicatione nos egregie docuit. Quo ipſo maximum vitae ſpiritualis impedimentum remouetur. Et ita illorum ſtatim occurritur

Tt 2 dubio,

Digitized by Google

dubio, qui inconveniens arbitrantur, petitionibus, quae de rebus ſpiritualibus agunt, inſeri illam de pane corporali. Fuerunt equidem plurimi ex patribus, immo noſtrae eccleſiae theologis, qui omnino, non *corporalem*, ſed *ſpiritualem*, ſpeciatim, quae non nullorum fuit opinio, Chriſtum ipſum intelligerent. Quorum licet a noſtra abeat ſententia, idque ob rationes varias, quarum nonnullas iam attulit IO. MARCKIVS, *diſputat.* 4. de pane *ἐπιουσίῳ pag.* 417. *& ſeqq.* neutiquam tamen illis, qui eam amplectuntur, haereſeos ſtatim inurenda eſt nota, niſi eandem doctiſſimis praeſtantiſſimiſque eccleſiae doctoribus ſimul inurere velimus, aut cum acrimonia quadam ea ſententia eſt perſtringenda, cum nihil, quod analogiae fidei contrarium ſit, contineat, & pietatis inſuper ſit, de coeleſtibus & ſpiritualibus plus cogitare, quam temporalibus. Praeclare ſane HERMANNVS WITSIVS controuerſiarum circa huius petitionis explicationem iniiciens mentionem, ſcribit: *at id dolendum foret, ſi propter ſententiarum diſſenſum in re obſcura animorum quoque deprehenderetur diuortium, neque poſſet ea res expediri ſine quadam diſputantium acrimonia. O! quam illa omnis in meram dulceſceret lenitatem atque manſuetudinem, ſi cogitaremus, de precibus agi, in quibus nobis non cum hominibus, ſed cum Deo res eſt: & quidem de ea oratione, quae vti tota diuinum fraternumque amorem ſpirat; ita eundem orantibus omnibus inſpirare debebat. Mihi equidem religio eſt, eos vllo modo exagitare, qui haec quartae petitionis verba pronuntiantes de Chriſto domino illiusque gratia, cogitant, enixiſque ſuſpiriis tam ſibi, quam fratribus ſuis, a patre coeleſti poſcunt, vt dignetur eos verbo & ſpiritu ſuo ad verae vitae robur & augmentum continuo paſcere, donec ſatietatem gaudii ad dextram Dei conſequantur. Vtinam coeleſtium ac ſpiritualium rerum deſiderio ſemper arderent animi noſtri, vt quauis data, immo quaeſita occaſione, erumperent in flammas flagrantium precum, exercitat.* II. *in orat. domin.* §. 2. Panem praeterea *ἐπιούσιον*, vt panem *noſtrum*, petere iubet ſeruator optimus, hoc eſt, talem, qui nobis legitimo modo competat, rite iuxta ordinem a Deo praeſcriptum acquiſitus. Qui enim furto, aut alia quadam ratione illicita, panem ſuum, ſeu quae ad vitam ſuſtentandam ſunt neceſſaria, acquirunt, ea minime precibus ſuis a Deo impetrare cenſendi ſunt. Rurſus tamen, ſi quis legitimo modo panem ſuum acquirat, non ſuo ſtudio, aut induſtriae, quo acquiſiuerit, imputare debet, ſed diuinae benedictioni: quae ſi deeſſet, omni labore ſuo, & induſtria parum proficeret. conf. *Pſalm.* CXXVII, 1. 2. Deus itaque eſt, qui panem noſtrum quotidianum nobis dat, homo ſibi ipſi nihil dare poteſt: Deus tum ipſam bonorum temporalium largitur poſſeſſionem, tum facultatem illis cum benedictione vtendi. Idque ea ratione, vt cura ſua omni & ſollicitudine homo in futurum ſibi proſpicere non poſſit, ſine Numinis voluntate, omni bonorum poſſeſſione per varia calamitatum mox ſpoliandus genera, niſi Deus prohiberet. Vnde poſſeſſionem iſtam pariter ac vſum pro dono, quod quotidie renouatur, reputare quilibet debet, & hinc orare iubetur: *panem noſtrum quotidianum da nobis σήμερον*, vel, vt Lucas habet, *καθ' ἡμέραν, quotidie.* Denique cum impium eſſet, ſibi tantum proſpectum velle, neglectis reliquis, precari nos Chriſtus patrem docuit, vt & nobis panem noſtrum donet quotidianum. Pii enim ſanctique viri eſt, aliorum non minus, quam ſuis commoueri neceſſitatibus, vnde & non poteſt non Deum orare, vt aliis non minus, quam ſibi, quae ad vitam victumque neceſſaria ſunt, ſuppeditet. De ordine, quo haec petitio collocata eſt, nonnulli multa diſputant: at nulla hic opus eſt ſubtilitate. Cum enim inter ſalutis impedimenta rerum terreſtrium cura primum facile locum teneat, primo etiam merito loco eius remotionem poſuit Chriſtus.

*** Quod per *ὀφειλήματα*, qua voce Matthaeus vſus eſt, ſeu *debita*, intelligantur peccata, conſtat, cum Lucas hanc petitionem ita exprimat: *καὶ ἄφες ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν.* Peccata autem etiam rectiſſime *debitorum* nomine veniunt. Vt enim legem diuinam accurate obſeruemus, ſumus obligati; quod ſi non faciamus, ſed vel minima in re eam migremus, alia oritur inde obligatio, ad poenam promeritam ſubeundam. Qui enim ad aliquid reddendum, aut praeſtandum, vel etiam patiendum obſtricti ſunt & obligati, debitores vocari ſolent. Vitam ergo ſuam aliquis conſiderans

Digitized by Google

rans, cogitationesque, dicta, & facta excutiens, & legis diuinae normam exigens, non vnum aut alterum debitum, ſed infinitam eorum multitudinem deprehendet. Quod de ipſis quoque regenitis, hominibusque ſanctis intelligimus, qui *τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν*, *Ebr.* XII, 1. quotidie in ſe non ſentiunt modo, ſed experiuntur, ſeque nunquam non talia admiſiſſe, quae admiſiſſe nollent, & dolent. Vnde abſona prorſus quaeſtio eſt, an petitionem hanc, *remitte nobis debita noſtra*, proferre queat, qui ſibi peccati, quod eo die commiſerit, conſcius non eſt: quaſi vero dies vllus, aut hora vlla tranſigi queat, qua non inhabitans illud in nobis peccatum vim ſuam exerere annitatur, etſi coerceatur ſubigaturque a ſpiritu, contra carnem pugnante, *Gal.* V. 17. Eorum itaque debitorum, ſeu peccatorum, petimus *ἄφεσιν*, *remiſſionem*, vt ea ſcilicet nobis non imputet, poenamque promeritam condonet. Quod tamen intelligendum iuxta modum & ordinem, quo Deus, ſe peccata remittere velle, & ſalua iuſtitia & ſanctitate ſua poſſe, declarauit, vt ſcilicet meritum Chriſti vera fide apprehendamus, *Rom. III*, 24. Vnde petitio iſta: *remitte nobis peccata*, meritum & ſatisfactionem Chriſti non excludit, vt Sociniani perperam ſibi imaginantur, ſed omnino ſupponit. Si quis vero ſignum animi, ob ſua peccata ſerio dolentis, & vera fide meritum Chriſti amplectentis, requirat, explorare ſaltem ſeipſum debet; an ad ea, quibus laeſus eſt ab aliis, itidem iis remittenda promptus ſit, atque paratus. Hinc addidit ſeruator: *ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.* Debitores noſtri ſunt, qui nos laeſerunt, ideoque ad ſatisfactionem nobis praeſtandam obligati ſunt. Illis remittimus debita, ſi illis condonemus, quae erga nos commiſerunt, nec vllam ſatisfactionem, etſi iuſtiſſime eam poſtulare poſſimus, expetamus, omnemque exuamus vindictae cupiditatem. Non autem hoc ita intelligendum, ac ſi noſtra remiſſio, qua debitoribus noſtris illorum debita condonamus, ſit cauſſa remiſſionis, quam a Deo impetramus, aut ac ſi omnimoda aequalitas & perfecta ſimilitudo inter hanc & illam intercedat? ſed ob aliqualem ſimilitudinem, quae inter vtramque deprehenditur, vt poſt MARTINVM CHEMNITIVM explicat HERMANNVS WITSIVS, *exercit.* 12. *de orat. domin.* §. 21. Nec diſplicet ingenioſa doctiſſimi viri GOTTFRIEDI OLEARII explicatio, particulam *ὡς* vertentis per *ſimiliter*: vt ſenſus ſit: *remitte nobis debita noſtra, ſic tuo exemplo, nos quoque remittemus debitoribus noſtris*, in *obſeruat. philolog. ad Matth.* VI, 12. Vtcunque tandem particula *ὡς* explicetur, res ipſa certa eſt, poenitentiam veram fidemque in illis eſſe non poſſe, qui debita ſuis debitoribus remittere parati non ſunt, adeoque & fruſtra eos orare: *remitte nobis debita noſtra.* Et id quidem eſt, quod ſeruator docere voluit.

*** Quaenam & quotuplices tentationes ſint, quibuscum piis ſanctisque hominibus eſt colluctandum, prolixe ſupra expoſuimus, *cap.* 2. §. 21. *ſeqq.* Cumque externae aliae ſint, mundi ſcilicet, & infernalis genii, aliae internae, carnis & ſanguinis, maximum inde periculum oritur, quod externae cum internis velut vires ſuas iungunt, vt adeo eo difficilius vtrisque reſiſtatur. Niſi itaque Deus gratia ſua nobis ſuccurreret, ſuccumbendum nobis eſſet oneri, prorſusque pereundum. Proinde, *ne in tentationem nos inducat*, petimus, hoc eſt, ne tentationum impetu abripi, grauiſſimisque hoſtium acerrimorum inſultibus opprimi patiatur. Quem quidem horum verborum ſenſum eſſe, tum res ipſa docet, cum Deus nullius mali auctor ſit, nec ad malum ſeu peccatum quenquam tentet, *Iac.* 1, 13. tum ex ſignificatione verbi *εἰσενέγκῃς* a quibusdam colligitur, cuius ſenſus ſit: *ne ſinas nos abripi in tentationibus.* Vnde & illud palam eſt, non id nos hac oratione expetere, vt nullae nobis tentationes obueniant: id namque huius vitae modum conditionemque excederet. Poſtulat vtique vitae huius ratio atque ſtatus, vt pugnemus contra hoſtes, & ita, reportata victoria, conſequamur praemium. Id ſalutare nobis, cum ea ratione campus ampliſſimus conſtantiam, patientiam, aliasque virtutes demonſtrandi aperiatur, & ſapientiae etiam diuinae conueniens, ut explorata hunc in modum magis eniteſcat fidelium virtus, ampliorque Numinis gloriam amplificandi inde enaſcatur occaſio, vt iam ſupra *cap.* 2. §. 19. obſeruauimus.

Digitized by Google

* Cum proxime praecedenti vltima haecce petitio arctiſſimo vinculo cohaeret, quod vel ex connectendi particula: ἀλλὰ, intelligitur. Sed hinc quoque conſtat, inter hanc atque illam quandam velut eſſe oppoſitionem. In priori enim petitione oramus Deum, ne patiatur, nos ſuccumbere tentationibus: in altera amplius quid rogamus, vt repellat ipſe tandem mala quaeuis, ſpeciatim furorem & poteſtatem ſatanae, nobis tantopere inſidiantis, infringat. Vnde, connexa haec, ſed ſimul diſtincta eſſe, apparet. In priori enim ad virium noſtrarum imbecillitatem, in poſteriori petitione ad hoſtium tyrannidem atque potentiam praecipue reſpicimus. Per πονηρὸν generatim equidem τὸ πονηρὸν, ſeu quodlibet malum, reuera tale, intelligi poteſt, quemadmodum vox iſta ita ſumitur, *Ioan.* XVII, 15. 1 *Ioan.* V, 19. 2 *Timoth.* IV, 18. alibique: ſpeciatim tamen τὸν πονηρὸν ſeu diabolum, ceu principem omnis mali cauſſam intelligunt plerique; idque praeeunte itidem ſcriptura, *Matth.* XIII, 28. *Epheſ.* VI, 16. Liberari ab eo cupiunt fideles, ne animae ſuae nocere poſſit, iuſtiſſimo odio, quidquid ab eo proficiſcitur, proſequentes, nec tamen diuinae refragantes voluntati, ſi angelo ſatanae permittat, vt eos κολαφίζῃ, 2 *Cor.* XII, 7.

** Non deſunt, qui δοξολογίας huius αὐθεντίαν in dubium vocant, quod in vetuſtiſſimis quibusdam codicibus graecis, vti in omnibus propemodum codicibus latinis, deſideretur, nec inueniatur apud Lucam *cap.* XI. neque a TERTVLLIANO, CYPRIANO, AVGVSTINO, aliisque veterum agnoſcatur. Sed longe ſolidiora ſunt, quae pro doxologiae huius αὐθεντίᾳ adferuntur, quae in compendio legi poſſunt apud HERMANNVM WITSIVM *exercit.* 14. *in orat. domin.* §. 3. *ſeqq.* add. & GOTTFRIDVS OLEARIVS, *in obſeruationibus philolog.* ad *Matth. cap.* VI, *v.* 13. *ſeqq.* Noſtra id ſaltem obſeruaſſe intereſt, quod non tantum ſimiles doxologiae alibi paſſim in ſcriptura ſacra occurrant, vt 1 *Paralipom.* XXIX, 11. 12. 1 *Tim.* 1, 17. VI, 16. ſed quod ad complementum & perfectionem dominicae orationis vel maxime pertineat. Summatim enim, quorſum cuncta referenda ſint, & tendere debeant, hiſce verbis denuo profitemur, & fidem ſimul noſtram, qua firmiter perſuaſi ſumus, fieri ea omnia, quae rogavimus, poſſe, immo quin futura ſint, ſi Deo hoc placeat, nos non dubitare, declaramus. *Tuum*, itaque dicimus, *eſt regnum.* Regnum, tum potentiae, tum gratiae, tum gloriae. Tua itaque intereſt, vt regnum, praecipue gratiae, in nobis & aliis promoueatur & amplificetur. Hoc itaque quin curae cordique Tibi futurum ſit, vt gloria Tua ita omnibus innoteſcat, & quin hunc in finem noſtras certo exauditurus ſis preces, nulli dubitamus. Et cur dubitaremus? *Tua eſt potentia*, tu es omnipotentiſſimus, cui nemo reſiſtere poteſt. Quis ergo conſilia tua impediret, aut quid obſtaret, quo minus, quae decreuiſti, felicem ſortirentur euentum? Et hinc *tua eſt gloria*, tibi ſoli ideo omnis gloria debetur, merito omnia omnium hominum cogitata, dicta, facta eo tendunt, immo, quidquid in rerum creatarum viribus poſitum eſt, ad huncce finem, vltimumque ſcopum comparatum eſt, vt tua gloria manifeſtetur magis magisque, & agnoſcatur ab omnibus. Et id quidem eſt, quod toto pectore, animoque expetimus. Hunc verum ac genuinum orationis dominicae ſenſum eſſe exiſtimamus, qui quo ſimplicior eſt, eo magis omnibus, vt puto, ſe commendabit. Voluit enim ſeruator optimus omnium ingenio, captui, omniumque neceſſitatibus hancce formulam accommodatam. Quare, quod alibi dictum, ſententias formulasque Ebraeorum hic occurrere, hoc non niſi de puriori veterum theologia fidelibus omnibus veteris teſtamenti communi intelligendum, qui aut non recte orarunt, aut materialiter eadem orare debuerunt, ſaluo diſcrimine oeconomiae vtriusque teſtamenti, quae in hacce formula ſelectiſſima, omniumque captui accommodata, nos orare docuit Chriſtus. Quo ipſo dum praeſtantiſſimarum veritatum ſummam complexus eſt, non potuit non erroribus, quos Iudaei aut alii hiſce veritatibus contrarios fouerunt, oppoſita eſſe: licet inde non ſequatur, ex inſtituto Iudaeorum erroribus eam eſſe oppoſitam, quae omnium omnino chriſtianorum, eorum etiam, qui poſt longe ventura ſecula victuri eſſent, vſibus deſtinata erat. Saltem tutiſſimam in ea explicanda viam exiſtimo, quae ſua

Digitized by Google

ſua ſe ſimplicitate maxime commendat, cum ſcopo ſeruatoris, hancce formulam tradentis, hoc plane ſit conueniens.

§. XXXIV.

Haec itaque orationis formula, cum perfectiſſima ſit, omnibusque numeris abſoluta, omnium praeterea hominum ſtatui, & conditioni, omnibusque eorum neceſſitatibus accommodata, merito retinetur, non tantum qua ſenſum, ſed & qua verba, eumque in finem ab ipſo ſeruatore nobis praeſcripta eſt. * Nec tamen aliae formulae prorſus repudiandae, modo nihil analogiae fidei, & ſimplicitati & ſanctitati ſermonis, quo in oratione vti decet, contrarium contineant, & ſtatui orantis ſatis ſint accommodatae. Neutiquam tamen formulis ita inhaerendum, ** vt non libere verbis, quae ipſe animi motus ſuppeditat, Deum alloqui adſueſcamus: cum ſermonem ad regulas artis compoſitum Deus a nobis non exigat: modo ingenue, absque fuco, absque pompa, filiali fiducia mentis noſtrae ſenſa exprimamus.

* Fuerunt, qui cum reliquis precum formulis, abuſum earundem animaduertentes, ipſam etiam orationem dominicam abrogatam voluerunt, ab vno ita extremo ad alterum procurrentes. Rationes iſtorum hominum in compendio refert, & accurate ad eas reſpondet HERMANNVS WITSIVS, *exercitat. 6. in orat. domin.* §. 16. *ſeqq.* Et ſane, ſi quis obſeruet, formula hac ita vtendum, vt liberum tamen alicui ſit, aliquando & ſine formulis orare; illi, qui animo rite praeparato ad orandum accedit, non eſſe ἀδύνατον, deuota mente, in ſpiritu & veritate hancce formulam vſurpare; quae generalius in ea expreſſa ſunt, adplicatione rite facta, ad cuiuslibet ſtatum & neceſſitatem poſſe accommodari, facile ad omnia, quae contra formulae iſtius vſum opponuntur, reſpondebit. Ex eo vero, quod apoſtolos hac formula vſos non legamus, non ſequitur, eos etiam eadem vſos non eſſe. Immo luculentum ſeruatoris mandatum, diſcipulos ſic orare iubentis, eiusdemque diuerſo tempore facta repetitio, vt ex vtriusque euangeliſtae Matthaei & Lucae collatione colligitur, prorſus ſuadet, apoſtolos eadem vſos. Accedit veteris eccleſiae chriſtianae praxis. Huic enim formulam hancce dominicae orationis in ſumma veneratione fuiſſe, vel ex TERTVLLIANI libro de *oratione* conſtat. Quod qua ratione contingere potuerit, niſi ab ipſis apoſtolis vſum eius acceperint, vix intelligi poteſt. Quae autem ceteroquin eius in eccleſia chriſtiana fuerint fata, iam ab aliis eſt expoſitum: quae vt a nobis repetantur, neceſſe non eſt. Id ſaltem obſeruamus, inter Bogomilorum, qui ſeculo XI. eccleſiam turbarunt, & in Euchitarum ac Meſſalianorum locum ſucceſſiſſe dicuntur, errores & hunc referri, quod reliquas preces omnes, praeter hancce dominicae orationis formulam, damnauerint. Cuius rei teſtis eſt HARMENOPVLVS, *de ſectis ſect.* 19. Quo ipſo, ex illorum ſe numero eſſe, demonſtrarunt, qui in medio conſiſtere nequeunt, ſed ad alterum ſemper extremum procurrunt. Vt enim nec Chriſtus ipſe, nec apoſtoli hac formula vſi ſunt, quemadmodum vel ex actis apoſtolorum conſtat, ita ſola hacce formula ſemper vtendum eſſe, nulli quoque praeceptum eſt.

** Neutiquam formulas precum ab aliis compoſitas prorſus damnamus, immo aliquem earum vſum eſſe poſſe, libenter concedimus. Excitari enim iis quandoque animus poteſt, modo non ad verba tantum, ſed ad rem ipſam verbis expreſſam, attendamus; quandoque & nos commonefaciunt, quae a Deo maxime petenda ſint, ſi ipſi forte non ſatis,

quae

quae nobis neceſſaria ſint, intelligamus: & denique verba formulasque, diuina maieſtate dignas, interdum ſuppeditant. Quod tamen de iis tantum intelligendum formulis, quae ea, qua decet, conſcriptae ſunt ratione, & adfectum pium ac deuotum produnt, quales ſunt quae B. IOAN. ARNDIVS lingua germanica nobis reliquit. At formulis ſi quis ita ſe alligauerit, vt ſuismet ipſe verbis nunquam oret, veram orationis indolem perſpectam habere vix cenſendus eſt. Sincerus animi adfectus aliena verba nec poſtulat, nec expectat. Qui ergo ſine formulis orare nequit, nonne hoc ipſo prodit ſe ſine adfectu, adeoque neutiquam in ſpiritu & veritate orare? Quod certis precum formulis ſemper vtendum ſit, nuſpiam Chriſtus aut apoſtoli praeceperunt; immo contrarium ex illorum exemplo patet, qui preces ſuas praeſenti rerum ſemper accommodarunt ſtatui. Nec vſi ſemper certis precum formulis ſunt veteres chriſtiani. Diſcimus hoc ex TERTVLLIANO, qui, *chriſtiani*, inquit, *manibus expanſis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubeſcimus, denique ſine monitore, quia de pectore oramus: apologet. cap.* 30. Immo deferueſcente pietate, & creſcente ſocordia, propter haereticorum prauitatem, & propudioſam multorum ignorantiam, certas precum formulas praeſcribi coepiſſe, ex antiquitate eccleſiaſtica obſeruat HERMANNVS WITSIVS, *exercitat. 6. in orat. domin.* §. 30. *&* 31. Taceo incommoda maxima grauiſſimaque, quae continuus earum vſus ſecum vehit, cum oratio, quam propriis verbis quis concepit, & ardentiorem adſectum indicet, & eundem quoque ardentiorem reddat, magisque excitet, foueatque. Nec vllius momenti ſunt, quae contra preces absque formulis factas nonnulli adferunt, facileque ad cuncta reſponderi poteſt, ſi obſeruemus, adſectum cordis Deum magis reſpicere, quam verba oris, aut concinnitatem ſermonis, perinde ac pater, qui filii miſeria commouetur, ad verborum elegantiam, quibus auxilium eius imploratur, non attendit. Sed & id addendum, ab adfectu religioſo ex maieſtatis pariter ac bonitatis diuinae repraeſentatione excitato, non temere verba proficiſci poſſe, quae non ſummam animi venerationem prodant. Verba autem ſimplicia, quibus ingenue, & candide noſtra deſideria exponimus, diuinam maieſtatem non laedunt, quin immo Deo ſunt gratiſſima. Plurimas hic quaeſtiones, more ſuo mouet GISBERTVS VOETIVS, in *aſceticis cap.* 4. *pag.* 99. *ſeqq.* quae tamen partim ſuperuacaneae ſunt, partim ex hactenus dictis facile diiudicari poſſunt. Huc & illud pertinet, quod de repetitionibus vnius eiusdemque rei nonnulli monent, quae βαττολογίας a ſeruatore reprehenſae, *Matth.* VI, 7. ſpeciem habere videntur. Verum βαττολογίαν dum culpat ſeruator, inanem verborum profuſionem, quae ſine ſenſu, ſine adfectu cordis fit, vti preces ethnicorum ad pompam & oſtentationem comparatae erant, intelligit. Vnde, quae ex adfectu vehementiori procedunt, repetitiones, hoc nomine comprehendi nequeunt. Sed nec prolixiores preces hoc ipſo reiicit, ſed eas, quae, vt dixi, ſine adfectu cordis, verbis plurimis, ad meram oſtentationem & iactantiam compoſitis, fundebantur. Cuncta itaque ad cordis adfectum redeunt. Hic ſi recte ſe habeat, facile verba ſe dabunt: hic ſi Deo placeat, non eſt, quod dubitemus, grata quoque illi fore verba, quibus adfectus exprimitur.

§. XXXV.

Magnam eſſe orationis *vtilitatem*, vel ex eo intelligitur, quod inter media ſalutis a nobis refertur. Per orationem enim omnia, quae nobis conducunt, a Deo impetramus. Qui ergo non orat, non miretur, quod donorum diuinorum expers maneat. *Non obtinetis*, inquit Iacobus, *propterea, quod non petitis. cap. IV, 2.* Contra, *qui petit, accipit, qui quaerit, inuenit, qui pulſat, illi aperitur*, teſte ſeruatore ipſo, *Matth. VII, 8. Luc. XI, 10. ſeqq. Ioan. XVI, 24.* Sed hinc neceſſitas quoque orationis patet. Sine oratione carendum homini diuinis donis, tandemque miſere

miſere pereundum eſt. Accedit vero & mandatum diuinum, *Matth. VII, 7. Luc. XI, 9. Marc. XI, 24.* itemque quod in precibus ſit omnipraeſentiae, omniſcientiae, omnipotentiae, & ſummae bonitatis diuinae humilis quaedam confeſſio. Vnde corruptae ſaltem rationis ſuae ſomnia narrant, qui aut inutiles, aut ſuperuacaneas, minusque neceſſarias preces putant, eo quod iam ceteroquin Deus gnarus illorum ſit, quorum indigemus, & per ſuam bonitatem ea nobis praeſtare velit. Ad preces autem commendandas plurimum quoque facit earum efficacia, quae tanta eſt, vt rationis vim multum ſupergrediatur. conf. *Iacob. V, 16. ſeqq.*

§. XXXVI.

Coniunctae preces ſunt cum *certa ſpe exauditionis, Iacob. I, 6.* idque ob promiſſionem diuinam, quae omnem merito eximit dubitationem, *Matth. VI, 6.* Et exaudit ſane Deus ſemper preces, modo ita comparatae ſint, vt exaudire queat. Quorſum non id tantum pertinet, vt ab iis fundantur, qui ad orandum rite ſunt diſpoſiti, hoc eſt, qui vera fide, & corde puro ac ſincero ad Deum accedunt, *Ebr. X, 22.* conf. *Prouerb. I, 24. ſeqq. Eſ. I, 15.* & vt ea, qua decet ratione, fundantur, vti ſupra eſt expoſitum, ſed vt tempus quoque modusque non definiatur, ſed cuncta diuinae ſapientiae relinquantur. *Kohel. III, 11. Actor. I, 7.* Illis enim, qui ſe ſuaque omnia voluntati diuinae ſubmittunt, quod verae fidei proprium eſt, perinde eſt quocunque modo, aut quocunque tempore exaudiantur, cum ſe exaudiri a Deo certi ſint, firmiterque perſuaſi, quaecunque de ſe Deus ſtatuat, ideo eum ſtatuere, vt in commodum illorum atque ſalutem cedant.

§. XXXVII.

Vt ad preces rerumque diuinarum tractationem meditationemque eo aptiores ſimus, non tantum generatim omni tempore temperantiae ſtudendum, ſed iuuat quoque interdum a cibo & potu prorſus abſtinere, vt eo facilius corporis motus coerceantur, & deuotionis impedimenta remoueantur. * Quo nomine & *ieiunia* inter ἀσκήσεις ſpirituales, mediaque proficiendi in ſanctitate, recte referuntur. Quae quidem ſi tanquam opus, vt loqui amant, operatum ſpectentur, parum proderunt: ſed ſi inter media promouendi incrementum vitae ſpiritualis referantur, ad corporis motus excedentes perdomandos, vim maximam habent. Manifeſtum itaque eſt, ieiunia tum demum prodeſſe, ſi inſtituantur vera fide, inter preces & meditationes ſpirituales; ad vſum, non ad oſtentationem hypocriticam, quam in Phariſaeis Chriſtus reprehendit, *Matth. VI, 16. 17.* eo praeſertim tempore,

quo carnis inſultus maxime metuimus, aut animi ſtatus hoc exigit. Nec tamen contemnenda ſunt ieiunia ſtata, & publica, modo hypocriſis abſit, & libertas chriſtiana non adducatur in periculum. Abſtinentia a certo potus aut ciborum genere, interdum vtilis eſſe poteſt: non tamen eſt ieiunium proprie ſic dictum.

* Quam neceſſaria ſit ad virtutis ſtudium temperantia, etiam ethnicorum perſpectum fuit philoſophis: apud quorum quosdam ἀσκήσεως ſeu philoſophicae diſciplinae pars inſignia fuit, non tantum ſobrie admodum in cibi & potus vſu verſari, ſed omnino a cibis delicatioribus, itemque a vino abſtinere. Qua de re prolixe a me dictum, in *diſſertat de aſceſi philoſophica* §. 3. 4. 5 *in analectis hiſtor. philoſ.* p. 413. *ſeqq.* add. ſpeciatim de Pythagoraeis IO. SCHEFFERVS, de *nat. & conſtit. philoſ. Ital. cap.* 14. *p.* 140. Vnde & propter temperantiam philoſophos diuitibus prudentiores pronunciat CLEMENS ALEXANDRINVS, *paedagog. lib.* 2. *p. m.* 141. De viris ſanctis apud Iudaeos idem conſtat, apud quos ab antiquiſſimis inde temporibus ieiunia fuere vſitata, ſcilicer, quod per ieiunia exorbitantes corporis motus coercerentur, animusque ad res diuinas ſerio meditandas, praecipue & ad preces fundendas, liberior aptiorque fieret. Illuſtre cumprimis eſt exemplum Danielis *cap.* X, 2. 3. Et inde euenit, vt ieiunando & ad preces ſe praepararent, & cumprimis ieiunii vſum neceſſarium ad poenitentiam rite agendam crederent. conf. *Ioel.* II, 15. *Ion.* III, 7. Quanquam iam tum eſſent, qui a vero ieiunii ſcopo aberrantes, ipſo hocce opere ſuo ſe ſatisfeciſſe officio, putarent, etſi a prauis ſuis deſiſtere moribus nollent: quos ideo grauiter increpat Eſaias *cap* LVIII, 3. 4. Sed & ſeruator ipſe, phariſaeorum ſimilem circa ieiunia hypocryſin redarguit, *Matth.* VI, 16. Neque tamen is ieiunia indixit, ſed tantum rationem attulit, cur diſcipulis ſuis, quamdiu ipſemet apud eos eſſet, ieiunandum non eſſet, ſimulque docere voluit, rigorem iſtum legalem ieiuniorum in nouo teſtamento ceſſare, *Matth.* IX, 15. 16. Apoſtoli itaque, & primi ſeculi chriſtiani, hanc ſuae diſciplinae partem haud vltimam cenſuerunt, temperantia, & ſobrietate, interdum & ieiuniis, ſed libere, filiali ſpiritu inſtitutis, compeſcere corporis motus, & ad ſanctitatis ſtudium ſe aptiores reddere. Hine de ſeipſo Paulus: ἀλλ' ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγῶ μήπως ἄλλοις κηρύξας αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι, 1 *Cor.* IX, 27. add. *Rom.* XIII, 14. Taceo, quae de ſingulis apoſtolis memorantur ab illis, qui vitas illorum ex antiquitatis monumentis repetunt. Vſitatum hinc etiam erat, cum precibus, ieiunia coniungere, quoties magni aliquod momenti negotium ſuſcipiendum eſſet, vt conſtat ex *Actor.* XIII, 3. XIV, 23. Mens eadem primorum ſeculorum chriſtianis fuit: qui vt temperantiam ac ſobrietatem velut propriam ſibi eſſe volebant, vt vel ex CLEMENTIS ALEXANDRINI *paedagogo lib.* 2. *cap.* 1. & 2. conſtat, ita in ieiuniis etiam erant frequentes, praeterea delicatiores fugiebant cibos, qui prauas irritare cupiditates poſſunt. Quorum vt poſteri imitarentur exempla, par erat, niſi in Romana eccleſia foeda ſuperſtitio & grauiſſimus abuſus acceſſiſſet, quem praeter alios erudite redarguit IO. DALLAEVS, in libro de *ieiuniis & quadrageſimalibus*. Nos itaque ieiuniorum vſum neutiquam reiicimus, ſed valde potius, ceu neceſſarium ad ſanctitatis ſtudium, commendamus, at ſuperſtitionem, conſcientiarum coactionem, errorem, ac ſi ieiuniis aliquid promereri poſſemus, abeſſe volumus. Ieiunia porro commendamus, quae vere talia ſint, quo nomine abſtinentia a certo ciborum genere, venire nequit. Et licet id quoque prudentiae & pietatis ſit, ab iſto cibi & potus genere, quo nimium prauae irritari cupiditates poſſunt, ſe abſtinere, id tamen non eſt ieiunium: ex ſuperſtitione autem certa ciborum genera fugere, & alia in illorum locum ſubſtituere, quibus acrius adhuc extimulari prauae cupiditates queunt, aperta eſt Dei hominumque illuſio. Ieiunia denique ita commendamus, vt eo etiam tempore, quo non ieiunamus, temperantiae & ſobrietati ſtudendum exiſtimemus, memores illius, quod CLEMENS ALEXANDRINVS ſcripſit: ἡ δὲ ὑπερβλύζουσα τὴν αὐτάρκειαν δίαιτα, τὸν ἄνθρωπον κακοῖ, νωθῆ μὲν τὴν ψυχήν, ἐπισφαλὲς δὲ εἰς τὴν νόσον ἐργαζομένη τὸ σῶμα: *victus autem, qui ſufficientiam excedit, ac obruit, homini multum*

multum officit, animum certe ſegnem & inertem reddit, corpus vero valetudinarium, & quod in morbos facile prolabitur, efficiens: paedagog. lib. 2. cap. 1. pag. 142.

§. XXXVIII.

Cum temperantiae ſtudio coniungendam eſſe *vigilantiam ſpiritualem*, docet Petrus *1 ep. V, 8.* quam & ſeruator commendat, *Luc. XXI, 36.* * Namque ad vitae incrementum ſpiritualis non vtilis modo, ſed plane haec eſt neceſſaria, ne hoſtium noſtrorum hoc incrementum impedire annitentium, inſidiis ſuccumbamus. Attendendum itaque eſt diligenter ad omnes motus, cogitationes, dicta, facta; attendendum eſt ad omnes peccandi occaſiones, vt eas diligenter euitemus; ** attendendum ſedulo ad omnium mentis facultatum, oculorum quoque, *** aurium & reliquorum ſenſuum externorum vſum, ne quid admittamus temere, quod praeter ſpem opinionemque inſtitutum noſtrum in vitae ſanctitate proficiendi, turbet.

* Sermo non eſt de vigilantia corporali, licet & haec interdum neceſſaria ſit; vid. *Matth.* XXVI, 41. & vſu non careat. Operoſus in ea commendanda eſt IOAN. BONA, cardinalis, de *diuina pſalmod. cap.* 4. §. 1. *p.* 120. quamuis ad monachorum vigilias defendendas parum haec ei proſint. Nobis de ſpirituali vigilantia ſermo eſt, qua homo diligenter attendit ad ea omnia, quae in anima ſua eueniunt, vt & ad ea, quae animae periculum adferre, aut ſalutem eius promouere poſſint, vt haec arripiat, illa euitet. De qua non tantum in illis, quae attulimus, ſed aliis quoque locis ſcriptura loquitur. conf. *Matth.* XXIV, 42. XXV, 13. *Marc.* XIII, 31. 1 *Cor.* XXVI, 13.

** Hoc & ratio ipſa docet. Vnde & philoſophorum, de mediis proficiendi in virtute praecipientium, ſcitum eſt, occaſionem peccandi euitandam eſſe. Obiecta enim praeſentia, cum vehementius cupiditates irritent, difficilius illis reſiſtitur. Quod, vt alia, recte quoque obſeruauit SENECA, *epiſt.* 113. & M. AVRELIVS ANTONINVS imperator, *lib.* 3. *de ſeipſo ad ſeipſum*, §. 3. Neque vero obiecta ipſa ſi tantum praeſentia ſint, adfectus commouent, excitantque, ſed & ſi ſermonibus aut ſcriptis exhibeantur. Vnde ſequitur, ſcripta quaeuis quae irritare prauas cupiditates poſſunt, ſtudioſe eſſe euitanda. Certiſſimum enim eorum lectio animis hominum adfert perniciem. Haud ſine ratione HIERONYMVS eiusmodi ſcripta *filiquas porcorum* dixit, *queis filius prodigus ventrem non ſatiauit, ſed inferſit*; *epiſt.* 14. Et ISIDORVS lectionem impurorum librorum, comparat eum immolatione daemonibus facta, quod inde anima excitetur ad incentiua libidinum, & ſatanae hoſtia cadat, *lib.* 3. *de ſummo bono cap.* 13. Plura hanc in rem adfert THEOPHILVS RAYNAVDVS, *erotemat. de malis & bonis libris p.* 39. *ſeqq.* PLATONIS aliorumque ethnicorum, eiusmodi libros damnantium, iudicia ibidem legere licet. add. IVSTVS LIPSIVS, *not. ad lib.* 1. *polit. cap.* 10. Non tantum vero ad haec, quae hactenus diximus; ſed ad reliqua etiam omnia haec vigilantia ſpiritualis ſe extendit, quae animam vlla ratione laedere poſſunt. Eleganter MACARIVS: *ſicut exteriores oculi* (hominum nempe vigilantium) *longe perſpiciunt ſpinas & praecipitia*, οὕτω καὶ ὁ προβλεπτικὸς νοῦς προβλέπει ταχύ: ὧν τῆς ἀντικειμένης δυνάμεως τὰς τέχνας καὶ τὰς ἐπισκευὰς, καὶ ἀσφαλίζεται τὴν ψυχὴν ὡς ὀφθαλμὸς τὸν αὐτῆς; *ſic & acri prouidendi perſpicacia praedita mens cito proſpicit aduerſariae poteſtatis artes inſidiasque, ac contra eas praemunit animam, cuius eſt oculus; de cuſtodia cordis cap.* 6. *p.* 5.

*** Iuxta illud IOBI: *fedus pepigeram cum oculis meis, & quid aduertiſſem animum ad virginem? cap.* XXXI, 1.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Solet quoque alias, ceu egregium ad virtutis ſtudium adiumentum commendari, *imitatio aliorum*, * Nec uſu ſuo aut efficacia deſtituitur, modo recte inſtituatur. Inſtitui autem tantum recte poteſt a regenitis, qui & diſcernere rite poſſunt iudicio ſpirituali, quinam imitandi, & gratiae quoque viribus ad imitandum ſunt praediti. Perfectiſſimum autem, quod imitemur virtutis & ſanctitatis exemplum, nobis reliquit Chriſtus ſeruator; ad cuius imitationem ideo etiam ſubinde excitamur, *Matth. XI, 28. 29. Philipp. II, 5. 1 Petr. II, 21.* Hocce itaque exemplum, ſemper nobis ante oculos & animum verſetur, in illud nunquam non intueamur, ad hoc cogitata, dicta, facta, quantum humanae naturae indoles permittit, nunquam non componere annitamur. **

* Quanta imitationis ad malos mores vitiaque contrahenda vis ſit, ſupra ad *cap. 1. ſect. 4.* §. 79. demonſtrauimus. Sed non minor eius vis eſt & efficacia ad propenſiones bonas corroborandas augendasque, ſi emendatus animus fuerit & ad meliora tendat, ceterisque exercitationibus adiungatur. Quod ex iisdem rationibus, & ipſa hominis natura ad imitandum prona, perſpicere licet. Vnde & ethnicorum philoſophi ad virtutem parandam imitatione nihil eſſe efficacius, exiſtimarunt. Patetque id vel M. AVRELII ANTONINI imperatoris & philoſophi exemplo, qui *lib. 1. de ſeipſo ad ſeipſum*, §. 1. *ſeqq.* diligenter eos recenſet, quos in ſingulis fere virtutum generibus ſit imitatus. Sed cur ethnici tamen, reliquis ſubſidiis deſtituti, parum hac ratione, ad veram virtutem proficere potuerint, ex iis, quae paſſim dicta ſunt, conſtat.

** Conſulendi hic merito, qui de imitatione Chriſti ex inſtituto commentati ſunt, quos inter eminet THOMAS A KEMPIS in libello aureo & ſupra iam a nobis commendato, de *imitatione Chriſti*, de quo recte IO. BONA, cardinalis, pronuntiat, *quod ſimplici ſtylo magnam tradat doctrinam ſpiritus*, in *notitia auctorum*, *pſalmodiae diuinae* praemiſſa.

§. XL.

Nec aliorum hominum ſanctitatis laude illuſtrium excludenda prorſus ſunt exempla: quemadmodum Paulus Corinthios adhortabatur: *eſtote imitatores mei, vt ego Chriſti. 1 Corinth. XI, 1.* conf. & *1 Cor. IV. 6. 16. Philipp. III, 17. Ebr. XIII, 17.* Diſcretione tamen opus eſt, vt diligenter, tum quos, tum quid in quolibet imitemur, diſpiciamus. Namque in ſanctiſſimis etiam imbecillitates & defectus varios deprehendi, meminiſſe nos oportet. Sunt praeterea aliorum ita conſideranda exempla, vt quidquid boni & egregii habent, id diuinae imputandum eſſe gratiae, cogitemus.

§. XLI.

Conuerſationis quoque magnam vim in hominum mores eſſe, conſtat. Quemadmodum enim conuerſatio cum malis, ad corrumpendos mores bonos, prauosque inducendos, plurimum valet, vt ea, ceu contagio quodam, hominum mentes inficiantur, vnde quouis modo

eam

eam fugiendam, quiuis intelligit: * ita conuerſatio contra cum hominibus piis & ſanctis, plurimum prodeſt, & ſanctitatis ſtudium mirifice adiuuat, praeſertim ſi in ea accedant cohortationes, commonefactiones, excitationesue ad excutiendum torporem omnem, animumque ad praeclara quaeuis, inflammandum, comparatae, conſ. *Coloſſ. III, 16.*

* Id ſupra ex inſtituto comprobauimus, ad *cap.* 1. *ſect.* 4. §. 79.

§. XLII.

Quae hactenus commemorauimus, generatim ſanctitatis ſtudium promouere poſſunt. Nec tamen praetermittenda, quae ſpeciatim huic aut illi tentationi, curſum in ſanctitatis ſtudio impedienti, opponi poſſunt. Qua in re, vt rite verſemur, indolem & cauſſas cuiuslibet tentationis primum inueſtigare oportet; tum media ea, quae iſtis tollendis conueniunt, adhibere. Si quis ergo cum dubiis variis atque ſcrupulis, circa doctrinae coeleſtis capita quaedam colluctetur, ponderatis diligenter, quae huc faciunt, ſcripturae locis, diluere ea & diſſipare annitatur, quae animum anxium atque ſollicitum tenent. Quod ſi cum variis cupiditatum generibus, voluptatis cupiditate, auaritia, ambitione, confligendum ſit, ea adhibeantur remedia, quae hiſce morbis curandis maxime ſunt idonea, ieiunia, eleemoſynae, preces, adhibitis argumentis, quae iſtorum vitiorum turpitudinem, * & virtutum contrariarum pulchritudinem ac praeſtantiam, vel maxime ob oculos ponant.

* Eiusmodi argumenta, quibus foeditas & turpitudo vitiorum repraeſentetur, ipſa equidem ſuppeditat ratio, & in philoſophorum quoque ſcriptis paſſim obuia ſunt. Ecquis enim eſt, qui non facile perſpiciat, voluptatibus nihil eſſe foedius, quibus infamia inſuper, paupertas, & morbi attrahantur, & mors acceleretur? honoribus, ad quos ambitio adſpirat, nihil moleſtius, qui contentionibus, turbis, periculis perpetuis hominem exponunt? diuitiis nihil inconſtantius, quippe quibus, ſi etiam maximae fuerint, vnica hora homines ſpoliari poſſunt? Veterum huc ſpectantia teſtimonia collegit PETRVS DANIEL HVETIVS, in *quaeſtionibus Alnetanis*, *lib.* 3. *cap.* 8. 12. 16. De voluptatum foeditate legendus cumprimis EPICTETVS in *enchiridio cap.* 56. & SIMPLICIVS, *comment. ad h. l. p. m.* 288. *ſeqq.* M. AVRELIVS ANTONINVS, *de ſeipſo ad ſeipſum lib.* 6. §. 26. & alibi paſſim; de gloriae & honorum vanitate SENECA, *epiſt.* 66. 71. 110. 113. & ANTONINVS, *lib.* 4. §. 3. item *lib.* 7. §. 29. de diuitiarum denique incerta poſſeſſione SENECA, *epiſt.* 16. 25. & alibi; add. quae dixi in *elem. philoſ. pract. part.* 1. *cap.* 6. § 22. *ſeqq.* Sed tutius tamen eſt ex ipſa ſcriptura ſacra argumenta petere, quippe quae miſeriam hominum peccatorum iſtis vitiis indulgentium, iraeque diuinae illis imminentis grauitatem, luculentiſſime efficaciſſimeque ob oculos ponit.

§. XLIII.

Vt cuncta denique rite procedant, in *applicatione* etiam *remediorum* caute & prudenter verſandum. Prudens autem applicatio, ſupponit notitiam morbi accuratam, * eamque ſpecialem, totiusque ſta-

tus animi. Ad eam porro requiritur, vt remedia adhibeantur, *tempeſtiue*, quamprimum morbi aut vitii cuiusdam inſultum ſentimus: cum morborum, qui radices egerunt, difficilis ſit curatio; deinde, *conſtanter*, vt ſi forte, ſtatim leuamentum non ſentiamus, immo fortius & vehementius redire tentationes videantur, non abiiciamus animum, ſed per fidem & patientiam, conſtanter reſiſtamus; denique *circumſpecte*, vt ea vitiis & morbis ſingulis opponamus remedia, quae non tantum iis curandis ſunt idonea, ſed aetati, ſtatui, conditioni cuiusuis & aliis circumſtantiis, quantum res ipſa patitur, maxime ſunt accommodata. Quod pari ratione de euitatione illorum, quae ſingulis noxia ſunt, & damnum adferre poſſunt, intelligendum eſt.

* Notitia haecce morbi ſtatusque animi ſupponit accuratam notitiam ſui ipſius. Et hanc ſane in vitae emendatione ſtudioque virtutis admodum neceſſariam eſſe, immo vtramque facere paginam, etiam ethnicorum philoſophi agnouerunt. Id iam obſeruatum a me, pluribusque demonſtratum, in *ſapientia veterum, ſeu dictis illuſtrioribus ſeptem Graeciae ſapientum, diſſertationibus aliquot academicis, illuſtratis*, ſpeciatim in *ethica Chilonis Lacedaemonii*, §. 4. *ſeqq.* Legendi praeterea hac de re IO. GERHARDVS VOSSIVS, de *cognitione ſui*, & qui lingua gallica hoc argumentum pertractarunt, ABBADIE & BERNHARDVS LAMI, ille in *arte ſeipſum cognoſcendi*, hic in tractatu de *cognitione ſui ipſius*, quibus addendus CHARONDAS (CHARRON) *in lumine ſapientiae*, *lib. 1. per integrum*; cumprimis DIODORVS TVLDENVS, *in libris quinque de cognitione ſui*, opere profecto egregio & praeſtantiſſimo, ante paucos annos iterum recuſo. Sed cum ea, quae philoſophi hac de re tradunt, hic non ſufficiant, iungenda, quae ad naturae humanae indolem iuxta diuinarum litterarum ductum, accuratius cognoſcendam paſſim, ſpeciatim ſupra *cap. 1.* per integrum fere attulimus in medium. Haec enim ſi quis accurate teneat, & ſincere ac ſine fuco in hocce negotio verſari velit, illi difficile non fuerit, intimos mentis explorare receſſus. Sincere, dixi, & ſine fuco hoc in negotio eſſe verſandum. Per connatam enim omnibus philautiam plerique ad fallendum ſeipſos proni ſunt, dum vitia & naeuos excuſant, aut emolliunt, aut miſſis in ſui cognitione, quae taedium vel dolorem creare poterant, in ea ſaltem animum cogitationesque defigunt, quibus ſibi ipſis placere queant. Praeclare ex ipſis ethnicis hoc iam obſeruauit SENECA: *Illud praecipue nos impedit, quod cito nobis placemus: ſi inuenimus, qui bonos nos dicat, qui prudentes, qui ſanctos, agnoſcimus, cum ſciamus, illos ſaepe multa mentiri, epiſt. 59. p. m. 212.* Et alibi: *inſitum eſt mortalitati vitium ſe ſuaque mirandi. Nemo non benignus eſt ſui iudex: de beneſic. lib. 2. c. 26.* Quocum conuenit illud VELLEII PATERCVLI: *familiare eſt hominibus, omnia ſibi ignoſcere: nihil aliis remittere, lib. 2. c. 30.* Merito itaque nonnulli veterum dicto: γνῶθι σεαυτὸν, ſubiecerunt, ſed σωφρόνει, *modeſte age.* vid. IVSTVS LIPSIVS *phyſiolog. Stoic. lib. 3. diſſ. 3. p. 120.* Haec ſi ethnicis perſpecta fuere, multo magis chriſtianis caute hac in re verſandum, ne prauae philautiae fallacia agantur in tranſuorſum, ſibique alii eſſe videantur, quam reuera ſunt. Addenda, quae ſupra ad §. 5. *huius capitis* diximus.

S. D. G.

INSTI-

INSTITVTIONVM
THEOLOGIAE MORALIS
PARS SECVNDA.

Digitized by Google



Q. D. B. V.

PROLEGOMENA
DE
NATVRA ET INDOLE IVRISPRVDENTIAE DIVINAE DEQVE ADMINICVLIS STVDIO EIVS INSERVIENTIBVS.

Σύνοψις.

IVrisprudentiae diuinae definitio, §. I. Cur diuina, itemque vniuerſalis, & naturalis dicatur, §. II.

Exiſtentia eius, §. III.

Eſt ſcientia practica, §. IV.

Obiectum eius ſunt actiones hominum regenitorum, ſeu officia, §. V.

Non irregenitorum, ſed regenitorum actiones hic in cenſum veniunt, §. VI.

Finis iurisprudentiae diuinae idem eſt ac legum diuinarum: harum autem finis alius fuit ante lapſum hominum, alius poſt lapſum, §. VII.

Poſt lapſum finis earum duplex a quibusdam conſtituitur, vel politicus, vel theologicus, & hic iterum alius in iuſtificandis, alius in iuſtificatis, §. VIII.

Finis theologicus in iuſtificatis hic in cenſum venit, vnde & iurisprudentiae diuinae finis aeſtimandus, §. IX.

Tractatio illorum, qui leges diuinas ad ductum rectae rationis expendunt, in quo differat a tractatione illorum, qui eas ſecundum lumen reuelationis conſiderant, §. X.

Poſterior tractatio licet perfectior ſit, non tamen ideo reiicienda eſt prior, §. XI.

Nec tamen pretium aut limites prioris tractationis vltra, quam decet, extendendi, §. XII.

Inter adminicula huius ſtudii primo ſe offert ſcripturae ſacrae lectio, in qua fons vberrimus iuris diuini conſpicitur, §. *XIII.*

Speciatim librorum & locorum, in quibus ex inſtituto de legibus diuinis agitur, §. *XIV.*

Tum & Ebraeorum, qui ius diuinum explicarunt, ſcripta, §. *XV.*

Item, qui libros aut loca ſcripturae ſacrae, in quibus de legibus diuinis agitur, ſpeciatim decalogum, commentariis ſuis illuſtrarunt, §. *XVI.*

Quid patres & antiquae eccleſiae doctores in iurisprudentia diuina praeſtiterint, §. *XVII.*

Compendia, & ſyſtemata theologiae moralis, ſimiliaque moraliſtarum ſcripta, plurimum huc conferre, §. *XVIII.*

Itemque, qui de caſibus conſcientiae egerunt, aut reſponſa theologica dederant, §. *XIX.*

Denique & illos, qui iuxta lumen rationis iurisprudentiam diuinam pertractarunt, §. *XX.*

Methodus & tractationis noſtrae ordo, §. *XXI.*

§. I.

IVrisprudentia diuina nobis eſt ſcientia practica ad diuinarum litterarum ductum docens, quo pacto homines regeniti actiones ſuas ad leges diuinas componere debeant, vt gratum ita erga Deum animum obſequiumque promptum, teſtentur.

§. II.

Notum alias eſt, quod per *iurisprudentiam*, notitia legum cum facultate rite ad actiones hominum eas adplicandi, intelligatur. Cum autem leges, quarum complexus *iuris* nomine quandoque venit, * vel *humanae* vel *diuinae* ſint, hoc loco diuinae intelliguntur, quippe quae noſtrae ſunt conſiderationis, eaeque vniuerſales, quae ad omnes omnino homines, ſine gentis aut temporis diſcrimine, pertinent. Particulares enim, quae ſoli genti Iſraeliticae olim datae fuere, cum nullam amplius obligandi vim hodie habeant, vt ſuo loco dicetur, hic itidem in cenſum non veniunt. Vniuerſales equidem in *poſitiuas* & *naturales* a nonnullis diſpeſcuntur: ſed rectius forte, vt itidem ex dicendis conſtabit, ex omnibus difficultatibus ſe expediunt, qui admiſſis tantum naturalibus, ex naturae non corruptae, ſed partim integrae, partim reſtitutae conditione aeſtimandis, has vel *abſolutas*, vel *hypotheticas* eſſe, contendunt. Et hinc intelligitur, cur iurisprudentia haecce, de qua nobis ſermo eſt, *diuina*, itemque *vniuerſalis*, vt & *naturalis*, dicatur, & recte ita dici poſſit.

* Varias vox *iuris* habet ſignificationes, quas praeter alios ediſſerit HVGO GROTIVS, *lib. 1. de iure belli & pacis, cap. 1. §. 3. ſeqq.* Namque interdum pro *attributo actionis*, quandoque pro *attributo perſonae*, ſaepius pro *lege*, vel potius *multarum legum complexu*, ſumitur, quae ſignificatio obtinet, cum de iurisprudentia agitur, de qua GROTIVS §. II. & commentatores eius ad *h. l.*

§. III.

Dari *leges diuinas*, tum ex lumine rationis, tum ex lumine reuelationis, * tam certum eſt, vt nemo negare hoc aut in dubium vocare queat,

queat, niſi qui ſtulto & inſano auſu vtrumque lumen reiicere, aut impugnare, in animum induxerit. Inde vero & iurisprudentiam diuinam dari, certum eſt.

* Etſi leges naturae, hoc eſt, diuinae, prout ex naturae conſideratione innoteſcunt, hominum cordibus inſcriptae ſunt, tanta tamen quorundam fuit coecitas, & ad peſſima quaevis obfirmatus animus, vt eiusmodi leges ſeu iura dari, inficiarentur. Iam olim id negauit Carneades apud LACTANTIVM *inſtitut. diuinar. lib.* 5 *cap.* 16. qui ius naturae ſtultitiae nomine infamauit. Nec alii deerant, qui cum illo facerent, quorum praecipuum argumentum erat, iura omnia ab vtilitate originem habere, hinc & ciuitates diuerſa ſibi ſtatuiſſe iura pro ratione vtilitatis. Eundem fere in modum, & qui ex EPICVRI prodierunt diſciplina, hac de re philoſophabantur. Omnia namque iura ex vtilitate nata dicebant. Vnde & vtilitas *iuſti prope mater & aequi*, vocatur HORATIO, *lib.* 1. *ſat.* 3. Quam iſtorum hominum ſententiam cordati omnes merito vnanimi damnarunt conſenſu. Et ex antiquis quidem eccleſiae doctoribus iam AVGVSTINVS, contra eos diſputat, qui *putauerunt, nullam eſſe iuſtitiam per ſe ipſam, ſed vnicuique genti conſuetudinem ſuam iuſtam videri, de doctrin. chriſtian. lib.* 3. *cap.* 14. Recentiori vero aetate iſtum veterum errorem ab orco revocauit THOMAS HOBBESIVS, cuius omnis eo tendere videtur labor, vt diuinas, quae omnes homines obligant, conuellat, & ex mentibus mortalium eripiat leges. Legenda ſaltem ſunt, quae habet de *ciue cap.* 1. §. 7. & in *Leuiathane cap.* 14. Operam nimirum dare voluit, vt impudentia ethnicos vinceret. Quorum profecto infirma admodum & leuia erant, quae pro iſta ſententia adferebant, argumenta. Iura namque primum ciuilia cum iure naturae turpiter confundebant. Illa ex vtilitate, ſed vera, non adparente, ſi modo recte ſe haberent, conſtituta fuiſſe, lubenter concedimus. Quo ipſo ius naturae non tollunt, ſed ſupponunt. Deinde ipſum ius naturae hominum vtilitatem ſemper ſecum coniunctam habet. Non enim rectius hi rebus ſuis conſulunt, quam cum illud accurate & ſtudioſe obſeruant. Sed inde non ſequitur, ex vtilitate ius naturae eſſe deriuandum: ſeu ideo ſaltem aliquid iuſtum eſſe, quia ſit utile; cum alia cauſſa eſſe queat, cur aliquid iuſtum ſit, licet idem ſimul ſit vtile. Hinc & vtilitas non eſt opponenda iuri, multo minus ita inferendum, homines natura ſua ſectantur vtilia, hoc eſt, ea, quae iuri naturali repugnant, ergo non datur ius naturae. Ea enim, quae iuri naturae repugnant, reuera non ſunt vtilia, licet talia illis videantur, qui ea ſectantur. Idque dum faciunt homines, non rationis ductum, ſed prauos adfectus ſequuntur, vnde neutiquam inde inferendum, non dari ius naturae. Sed quid opus, hisce immorari? cum cauſſam hanc ſatis euicerint HVGO GROTIVS. *prolegom. oper. de iure belli & pacis* §. 5. *& ſeqq.* & SAMVEL PVFENDORFIVS, *de iure natur. & gent. lib.* 2. §. 10. 11. add & FRIDERICVS RAPPOLTVS *comment. in Horat. l. c. pag.* 9 *. & IOAN. ADAMVS OSIANDER, *ad Grotii l. c.* Ceterum quo pacto hoc ex ipſa naturae humanae conſideratione luculenter demonſtrari queat, alibi oſtenditur. Quod ſi autem ipſa ratio tam luculenter nos hac de re conuincit, de reuelatione eo minus dubitandum, quae non tantum dari leges diuinas, ſed eas hominum etiam cordibus inſcriptas, docet, vt in ſequentibus ſuo loco pluribus euincetur,

§. IV.

Et hanc quidem iurisprudentiam diuinam, *ſcientiam practicam* dicimus, eodem ſenſu, quo & theologiam moralem ſtrictius ſic dictam, ita vocauimus. Eſt namque omnino iurisprudentia diuina pars quaedam theologiae practicae, ſeu moralis, latius ſic dictae. * Cumque in ſcientia theologice & ſecundum ſcripturae vſum ſpectata, praeter

 verita-

veritatem cognitionis, aliaque, & *certitudo* adeſſe debeat, ea & hic in iurisprudentia diligenter obſeruanda, ** & planiſſime ob certitudinem diuinam, auctoritatemque ſcripturae ſacrae infallibilem, ſibi conſtat. Principium namque cognoſcendi, vnicaque doctrinae norma & regula, & hic ſcriptura ſacra eſt. *Practica* haec ſcientia dum dicitur, id non tam ratione finis, quam ratione obiecti intelligendum eſſe, itidem alibi iam docuimus.

* Hinc & omnia ea hic locum inueniunt, quae *part. 1. prolegom.* §. 4. *ſeqq.* in medium attulimus.

** Multum refert, vt certitudo iurisprudentiae diuinae ſibi conſtet, quae nititur ipſarum legum diuinarum certitudine, hoc eſt, vt certo ſciamus, Deum has leges dediſſe, itemque aliquid iuſtum eſſe, aut iniuſtum, honeſtum aut turpe. Siue autem ex ratione, ſiue ex reuelatione rem aeſtimes, tanta hic vtrobique certitudo deprehenditur, quantam in vllo alio ſcientiarum genere expectare licet. Quid generatim praeceptum, quid vetitum legibus diuinis ſit, & ratio, & reuelatio tam aperte dictitat, vt, qui dubitare hac de re velit, merito inſanire cenſeatur. Quod ſi vero in particularibus dubia quaedam occurrant, id hominum contingit vitio, qui ex principiis vniuerſalibus concluſiones non recte deriuant, aut in adplicatione legum ad facta incaute & improuide ſe gerunt, vel circumſtantiarum rationem non perſpectam ſatis atque exploratam habent. Hinc maximopere fallitur HVGO GROTIVS, dum ARISTOTELEM ſecutus, in moralibus non aeque, ac in mathemathicis diſciplinis, certitudinem inueniri, aſſerit, de *iure belli & pacis lib. 2. cap.* 23. §. 1. Nec allatae ab eo quicquam probant rationes, cum aut falſis erroneisque nitantur hypotheſibus, v. g. ac ſi in moralibus etiam quoad qualitatem quaedam detur latitudo, vel id ſaltem euincunt, in applicatione facile decipi homines poſſe, niſi caute incedant, quorſum illud pertinet, quod circumſtantiae minimae rem variare dicuntur. Sed huncce GROTII errorem ſolide & accurate profligauit PVFENDORFIVS, de *iure nat. & gent. lib. 1. cap.* 2. Cum vero, quae ex reuelatione conſtant, nulla ratione quoad certitudinem illis cedant, quae rationis lumine innoteſcunt, multo magis noſtrae tractationi, quae ſcripturae auctoritate nititur, ſuam conſtare certitudinem, neceſſe eſt, cum, quae & huic opponi poſſint, eiusdemque generis ſint, ac ea, quae iam profligauit PVFENDORFIVS. De variis autem hypotheſibus falſis ac erroneis, quibus iurisprudentiae diuinae, ſiue qua rationem, ſiue qua reuelationem ſpectatae, certitudo labefactatur, ex inſtituto dixi in diſſertat. de *ſcepticiſmo morali*, §. 9. *ſeqq.* in *analectis hiſtor. philoſ. p.* 218. *ſeqq.*

§. V.

Habet autem iurisprudentia diuina pro *obiecto*, actiones hominum, prout ad leges diuinas ſunt componendae. Vnde quo pacto a reliquis practicae theologiae partibus differat, patet. Theologia enim moralis ſtricte ſic dicta de incremento hominis in vita ſpirituali ſollicita eſt: prudentia chriſtiana, actiones hominum regenitorum ad prudentiae regulas dirigendas conſiderat: at iurisprudentia diuina, actiones regenitorum conſiderat, prout ad leges diuinas ſunt exigendae, inde, vt conſtet, num bonae an malae ſint? Actiones autem intelliguntur, in genere morum tales, quae & alias *officia* vocari ſolent,

voce

Digitized by Google

voce eſt Stoicorum diſciplina deprompta, * ſed in theologia quoque, ſi recte explicetur, retinenda.

* Frequentiſſimus vocis huius vſus fuit apud Stoicos. Ipſe Stoicae ſectae conditor Zeno Cittieus librum de *officio* ſcripſit, teſte DIOGENE LAERTIO in *vita Zenonis.* Requirebant autem Stoici tria ad officium, primo, vt ſit actio rationi conueniens, deinde, vt eo modo fiat, quo eam fieri ratio iuſſit, & denique ne alio tempore fiat, quam quo ratio praecipit. conf. SAMVEL RACHELIVS ad *Ciceronis lib.* 1. *de officiis p.* 18. & IO. HENRICVS BOECLERVS, in *praefat. ad Ambroſii libr. de officiis.* Nec vna tamen ratione haec vox accipitur. Interdum enim eousque eius extenditur ſignificatio, vt actiones vtiles & conſeruationi noſtrae inſeruientes complectatur: quandoque & honeſtas & decoras actiones ſignificat: ſaepiſſime eas tantum denotat, quae honeſta eſunt, ſeu cum lege conueniunt, quas & diuina conſiderat iuriſprudentia. Solebant praeterea Stoici officia in κατορθώματα & καθήκοντα diſpeſcere, quorum illa in ſolum ſapientem ſuum, quem ſibi fingebant, cadere, autumabant, de quo & alia multa παράδοξα tradebant, vt in compendio legere licet apud IVSTVM LIPSIVM, in *manuduct. ad philoſ. Stoic. lib.* 3. *diſſertat.* 3. *ſeqq.* Hinc & parum abeſt, quin de *perfectis iſtis officiis,* ſeu κατορθώμασι idem cenſendum ſit, quod de ſapiente Stoicorum iampridem pronuntiarunt viri docti, eum nullibi, niſi in Stoicorum vnquam extitiſſe cerebro. Interim, etſi ad eum ſapientiae gradum nemo peruenerit, nec κατορθώματα, ſeu perfecta officia, ediderit, aut ſaltem naturae viribus edere poſſit, haec tamen documento ſunt, cognoſcere gentiles rationis ductu quodammodo potuiſſe, quo pacto officia perfecta cumparata eſſe debeant. Praeterea iam CICERO de *orat. lib* 3. obſeruauit, non ſatis in hac doctrina ſibi conſtare Stoicos. Docere quippe, eos omnes inſanire, qui non ſunt ſapientes, quin eosdem fures atque latrones eſſe: ſimul tamen fateri, ab iis etiam, qui non ſunt ſapientes, exerceri poſſe τὰ καθήκοντα. Neceſſe ergo eſſe, vt fateantur, ab inſanis, hoc eſt, ratione deſtitutis, edi tamen actiones, quae cum ratione conueniunt. Conferenda, quae dixi, *diſſert.* 3. *de errorib. Stoicor. in philoſ. morali* §. 1. Quidquid vero ſit, de mente ſententiaque Stoicorum, quae, num defendi, aut recte explicari queat, noſtra parum tandem refert, id modo obſeruamus, fuiſſe, qui etiam ad chriſtianorum diſciplinam vocem *officii* transferrent. Quos inter primum locum AMBROSIVS tenet, Mediolanenſis praeſul, in libris *de officiis,* de quibus deinceps quaedam dicemus. Is vero, & quae de diſcrimine inter καθήκοντα & κατορθώματα diximus, huc adplicat, ea quidem ratione, vt κατορθώματα, ſeu *perfecta officia,* ea eſſe contendat, quae ab homine chriſtiano ad maioris perfectionis gradum euecto praeſtari poſſint, vt ſequela Chriſti, quae cum abnegatione ac derelictione rerum huius ſeculi coniuncta ſit, eleemoſynarum vberior, etſi ad paupertatem etiam ducat, erogatio, & inimicorum dilectio: media vero, ſeu καθήκοντα ea eſſe, exiſtimet, quae generatim ab omnibus requirantur, vti illud: non homicidium facies, non adulteraberis &c. *lib.* 1. *officior. cap.* 11. *p. m.* 19. Quae tamen caute profecto & cum grano ſalis accipienda ſunt, ne ipſarum legum diuinarum quoddam inducamus diſcrimen, ac ſi non omnes ad omnes aeque pertineant homines, aut ad Pontificiorum, conſilia a legibus diſtinguentium, prolabamur errorem, quem deinceps ex inſtituto profligabimus. Quod ſi ad vſum transferre placeat eam Stoicorum diſtinctionem, rectius forte illorum procedet ſententia, qui κατορθώματα ſeu *perfecta officia* vocant, quae ſecundum certam peraguntur conſcientiam, vt contra, quae probabili nituntur conſcientia, καθήκοντα, ſeu *officia media* adpellitant. Namque & CICERO, *medium,* inquit, *officium id eſſe, dicunt, quod, cur factum ſit, ratio probabilis reddi poteſt.* conf. SAMVEL RACHELIVS ad *Ciceron. offic. lib.* 1. *pag.* 21. *ſeqq.* Quanquam iuxta Stoicorum ſententiam non certitudinis ſaltem gradu, ſed aliis etiam requiſitis, differebant κατορθώματα & καθήκοντα. Vnde & non errant, qui, ad diſcrimen regenitorum ac irregenitorum hic vel maxime attendendum, dicunt, ſiquidem in chriſtiana iuris diſciplina hanc diſtinctionem retinere, fas ſit. Etſi enim regenitorum officia ſecundum rigorem legis perfecta non ſint, ſola tamen ita comparata ſunt, vt Deo placere queant. Irregenitorum autem non modo imperfecta, ſed omnino improprie officia ſunt. Quae

autem ad philoſophorum imitationem officia dicimus, alias iuxta ſcripturae ſacrae ſtilum ἔργα καλὰ *opera bona*, vocantur, *Epheſ.* II, 10. *Tit.* II, 14. Vox *officii*, in hac quidem ſignificatione in ſcriptura ſacra non occurrit. In verbis enim Lucae *cap.* 1, 23. quae AMBROSIVS huc refert *lib.* 1. *de officiis, cap.* 8. *pag.* 15. *factum, vt impleti ſint dies officii eius &c.* vox iſta pro ſacri muneris adminiſtratione ſumitur. Eſt enim in graeco: λειτουργία. conf. & de voce hac ANDREAS ADAMVS HOCHSTETERVS, in *colleg. Puſendorf. exercit.* 1. *p.* 44. 45.

§. VI.

Non quorumlibet etiam hominum, ſed regenitorum actiones hic in cenſum veniunt. Irregeniti enim nihil omnino, ſecundum verum & genuinum legis ſenſum, boni agere, ſeu nulla officia, in ſenſu chriſtiano, praeſtare poſſunt. Regenitorum autem actiones bonae ſeu legi diuinae reſpondentes, etſi imperfectione laborent, ob fidem tamen in Chriſtum Deo placent, indeque pro *officiis chriſtianis*, ſeu *operibus bonis*. recte habentur. conf. *1 Petr. I, 22. 2 Petr. I, 5. ſeqq. Epheſ. IV, 22. ſeqq. Coloſſ. III, 10. 2 Tim. II, 21.* Idque generatim de omnibus cuiuscunque ordinis, conditionis, & ſtatus hominibus, eſt intelligendum.

§. VII.

Finis iurisprudentiae diuinae non alius eſt, quam ipſarum legum diuinarum. Harum vero finis alius fuit ante lapſum humani generis, alius hodie eſt poſt lapſum. Nimirum, cum ante lapſum fedus operum adhuc obtineret, finis legis diuinae fuit, vt per eius exquiſitam obſeruantiam, homo vitae, praeſertim ſpiritualis, continuationem & augmentum, tandemque conſummatam beatitudinem, conſequeretur, cum in eius omnino viribus poſitum eſſet, accurate legem diuinam implere. At cum poſt lapſum ſumma hominum in ſpiritualibus ſit ἀδυναμία, adeoque & in federe gratiae, non per opera, ſed tantum per fidem in Chriſtum, ex parte hominis, iuſtificatio atque ſalus illis obtingat, *Rom. III, 28.* iſte quidem finis, hominum culpa, hodie ceſſat. *

* Qui ſecundum rationis ductum iurisprudentiam diuinam tradunt, de fine legum diuinarum diuerſimode ſentiunt. GVILIELMVS GROTIVS finem iuris naturalis eſſe, dicit, *commune totius vniuerſi, particularium gentium, & ſingulorum hominum bonum*, hoc eſt, vt totum genus humanum, integrae gentes, & ſinguli homines ſecure, tranquille, & feliciter viuere poſſint; in *enchirid. de principiis iuris nat. cap.* 3. §. 7. BALTHASAR MEISNERVS quadruplicem iuris naturae finem conſtituit, Dei inquiſitionem, quaeſiti venerationem, honeſtam conuerſationem, & inexcuſabilem damnationem, *lib.* 1. *de legibus cap.* 4. A GVILIELMI GROTII ſententia non procul diſcedit RICHARDVS CVMBERLANDIVS, dum finem iuris naturalis ſtatuit publicum & commune omnibus agentibus naturalibus bonum, in *diſquiſ. philoſoph. de legibus nat. cap.* 5. Alii docent, finem legum naturalium eſſe aeternam felicitatem ac beatitudinem hominum, non prorſus quidem male, modo recte intelligatur. Nimirum leges naturales eaedem ſunt, quae ex reuelatione

nobis

nobis innotuerunt, vnde non tantum, quid ratio, ſed & reuelatio, de earum fine doceat, attendendum, praeſertim cum reuelatio plenius & perfectius hoc praeſtet, quam ratio. Iam vero id quidem ratio intelligit, leges diuinas ad hominum vtilitatem & felicitatem tendere. Immo & hoc quodammodo perſpicit, non ad huius modo vitae, ſeu externam felicitatem, ſed longe ſublimiorem finem, haſce tendere leges. Vnde omnino errant, qui finem legum naturalium huius vitae vſu & commodis tantum circumſcribunt. Multo magis hoc confirmat reuelatio, ad hominum felicitatem, non tantum externam, ſed & internam, eamque perennem & aeternam leges diuinas ſpectare. Sed alia nunc quaeſtio eſt, an hic finis obtineatur, & cur non obtineatur? Enim vero ipſa ratio cum quodammodo intelligat, neminem eſſe, qui leges diuinas ita, vt decet, obſeruet, colligere hinc etiam poteſt, hoc pacto homines iram potius, quam gratiam Dei, promereri, ac ad veram felicitatem peruenire non poſſe. Vnde & gentiles de ratione expiandi peccata ſua ſolliciti, ad ſacrificia, variaque luſtrationum genera deſcenderunt. Longe hoc luculentius oſtendit ſcriptura, dubiumque, quod ratio hic remouere nequit, tollit, vnde contigerit, vt homines leges iſtas accurate ſeruare nequeant? quod ſcilicet per primorum parentum lapſum peccatis immerſi homines proni ſint ad mala quaeuis, ad bona contra, & virtutes, quae Deo placeant, prorſus inepti. Hinc finem quidem legum diuinarum hominum felicitatem, praeſertim internam & perennem eſſe conſtat, ſed qui hominum culpa poſt lapſum per legum obſeruantiam obtineri nequeat. Interim aliam viam aeternam ſalutem conſequendi reuelatio oſtendit, fidem in Chriſtum, quam ratio prorſus ignorat. Eos namque, qui ratione & natura duce viam ad ſalutem ſe inuenire poſſe credunt, turpiter falli, alibi demonſtratur ex inſtituto. Conferenda, quae dixi in *animaduerſionibus ad Petri Chauuini librum de relig. nat. cap. 1.*

§. VIII.

Duplex proinde poſt lapſum finis vſusque legis diuinae conſtitui ſolet, *politicus* alter, alter *theologicus*, & hic iterum alius in *iuſtificandis*, alius in *iuſtificatis*. Politicum, quem & *diſciplinarem* vocant, eo ſpectare putant, vt externa diſciplina metuque legis, ſaltem eousque etiam non renati coerceantur, ne externa temere delicta committant. * Eoque illud Pauli: *iuſto non eſt lex poſita*, *1 Tim. I, 9.* referunt. ** Theologicus legis finis in iuſtificandis, hic eſt, vt lex diuina oſtendat peccata, iramque Dei aduerſus ea reuelet, vt inde excitati remiſſionem peccatorum & conſolationem aduerſus iram Dei, & mortem aeternam, in Ieſu Chriſto, quaerant. *Rom. VIII, 7.* Sed hic quidem finis non magis huius loci eſt, quam prior ille ſeu politicus, cum non de conuerſione ac iuſtificatione, nec de externa impiorum coercitione, ſed de officiis regenitorum hic ſimus ſolliciti.

* Etſi externa, aut ſingulorum hominum, aut integrarum rerumpublicarum felicitas, non quidem principalis, ſed tantum ſecundarius & minus principalis finis ſit, dubium tamen non eſt, quin hunc quoque ſimul intenderit Deus, & intendat, cum amor eius ſummus erga homines nos ambigere non ſinat, quin velit, vt externe quoque feliciter atque tranquille viuant. Ad externam vero illam felicitatem & tranquillitatem plurimum confert obſeruantia, etſi externa ſaltem, adeoque minime ſufficiens, legum diuinarum. Atque huc pertinet, quod poſt alios SAMVEL PVFENDORFIVS docet, religionem, cuius pars haud vltima legum diuinarum eſt obſeruantia, eſſe *vltimum & firmiſſimum humanae ſocietatis vinculum.* Lectu digna ſunt, quae hac de re habet *lib. 1. de offic.* c. 4. §. 9. Et ſane, ſi timor Numinis remoueretur, legumque diuinarum obſeruantia, poenaeque aeter-

aeternae metus ceſſaret, non poſſet non ſumma rerum omnium inde oriri confuſio, cum nulla potentia, quantumuis magna, nulla prudentia aut calliditas ad continendos in obſequio homines ſuffectura eſſet. Interim caute admodum hac in re verſandum, nec vnicum hunc aut praecipuum legum diuinarum, religionisque finem eſſe exiſtimemus. Fuit is Florentini illius politici NICOLAI MACHIAVELLI error, non alium religionis adeoque & legum diuinarum eſſe vſum, quam qui in continenda in fide & obſequio plebe conſpiciatur, prudentiaeque eſſe, hocce rite vti dominandi inſtrumento: quam poſt alios & ego profligaui impietatem in *diſſert. de concordia religionis chriſtianae ſtatusque ciuilis, cap.* 1. §. 17. Fuit & PVFENDORFIO a quibusdam, ſpeciatim a IO. IOACHIMO ZENTGRAVIO vitio datum, quod religionis, adeoque & iuris naturalis vſum vltra huius vitae terminum non extendiſſet, de *orig. iur. nat. pag.* 129. Sed etſi PVFENDORFIVS de eo ſaltem vſu, quem religio legumque diuinarum obſeruantia in hac vita habeat, loquatur, non tamen ideo negauit, alium ſublimioremque eius vſum eſſe. Vnde & merito defenſus ac excuſatus fuit ab aliis, quod nuper etiam praeſtitit ANDREAS ADAMVS HOCHSTETTERVS, vir clariſſimus, in *collegio Pufendorfiano exercit.* 4. §. 40. *pag.* 206. Nec vitio iis vertendum, qui ſecundum lumen rationis iurisprudentiam diuinam tractant, quod in hocce fine & vſu legum diuinarum ſubſiſtant, modo non negent, alium in finem olim leges haſce diuinas datas, & hodie alium, quem praeſtent, ſupereſſe vſum, & haec omnia longe rectius ex reuelatione intelligi, quam ex ratione.

** Omnino ita quidem eſt, quod iuſto, hoc eſt, hominibus per fidem in Chriſtum iuſtificatis, adeoque regenitis, & ductum ſpiritus ſancti ſequentibus, poſita lex etiam hac ratione non ſit, quod non ex coactione legis ſeu metu ſeruili, ſed filiali ſpiritu ea faciant, quae lex requirit: in externis tamen officiis obſequium regenitorum non ſubſiſtit, quae ceteroquin ad ciuilem tranquillitatem ſufficiunt, ſed vlterius tendit, & quoad interna etiam, pro huius vitae conditione, ſe voluntati Numinis conformare annititur. Et ita coactionem & maledictionem legis quoad regenitos ſublatam, his verbis docet apoſtolus, neutiquam autem obligationem, quod alibi pluribus euincitur. conf. AEGIDIVS HVNNIVS, atque ABRAHAMVS CALOVIVS, ad *h. l.*

§. IX.

Supereſt finis theologicus in *iuſtificatis*, qui eſt, vt homines regeniti ac iuſtificati, animum ob tanta tamque immenſa beneficia, quibus a Deo cumulati ſunt, gratum, ſtudiumque in omnibus diuinae voluntati obſequendi, demonſtrent. Licet enim per legem iuſtificationem non quaerant, licet etiam ob veniam peccatorum per meritum Chriſti vera fide apprehenſum impetratam, a maledictione legis liberi ſint: ſciunt tamen ſe minime liberos eſſe a legis obligatione, cui animo prompto & filiali ſpiritu, abſque coactione ſatisfacere ſtudent, certa ſpe freti, infirmitatum illis adhaerentium veniam itidem per fidem in Chriſtum ſe impetraturos. conf. *Mal. I, 6. Rom. VII, 12. XII, 1. 1 Cor. VI, 20. Eph. II, 10. 1 Theſſ. IV, 3. Tit. II, 11. 12.* Accedit, quod hinc fidei etiam documentum capientes, in ſpe vocationis & electionis hac ratione magis confirmentur. *2 Petr. I, 10. 2 Cor. XIII, 5. Tit. II, 8.* Ne quid de ipſius *γυμνασίας* ſpiritualis vtilitate, alibi commemorata, dicam. conf. *1 Tim. IV, 7. Ioan. XV, 2.* Et hic quidem cum hodie vſus finisque legum diuinarum ſit, nunc facile, quis iurisprudentiae diuinae ſcopus ſit, intelligitur.

§. X.

§. X.

Ceterum, etſi leges naturales ex lumine quoque rationis quodammodo innoteſcant, longe tamen perfectior eſt earum notitia, quae ex lumine ſcripturae hauritur; vt itidem ſuo loco demonſtrabitur. Differt itaque etiam tractatio illorum, qui tantum iuxta lumen rationis leges diuinas conſiderant, ab illorum tractatione, qui lumen reuelationis ſeu ſcripturam ſacram in ſubſidium vocant. Praeterquam enim quod ipſum cognoſcendi principium vtrobique valde diuerſum ſit, diuerſa quoque ratio eſt & obiecti, & ſubiecti, & finis. Quae enim de officiis ſeu actionibus hominum regenitorum, tantum ob fidem Deo placentibus, de hominibus regenitis gratiae viribus ad agenda ea, quae Deo grata ſunt, inſtructis, deque fine legum diuinarum, quod is neutiquam in eo conſiſtat, vt homines per eas ſalutem conſequantur, aut feliciter & tranquille tantum in hac vita viuant, ſed vt animum gratum obſequiumque teſtentur, & quae reliqua ſunt, ſcriptura tradit, ita comparata ſunt, vt ratio ea aſſequi per ſe non valeat.

§. XI.

Nec tamen ideo improbandum illorum inſtitutum, qui ſeorſim, iuxta lumen rationis iurisprudentiam diuinam, ſeu naturalem, tradunt. Quae enim diſtincta ſunt, recte etiam diſtincte traduntur, nec inter ſe ſunt confundenda. Iuuat etiam cognoſcere, quousque ratio ſibi relicta hic progredi queat, vt eo rectius quae reuelationis vis ſit & praeſtantia, inde intelligatur. In negotiis praeterea humanis ſaepe cum illis nobis res eſt, qui reuelationem non agnoſcunt, quiue proinde non aliam agendorum normam, quam rectam rationem admittunt. Denique per rationem, quoad humana praeſertim negotia, multa ſpecialius poſſunt inueſtigari ac determinari, cum generalia ſaltem ſint, quae de hiſce reuelatio tradit, vt reliqua, quibus idem euinci poteſt, taceam.

* Non errauit ſane VALENTINVS ALBERTI, Lipſienſium quondam theologus perquam celebris, dum ius naturae, ſeu diuinum vniuerſale, ita tradendum cenſuit, vt praeter rationem reuelatio quoque in ſubſidium vocaretur, in *compendio iuris naturae orthodoxae theologiae conformato*; quod quidem in theologia morali recte fieri, faſſus eſt vir ſummus SAMVEL PVFENDORFIVS, in *praefat. libri de officio hominis & ciuis.* Nec tamen errauit PVFENDORFIVS, dum idem ius naturae tantum ſecundum rationem traderet, quod philoſophi munus eſt. Nullum namque dubium eſt, quin, vt ſcientia, quae de Deo & attributis diuinis agit, ita & quae leges diuinas conſiderat diſtinctim, & ſecundum rationem & ſecundum reuelationem tractari queat, vt quousque illius vires pertingant, quaue in re haec illa ſit praeſtantior, perſpiciatur. Idque & vtile, & neceſſarium eſſe, allatae rationes euincunt. Atque vt de vltima, ad rem omnem illuſtrandam, aliquid addam, etſi ex ratione aeque ac reuelatione conſtet, iuſtitiam ſancte colendam,

pactaque ſeruanda eſſe, quae tamen ſpeciatim de federibus, contractibus, ſucceſſionibus, ſcitu neceſſaria ſunt, reuelatio nuspiam tam diſtincte praecepit, vt, quae inter gentes oriri ſuper his capitibus controuerſiae poterant, inde expediri poſſint. Neque profecto hoc neceſſarium erat, cum hunc in finem ſcriptura ſacra nobis data non ſit, vt negotiis ciuilibus inſeruiret, ſed vt viam panderet ad aeternam ſalutem. Rationis autem ope ſi ex principiis vniuerſalibus leges diuinae inueſtigentur, facile, quid in his omnibus iuſtum & aequum ſit, inuenitur. Nec eſt, quod obuertas, ex iure ciuili talia abunde conſtare. Satius enim eſt, haec ipſa cognoſcere ex iure diuino, cum ſaepius, in negotiis praeſertim publicis, cum eiusmodi hominibus nobis res ſit, qui iura ciuilia, quorum apud nos vſus eſt, & magna auctoritas, non admittunt. Raro autem admodum, qui hoc contingere exiſtimat, vt nobis res ſit cum hominibus, quibuscum tantum ex rationis principiis agendum ſit, ſe in vmbra ſcholae viuere, nec rerum humanarum ſatis peritum demonſtrabit. Aliter Angli & Batavi iudicabunt, quibus quotidie cum hominibus religionis chriſtianae expertibus, & Romani iuris ignaris, commercia intercedunt. Cauſſa vero, quod aut vtilitatem aut neceſſitatem huius tractationis nonnulli in dubium vocant, partim haec eſt, quod iuris ciuilis auctoritati tantum decedere putant, quantum accedit auctoritati iuris naturalis, etiam ſecundum rationem conſiderati, partim quod vident, nonnullos tractatione iuris naturalis, quae ſecundum rationem inſtituitur, ad profana & impia abuti. Sed quos prior mouet cauſſa, praepoſterum ſaltem adſectum nimiumque iuris Romani amorem produnt: qui autem poſteriorem obtendunt, mitius ſentient, ſi expendant, propter abuſum non ſtatim tollendum eſſe vſum.

§. XII.

Interim tractationi, quae ſecundum rationis principia inſtituitur, neutiquam maius, quam decebat, eſt ſtatuendum pretium. Vt enim in negotiis quibusdam publicis & ciuilibus, de quibus nos informare ſpiritus ſanctus in ſcriptura ſacra non voluit, eo quod ad ſalutem noſtram hoc non eſſet neceſſarium, tractationis huius vſus manifeſtus eſt, ita cum ea quae ad vitae directionem pertinent, longe plenius, certiusque ex ſcriptura ſacra hauriri queant, quam ex lumine rationis, immo cum quae hoc tradit, nullo modo ad vitam recte inſtituendam ſufficiant, palam eſt, errare turpiter, & peſſime ſibi conſulere, qui tantum ad rationis dictamen atque normam, vitam inſtituere volunt. * Nec leuiori aut errore aut crimine ſe inuoluunt, qui erroneas quasdam hypotheſes pro rationis principiis aſſumentes, eas lumini reuelationis opponunt, vel alia quacunque ratione, ad diuinae ſcripturae auctoritatem labefactandam, veramque Chriſtianae vitae indolem euertendam, iure, quod ſibi ſaepius ipſimet fingunt, naturali abutuntur.

* Magnopere ergo errant, qui aut jurisprudentiae naturalis, aut generatim doctrinae moralis, ſecundum rationis lumen conſideratae, vſum demonſtraturi, hinc demum diſcendum dicunt, quo pacto vitam ſuam inſtituere homo debeat. Quae locum haberent, ſi cum ethnicis illis nos eſſet; chriſtiani autem cum videri velint, & ad chriſtianos talia loquantur, aut ſcribant, quid dicant, quidue doceant, parum penſi habere videntur. Cum enim longe perfectius excellentiusque lumen habeant, ad quod vitam ſuam actionesque inſtituere queant, ſcripturam ſcilicet ſacram, hominis parum ſapientis eſſet, ſi imperfectius illud obſcuriusque, miſſo priori, ſequi vellet.

§. XIII.

Iam, vt, quaenam nobis in hocce ſtudiorum genere ſuppetant, adminicula, paucis indicemus, ipſa ſcriptura ſacra primo merito hic commendanda loco. Idque non tantum, prouti hic quoque vnicum eſt cognoſcendi principium, normaque & regula doctrinae theologicae, ſed & prouti in ea fontem vberrimum omnis iuris diuini deprehendimus. Namque non tantum de natura hominis, integra, corrupta, reſtituta, ex cuius conſideratione genuina iuris diuini deriuanda ſunt principia, * omnium optime nos erudit, ſed ipſa quoque leges diuinas diſerte ediſſerit, & de officiis hominum regenitorum exactiſſime praecipit.

* Quo pacto philoſophi ex naturae humanae conſideratione legum diuinarum eruant notitiam, videre licet apud SAMVELEM PVFENDORFIVM, *de iure naturae & gentium lib. 2. cap.* 1. & 2. Hanc vero methodum, qui ſecundum reuelationem leges diuinas conſiderant, tanto reſtius adhibent, quo plenius ſcriptura ſacra nos de natura humana erudit. Ratio enim tantum naturam humanam conſiderare poteſt, prouti eſt in ſtatu poſt lapſum: at reuelatio eandem in ſtatu integritatis pariter, ac reſtitutionis, conſiderare poteſt. Vnde longe perfectior ex reuelatione oritur legum diuinarum notitia, quam ex ratione. Ceterum quo pacto leges diuinae ex ſcriptura ſacra erui queant, in ſequentibus demonſtrabitur ex inſtituto.

§. XIV.

Et quamuis nullus ſit ſcripturae liber, in quo non de officiis hominum quaedam occurrant, ſpeciatim tamen, in quibus, quae ex inſtituto huc faciunt, continentur libri, aut loca in iis inſigniora probe notanda. * Sic decalogus a Moſe genti Iſraeliticae propoſitus, ſummam velut quandam & compendium iurisprudentiae vniuerſalis continet: ** cuius explicationem optimam ipſe dedit ſeruator noſter, *Matth. V.* In legibus etiam ſpecialibus, genti Ebraeae datis, quae in quatuor vltimis libris Moſis continentur, plurima inſperguntur, aut fundamenti loco ſubſternuntur, quae ad vniuerſalem iurisprudentiam ſpectant, facili negotio inde eruenda.

* Non defuerunt, qui leges diuinas in ſcriptura ſacra memoratas in certum ordinem diſponerent, ſyſtema aliquod, ſeu corpus iuris diuini exhibituri. Quorſum pertinet GOTTFRIEDI VOGLERI, *corpus biblicum iuris, ſeu iurisprudentia biblica*, lingua Germanica, anno MDCCIV. edita. Quod quidem non contemnendum inſtitutum, modo intra limites iurisprudentiae vniuerſalis ſubſiſtant, nec leges particulares cum vniuerſalibus confundant, aut praeter eas, quae in ſcriptura ſacra extant, alias, humanas ſcilicet aut ciuiles, ad negotia ciuilia non requiri, exiſtiment. Namque diuinis vniuerſalibus, ad vitae huius vſum alias ceu ciuiles recte adiungi, non dubitabit, qui vitae humanae conditionem aut legum diuinarum ſcopum ſecum expenderit. Quae vero ſpeciatim Ebraeis datae ſunt leges, nos hodie non obligant, nec accommodari rebus publicis omnibus poſſunt, nec caſibus omnibus apud nos occurrentibus decidendis ſufficiunt, etſi vſu ſuo non deſtituantur, vt ſuo loco luculenter oſtendemus. Qui ceteroquin, vt omnium ſcientiarum, ita & iurisprudentiae originem ex ſcriptura ſacra deriuare voluerunt, vt IO. HENRICVS ALSTEDIVS, in *triumpho biblico*, AVGVSTVS PFEIFFERVS, in *Panſophia Moſaica*, aliique, parum

aut nihil, quod huc faciat, conferunt, & de particulari potius, quam vniuerſali, iurisprudentia loqui videntur.

** Hoc itidem ſuo loco ex inſtituto demonſtrabitur.

§. XV.

Cumque iure diuino ſcripto, poſtquam ſcilicet a Moſe in litteras referri coepit, tum vniuerſali, tum particulari quam diutiſſime vſi ſint Ebraei, non abs re fuerit, horum quoque in variis iuris diuini capitibus exquirere ſententiam: ſaltem eos, qui hoc iam praeſtiterunt, & magno labore ex illorum ſcriptis, quae vſui eſſe poſſint, eruere conati ſunt, euoluere auctores. Namque & ceteroquin particularium legum cum vniuerſalibus collatio, inſignem praebet vtilitatem. *

* Etſi Ebraei doctores in legibus ceremonialibus explicandis magnam operam collocent, non tamen negligunt prorſus ciuilea: in quibus non poſſunt non quaedam vniuerſalis iuris occurrere veſtigia. Id quod vel ex ipſo Talmude patet, ceu iuris Iudaici corpore quodam ac ſyſtemate ampliſſimo: tum ex variorum gentis Ebraeae doctorum ſcriptis, quos inter eminet MOSES MAIMONIDES vir doctiſſimus, &, vt aliarum rerum, ita patrii iuris callentiſſimus. Quantum vero Ebraeorum de legibus ſuis commentationes ad iurisprudentiam vniuerſalem conferant, ſatis ſuperque omnes edocuit IOANNES SELDENVS, in praeſtantiſſimo de *iure naturae & gentium, iuxta diſciplinam Ebraeorum*, opere: de quo quid cenſendum ſit, pluribus expoſui in *hiſtoria iuris naturalis.* §. 25. *p.* 32. 33 Cumque ob varias & prolixas digreſſiones taedium lectoribus facile creare queat Seldenianus hicce labor, ſuaſu & auctoritate ſummi quondam & illuſtris viri B. SAMVELIS STRYKII iureconſulti longe celeberrimi, ipſe quandam ſynopſin, ex hocce Seldeni opere concinnaui, quae cum primum illuſtris viri PHILIPPI REINHARDI VITRIARII *inſtitutionibus iuris naturae & gentium*, addita anno MDCXCV. Halae Saxonum prodiiſſet, deinde Lugduni Batauorum, cum iisdem iuris naturae & gentium inſtitutionibus, curante IO. IACOBO VITRIARIO, PHILIPPI REINHARDI filio, v. c. anno MDCCIV. fuit recuſa. Quemadmodum autem SELDENVS ſeptem Noachidarum praecepta fundamenti loco ſubſtrauit, cui totam iuris vniuerſalis ſtructuram inaedificaret, ita, vt, quae inter leges particulares harumque explicationes ſe offerebant iuris vniuerſalia veſtigia, colligeret, & in vnum corpus coire iuberet, ſibi praecipue datum credidit, id quod ſummi laboris eſſe, recte pronuntiat SAMVEL RACHELIVS, *prolegom. ad officia Ciceronis*, §. 24. Et ſane qui ſecum expenderit, leges particulares, ſi recte ſe habeant, eſſe tantum concluſiones ex iure vniuerſali deriuatas, aut adplicationes ad certa facta, cum circumſtantiis ſuis conſiderata, facile concedet, eam inueſtigandi ius vniuerſale methodum ſua non carere vtilitate. Quod de Ebraeorum quidem praecipue intelligendum eſſe legibus particularibus, patet, in quibus ſummam legislatoris relucere ſapientiam, non eſſe, puto, qui dubitauerit. Conferendi itaque etiam erunt, qui de iure ciuili Ebraeorum commentati ſunt, vt CONSTANTINVS L'EMPEREVR, *de legibus Ebraeorum forenſibus*, IO. HENRICVS HOTTINGERVS, de *iure Ebraeorum*, aliique. Nec praetermittendi prorſus, qui iuris Ebraei cum Romano inſtituerunt collationem, quod poſt LICINIVM RVFFINVM, a PETRO PITHOEO Pariſiis, anno MDLXXIII. & deinceps ſaepius editum, praeſtiterunt IO. CALVINVS, PAGANINVS GAVDENTIVS, PILIPPVS ZEPPERVS, IOSVA ARNDIVS: & alii, de quibus dixi in *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor.* *p.* 40?. 40 . Addendus tamen hic eſt CONRADVS HERESBACHIVS, cuius *iurisprudentia chriſtiana*, Neoſtadii anno MDLXXXVI. prodiit, in qua leges etiam Moſaicae, iuſto ordine diſpoſitae exhibentur, nec praetermittendus IOACHIMVS HOPPERVS, cuius *Seduardus* ſeu *iurisprudentia vera*, principia exhibet iurisprudentiae vniuerſalis, ex ſublimiori Ebraeorum philoſophia repetita.

§. XVI.

§. XVI.

Facile etiam ex dictis colligas, eos ſcriptores, qui aut libros, aut loca ſcripturae ſacrae, in quibus velut ex inſtituto legum diuinarum notitia traditur, explicant, lucem inſignem huic doctrinae generi affundere. In quem numerum adeo referendi erunt, qui pentateuchum, ſaltem quatuor vltimos Moſis libros, ſpeciatim autem decalogum, * qui primam merito catechiſmi partem conſtituit, commentariis atque expoſitionibus ſuis illuſtrant. Quorum vti ingens numerus, nec vnus idemque omnibus ſcopus, ita ſelectu maximo in iis opus eſſe, nemo non intelligit.

* Illorum, qui pentateuchum, adeoque & leges Moſaicas commentariis ſuis illuſtrarunt, tantus eſt numerus, vt omnes recenſere prolixum nimis, & ab inſtituto alienum foret. Nec omnibus idem aut ſcopus, aut tractandi modus. Commendari ceteroquin maxime ſolet ex noſtratibus IO. ADAMVS OSIANDER, ex Pontificiis IACOBVS, BONFRERIVS: ex Reformatis FRANCISCVS BVRMANNVS, cuius *explicatio & conſideratio rerum praecipuarum in quinque libris Moſis* lingua quoque Germanica, Francofurti MDCXCIII. prodiit. Recuſa autem deinceps ſunt iunctim opera eius biblica, itidem lingua Germanica, hoc ipſo, quo haec ſcribo, anno MDCCX. Addendus his IO. CLERICVS, vir celeberrimus, qui in rationes quoque legum Moſaicarum ſubinde inquirit, in *commentario ſuo in pentateuchum*. Sed hi quidem ſparſim ſaltem lucem quandam dabunt, quam maiori copia & abundantia affundent, qui eum in finem decalogum explicant, vt iuris diuini & vniverſalis notitiam inſtruant. Huc omnes illi pertinent, qui catechiſmum commentationibus ſuis illuſtrant, quorum infinitus iterum eſt numerus, etſi non omnes eodem habendi ſint loco. Praecipuos alibi, in *hiſtoria* ſcilicet *critica theologiae thetico-dogmaticae*, quam ſelectis auditoribus trado, enumero: nomina tamen plurimorum legi poſſunt apud IOAN. HENRICVM HOTTINGERVM, *bibliothec. theolog. lib. 3. cap. 1. §. 5. pag. 333. ſeqq*, etſi ſelectum & ἀκρίβειαν, in viro iſto, doctiſſimo ceteroquin & diligentiſſimo, nonnulli deſiderent. Ipſa B. MARTINI LVTHERI noſtri explicatio decalogi, quae in catechiſmo vtroque, tum minori, tum maiori, extat, vtramque nobis merito facit paginam. Nec enim de hocce ſummi viri labore tam praeclare quid dici poteſt, vt non ſit infra dignitatem eius atque praeſtantiam. Inter reliquos primum locum damus IOAN. CONRADO DANHAVERO, qui omnium inſtar eſſe poteſt, & ſummo ſtudio hancce *theologiae* partem excoluit, quod non tantum *lac* eius *catecheticum*, ſed & *collegium*, quod vocat *decalogicum*, teſtatur, quod auctius emendatiusue ſtudio & opera BALTHASARIS BEBELII prodiit anno MDCLXIX. De IO. GEORGII DORSCHAEI *theologia morali*, ad ordinem decalogi concinnata, iam dictum in *prolegomenis ad partem primam* huius operis. Ex reformatae eccleſiae doctoribus, licet plures laudari poſſent, qui operam haud contemnendam in decalogi explicatione collocarunt, vnicum tamen nunc ſuffecerit laudaſſe ANDREAM RIVETVM, quem non vltimum inter ſuos tenere locum, conſtat inter omnes. Extant autem, tomo primo operum eius, *praelectiones* eius *pleniores in cap*. XX. *Exodi*, in quibus in omnem diuinae iuriſprudentiae campum late ſe diffundit, & hancce theologiae partem tantum non penitus exhaurit. Reliquos lubens nunc praetermitto.

§. XVII.

Ex patribus, & antiquis eccleſiae doctoribus plurimi ex accidenti & aliud velut agendo, pauci ex inſtituto, hanc, quae de officiis agit, moralis doctrinae partem attigerunt. * Sed ita vt plerumque quae ex

ratione, quaeue ex reuelatione intelliguntur, non ſatis diſcernerent. Qui vero in eorum ſucceſſerunt locum doctores ſcholaſtici, non modo retinuerunt & auxerunt hancce confuſionem, ſed pluribus aliis vitiis atque erroribus hancce theologiae partem, quam ceteroquin ſingulari cum induſtria excolebant, contaminarunt.

* Vt ea, quae ad *ἄσκησιν* chriſtianam ſpectabant, paſſim attingebant patres, quod iam in *prolegomenis partis praecedentis*, § 19. & 20. obſeruatum, ita frequentisſimi etiam erant in explicandis & inculcandis officiis chriſtianorum, quod diuina iurisprudentia ſibi vindicat argumentum. Legenda ſunt, quae hac de re iam dixi, in *hiſtoria iuris naturalis*, §. 9. & 10. vbi & obſeruaui iure hoc deſiderari in patribus, quod, quae ex ratione conſtant, non caute ſatis diſcreuerint ab iis, quae per reuelationem innoteſcunt. Iungendus IO. BARBEYRACIVS in *praefat. ad verſionem gallicam operis Pufendorfiani de iur. nat. & gent.* §. 9. *pag.* 22. *ſeqq.* vbi de patrum in hoc doctrinae genere meritis, ex inſtituto diſſerit. At cum ceteri ſparſim fere hoc argumentum attingerent, AMBROSIVS, ad imitationem CICERONIS de officiis tractationem inſtituit: vti itidem *l. c.* iam obſeruauimus. Scopus equidem AMBROSII fuit, de officiis miniſtrorum eccleſiae praecipere, quod & titulus operis huius indicat, qui in codicibus manuſcriptis legitur, obſeruante LVDOVICO ELIA DV PIN, *bibliothec. ſcriptor. eccleſ. tom. 2. pag.* 256. Vnde & ſtatim *cap. 1.* oſtendit, epiſcopi munus eſſe, docere populum. Et in tractatione ipſa ea adfert, quae eccleſiae miniſtros inſtruant, quo pacto ſe gerere debeant. Interim cum pleraque officia eccleſiae miniſtris cum chriſtianis quibusuis ſint communia, in vniuerſali quoque iurisprudentia, ſecundum reuelationem conſiderata, vſum haud contemnendum inde capere licet. De AVGVSTINO plurima dici poſſent, cum primus fere fuerit, qui de applicatione legum diuinarum ad facta ſingularia ſollicitus, varia mouerit dubia, & circa caſus, quos vocant conſcientiae, curioſius, quam reliqui eccleſiae patres, verſatus ſit, exemplum, quod imitarentur, relicturus doctoribus ſcholaſticis: ſed cum alibi hac de re ex inſtituto agamus, nunc quidem hiſce diutius non immorabimur.

§. XVIII.

Quod ſi ex ſyſtematum aut compendiorum multitudine rem aeſtimes, non vllam temere deinceps, etiam poſt reſtitutas litteras, theologiae partem, maiori ſtudio & diligentia excultam dixeris, etſi, an magnum inde ei incrementum acceſſerit, dubitari queat. Certe pleraque tum Romanenſium, tum reformatae ac noſtrae eccleſiae theologorum, compendia & ſyſtemata theologiae moralis, hanc praecipue eius partem, quae de officiis agit, exhibuiſſe, iam ſupra obſeruauimus. * Eodemque ſpectant, qui idem argumentum ſub titulo *ethices chriſtianae* ** aut de *quatuor virtutibus cardinalibus*, aut *de iuſtitia & iure*, aut de *officiis*, *** ſimilibusue, pertractarunt.

* In *prolegom. ad partem praecedentem ad* §. 23. vbi & auctores praecipuos, qui compendia aut ſyſtemata theologiae moralis ediderunt, indicaui.

** Dictum de hiſce *ibid. ad* §. 36.

*** Plurimi fuerunt ex Pontificiis, qui ſub hiſce aut ſimilibus titulis iurisprudentiam diuinam pertractarunt, de quibus conſulendi auctores, quos iam *ad* §. 22. *prolegom. partis praecedentis*, allegauimus. Eminet inter relinquos LEONHARDVS LESSIVS, theologus, poſt alias functiones, Louanienſis, Ieſuitarum ſocietati adſcriptus, de cuius vita & ſcriptis

ſcriptis legendus PHILIPPVS ALEGAMBE, in *bibliotheca ſcriptor. ſocietat. Ieſu. pag.* 301. Opera eius duobus tomis comprehenſa proſtant, quorum prior continet *libros* 4. de *iuſtitia & iure, ceterisque virtutibus cardinalibus, ad ſecundam ſecundae Thomae Aquinatis*: editusque primum Louanii eſt, anno MDCV. & deinde aliquoties recuſus ſemperque auctus. Iungendus huic IOANNES DE DICASTILLO, qui inter alia, ad moralem theologiam ſpectantia, reliquit de *iuſtitia & iure, ceterisque virtutibus cardinalibus, libros* 2. Antwerpiae anno MDCXLI. in fol. editos. Saepiſſime hicce auctor laudatur IOAN. HENRICO BOECLERO in *commentatione ſua in Hugonis Grotii opus de iure belli & pacis*. Notiſſimus praeterea eſt FERDINANDVS DE CASTRO PALAO, Legionenſis, Ieſuita, qui circa initium ſeculi decimi ſeptimi vixit, & *opus morale* in ſeptem tomos ſeu partes diſtributum, reliquit, in cuius *parte ſeptima*, ſpeciatim de *iuſtitia & iure*, item *de prudentia, fortitudine & temperantia*, egit. Nec praetermittendus LVDOVICVS ille MOLINA, ſententiarum, in quibus a Dominicanis diſſentiunt Ieſuitae, & a reliquis Romanae eccleſiae addictis velut diſcernuntur, auctor praecipuus, a quo & ſectatores eius *Moliniſtarum* nomen adepti ſunt, quippe cuius inter alia ſcripta de *iuſtitia & iure tomi* 6. partim Moguntiae, partim Antwerpiae excuſi, proſtant. De quo MOLINAE opere ita pronunciat ALEGAMBIVS: *in iis tantum eminet Ludouici ingenium, tanta iuris ciuilis comprehenſio & diſpoſitio, vt mirum ſit, hominem, qui in theologicis ſtudiis ab adoleſcentia totam pene aetatem contriuit, tantam conſecutum fuiſſe iuris ſcientiam, eamque tam exacte tradere potuiſſe, &c.* Inter eos vero, qui ſub titulo *theologiae moralis* hanc doctrinae partem excoluerunt, primum ſibi merito locum vindicat PAVLVS LAYMANNVS, Ieſuita Oenipontanus, cuius *theologia moralis*, in libros quinque partita, aliquoties Monachii edita, variisque ſubinde acceſſionibus aucta. Sub titulo vero *de officiis*, praeter alios VINCENTIVS FILLIVCIVS, gente Italus, patria Senenſis, Ieſuitarum itidem ordini adſcriptus, hocce argumentum pertractauit, in *moralibus quaeſtionibus* de *chriſtianis officiis* & *caſibus conſcientiae &c.* De hiſce vero, aliisque iuris diuini apud Pontificios ſcriptoribus, praeſertim Ieſuitis, conſtat, quod veterum ſcholaſticorum errores & naeuos, ſpeciatim humanarum diuinarumque legum confuſionem, adeo non emendarint, vt nouis potius erroribus, impiisque commentis, hancce theologiae partem conſpurcarint, a quibusdam ſuaemet fidei ſociis acriter ideo reprehenſi. Qua de re pluribus a me dictum, *in hiſtoria iuris naturalis*, §. II. *ſeqq.* Ex noſtratibus praecipue hic commemorandus eſt IOAN. IOACHIMVS ZENTGRAVIVS, Argentoratenſium quondam perquam celebris theologus, cuius praeter alia ſcripta, iurisprudentiam vniuerſalem illuſtrantia, extat *ſumma iuris diuini, ſiue iſagogica inſtitutio doctrinae, de iuſtitia & iure, tam ex naturali, quam ſcripto Dei iure, ad fontes iuſti & recti in actionibus humanis, & cauſſae rei proprios ducens, ſecundum diſciplinam theologiae moralis, & iurisprudentiae vniuerſalis*, Argentorati anno MDCXCIX. 8. Inſtituti ſui rationem auctor ipſe in praefatione luculenter ediſſerit, in qua & Romanenſium quorundam obtrectationes, ac ſi apud nos iuris diuini nulla habeatur ratio, merito profligantur. Ad vitae denique chriſtianae vſum & praxin tractationem de officiis auctor quidam comparatam eſſe voluit, qui lingua Germanica commentationem haud contemnendam, *de omnibus hominis officiis ad praxin pietatis*, edidit Francofurti anno MDCCVI. quam & poſtea recuſam accepi. Remotis ſcilicet quaeſtionibus ſuperuacuis, ſimplici & plano ſermone maxime neceſſaria de hominum officiis praecipit, & peccata his oppoſita redarguit, incipiendo ab officiis hominum erga Deum, & hinc progrediendo ad officia hominis erga ſeipſum, & tandem officia erga alios ſubnectendo. Cuncta denique ad ἄσκησιν pietatis refert.

§. XIX.

Sic & ſpeciatim huc referendi ſunt, qui de *caſibus*, quos vocant, *conſcientiae egerunt*, quorum tum apud Romanenſes, tum noſtrates alios-

aliosque, magna eſt copia. * Nec enim neceſſe eſſe putamus, peculiarem theologiae partem, quam *caſuiſticam* nonulli barbara voce appellitant, conſtituere, cum nihil aliud agant, qui de conſcientiae caſibus praecipiunt, quam vt leges diuinas ad facta cum certis circumſtantiis conſiderata adplicent, quaeue licita aut illicita, honeſta aut turpia ſint? diiudicent. Legum autem ſenſum genuinum ſi quis teneat, haud difficulter ad facta illarum inſtituet adplicationem, modo ingenio vtcunque valeat, & circumſtantiarum omnium ſolerter habere rationem didicerit. Interim lucem aliquam libri, qui de caſibus conſcientiae agunt, praeferre poſſunt. Idem de *reſponſis theologicis*, ſi quidem circa agenda potius, quam credenda, verſentur, dicendum. ** Si enim forte ad ipſarum legum notitiam non multum conferant, exempla tamen ſubinde non contemnenda, quo pacto facta quaedam ad legum normam exigi ac diiudicari debeant, ſuppeditant.

* Notatu digna ſunt, quae de origine & indole theologiae caſuiſticae ſcripſit IO. MABILLONIVS, de *ſtudiis monaſticis, part.* 2. *cap.* 7. *pag.* 296. Summa huc redit: inter abuſus grauiſſimos theologiae ſcholaſticae referendam caſuiſtarum multiplicationem, qui ſeculo demum decimo tertio celebrari maxime coeperint. In primis enim eccleſiae chriſtianae ſeculis paſtores pariter ac auditores pura rectaque mente praeditos, ſecundum doctrinam moralem in euangelio comprehenſam, ſententiasquè patrum & deciſiones epiſcoporum, cunctas facile, quas ſe offerebant, ſuperaſſe atque ſoluiſſe difficultates. Vnamquamque deinceps eccleſiam ſuum habuiſſe *librum poenitentialem*, vt, quidnam vnicuique poenitentiam agenti imponendum eſſet, inde conſtaret. Inter primos, qui eiusmodi quid compoſuerint, fuiſſe poſt GREGORIVM thaumaturgum, BASILIVM M. vt ex *tribus* eius *epiſtolis canonicis ad Amphilochium*, conſtet. Extare etiam adhuc *poenitentiale Romanum*, quod ſeculo nono ſuo inſeruerit HALITGARIVS, epiſcopus Cameracenſis. Eius autem, quod ſeculo ſeptimo compoſuit THEODORVS Cantuarienſis archiepiſcopus, tantum extare fragmenta quaedam, partim a PETITO, partim a LVCA DACHERIO, tomo nouo *ſpicilegii* ſui, edita. Hinc cum de reliquis poenitentialium veterum auctoribus nonnulla monuiſſet, & de peſſimo illorum inſtituto, qui a ſimplicitate veterum diſcedentes, ad inanes ſubtilitates & ſophiſticas ſpeculationes prolapſi ſunt, conqueſtus eſſet, non defuiſſe, ſubiicit, viros ingenuos, qui & medio aeuo, abuſui huic magis magisque inualeſcenti, ſe opponerent. Factum id praecipue ſub initium ſeculi noni in concilio Turonenſi, & Cabilonenſi, de quibus adeo prolixius verba facit. RAYMVNDVM, ordini Dominicanorum adſcriptum, ſeculo 13. inter primos fuiſſe, qui *ſummam peccatorum* compoſuerit. Intelligit haud dubie MABILLONIVS, RAYMVNDVM DE PENNAFORTI, qui ſeculo decimo tertio floruit, & *ſummam de caſibus poenitentialibus*, *libris* 4. reliquit. Principia moralia, quibus tum RAYMVNDVS, tum alii poſt ipſum inſtiterint, deſumta fuiſſe ex ſecunda parte ſummae theologicae, a THOMA de AQVINO conſcriptae. Deinceps vero, cum quisque ſecundum ſuum genium, de peccatis hominum ratiocinari inciperet, neglectis regulis eccleſiaſticis, tantam ſententiarum opinionumque inde ortam libertatem, aut, ſi mauis, licentiam, vt nullum fere crimen ſit, quod non in caſuiſtarum ſcriptis pallietur quodammodo & excuſetur. Ita quidem MABILLONIVS, ingenue & cordate, qui & ſimul eos ibi ex ſuae eccleſiae ſcriptoribus caſuiſtis indicat, quos monacho ſuo, quem formandum ac erudiendum ſibi ſumpſit, prae reliquis legendos cenſet. Praecipui

Digitized by Google

cipui ceteroquin inter eos ſunt SYLVESTER PRIERIAS, ANGELVS DE CLAVASIO, PACIFICVS NOVARIENSIS, IOANNES NIDERVS, MARTINVS AB AZPILCVETA, alias a gente NAVARRVS dictus, ANTONIVS DIANA, aliique, ab aliis iam indicati, & a nobis alibi pluribus enumerandi. Cum opera B. MARTINI LVTHERI religioni chriſtianae ſua reddita eſſet puritas, inter alios quoque Romanae eccleſiae defectus, huncce emendare viri quidam pii ac docti adgreſſi ſunt, editis variis de caſibus conſcientiae ſcriptis, in quibus tantum ad verbi diuini regulam, prout decebat, dubia, quae in vita chriſtiana occurrere poſſunt, tollere & conſcientiam inſtruere elaborarunt. Hos inter eminent FRIDERICVS BALDVINVS, in *libris 4. de caſibus conſcientiae*; GEORGIVS KÖNIGIVS, theologus Altdorffinus, in *caſibus conſcientiae catecheticis*, cura filii eius GEORGII MATTHIAE KÖNIGII, an. MDCLXXVI. iterum editis; IO. CONRADVS DANHAVERVS, in *libro conſcientiae aperto*, ſeu *theologia conſcientiaria*, item in *theologia caſuali*, a IO. FRIDERICO MAYERO, Gryphiswaldiae an. MDCCVI. in 8. edita, qua velut compendium aliquod huius doctrinae exhibetur; ANDREAS KESLERVS, in *theologia caſuum conſcientiae, hodierno cumprimis tempori accommodatorum*, ARNOLDVS MENGERINGIVS, in *informatorio conſcientiae*, aliisque eodem collimantibus ſcriptis, LVDOV. DVNTE, theologus Reualienſis, in *deciſionibus mille & ſex caſuum conſcientiae*; IO. ADAMVS OSIANDER, in *theologia caſuali*, aliique. Addendus hic eſt B. FRIDEMANNVS BECHMANNVS noſter, qui ſua doctrina Salanam noſtram quondam egregie illuſtrauit academiam, in *theologia conſcientiaria*, ſiue *tractatu de caſibus conſcientiae*, in quo tamen ea ſaltem praecipue attingit, quae ad ſtatus, quos vocant, hierarchicos pertinent. Ex reformatae eccleſiae doctoribus IO. HENRICVM ALSTEDIVM, GVIL. AMESIVM, GVIL. PERKINSVM, alioſque, in eodem campo haud contemnenda ingenii ac induſtriae ſuae dediſſe ſpecimina, iam obſeruauimus, in *prolegom. part. praeced. ad §. 21.*

** Et illorum, qui reſponſa dederunt theologica, ſi etiam noſtratium tantum habeamus rationem, haud exiguus eſt numerus. In ipſis B. MARTINI LVTHERI, epiſtolis, varia, quae huc ſpectent, ſubinde attinguntur. Id quod & de aliorum quorundam theologorum epiſtolis & reſponſis, quae ſeorſim proſtant, cenſendum, inter quae eminent B. PH. IACOBI SPENERI, epiſtolae & reſponſa theologica, Germanico idiomate ſcripta, editaque, de quibus, quo loco habenda, iam dixi in *praefatione, ſupplemento epiſtolarum Lutheri* praemiſſa. Prodierunt deinceps etiam eiusdem auctoris *conſilia & iudicia theologica latina*, in quibus, licet & alia quamplurima, ad alias theologiae partes ſpectantia, occurrant, vti & in reſponſis Germanicis, multa tamen, quae & conſcientiam egregie inſtruant, ex iis haurire licet. Operae ceteroquin fecerunt pretium, qui variorum theologorum collegerunt & iunctim ediderunt, reſponſa, vt GEORGIVS DEDEKENNVS, in *theſauro conſiliorum & deciſionum*, quem poſt IO. ERNESTVM GERHARDVM, eximium illud Ienenſis noſtrae academiae decus, locupletiorem dedit CHRISTIANVS GRVBELIVS. Ne quid nunc de *conſiliis Wittebergenſibus* dicam, ad quorum exemplum & alias eiusmodi inſtituere collectiones, facile foret, ſi modo ſingularis quaedam ad rem litterariam & theologicam inde ſperanda eſſet acceſſio. Diffitendum vero non eſt, non vnius generis omnia eſſe theologorum reſponſa, nec ſemper ad iurisprudentiam diuinam pertinere, cum ſubinde, non de agendis, ſed de credendis agant. Nec aliud fere inde ad nos redundat commodum, quam vt exemplis quibusdam leges adplicare ad certa facta diſcamus, quem & caſuiſticos ſcriptores praebere vſum, obſeruauimus. Interdum forte ad ipſarum legum diuinarum accuratiorem notitiam aliquid conferent: ſed haec ita maximam partem comparata ſunt, vt aliunde quoque ea haurire liceat.

§. XX.

Denique, non negligendi ſunt, qui ex principiis philoſophicis iurisprudentiam diuinam ſeu naturalem, pertractarunt, quod noſtra aetate fecerunt plurimi, * poſtquam HVGO GROTIVS, velut ſignum aliquod, ad bene de iuris naturalis ſtudio diligentius excolendo, ſperan-

randum, ſuſtulit. Etſi enim diſtincta ſint, lumen rationis & lumen reuelationis, non tamen ſibi ſunt aduerſa: poſſuntque coniungi, etſi non debeant confundi. Praeterea quemadmodum, quae lumini naturae deſunt, recte ſupplentur ex lumine reuelationis: ita in quibusdam officiis ad vitae ciuilis vſum ſpectantibus, ratio talia ſuppeditat, quae ad accuratiorem plenioremque diuinae iurisprudentiae tractationem, non ſunt praetermittenda. ** *Ius* vero, quod nonnulli conſtituunt *gentium*, cum aut mores ſaltem gentium contineat, aut a iure naturae non differat, *** eodem merito loco, ſi vſum eius in noſtro inſtituto ſpectes, quo ius naturae, iuxta rationem conſideratum, habetur. Quod & de ſubſidiis illis ac adminiculis intelligendum, * quae illis vſui ſunt, qui ſecundum rationis principia iurisprudentiam diuinam tractant.

* Hos vt prolixe enumerem, non erit neceſſe, cum id iam factum ſit tum ab aliis, tum a me ipſo, in *hiſtoria iuris naturalis*, quae in *ſelectis iuris naturae & gentium* extat, praeſertim §. 21. *ſeqq.* Cum tamen viri quidam praeſtantiſſimi ſcriptis egregiis hancce philoſophiae partem locupletauerint, poſtquam *ſelecta* iſta *iuris naturae & gentium* prodierunt, haud contemnendum poſt tam amplam meſſem ſupereſſet ſpicilegium, ſi omnes recenſere animus eſſet. Sed iuuat tamen, nonnullos, eosque forte praecipuos, indicare. Fuerunt itaque, qui HVGONI GROTIO poſt tot commentatores, & epitomaſtas, prolixe a me *l. c.* enumeratos, lucem quandam foenerari, aut ad eius ſaltem ductum, iuris vniuerſalia tradere doctrinam aggreſſi ſunt. In hisce, ne quid de *verſione Germanica* Grotiani operis de *iure belli & pacis* dicam, cui praefationem praemiſit CHRISTIANVS THOMASIVS, philoſophus & iureconſultus clariſſimus, laudandus IO. WOLFGANGVS IAEGERVS, theologus Tubingenſis longe celeberrimus, in *obſeruationibus theologicis moralibus & politicis*, in HVGONIS GROTII, *libros tres de iure belli & paci*, quae hoc ipſo, quo haec ſcribo, anno MDCCX. Tubingae prodierunt, & in quibus, ſe in ſcholaſticorum egregie verſatum lectione, demonſtrauit. Alterum, poſt GROTIVM, inter iuris naturae reſtauratores locum merito tenet SAMVEL PVFENDORFIVS de cuius ſcriptis huc ſpectantibus itidem iam abunde dictum *l. c.* §. 33. *ſeqq.* Sed nunc addendum, prodiiſſe PVFENDORFII opus de *iure naturae & gentium*, cum *notis* ſelectis & exquiſitis, IOAN. NICOLAI HERTII, iureconſulti Gieſſenſis, haut ita pridem beata morte defuncti, cuius quanta ſint in rem litterariam, ſpeciatim & in iurisprudentiam vniuerſalem, merita, nemo ignorat, & a me ipſo iam indicatum in ſaepius iam memorata *hiſtoria iuris nat.* §. 47. Praeterea IOANNES BARBEYRACIVS vir eruditiſſimus, in Gallicanam linguam Puſendorfianum opus tranſtulit, luculenta praemiſſa praefatione, additisque notis quamplurimis, omni eruditionis genere refertis, & exquiſitum auctoris iudicium prodentibus. Inter Puſendorfiana autem ſcripta non minori orbis eruditi adplauſu, quam cetera, exceptus fuit libellus *de officio hominis & ciuis*: huic & non defuerunt, qui eum annotationibus ſuis illuſtrandum ſibi ſumerent. GOTTLIEB GERHARDI TITII iureconſulti Lipſienſis clariſſimi, in eum *obſeruationes* iam laudaui in *hiſtor. iuris nat.* § 37. circa finem. Nunc autem commendandus eſt ANDREAS ADAMVS HOCHSTETTERVS, theologus Tubingenſis doctiſſimus, cuius hoc ipſo itidem anno prodiit *collegium Puſendorfianum, ſuper libris duobus de officio hominis & ciuis.* Quae quidem eo magis ad noſtrum inſtitutum pertinet commentatio, quod in *praefatione* auctor profiteatur, ſe ſimul ſtamina poſuiſſe, vel primas veluti lineas duxiſſe, quibus diuiniora deinceps ſuperaddere non fuerit difficile. Et recte ſane idem cenſet, theologiam moralem, ſeu eam eius partem, quae de officiis praecipit, quam nos iurisprudentiam diuinam vocamus, eadem methodo, qua

PVFEN-

PVFENDORFIVS librum de officio hominis & ciuis ſcripſit, tractari poſſe. Cuius quidem aſſerti veritas ex ipſa noſtra tractatione abunde pateſcet. Memorandus vero nobis adhuc eſt CHRISTIANVS THOMASIVS, vir longe celeberrimus, cuius *iurisprudentiam diuinam* iam laudauimus, in *hiſt. iur. nat.* §. 42. In ea vero, cum auctori nonnulla diſplicerent, mutata in quibusdam iuris diuini capitibus ſententia, edidit *fundamenta iuris naturae & gentium ex ſenſu communi deducta, in quibus vbique ſecernuntur principia honeſti, iuſti ac decori*: Halae, anno MDCCV. 4to. Denique & IMMANVEL PROELAEVS hic addendus, qui lingua Germanica *theſes fundamentales* iuris naturalis, cum ſuccincta eius hiſtoria, & obſeruationes ad dogmata quaedam Puſendorfiana luci publicae expoſuit, Lipſiae anno MDCCIX. in 8uo. Sed mitto reliquos. Ceterum, qui ius naturae ſecundum rationis ductum conſiderant, recte rebus ſuis conſulunt, ſi non tantum, quousque ipſi, ex naturae humanae conſiderstione leges diuinas inueſtigando, peruenire queant, videant, iuſſi veterum etism philoſophorum, qui ſolo rationis lumine vſi ſunt, ſcita atque praecepta ſedulo ſecum expendant. Cuius quidem conſiderationis ſpecimen aliquod dedi in *hiſt. iuris natur.* §. 16. *& ſeqq.* Sed addendi porro IO. NICOLAVS HERTIVS, de *iurisprudentia vniuerſali ſect.* 1. §. 29 *ſeqq.* IOAN. GROENINGIVS, in *Bibliotheca iuris gentium Europaea*: IO. BARBEYRACIVS in *praefat.* verſioni Gallicsnae operis Puſendorfiani praemiſſa: ANDREAS ADAMVS HOCHSTETTERVS, in *colleg. Puſendorfiano, exercit.* 1. ne quid nunc de illis dicam, qui hiſtoriam philoſophiae moralis condere coeperunt, quod nuper cum ingenii & doctrinae laude fecit vir celeberrimus, NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLINGIVS, Hallenſis academiae profeſſor. Nonnulla & ipſe attigi, tum in *hiſtor. philoſ. elementis philoſophiae inſtrumentalis* praemiſſa, tum in *analectis hiſtor. philoſ.*

** conf. quae §. 11. dicta ſunt.

*** Quod iam ſatis demonſtratum eſt ab aliis. Interim conf. *elem. philoſ. pract. part.* 2. *cap.* 1. §. 14. *ſeqq.* Scriptores vero iuris gentium iam indicaui in *hiſt. iuris nat.* §. 50.

* De quibus prolixe HVGO GROTIVS, de *iure belli & pacis, prolegom.* §. 39. *ſeqq.* & commentatores eius, ſpeciatim IO. HENRICVS BOECLERVS, ad *h. l.*

§. XXI.

Nos tractandi methodum eandem fere, paucis ſaltem mutatis, ſequemur, quam adhibuimus, cum ſecundum rationis principia iurisprudentiam naturalem tradidimus, * cum & ſua ſe facilitate ea commendet, & ſtatim etiam tum appareat, quousque inter ſe aut conueniant, aut differant, lumen rationis atque reuelationis. Primo itaque actiones hominum, ſpeciatim regenitorum, conſiderabimus, prout directionis per legem capaces ſunt, eademque indigent, tum de legibus diuinis generatim, porro de iisdem ſpeciatim agemus, tandemque de mediis, quibus ad legum diuinarum obſeruantiam homines induci poſſunt, aliquid ſubnectemus.

* in *element. philoſ. pract. part.* 2.

CAPVT PRIMVM
DE
ACTIONIBVS HOMINVM
SPECIATIM REGENITORVM, PROVT AD NORMAM SEV LEGEM DIRIGENDAE SVNT.

Σύνοψις.

Dicendorum ordo & ratio, §. I.

Norma actionum, quam regeniti ſequi tenentur, non alia intelligitur, quam lex diuina, §. II.

Legis nomine quid nobis veniat? §. III.

Lex diuina differt a conſilio, nec obſtat, quod Deus ſe paſſim vt patrem manifeſtauerit, §. IV.

Protoplaſtis Deus ſe, non tantum vt patrem, ſed & vt iudicem ac legislatorem manifeſtauit, §. V.

Quo ſenſu lex definiatur per decretum, §. VI.

Leges non poſſe ferri, niſi ab eo, qui imperio praeditus eſt: ad imperium quid requiratur, §. VII.

Cetera, quae generatim de legibus obſeruanda, ſummatim indicantur, §. VIII.

Leges ratione auctoris vel diuinae ſunt, vel humanae: diuinae iterum in naturales & poſitiuas, & hae rurſus in vniuerſales & particulares, diſpeſci ſolent, §. X.

Quaenam leges diuinae poſitiuae vniuerſales dicantur? & an dentur eiusmodi leges? §. X.

Quae contra eas vrgeri queant, §. XI.

Leges ceremoniales noui teſtamenti, admittendae non ſunt, §. XII.

Multo minus aliae: nec Chriſtus legislator nouus fuit, §. XIII.

Falluntur & illi, qui praeter leges naturales conſilia in nouo teſtamento admittunt, ad maiorem perfectionis gradum adſpirantibus, data, §. XIV.

De legibus diuinis particularibus, quas genti ebraeae Deus dedit, quid obſeruandum? §. XV.

Leges humanae in eccleſiaſticas & ciuiles diſpeſci ſolent, §. XVI.

An & quousque canones conciliorum, praeſertim oecumenicorum, inter leges eccleſiaſticas locum inueniant, & quam habeant vim obligandi? §. XVII.

Romani pontificis, aut aliorum epiſcoporum, qua talium, conſtitutionibus eccleſiaſticis, nemo per ſe obligatur, §. XVIII.

Principum, ſeu ſummorum imperantium, legibus eccleſiaſticis omnes obligantur ſubditi, §. XIX.

vti & eorum legibus ciuilibus, §. XX.

Ad obligationem legis recipiendam requiritur, vt quis intellectum atque voluntatem habeat, §. XXI.

Quodnam quoad has facultates inter regenitos ac irregenitos intercedat diſcrimen, §. XXII.

ſpeciatim quoad intellectum, §. XXIII.

adeoque & quoad conſcientiam, §. XXIV.

Regulae de conſcientiae obligatione, §. XXV.

An & quousque ignorantia legis obligationem impediat? §. XXVI.

Quaenam de voluntate, eiusque libertate, praeſertim intuitu regenitorum, hic obſeruanda, §. XXVII.

Reliqua, quae requiruntur, vt actio imputari queat, item de actuali imputatione, tanquam in tranſitu, attinguntur, §. XXVIII.

Actiones, quae imputari poſſunt, cum lege comparatae, vel neceſſariae ſunt, vel indifferentes, illae etiam morales, hae mediae vocari ſolent, §. XXIX.

An dentur actiones indifferentes? §. XXX.

Errant, qui actiones pro indifferentibus habent, quae tamen tales non ſunt, §. XXXI.

Actiones neceſſariae vel bonae ſunt, vel malae. Bonitas actionum in quo conſiſtat, & quid ad eam requiratur, §. XXXII.

Digitized by Google

Vt bona actio ſit, requiritur, vt quoad omnes circumſtantias cum lege conueniat, §. XXXIII.
Inter circumſtantias, iſtas eminet finis, ſeu intentio, § XXXIV.
Nec tamen ſola intentio actionem bonam reddere poteſt, ſi cetera deſint, §. XXXV.
Intentio vera cum difficulter ſaepe intelligatur, non licet temere de aliorum actionibus iudicare, §. XXXVI.
Conſideranda etiam diligenter circumſtantia, quis, ſeu conditio agentis, §. XXXVII.
item circumſtantia quid, ſeu obiectum, §. XXXVIII.
item, quibus auxiliis, aut quomodo aliquid agatur? §. XXXIX.
Per circumſtantias iſtas interdum qualitas, interdum tantum quantitas actionum, tum bonarum, tum malarum, mutatur, §. XL.
Cumprimis ad actiones regenitorum, ſi Deo placere debeant, requiritur, vt ex fide procedant, §. XLI.
Actiones bonae regenitorum, quo ſenſu & iuſtae ac ſanctae, dicantur, item, quod bonorum operum nomine veniant, §. XLII.
Neceſſitas dirigendi actiones ſuas ad legem diuinam, in ſtatu poſt lapſum inde elucеſcit, quod quo magis homo a lege diuina diſcedit, eo magis miſeria eius augetur, §. XLIII.
Quod exemplo irregenitorum, variis peccatis ſtultitiam ſuam demonſtrantium, & miſeriam augentium, luculenter patet, §. XLIV.
itemque irregenitorum, qui legis diuinae conſideratione ſuas ſub iugo continere cupiditates debent? §. XLV.

§. I.

VT conſtet, quaenam actiones bonae, quaenam malae ſint, & ad normam attendendum eſt, ad quam actiones ſunt exigendae, & ad ipſas actiones, quas ad iſtam normam exigere decet, vt inde, quaenam actionum ex iſta ad legem relatione reſultent affectiones, intelligamus.

§. II.

Loquimur autem de tali norma, quam ſequi homines regeniti tenentur, ſi Deo placere, eique ſuum demonſtrare obſequium velint, quae non alia, quam lex, & quidem diuina, eſſe poteſt. Vnde licet pacta, conſilia, leges humanae, itidem inſtar normae ſint, ad quam actiones ſuas componere tenentur, aut ſaltem, quod ad conſilia attinet, & quidem bona ac ſalutaria, recte & prudenter agunt, ſi ad eas actiones ſuas componant, hic tamen non aliae, quam diuinae leges, in cenſum veniunt. Interim, vt quae deinceps ſpeciatim de illis dicenda ſunt, rectius intelligantur, nonnulla generatim de legibus omnino praemittenda ſunt.

§. III.

Per *legem** itaque intelligo decretum, quo imperans ſibi ſubiectum obligat ad aliquid agendum, aut omittendum. Quae quidem legis ſtricte ita acceptae notio non tantum philoſophis, certe plerisque, & iureconſultis, eſt vſitata, ſed & ipſa eam ſequitur ſcriptura ſacra. ** Vnde audiendi non ſunt, qui legum notionem eo vsque extendunt, vt a conſiliis non differant.

 *Variae

Digitized by Google

* Variae circumferuntur legis definitiones, quarum nonnullas attuli, in *diſſertat. de principe legibus humanis, ſed non diuinis ſoluto*, in *ſchol. definit.* 3. Noſtra illis, qui accuratas de rebus omnibus ſibi formant notiones, facile ſe probabit. Quo pacto a lege & *conſilium* & *pactum*, ſeu *conuentio*, differat, docet PVFENDORFIVS, de *iure nat. & gent. lib.* 1. *cap.* 6. §. 1. 2. Graecorum philoſophos legem, per συνθήκην, ſeu conuentionem, vel ſimili ratione definiviſſe, mirum non eſt, cum ſtatus democraticus, qualis olim plerarumque Graeciae ciuitatum fuit, illis ante oculos verſaretur. Loca veterum, in quibus eiusmodi definitiones occurrunt, adfert IO. BARBEYRACIVS ad *Pufendorfii l. c. p.* 78. Qui autem conſilio itidem vim obligandi tribuunt, vt legem & conſilium non differre euincant, aliam iterum obligationis notionem animo concipiunt, ac vulgo fieri ſolet.

** Vbi ſcilicet de legibus proprie & ſtricte ſic dictis, ſiue diuinis, ſiue humanis loquitur. Ibi enim haecce legis notio ac definitio omnino locum inuenit. Ceteroquin enim latius interdum vox iſta ſumitur, adeo vt quandoque idem ſit, ac *doctrina*. Quo ſenſu νόμον πίστεως memorat Paulus, *Rom.* III, 27.

§. IV.

Enimuero, licet in certis oeconomiis federis gratiae, Deus non tam vt iudicem, aut regem, ſed ut patrem benigniſſimum, ſe manifeſtaſſe videatur, haec tamen non opponenda ſibi inuicem ſunt, ſed rite coniungenda: cum certo reſpectu, vt pater, & certo reſpectu vt iudex & legiſlator ſpectari poſſit, & iuſtitia non minus inter attributa diuina locum inueniat, quam miſericordia aut benignitas. Vnde leges diuinae non ſtatim pro monitis ſaltem paternis habendae ſunt.

§. V.

Nec dici poteſt, Deum protoplaſtis tantum vt patrem, non vt legiſlatorem ſeu iudicem, ſe manifeſtaſſe. Contrarium enim conſtat, ſiue leges naturales, ſiue poſitiuas, quas vocant (quas tantiſper ſupponere licet) ſpectes. Naturales enim obligationem externam non producere, fruſtra aſſeritur; vt ex dicendis ſuo loco conſtabit. Poſitiuas autem eam produxiſſe, & leges ſtricte ſic dictas fuiſſe, ex ſanctione illa poenali, *Gen. II, 17.* patet, quam non aliter capiendam, ex recepta apud Ebraeos loquendi conſuetudine, praecepta per tempus futurum exprimentium, patet. conf. *Exod. XX, 12. ſeqq.*

§. VI.

Cum legem per *decretum* definimus, mentis, cumprimis voluntatis, actum intelligimus, voce ita accepta, vt omni remota imperfectione ad Deum adplicari queat. Praeterea ita ſumitur, prout aliis innoteſcit, quod fit per promulgationem,* in qua illi, ad quos lex pertinet, tum de auctore, tum de ſenſu legis, certiores reddi debent.

* Iniquum eſſet, exigere a ſubditis obſequium, ſi illis non innotuiſſet, quid facere aut omittere deberent. Vnde promulgationis neceſſitas conſtat. Quod autem promulgatio ita inſtitui debeat, vt tum de auctore, tum de ſenſu legis ſufficienter conſtet, itidem res ipſa docet. Si quis enim neſciat, ab imperante hoc ſibi praeſcribi, & hinc non faciat, quae ab

ce

eo requiruntur, peccaſſe cenſendus non eſt. In humanis legibus, quo pacto haec ſe habeant, ſatis conſtat. In diuinis quae ſit promulgationis ratio, ex dicendis eluceſcet. Interim conf. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib.* 1. *cap.* 6. §. 13.

§. VII.

Non minus manifeſtum, imperio illum praeditum eſſe debere, qui aliis vult praeſcribere leges. * Namque non de pactis, aut conſiliis, ſed de legibus proprie & ſtricte ſic dictis, loquimur. Imperio autem ille pollet, qui cauſſas iuſtas habet obſequium ab aliis exigendi, & viribus pollet cogendi reluctantes. ** Ad cauſſas iuſtas praeter conſenſum magna pertinent beneficia, praeſertim ſi quis imperanti, quidquid habet, merito imputat, & ab eo totus velut dependeat. *** At praeter generales, ſpeciales accedere etiam cauſſae poſſunt, vt in regenitis, ſi cum aliis hominibus conferantur, cur prompto ac lubenti animo legibus diuinis obſequium praeſtare debeant. ****

* Ceteroquin enim nullo iure poſtulare ali aliis poſſet, vt legibus ſuis obedirent. Experientia docet, quo pacto iuſſa illorum excipiant homines, quibus non obedire tenentur, vel non credunt, quod teneantur. Idem porro ipſa legis & obligationis notio docet, quae neceſſario ſupponit ſuperiorem. Sunt quidem nonnulli, qui inter vim legis *directiuam* & *coactiuam* diſtinguunt, legemque mente concipiunt, quae directiua quidem, non autem vi coactiua, polleat, adeoque auctoritatem ſuperioris, ſeu imperantis, non ſupponat. Quam excogitarunt diſtinctionem, qui ſummos imperantes, etſi ab omni poteſtate humana immunes, legibus tamen ciuilibus obnoxios eſſe voluerunt. vid. CASPAR ZIEGLERVS de *iuribus maieſt. lib.* 1. *cap.* 1. §. 26. Verum haec ſine omni dicuntur fundamento. Lex, quae vi coactiua deſtituatur, lex non eſt, nec legis nomen promeretur. confer. quae dixi in *diſſertat. de principe legibus humanis, ſed non divinis ſoluto, conſect. prop.* 3.

** De cauſſis, ob quas imperium, adeoque ius praeſcribendi aliis leges, obligationemque iis imponendi ſibi quis vindicare queat, non vna omnium eſt ſententia. Sunt, qui a potentia, cui alii reſiſtere nequeant, viribusque cogendi, eas deriuant, vt THOMAS HOBBESIVS. Diſerte hac de re loquitur. *iis, quorum potentiae reſiſti non poteſt, & per conſequens Deo omnipotenti, ius dominandi ab ipſa potentia deriuatur*; *de ciue cap.* 15. *p. m.* 113. Hoc paulo ante de imperio diuino ſpeciatim, de quo ibi ex inſtituto agit, aſſeruerat: *in regno naturali, regnandi & puniendi eos, qui leges ſuas violant, ius Deo eſt a ſola potentia irreſiſtibili.* Similia habet in *Leuiathan cap.* 22. *p m.* 167. At fallitur magnopere HOBBESIVS, aliosque fallit. Aliud enim eſt cogere, aliud imperare. Latrones etiam cogere alios poſſunt, vt, quod ipſi volunt, praeſtent. inde autem non ſequitur, quod in eos imperium habeant. Alii rurſus fundamentum imperii praeſertim diuini, in praeſtantia & ἐξοχῇ naturae, atque virtutum collocarunt. Quorſum referas illud DEMOCRITI apud HVGONEM GROTIVM: *φύσει τὸ ἄρχειν οἰκεῖον τῷ κρείσσονι, natura euenit, vt melior ſequiori imperet*: de *iure belli & pacis lib* 2. *cap.* 20. §. 3. Eam ſententiam ex inſtituto ſibi defendendam ſumpſerunt nonnulli ex reformatae eccleſiae theologis, ſpeciatim MOSES AMYRALDVS, *diſſertat. de iure Dei in creaturas.* Non ſatis tamen iſti perpendunt, ex eo, quod dignus quis ſit, vt aliis imperet, non ſtatim ſequi, actu illi imperium in alios competere. Sane ex naturae & virtutum praeſtantia ſequitur, eum, qui reliquis melior praeſtantiorque eſt, dignum quoque eſſe, qui iis imperet. Cumque in Deo ſumma virtutum omnium perfectio deprehendatur, digniſſimum eſſe, qui totius orbis imperium teneat, nemo, niſi impius atque profanus, abnuerit. Sed quantumuis dignus quis ſit, inde non colligendum, actu quoque illi imperium competere, niſi aliae accedant cauſſae. add. *diſſertat. noſtra antea citata axiom.* 2. Nihil aliud itaque ſupereſt, quam vt in illorum ſententiam concedamus, qui contendunt, duo ad imperium, ſeu facultatem aliis

impo

imponendi obligationem, requiri, cauſſam iuſtam, cur quis ab alio obſequium exigere queat, & potentiam reluctantes cogendi. Prius inducet homines vt parere velint, poſterius, ſi nolint, efficiet, vt parere debeant. Vtrumque naturae humanae indoles requirit. Cum enim homines ſint, hoc eſt, ratione praediti, vt intelligant, par eſt, ſui eſſe officii, legibus praeſcriptis parere: cum vero etiam ad reluctantiam proni ſint, & ob prauas cupiditates difficulter iugum alienum ſubeant, in promptu eſſe debet potentia, quae reluctantes cogere queat. Perſpicue hoc demonſtrauit SAMVEL PVFENDORFIVS, de *iur nat. & gent. lib.* 1. *cap.* 6. & quidem §. 9. qui & in ſequentibus diſſentientes, ſpeciatim HOBBESIVM, luculenter refellit. add. ANDREAS ADAMVS HOCHSTETTERVS, in *colleg. Pufendorfiano exercit.* 3. §. 5. qui & §. 6. vſum huius doctrinae, tum in politicis, tum in theologicis, oſtendit.

*** In humanis ſcilicet imperiis cauſſa iuſta redit ad conſenſum: in diuino, ipſum creationis ac conſeruationis beneficium cauſſam iuſtiſſimam praebet, cur Deus ab omnibus exigere obſequium queat. Qua de re deinceps, *cap.* 2. §. 8.

**** Etiam hac de re dicetur infra, *cap.* 2. §. 9.

§. VIII.

Cetera, quae de legibus in genere praecipi ſolent, de obligatione, * & quo pacto comparati eſſe debeant, qui obligationem recipere queant, ** de interpretatione legis authentica, doctrinali, & vſuali, *** deque priuilegiis, * & quae reliqua ſunt eiuſdem generis, ceu alibi iam explicata,. nunc merito ſupponimus.

* De obligatione hic loquimur, prout inhaeret illi, qui obligatur. Aliter enim hanc vocem accipit RICHARDVS CVMBERLANDIVS, *de leg. nat. c.* 6. Eam in *element. philoſ. pract. part.* 2. *cap.* 2. §. 5. definiuimus, per qualitatem moralem paſſiuam, per quam quis praeſtare, vel admittere quid tenetur, neceſſitate morali. Non procul hinc diſcedit ea obligationis definitio, quam tradit CHRISTIANVS THOMASIVS, in *iurisprud. nt. diuina, cap.* 1. §. 134. *ſeqq.* qui tamen aliter hac de re philoſophatur, in *fundamentis iuris nat. & gent. lib.* 1. *cap.* 4. §. 60. Secundum noſtram definitionem diiudicanda, quae hac de re habet IOAN. SCHILTERVS, in *manuduct. philoſ. moral ad iurisprud. cap.* 8. §. 53. *p.* 340. *ſeqq.* Ceſſante legis obligatione, oritur *libertas*, quam *l. c.* definiui, per qualitatem moralem actiuam, per quam aliquis aut agere, aut committere quid poteſt, ex ſuo nutu & arbitrio. Nec ſane ſuffragari illorum ſententiae poſſum, qui libertatem non minus, quam obligationem, a lege eſſe putant, adeoque leges in *obligatorias* ac *permiſſorias*, diſpeſcunt; quam etiam tuetur eruditiſſimus BARBEYRACIVS ad *Pufendorf. lib.* 1. *cap.* 6. §. 15. *p.* 98. in cuius tamen fundamenta inquirere, inſtituti noſtri ratio non permittit.

** Scilicet, vt vſu rationis polleat, libertateque voluntatis gaudeat, & a poteſtate ſuperioris non ſit immunis; vt dixi in *elem. philoſ. pract part.* 2. *cap.* 2. §. 4. Ex priori ſequitur, brutis non poſſe ferri leges. vid. IO. SELDENVS de *iure nat. & gent. iuxta diſciplinam Ebraeor. lib.* 1. *cap.* 5. *p.* 75. *ſeqq.* Quae infantum quoad leges diuinas ſit ratio, ex dicendis conſtabit. Ex poſteriori manifeſtum eſt, Deum non poſſe obligari, nec vllis ſubiacere legibus, quia ab omni poteſtate ſuperioris immunis eſt. Huc pertinet etiam, quod moneri ſolet, ad conditionem quoque ſubditorum eſſe reſpiciendum, vt leges ferantur, quae & ſtatui eorum ſint conuenientes, nec vires eorum ſuperent. Quod qua ratione in legibus diuinis, praeſertim intuitu ſtatus poſt lapſum, in quo homines verſantur, ſe habeat, itidem ex iis, quae ſuo loco dicentur, patebit. Interim conferenda, quae de poſſibilitate legum diſſerit ROBERTVS SANDERSONIVS, de *obligat. iuram. praelect.* 2, §. 2. add. CASPAR. ZIEGLERVS, de *iurib. maieſt. lib.* 1. *cap.* 5. §. 74.

*** In compendio de triplici iſta legum interpretatione agit IOAN. CHRISTOPHORVS BECMAN-

Digitized by Google

BECMANNVS, in *meditat. polit. cap.* 13. §. 8. De ipſa vero ratione interpretandi pacta & leges, alibi ex inſtituto. Ad doctrinalem interpretationem pertinet *ἐπιείκεια, aequitas*, hoc eſt, correctio eius, in quo lex deficit ob vniuerſalitatem, a qua multum differt *diſpenſatio*, ſeu *relaxatio* legis, aut exemptio perſonae cuiusdam ab obligatione legis, qua alias obligabatur, lege quoad reliquos in vigore manente. De aequitatis & diſpenſationis differentia vid. HVGO GROTIVS, de *iure belli & pacis, lib.* 2. *cap.* 20. §. 27. add. ANDREAS ADAMVS HOCHSTETTERVS, in *colleg. Puſendorſiano exercit.* 3. §. 9. 10.

* Cum diſpenſatio ad plures actus extenditur, vocatur *priuilegium*. Alii priuilegium deſcribunt, quod ſit exemptio a iure communi. conf. HERMANNI CONRINGII *diſſertatio de priuilegiis*.

§. IX.

Sunt leges, ſi eos ſpectes, a quibus feruntur, vel *humanae*, vel *diuinae*. Diuinas iterum in *naturales & poſitiuas*; & has rurſus in *vniuerſales & particulares*, diſpeſcere ſolent. De naturalibus deinceps ex inſtituto, nunc de poſitiuis, & humanis tantum quaedam monenda ſunt.

§. X.

Nimirum leges *poſitiuas* & quidem *vniuerſales* vocant, quae etſi cum hominis natura nexum neceſſarium non habeant, adeoque ex ratione cognoſci nequeant, a Deo tamen ex libero eius arbitrio, omnibus hominibus datae ſint, ad eorum ſalutem & felicitatem. Eiusmodi leges dari, exemplis comprobare volunt, qui eas admittunt.

* Fuerunt iam pridem ex theologis, qui in eam ingreſſi ſunt ſententiam, dari leges quasdam diuinas poſitiuas vniuerſales, cum intelligerent, legibus diuinis quaedam omnibus hominibus prohibita eſſe, quae tamen legibus naturalibus, ſeu iis, quae naturalem & neceſſariam cum natura hominis connexionem habent, prohibita non ſint. Ita exiſtimat IO. CONRADVS DANHAVERVS, *hodoſoph. phaenom.* 6. §. 2. *p.* 464. IO. ADAMVS SCHERZERVS, in *breuiar. Hülſemann. extenſo cap.* 8. *theſ.* 16. *p.* 475. vbi inter *morale naturale & poſitiuum* diſtinguit, & illud ne a Deo quidem diſpenſabile eſſe, hoc a ſolo Deo diſpenſari poſſe, contendit. Idem ius poſitiuum vniuerſale innuit HVGO GROTIVS *lib.* 2. *de iure belli & pacis, cap.* 5. §. 8. Sed nemo tamen in naturam atque indolem legum iſtarum poſitiuarum vniuerſalium paulo accuratius inquiſiuit, donec vir illuſtris, CHRISTIANVS THOMASIVS, ingenii vires in id intenderet, remque omnem luculenter exponeret, in *iurisprudentia diuina*, praeſertim *lib.* 1. *cap.* 2. §. 63. *ſeqq.* qui tamen, vt totum ſuum de iurisprudentia diuina ſyſtema mutarit, ita etiam ſententiam de legibus diuinis poſitiuis vniuerſalibus non mutare non potuit, in *fundamentis iuris naturae & gentium, lib.* 1. *cap.* 5. Placuit etiam haec de legibus poſitiuis vniuerſalibus ſententia ANDREAE ADAMO HOCHSTETTERO, in *colleg. Puſendorſiano, exercit.* 3. §. 19. quam & meam feci, in *element. philoſoph pract. part.* 2. *cap.* 2. & 13. Eiusmodi vero leges dari, exemplis comprobari ſolet. Si enim nonnulla iure diuino omnibus omnino hominibus prohibita ſunt, quorum tamen prohibitio in legibus naturalibus non deprehenditur, nihil aliud ſupereſſe videtur, quam vt leges diuinas poſitiuas vniuerſales admittamus. Quod vero nonnulla omnibus hominibus prohibita ſint, quorum tamen prohibitio ex legibus naturalibus non conſtat, videtur demonſtrari poſſe, exemplo arboris vetitae in paradiſo,

legumque matrimonialium, quibus polygamia ſimultanea, diuortium extra caſum adulterii, & praeter gradus aſcendentium, etiam certi collaterales, qua conſanguinitatem, qua affinitatem, prohibentur, & denique legis de ſanctificando ſabbatho, ſaltem ſi certum hebdomadis diem ſpectes, aliisque. Et hiſce quidem argumentis vtuntur, qui leges illas poſitiuas vniuerſales defendunt.

§. XI.

Verum licet haec de legibus poſitiuis vniuerſalibus ſententia magna ſe commendet veroſimilitudinis ſpecie: dubia tamen quaedam haud contemnenda videntur illi opponi poſſe. Namque incertum eſt, quidquid de illarum promulgatione dicitur, immo iſta eas promulgandi ratio, quam vulgo ſtatuunt, vix videtur eſſe ſufficiens, vt per eam certo ad omnium hominum notitiam leges iſtae peruenire potuerint, quod tamen ad legem vniuerſalem requiritur. Nec neceſſarium videtur, leges eiusmodi poſitiuas vniuerſales ſtatuere, cum alia ratione cuncta planiſſime explicari queant. Id quod ex ipſa tractatione noſtra, luculenter conſtabit.

* Aſſerunt nonnulli, promulgatas eſſe haſce leges primo quidem Adamo, cum in generis humani reſtitutione Noacho, & denique repetitas per Chriſtum. At vltimum, ſi ita capiatur, ac ſi Chriſtus nouus fuerit legislator, vel eum in finem venerit, vt leges diuinas denuo promulgaret, oppido falſum eſt, vt mox demonſtrabitur. Chriſtus data occaſione leges diuinas omnium hominum cordibus inſcriptas, & a Moſe repetitas, explicauit: quod ſpeciatim has, quae poſitiuae dicuntur, denuo promulgauerit, nullo idoneo argumento probari poteſt. Nec certiora ſunt, quae de promulgatione Noacho facta dicuntur. Etſi enim traditio Ebraeorum de praeceptis Noachidicis non omni forte fundamento deſtituatur, vti a me iam obſeruatum, in *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebraeorum p.* 14. 15. praecepta tamen iſta Noachidica non minus naturales, quam poſitiuas leges continent, immo etiam praeceptum de membro animalis viuentis non comedendo, quod directe nec naturali, nec poſitiuo vniuerſali iure prohibetur. Nullum itaque inde pro iure poſitiuo vniuerſali, Noacho publicato, duci poteſt argumentum. Denique quod de Adamo dicitur, vel ideo admitti nequit, quod nullum huius rei in ſcriptura ſacra extet veſtigium. Quae cum ita ſint, aliam haſce difficultates expediendi ingreſſus ſum viam. Diſtinguo inter leges *abſolutas* & *hypotheticas*. *Hypotheticas* voco, quae certum aliquod inſtitutum ſupponunt. Inſtituta iſta vel *diuina* vel *humana* ſunt. *Humana* vt dominium rerum, pretium rerum, & alia; *diuina*, vt arbor vetita in paradiſo, matrimonium, ſabbathum, ſacramenta veteris & noui teſtamenti. Ad haec inſtituta, ad hominum quippe ſalutem comparata, obſeruanda, iure naturali obligati ſumus. Hinc leges hypotheticae. Ita plana cuncta, & in aprico poſita optimeque inter ſe cohaerentia. Omnia etiam dubia faciliſſime hac ratione ſolui poterunt, vti luculenter in ſequentibus, demonſtrabitur.

§. XII.

Multo minus neceſſe fuerit, ſpeciatim *leges ceremoniales noui teſtamenti* admittere. * Namque ſacramenta noui teſtamenti, aeque ac veteris, non ſunt leges, ſed inſtituta. Inter leges vero & inſtituta maximum intercedere diſcrimen, ſuo loco oſtendetur pluribus. Obligatio autem, quae homines obſtringit, vt hiſce inſtitutis recte vtantur,

vtantur, ex ipſo iure naturali eſt deriuanda, ex quo conſtat, obligatos eſſe homines ad ea omnia agenda, quibus felicitatem ſuam aeternam promouere queant.

* Et haec quibusdam noſtratium theologorum placuit ſententia, admittendas in nouo teſtamento eſſe leges quasdam ceremoniales, quae adeo etiam ſint poſitiuae, in iis ſcilicet, quae ad vſum ſacramentorum attinent. Ita IOSVA STEGMANNVS, cum quaeſtionem propoſuiſſet: *an praecepta quaedam ſpecialia a Chriſto promulgata ſint?* reſpondet: *de praeceptione ad ceremonias pertinente, qualis eſt coena, nullum eſt dubium*, in *Photinianismo diſputat.* 19. *quaeſt.* 8. Pari ratione theologi Wittebergenſes, in *refut. catechi mi Racou.* inſtitutionem ſacrae coenae *praeceptum euangelicum* dici poſſe, monent. Quibus adſtipulatur D. IO. GVIL. BAIERVS, in *compend. theol. moral. part.* 3. *cap.* 2. §. 12 *p.* 148. 17. Verum, etſi admitti forte haec ſententia poſſit, non tamen neceſſe eſſe puto, vt Socinianis atque Arminianis, exemplo ſacramentorum noui teſtamenti probaturis, Chriſtum eſſe nouum legislatorem, hoc concedamus. Sacramenta namque non leges ſunt, ſed inſtituta diuina, quibus beneficium aliquod hominibus offertur. Inter leges autem, quae obſequium requirunt, & inter inſtituta, quae beneficium exhibent, maximum eſt diſcrimen. Num enim ille, qui alteri exhibet beneficium, ſtatim illi praeſcribit leges? ſed hoc ſuo loco ex inſtituto explicabitur. Neque tamen ideo in hominis poſitum eſt arbitrio, velitne beneficium acceptare, an repudiare, velitne ſacramentis vti, an non? Namque ipſa lege naturali quilibet obligatus eſt, ad ea facienda & acceptanda, quibus ſalutem ſuam promouere poteſt, in quorum numero vel maxime ſunt ſacramenta. Obligatus etiam eſt eadem lege naturali, vt ſacramentis, iuxta inſtitutionem diuinam, nec aliter vtatur, quia ceteroquin vſus hicce parum ei prodeſſet, nec finem, ad quem comparata ſunt, conſequi poſſent.

§. XIII.

Quae autem praeter haecce inſtituta ab aliis, pro legibus noui teſtamenti venditantur, pertinent citra controuerſiam ad leges naturales, ſeu vniuerſales, quae omnibus omnino hominibus, in veteri pariter ac nouo teſtamento, datae ſunt. Vnde fruſtra nonnulli, Chriſtum *nouum* fuiſſe *legislatorem*, fingunt: * cum nouas ille leges non tulerit, nec eum in finem comparuerit, vt leges nouas ferret, ſed vt redimeret homines a poteſtate diaboli, atque metu mortis. *Ebr. II, 14. 15.*

* Conſtat, non tantum Socinianos & Arminianos, ſed alios quoque in ea verſari ſententia, Chriſtum leges Moſaicas non expoſuiſſe modo, ſed nouas quoque eis adieciſſe, adeoque pro nouo eum habendum eſſe legislatore. ARMINII, SIMONIS EPISCOPII, aliorumque huc ſpectantia loca iam allegaui in *diſſertat. de religione naturali contra Petrum Chauuinum*, *cap.* 7. §. 29. HVGONEM GROTIVM hancce labem praeclaro operi de *iure belli & pacis* paſſim adſperſiſſe, notat B. CASPAR ZIEGLERVS, ad *prolegomen. Grotii p.* 27. Quae vero pro hacce ſententia adſtruenda adferri ſolent, ſolide iam profligata ſunt a noſtratibus, ſpeciatim ABRAHAMO CALOVIO, in *conſiderat. Arminianismi*, *cap.* 13 §. 2. *ſeqq.* IOSVA STEGMANNO, in *Photinianismo*, *diſput.* 18. & 19. *p.* 289. *ſeqq.* aliisque. Placuit nihilo ſecius eruditiſſimo Angliae theologo, GEORGIO BVLLO, eandem propugnare: qua in re tantum abeſt, vt ab eo diſſentiat, celeberrimus operum eius editor, IO. ERNESTVS GRABIVS, ut potius eam pluribus confirmare annitatur. Et BVLLVS quidem, cum quaeſtio-

quaeſtionem mouiſſet, quaenam illa lex ſit, cuius iudicio nobis chriſtianis ſtandum ſit? ac reſpondiſſet, hanc eſſe legem Chriſti, regis noſtri, idque ex *Iacob. V*, 12 probare annisus eſſet, haec porro ſubiicit: *Hoc ideo curioſius obſeruandum, ne errorem erremus, quem Lutherus, & poſt eum noſtratium theologorum plerique in diſputationibus ſuis de iuſtificatione contra Pontiſicios, nimio contradicendi aeſtu abrepti, in eccleſias reformatas, maxime earum malo inuexerunt, ſcilicet euangelium, ex puris putis promiſſis conſtare; Chriſtum dediſſe mundo legem nullam; id tantum egiſſe, vt legem prius latam exponeret, ac a peſſimis Scribarum ac Phariſaeorum commentis aſſereret, legis moralis vſum eum nunc eſſe vnicum, vt per ipſam homines ad fidem Chriſti adducantur, vel ſaltem, vt ſit arbitraria viuendi regula, a Chriſto quidem nobis commendata, cui obtemperare ex gratitudine teneamur, nequaquam vero ſub periculo animae, aut tanquam conditio noui federis, ad ſalutem obſeruatu neceſſaria, nobis impoſita. Ex his principiis, incautius ab iis poſitis, atque a theologorum vulgo auide arreptis, per neceſſariam conſequentiam deducta fluxerunt execrabilia antinomorum, libertinorum, familiſtarum, atque eiusdem farinae aliorum dogmata, de quibus fortaſſe boni illi viri ne per ſomnium quidem cogitarunt*, &c. Peſſimo itaque huic errori vt obuiam eatur, illud pro certo ſtatuendum eſſe, putat, Chriſtum in concione a *Matthaeo cap. V. VI. VII.* tradita, legem moralem non tantum expoſuiſſe, ſed etiam, vt legem ſuam poſuiſſe, eiusque obſeruationem gratia euangelica temperatam, ab omnibus chriſtianis, tanquam conditionem federis ſui omnino neceſſariam, poſtulare. Idque clariſſime liquere, cenſet, ex epilogo iſtius concionis, item ex verbis, quae *Matth. V*, 20. extant: *dico vobis, niſi abundauerit iuſtitia veſtra &c.* Ita quidem BVLLVS, in *harmon. apoſtolica cap.* 2. §. 3. *p.* 28. Confirmaturus iſta vir clariſſimus IO. ERNESTVS GRABIVS, haec ſubiicit: *leges nouas Ieſum Chriſtum tuliſſe diuerſas a legibus Moſaicis, non ſolum, inſtituta ab eo noui federis ſacramenta, ſed & morale interdictum polygamiae, ac diuortii extra caſum adulterii, maniſeſtiſſime euincunt: nec non loca Pauli Ebr. VII, 12. vbi, tranſlato veteris teſtamenti ſacerdotio, legis quoque tranſlationem factam, expreſſis verbis docet, & 1 Cor IX, 21. vbi ſe reſpectu legis Moſaicae ἄνομον, attamen Chriſto ἔννομον eſſe profitetur. Quod vero legibus Chriſti poenae ſint annexae, non modo allegata hoc §. verba ſeruatoris, Matth. V, 20. vt & 22. 26. 29. 30. demonſtrant, ſed & Ioan. III, 5. amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei: & Ioan. VI, 3. amen, amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Digna haecce, quae ab vtroque in medium allata ſunt, vt paullo accuratius a nobis expendantur. Et ad BVLLVM quidem quod attinet, primo obſeruari velim, non tantum contra Pontificios, ſed & contra Socinianos & Arminianos, hanc a noſtratibus defendi ſententiam, quod Chriſtus nouas leges non tulerit. Idque cum ob cauſſas grauiſſimas fiat, contradicendi ſaltem aeſtu abreptos, maiores noſtros in hanc iuiſſe ſententiam, dici nequit. Deinde, non ſincere, ſaltem non accurate, mentem ſententiamque eorum, contra quos diſputat, proponit BVLLVS. Id quod, quantum ad reformatos attinet, illi iam ab aliis obiectum fuit, vt patet ex *examine cenſurae, ſeu reſponſione ad quasdam animaduerſiones, p.* 34. Cum vero ipſe ita mentem ſuam explicet, vt per *noſtrates theologos* etiam Lutheranos ſe intelligere innuat, & diſerte originem erroris, quem vocat, a Luthero deriuet, nobis vitio verti nequit, ſi dicamus, nec noſtratium, hoc eſt, Lutheranorum theologorum ſententiam ſincere ſatis virum doctum propoſuiſſe. Ecquis enim eſt, qui tam crude dicat: *legis moralis vſum eum nunc eſſe vnicum, vt per ipſum homines ad fidem Chriſti adducantur*, item, *legem moralem eſſe arbitrariam quandam viuendi regulam, a Chriſto quidem commendatam, cui obtemperare ex gratitudine teneamur, nequaquam vero ſub periculo animae.* Haec eo modo nemo noſtratium docuit, aut ſi docuit, ſe noſtrae eccleſiae minime tenere placita, indicauit. De vſu quidem legis moralis, quae noſtra ſit ſententia, ſupra iam expoſitum in *prolegom.* §. 8. *ſeqq.* Et licet hominem regenitum a coactione & maledictione legis liberum pronuntiemus, non tamen liberum pronuntiamus ab obligatione, vt ibidem demonſtrauimus. Obligatio autem legis cum ſpiritu ſpontaneo & filiali, & gratitudine, profecto optime conſiſtere poteſt: nec ullo modo inde ſequitur, legem moralem pro *regula quadam arbitraria* a nobis haberi. Noſtra itaque cum non recte

propo-

Digitized by Google

propoſuerit principia, quilibet facile videt, quo iure antinomorum, libertinorum, & familiſtarum inde deriuer errores. Nec enim deteſtamur ſaltem eiusmodi errores, ſed nulla quoque fouemus principia, vnde illi per legitimam conſequentiam deriuari queant. Iam probandum BVLLO erat, Chriſtum nouas leges tuliſſe, quod paucis & admodum ieiune facit. Pro certo ſtatuendum eſſe, dicit, Chriſtum in concione, *Matth. V. VI. VII.* legem moralem non tantum expoſuiſſe, ſed nouas tuliſſe. At hoc probandum erat. Contrarium iampridem a noſtratibus euictum. Ego hoc vnicum addo: ſi Chriſtus nouas leges ibi tulit, ſequitur, eum, quem antiquis ſeu maioribus tribuit, verum & genuinum legum Moſaicarum fuiſſe ſenſum: e. g. praeceptum quintum tantum de externo homicidio eſſe intelligendum, & ſic porro. Quodſi enim hunc verum & genuinum legis Moſaicae ſenſum fuiſſe neges, ſequetur ſane, Chriſtum non tuliſſe nouas leges, ſed falſos ſaltem eius interpretationes reieciſſe. Iam vero, ſi concedas, verum hunc & genuinum fuiſſe legis Moſaicae ſenſum, quem antiquis ſeu maioribus Chriſtus tribuit, ſequetur abſurdum maximum, ethnicos longe rectius leges diuinas intellexiſſe, quam Iudaeos, & quidem eos, qui iuxta mentem Moſis eas recte intelligebant. Non externos enim actus peccaminoſos, ſed internos lege diuina prohiberi; non tantum amicos, ſed etiam inimicos diligendos eſſe: ſapientioribus ex ipſis ethnicis fuit exploratum. Ad epilogum autem huius concionis nos ablegat BVLLVS, in quo Chriſtus, eum demum prudentia viri laudem promereri, dicit, qui non tantum haec verba audiuerit, ſed & fecerit. Nihil hic video, quod legislatorem demonſtret. Namque & doctoris eſt, cum legem explicuerit, adhortari ſuos, vt faciant ea, quae propoſita ſunt, cum ea audiuiſſe non ſufficiat. Ergone & Iacobus legislator fuit, dum ſuos adhortatus eſt, vt ποιηταὶ τοῦ λόγου & non tantum ἀκροαταὶ ſint? *Iacob. I,* 22. Sed prouocat porro BVLLVS ad verba Chriſti: *niſi abundauerit iuſtitia veſtra, plus quam illa ſcribarum, vos nequaquam ingreſſuros in regnum coelorum, Matth. V,* 20. In quibus tamen verbis nihil eorum continetur, quae ſibi fingit vir doctiſſimus. Meliorem vult ſeruator eſſe diſcipulorum iuſtitiam, quam phariſaeorum: num quod nouas illis leges dederit? Nullibi hoc extat: ſed quod phariſaei veram iuſtitiae rationem, quam ſcire poterant, & debebant, ignorent. At *nouam*, inquit, *hanc iuſtitiam diſcipulis ſuis ſub periculo animae obſeruandam imponit.* Quaſi vero nec quilibet doctor auditoribus ſuis hoc dicere poſſit: niſi legem, cuius verum & genuinum ſenſum vobis expoſui, obſeruaueritis, aeternam poenam non effugietis. Intellexit haud dubie vir doctiſſimus, IO. ERNESTVS GRABIVS, rationes BVLLI nimis infirmas eſſe, hinc alias in medium adferre voluit. Primo prouocat ad ſacramenta noui foederis. At, quid hac de re cenſendum, iam §. *praeced.* demonſtrauimus. Prouocat deinde ad morale interdictum polygamiae, & diuortii extra caſum adulterii. Quod forte non facturus fuiſſet, ſi meminiſſet, ſeruatorem ex ipſa primaeua coniugii inſtitutione prohibitionis huius cauſſam deriuaſſe, *Matth. XIX,* 4. Quae ergo iam in ipſo paradiſo inſtituta, adeoque aut praecepta aut prohibita ſunt, ea Chriſtus demum, ceu nouus legislator, praecepiſſe aut prohibuiſſe cenſendus non eſt. Patebit id luculentiſſime ex iis, quae infra ſuo loco dicentur. At Paulus tamen, inquit, *Ebr. VII,* 12. expreſſis verbis docet: *translato veteris teſtamenti ſacerdotio, legis quoque translationem factam.* Quaſi de lege proprie & ſtricte ſic dicta, ibi apoſtolo ſermo eſſet. Supra iam obſeruauimus, legis vocem latiſſime quandoque in ſcriptura ſacra ſumi, vt etiam generatim doctrinam quandam ſignificet. Et hic quoque apoſtoli hoc loco ſenſus eſt, translato veteris teſtamenti ſacerdotio, legem quoque translatam eſſe, hoc eſt, mutato ſacerdotio, mutatam quoque eſſe formam doctrinae. Eadem ratione & apoſtolus 1 *Cor. IX,* 21. reſpectu legis Moſaicae ſe ἄνομον, attamen Chriſto ἔννομον ſe eſſe, profitetur, quod ſcilicet ſecundum ea, quae a Chriſto edoctus eſt, vitam ſuam inſtituat, non per legis obſeruantiam, ſed per fidem in Chriſtum ſalutem quaerens, legem interim ſeruare ſtudens, non ex coactione, ſed libere, & ſpiritu filiali, interim ſincere, pro viribus per gratiam Chriſti ſibi conceſſis. Haec eſt doctrina, haec eſt diſciplina Chriſti, magiſtri & doctoris optimi, ex qua, leges peculiares eum tuliſſe, minime colligere licet. Reliqua, quae idem adfert, vix digna ſunt, vt ad ea reſpondeatur. Legibus ſcilicet Chriſti poenas annexas, non modo ex loco a BVLLO allegato *Matth. V,* 20. 22. *ſeqq.* patere putat, ſed & ex *Ioan. III. 5. VI,* 51.

Sed quod ad primum locum, quem & BVLLVS produxit, ſupra reſponſum eſt, id ad reliqua etiam reſponderi poteſt. Legiſlatoris equidem eſt, legibus ſubiungere poenas, quae maneant eos, qui leges ſunt transgreſſuri. Sed doctoris etiam eſt, indicare auditoribus ſuis, quod iſtae poenae illos maneant, ſi leges praeſcriptas non obſeruauerint, aut media ſalutis acceptare nolint. Hoc ergo ſi faciat doctor, vt ſuo rite fungatur munere, non ſtatim euadet legiſlator, multo minus ea, quae profert, pro legibus ab ipſo latis ſunt habenda. Vnde quam infirma ſint, quae vir doctiſſimus pro ſua ſententia incruſtanda in medium attulit, ſatis patet.

§. XIV.

Porro & illi falluntur turpiter, qui praeter leges diuinas naturales, *conſilia* quaedam, illis data, contendunt, qui ad maiorem perfectionis gradum adſpirant. * Praeterquam enim, quod varios, grauiſſimosque haec ſententia inuoluat errores, aut ſupponat, homines e. g. legum diuinarum obſeruatione aliquid poſſe promereri, poſſe legi diuinae a quibusdam mediocri diligentia ſatisfieri, quae tamen ſufficiat ad promerendam vitam aeternam, poſſe hominem plus praeſtare, quam leges diuinae exigant, nullo praeterea nititur fundamento. Quaecunque enim illi pro conſiliis venditant, reuera ſunt leges diuinae, eaeque naturales ac vniuerſales, quae omnes omnino homines, ſpeciatim regenitos obligant, quod ex ipſa inductione facile comprobari poteſt.

* Pontificiorum haec eſt ſententia, quam & calculo ſuo ſubinde adprobat HVGO GROTIVS, notatus ideo CASPARI ZIEGLERO, ad *lib. 1. de iure belli & pacis*, *cap. 2. p.* 98. 99. De numero equidem iſtorum conſiliorum euangelicorum ipſimet Pontificii inter ſe non conueniunt. Solent tamen vulgo duodecim adferri, de paupertate ſcilicet voluntaria, *Matth. XIX*, 21. de abnegatione ſui, *Matth. XVI*, 24. per quam obedientiam monaſticam intelligunt de caſtitate, *Matth. XIX*, 12. de vindictae intermiſſione *Matth. V*, 39. de iniuriarum patientia, *Luc. VI*, 29. de eleemoſyna, *Luc VI*, 30. de iuriſiurandi intermiſſione, *Matth. V*, 34. de euitanda occaſione peccandi, *Matth. XVIII*, 9. de intentione in bonis operibus recte formanda, *Matth. VI*, 1. de factorum cum doctrina conuenientia, *Matth. XXIII*, 3. de victus ſollicitudine ex animo eiicienda, *Matth VI*, 31. & denique de correptione fraterna, *Matth. XVIII*, 15. Quae ad tria, ceu praecipua, & ſubſtantialia, perfectionis conſilia reuocantur ab aliis, de paupertate, caſtitate, & obedientia, vnde fundamentum ſtatus monaſtici. Praeterquam vero, quod haec ſententia de conſiliis euangelicis, plures grauiſſimosque errores ex mente Pontificiorum aut ſupponat, aut ſecum coniunctos habeat, & omni quoque deſtituatur fundamento, quod iam indicatum, & prolixius etiam demonſtratur a MARTINO CHEMNITIO, in *locis theologicis*, *de diſcrimine praeceptorum & conſiliorum*, *p. m.* 102. *ſeqq.* luculenter oſtendi poteſt, haec ſi recte capiantur, in legibus diuinis contineri, & ab omnibus, qui nomen chriſtianorum tueri volunt, exigi. Prout vero nonnulla a Pontificiis capiuntur, a nemine mortalium, nec per modum legis, nec per modum conſilii, exiguntur. Documento eſſe poſſunt tria iſta conſilia, quae vocant, praecipua & ſubſtantialia, de paupertate, caſtitate, & obedientia. Ad ſobrium enim bonorum temporalium vſum, vitandamque auaritiam, ad caſtitatem etiam in matrimonio ſeruandam, & ad obedientiam quibusuis ſuperioribus praeſtandam, lex diuina generatim omnes omnino homines obligat. Ad coelibatum vero & vitam monaſticam, vti leges diuinae neminem obligant, ita nec conſilia praeſto ſunt, quae eiusmodi vitae genus ſuadeant. Interim ratio ipſa docet, externa quaeuis, quae impedimentum chriſtianiſmo adferunt, quantum fieri poteſt, remouenda

Digitized by Google

remouenda eſſe obſtacula, idque vtile eſſe atque ſalutare. Quorſum ſpectant conſilia Pauli apoſtoli, 1 *Cor. VII.* quae inſuper erant particularia, & huc adeo non ſpectant. Reliqua, quae antea attulimus, non ſunt conſilia, ſed leges diuinae, omnes omnino homines obligantes. Eadem lex, quae requirit, vt Deum ſupra omnia amem, requirit etiam, vt meipſum abnegem. Seipſum enim qui non abnegat, Deum ſupra omnia amare nequit. Eadem lex, quae amare proximum, ſicut nos ipſos, iubet, vindictae cupiditatem hoc ipſo prohibet, iniuriarum contra patientiam, & amoris per eleemoſynas demonſtrationem, iniungit. Et ita in reliquis res ſe habet. Mirum vero, qua ratione ad certos tantum homines, qui ad ſublimiorem perfectionis gradum adſpirare ſibi videntur, hoc referre potuerint, quae tamen ad omnes chriſtianos pertinent, adeo, vt hoc nomine dignus non ſit, qui non hiſce officiis pro viribus ſatisfacere ſtudeat, niſi forte in eam quis ingrediatur ſententiam, chriſtianiſmum eiusmodi eſſe ſtatum, qui non promiſcue omnibus, ſed certo tantum hominum generi conueniat. Et fouiſſe ſane nonnullos eiusmodi de chriſtianiſmo cogitationes, diſcere licet ex PETRI BAELII *continuation des penſées diuerſes, tom.* 2. §. 125. *p.* 602. 603. Scilicet, vt philoſophi olim certum ſpectabantur vitae genus, quod non conueniebat omnibus, nec ab omnibus requirebant, ſed ab iis, qui in illorum ſe dabant diſciplinam: & quemadmodum certorum ordinum apud Pontificios conditores, Benedictus, Dominicus, Franciſcus, regulas certas, vitae genus, non omnibus ſane hominibus, ſed iis, qui in iſtos ordines ſe daturi eſſent, praeſcripſerunt: eadem ratione chriſtianiſmum comparatum eſſe cenſent, qui non omnibus conueniat, ſed nobilioribus ſaltem animis, qui ſpretis caducis, aeterna & coeleſtia conſectari, & illis reliqua omnia poſtponere non dubitent. Verum rectiſſime hanc ſententiam reiicit BAELIVS. Conſtat enim per doctrinam euangelii, omnes omnino homines, ſine ſtatus, ſexus, ac aetatis diſcrimine ad regnum coelorum vocari. Agitur hic praeterea non de re quapiam, quam eligere aut reſpuere in cuiusuis poſitum ſit arbitrio, ſed de ſalute aeterna, quam ſi quis non conſecutus fuerit, illi aeterni & nunquam finiendi ſubeundi erunt cruciatus. Expendi iterum & reliqua merentur, quae idem auctor hac de re habet.

§. XV.

Praeter leges diuinas vniuerſales, dantur etiam *particulares*, quas Deus genti ebraeae dedit: * quarum aliae cum circa cultum Numinis verſentur, aliae circa negotia ciuilia, hinc in *ceremoniales & forenſes*, diſpeſci ſolent. Cum vero finis iſtarum legum particularium ceſſet, ceſſant & ipſae, neminemque hodie amplius obligant. Interim vſu ſuo non deſtituuntur, ſpeciatim oſtendunt, quae in iis praecipiuntur, aut permittuntur, non repugnare iuri naturali.

* Leges Moſaicas, quas ceremoniales & forenſes dicimus, ſolis Iudaeis datas, ex fine & ſcopo illarum ſatis liquet: idque ex inſtituto probat HVGO GROTIVS, *lib.* 1. *de iure belli & pacis, cap.* 1. §. 16. De forenſibus, qua talibus, in ſpecie, non chriſtianis, ſed ſolis Iudaeis, eas latas eſſe, multis rationibus euincit IOAN. ALTHVSIVS, in *politica c. p.* 22. §. 10. Sed cum iſtarum quoque legum finis hodie ceſſet, ipſam quoque ceſſare obligationem, neceſſe eſt. Finis legum ceremonialium fuit, repraeſentare & praefigurare Chriſtum. Poſtquam ergo Chriſtus venit, finis hicce non amplius locum habet. Vmbrae fuerunt, teſte apoſtolo, quae ſuperueniente corpore Chriſto, euanuerunt, *Coloſſ. II,* 14. 17. add *Dan. IX,* 27. *Matth. XI,* 13 Finis autem legum forenſium fuit conſeruatio reipublicae Iudaicae. Haec itaque iampridem deſtructa, & euerſa, harum quoque legum, non potuit non exſpirare finis. Eo magis igitur errant, qui haſce leges hodie adhuc obligandi vim habere ſibi perſuadent, ea tamen potiſſimum ratione inducti, ac ſi non ſolis Iudaeis datae ſint. Qua in re falluntur, vt antea dictum. add. GVILIELMVS ZEPPERVS, *explanat. leg. Moſaic. lib.* 1. *cap.* 2. *p.* 24. Etſi vero & finis obligatio harum legum ceſſet,

inde

inde tamen non ſequitur, ac ſi nullum amplius habeant vſum. In vtrisque enim ſummam Numinis cognoſcere admirari ſapientiam licet; ſpeciatim in ceremonialibus, Chriſtum ſeruatorem, cum ſuis officiis & beneficiis cognoſcere iuuat, vt inde intelligamus, per eandem, qua olim Iſraelitae, & nos ſaluari fidem. Sapientisſime etiam in vmbris iſtis atque figuris maxima myſteria adumbrata deprehendemus. Illi enim, qui praeeunte IOAN. MARSHAMO, in *canone chronico* &c. & IO. SPENCERO, de *legibus Ebraeor. ritualibus & eorum cauſſis*, ad cauſſas naturales & politicas cuncta referunt, audiendi non ſunt, vt alibi ex inſtituto oſtenditur. Forenſium legum, Iudaeis olim datarum, triplicem hodie vſum eſſe, docet HVGO GROTIVS; primo namque, oſtendi iis, quae legibus iſtis praecepta ſunt, non eſſe contra ius naturae; licere nunc magiſtratibus chriſtianis eius ſenſus leges ferre, quales ſunt leges per Moſen datae; denique, quidquid ad eas virtutes pertinens, quas Chriſtus a ſuis diſcipulis exigit, lege Moſis praeceptum eſt, id nunc etiam, ſi non & amplius a chriſtianis praeſtandum, *lib* 1. *de iure belli & pacis, cap.* 1. §. 17. Sed ex hisce primum vſum ſimpliciter locum inuenire, docet CHRISTIANVS THOMASIVS, *iurisprud. diuinae, lib.* 1. *cap.* 2. §. 129. *ſeqq.* Et ſane admitti non poſſunt, quae GROTIVS ſubinnuit, ac ſi Chriſtus a diſcipulis ſuis quaedam exegerit, quae a reliquis chriſtianis non requiruntur, item ac ſi a chriſtianis amplius quid requiratur, quam a fidelibus veteris teſtamenti requiſitum fuit. Vt autem leges iſtas forenſes eo rectius cognoſcamus, operae pretium fuerit, conſulere auctores, qui ius Ebraeorum commentationibus ſuis illuſtrarunt, aut inter leges Ebraeorum aliarumque gentium, ſpeciatim Romanarum, comparationem quandam inſtituerunt, de quibus dictum in *prolegom. ad* §. 15.

§. XVI.

Ad *humanas* leges quod attinet, cum itidem quaeri ſoleat, an & quousque pro norma habendae ſint, ad quam regeniti actiones ſuas componere teneantur, obſeruandum, quod iterum vel *eccleſiaſticae* ſint, vel *ciuiles*, quemadmodum illae rurſus in *vniuerſales*, quorſum pertinent canones conciliorum oecumenicorum, & *particulares*, diſpeſci ſolent.

§. XVII.

Eccleſiaſticarum nimirum *legum* nomine & canones conciliorum, & decreta pontificum, aliorumque epiſcoporum, principum denique conſtitutiones circa res eccleſiaſticas, ritus ſcilicet, ceremoniasque ſacras, & alia externa, veniunt. Canones conciliorum, neutiquam ſunt leges, * ſed ſaltem aut ſcripturae explicationes, aut iudicia doctorum de eo, quod eccleſiae vtile ac ſalutare eſt, adeoque & per ſe, niſi in quantum ſunt concluſiones rite ex ſcriptura deductae, aut principum acceſſerit auctoritas, nullam habent vim obligandi. Interim ob generalem legis diuinae obligationem, qua quisque facere tenetur, quod ad concordiam eccleſiae, eiusque ſtatum conſeruandum pertinet, quilibet regenitus, quamdiu eiusmodi canones in vſu, nec dum abrogati ſunt, iis merito in tantum ſe ſubiicit, in quantum in conſcientia perſuaſus eſt, eos verbo diuino non repugnare, & reuera eccleſiae vtiles eſſe ac ſalutares. Pro legibus autem ſtricte ſic dictis canones eiusmodi haberi

non

non poſſe, patet, quod patres concilii cuiusdam, doctores ſint, non imperantes, ipſaque eccleſia indolem ſtatus ciuilis minime habeat, vt leges ferre queat. *Ioh. XVIII, 37.*

* Inter leges eccleſiaſticas primo loco referri ſolent canones conciliorum, praecipue iſti, qui in *codice canonum eccleſiae vniuerſae*, continentur. Namque particulares in conciliis nationalibus, aut prouincialibus, in vſum huius aut illius eccleſiae conditi, nobis nunc in cenſum non veniunt, etſi, quae horum ſit vis obligandi, ex illis, quae de vniuerſalibus canonibus dicuntur, facile aeſtimari queat. Cum ergo in primitiua trium primorum ſeculorum eccleſia varia in oriente congregata fuiſſent concilia, quibus anno CCCXVIII. Nicaenum, quod primum inter oecumenica fuit, acceſſit, fuerunt, qui canones in hisce conciliis conditos in vnum corpus colligerent. Sane ante concilium Chalcedonenſe, anno CCCLI. habitum, canonum quandam extitiſſe collectionem, BARONIVS, IVSTELLVS, ANTONIVS AVGVSTINVS, aliique ex eo colligunt, quod in eo concilio recitati ſint quattuor canones concilii Antiocheni, vtra centum annos antiquioris, ſuppreſſo tamen nomine concilii, & longe alio ordine, quam in iſto concilio conſpiciuntur. Immo veroſimile nonnullis videtur, initium colligendi canones ſtarim poſt concilium Nicaenum factum, ita vt Nicaenis canonibus adiungerentur canones praecedentium conciliorum, qui itidem ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectabant. HENRICVS equidem IVSTELLVS, CHRISTOPHORI filius, qui patris *bibliothecam iuris pontificii veterem* cum GVILIELMO VOELLO Pariſiis edidit, in *praefatione*, bibliothecae iſti praemiſſa, contendit, poſt concilium Conſtantinopolitanum, anno CCCLXXXI. congregatum, primam canonum collectionem factam per STEPHANVM, Epheſinum epiſcopum. At fallitur, cum STEPHANVS ille, prioribus canonibus iam in vnum collectis, tantum canones concilii Conſtantinopolitani primi adiecerit, & nouae huic collectioni nomen ſuum praefixerit, quod luculenter oſtendit GERHARDVS A MASTRICHT, in *hiſtoria iuris eccleſ. p.* 34. 35. Prima itaque collectio ſtatim poſt concilium Nicaenum facta, videtur canones tantum continuiſſe CXXXVIII. viginti nempe Nicaenos, viginti quinque Ancyranos, quatuordecim Neocaeſarienſes, quinquaginta nouem Laodicenos, & viginti Gangrenſes. Hicce vero numerus ad tempora concilii Chalcedonenſis, a quo codex iſte, aeque ac Iuſtiniano imperatore confirmatus eſt, creuit ad CCVII. accedentibus Antiochenis viginti quinque, Conſtantinopolitanis ſeptem, Epheſinis octo, & Chalcedonenſibus viginti nouem. Et hic eſt codex ille canonum eccleſiae vniuerſae, quem poſt alios accuratiſſime edidit CHRISTOPHORVS IVSTELLVS, quam editionem Helmſtadii anno MDCLXIII, recudi curauit GERHARDVS THEODORVS MEIERVS, Helmſtadienſis quondam theologus clariſſimus. Vt vero magna olim iſtorum canonum in eccleſia fuit auctoritas, ita vim legum tamen non obtinuerunt, donec per IVSTINIANI imperatoris edictum eam conſequerentur. Extat illud *nouella conſtitutione* CXXXI. & ita ſe habet: *ſancimus, vicem legum obtinere ſanctas eccleſiaſticas regulas, quae a ſanctis quatuor conciliis expoſitae ſunt, aut firmatae, hoc eſt, in Nicaena trecentorum decem & octo patrum, & in Epheſina prima, in qua Neſtorius eſt damnatus, & in Chalcedonia, in qua Eutyches cum Neſtorio anathematizatus eſt. Praedictarum enim quatuor ſynodorum dogmata, ſicut ſanctas ſcripturas accipimus, & regulas ſicut leges obſeruamus.* Hic videtur equidem imperator, omnes canones in conciliis iſtis conditos, aut confirmatos, pro legibus habere: ſed improprie valde eum locutum, nemo harum rerum vel mediocriter peritus dubitauerit. Quemadmodum enim conciliis non competit ſummum imperium, ad facultas legislatoria, ita & canones, quos condunt, neutiquam pro legibus ſtricte ſic dictis habendi, donec a ſummis imperantibus hanc auctoritatem acceperint. Recte hoc obſeruat GEBHARDVS THEODORVS MEIERVS, in *hiſtorica relat. de collectionibus canonum*, §. 12. Cum enim docuiſſet, codicem canonum vim legum publicarum per IVSTINIANI demum imperatoris edictum accepiſſe, addit: *eſt inter canones & leges multum diſcriminis. Etenim eccleſiae inſtituta vim canonis a ſynodo, vim vero legis a ſumma poteſtate accipiunt. Multos namque obſeruare licet canones, qui non ſunt leges, quod ſummae poteſtatis auctoritate deſtituantur,*

Digitized by Google

ſed vel vim conſilii habent, vel obligant per modum pacti. Contra ſunt leges eccleſiaſticae, quae canonum nomine accurate loquendo minime veniunt: ſcilicet omnes illae, quae non ex ſententia ſynodi, ſed extra illam a ſola maieſtate ſunt praeſcriptae, in quibus non ἐπικύρωσις confirmatio, ſed ὑπόμνημα συνοδικὸν, ſignificatio ſynodalis, modo locum habebat. Quando ſynodus leges eccleſiaſticas, a maieſtate extra ſynodum conditas, iubebat patres, metropolitas quidem in ſuis prouinciis, epiſcopos ſuis paroeciis intimare & proponere, actus ille ὑπόμνημα συνοδικὸν dicebatur. Igitur inſtituta eccleſiae a confirmatione ſynodi auctoritatem canonicam ſeu in eſſe canonis, a ratihabitione principis (quam θείαν πρόσταξιν ſacram iuſſionem, veterum canones, poſteriores ἐκ κυρωτικὸν πρόσταγμα vocant) auctoritatem ciuilem imperatoriam, ſeu legalem obtinere, ſeu in eſſe legis conſtitui dicuntur. Hinc ergo patet, quo loco canones eccleſiae veteris hodie ſint habendi. Ciuilis illa, quam per Iuſtinianum adepti ſunt, obligatio ceſſat, cum ea ad nos non pertineat, niſi ab iis, quorum imperio ſubiecti ſumus, re-nouetur. Per ſe vim legum non habent: & quae veteres ad eos obſeruandos inducere poterant, hodie non amplius locum inueniunt. Hinc vero, & quid de aliis conciliorum canonibus cenſendum ſit, liquido conſtat. Sed de veteris eccleſiae canonibus, eorumque collectionibus, praeter auctores iam laudatos, conferri meretur B. CASPARVS ZIEGLERVS, *diſſertat. de orig. & increm. iur. can.* quam IO. PAVLI LANCELLOTTI, *inſtitut. iur. canon* praemiſit, *§. 7. ſeqq.* & IO. STRAVCHIVS, *amoenitat. iur. canon. ſemeſtr. 1. eclog. 6. cap. 1. pag.* 105. 106. De canonibus & conſtitutionibus, quas vocant, apoſtolorum, quibus nonnulli principem inter canones veteres tribuunt locum, non neceſſe eſt, vt quidquam dicamus, cum hodie nemo dubitet, perperam eas apoſtolis tribui. Praeter innumeros, qui hac de re egerunt, conf. ANDREAS RIVETVS, in *critico ſacro lib. 1. cap. 1. p. 99. ſeqq.* ROBERTVS COCVS, in *cenſura quorundam ſcriptorum &c. p. 4. ſeqq.* THOMAS ITTIGIVS, de *pſeud-epigraphis Chriſti, Mariae & apoſtolorum, cap. 11. & 12.*

§. XVIII.

Romanum vero pontificem, perperam ſibi imperium aliquod in orbem chriſtianum vindicare, conſtat inter omnes. Vnde, quo loco & leges eius ac conſtitutiones habendae ſint, patet. * Idem de reliquis epiſcopis cenſendum. Epiſcoporum eſt, docere, non imperare *1 Petr. V, 3.* Monere itaque poſſunt, arguere, cohortari, non autem ferre leges.

* Romanos pontifices, cum reliquis ſummi imperii partibus, etiam facultatem legiſlatoriam in eccleſiam chriſtianam ſibi vindicare auſos, conſtat. Commode autem illis accidit, vt DIONYSIVS EXIGVVS, qui ſub Theodorico rege, eiusque ſucceſſoribus claruit, in noua, quam latino ſermone edidit, canonum collectione, decretales quoque epiſtolas Siricii, Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, Coeleſtini, Leonis primi, Gelaſii & Anaſtaſii adiiceret. Duas namque ita iuris canonici, quod ad canonem iſtis collectionibus originem ducit, conſtituiſſe partes videtur, vnam, qua decreta conciliorum, alteram, qua decretales epiſtolae pontificum continerentur. Cum vero haec decretalium collectio a Siricio demum incipiat, merito inde colligunt viri docti, eum decretales his antiquiores non repperiſſe, adeoque eas, quae deinceps ſub antiquiorum pontificum nomine prodierunt, fictas eſſe atque ſuppoſititias. Hoc interim ad pontifices inde redundabat commodum, vt hac ratione decreta illorum in numerum legum eccleſiae vniuerſalium reciperentur, immo vt tandem, quae ſecutae ſunt, canonum & decretorum collectiones ab ipſis pontificibus omnem cenſerentur accipere auctoritatem, vnde iuris pontificii proprie & ſtricte ſic dicti, origo. Mirum itaque non eſt, quod DIONYSII haecce canonum atque decretorum collectio maximo in eccleſiis occidentalibus recepta ſit adplauſu, praeſertim ab

ab eccleſia Romana, vti patet ex CASSIODORO, *diuinarum lect. cap.* 2:. Immo abſolute *corpus canonum* dici meruit, *cap.* I. *diſt.* 19. eoque nomine laudari a poſterioribus ſolet. Data quoque Caroli M. fuit ab Adriano pontifice, ad ordinandas occidentis eccleſias. vid. SIRMONDVS, *tom.* 2. *concil. Gallic. p.* 117. & GERHARDVS A MASTRICHT, *hiſtor. iuris eccleſ.* §. 78. *p.* 52. *ſeqq* Non minus vero grata fuit Romanae ſedi, quam ei deinceps praeſtitit operam impoſtor quidam nequiſſimus, ſub ISIDORI nomine latitans, qui ſeculo nono nouam canonum & decretorum eccleſiaſticorum collectionem orbi obtruſit, figmentis quamplurimis repletam, quippe in qua inter alia commentitiae epiſtolae decretales pontificum Romanorum, primi & ſecundi ſeculi, Clementis I. Anacleti, Euariſti, Alexandri, Sixti, Teleſphori, Higini, Pii, Aniceti, Soteris, Eleutheri, & Victoris, primum comparuere, quiue praeterea omnia, quae potuit, corraſit, & commentus eſt, quae ſtabiliendae Romanorum pontificum auctoritati inſeruire videbantur. Ambabus hancce pſeudo-Iſidori collectionem & fictitias epiſtolas decretales, quod aiunt, manibus arripuit Nicolaus I. pontifex, qui eo tempore Romanae ſedi praefuit, & eas adprobauit, auctor quoque aliis, ſpeciatim Gallis, fuit, vt idem facerent, quanquam his non deeſſet, quod exciperent: quae de re legi merentur, quae ipſe refert GRATIANVS, *c.* 2. *diſt.* 19 Et impetrauit ſane Romana ſedes, vt caligine mentibus mortalium offuſa, auctoritatem per aliquot ſecula fictae iſtae epiſtolae decretales obtinerent, donec fraus omnis ac impoſtura aperte detegeretur, vt hodie nec inter Romanenſes fere ſit, qui genuinas haſce epiſtolas decretales eſſe, contendere audeat, niſi ſimul, ab eruditiſſimis eccleſiae ſuae propugnatoribus ſe diſſentire, profiteri velit. Vtilem hac in re eccleſiae operam nauauit DAVID BLONDELLVS, in *Pſeudo-Iſidoro*, vbi & TVRRIANI, Ieſuitae, rationes, quas in contrarium attulit, ſolide profligauit. add. ANDREAS RIVETVS, in *critico ſacro lib.* 1. *cap.* 8. ROBERTVS COCVS, in *cenſura ſcriptorum quorundam, &c. pag.* 39. *ſeqq.* Ceterum, quae initio fuere conſilia a Romanis pontificibus, quorum ſemper in occidente magna fuit auctoritas, ſuppeditata, ſucceſſu temporis euaſere leges: idque ea praecipue, qua dictum, occaſione. Hinc vero ſeculo nono ſequentibusue, quo magis aucta fuit Romanorum pontificum per varias artes poteſtas, eo ſtudioſius etiam, quae deinceps prodierunt, canonum & decretorum, quibus & patrum tandem acceſſerunt ſententiae, collectiones, ad firmandum ac amplificandum hocce imperium fuere comparatae, donec tandem ſeculo duodecimo GRATIANVS, colophonem velut operi imponeret, compilatione iſta iuris canonici, quae maximam Romana eccleſia obtinuit auctoritatem, quaeue pro fulcro quodam papatus a prudentioribus merito fuit habita. Ne quid vero iuri huic pontificio deeſſet, neue vlla in re imperatore, inferior cenſeretur Romanus antiſtes, ipſa quoque iuris huius ſtructura ad imitationem iuris ciuilis proceſſit, partibusque conſtat haud diſſimilibus. Decretum enim ſe habet, vt in corpore iuris ciuilis, digeſta; decretales, vt codex quoad compilationem Gregorii; ſextus & Clementinae, ut nouellae Iuſtiniani; extrauagantes vt conſuetudines feudales: & ne quid deeſſet, iuſſu *Pauli IV.* pontificis, etiam inſtitutiones iuris canonici conſcriptae ſunt. Obſeruauit hoc CASPAR ZIEGLERVS, *diſſertat. de origine & incremento. iur. can.* §. 59. Ceterum licet nonnulla in iure canonico occurrant, quorum cognitio vtilitatem quandam afferre queat, ipſum tamen ius canonicum nullam habet vim obligandi. Quemadmodum enim Romani pontificis merito reſpuimus imperium, ita & facultatem leges praeſcribendi eidem non concedimus. Eo minus autem pontificiae nos obligant leges, poſtquam & principes ſtatusque proteſtantes eius ſe ſubduxerunt imperio, & ius circa ſacra, quod illis iure diuino competebat, poſtliminio iterum ſibi vindicarunt. Recte vero etiam B. MARTINVS LVTHERVS, non tantum ius illud canonicum ſolemniter combuſſit, ſed abrogandum prorſus cenſuit, ob impia & ſuperſtitioſa, quae in eo continentur, indignantibus licet & renitentibus iureconſultis, etiam Wittebergenſibus, quibuscum hac ſuper re non bene illi conuenit. conf. VITVS LVDOVICVS SECKENDORFFIVS, in *hiſtor. Lutheraniſmi lib.* 3. §. 126. *p.* 581. Sed cum deinceps optima occaſio, iure circa ſacra proteſtantium principibus reſtituto, ſe obtuliſſet, penitus hoc ius abrogandi, mirantur merito nonnulli, cur hoc factum non ſit. vid. HVLDERICVS RVBENIVS, de *origine, progreſſu, vſu & auctoritate iuris canonici*

in terris proteſtantium, §. 17. Scilicet iureconſultorum intererat, ne prorſus euileſceret, & ſi non ex auctoritate pontificis, attamen ex conſuetudine & vſu recipientium, vim quandam obtineret. Talia enim commodis propriis obtendebantur, etſi nullius plane ſint momenti. Merito ergo diſplicent cordatioribus, ipſi etiam ZIEGLERO, qui ingenue, *iuris canonici vix eſſe tantam vtilitatem*, pronuntiat, *vt tam prolixum & taedioſum ſtudium mereatur*, *de orig. & increm. iuris canon.* §. 66. etſi in ſequentibus nonnulla pro communi ſententia, vtcunque pallianda, in medium adſerat. add. IOAN. HIMMELII, theologi quondam Ienenſis, tractatus, de *canonicatu*, *iure canonico*, & *theologia ſcholaſtica*, &c.

§. XIX.

Principes rerumque domini cum poteſtatem etiam circa ſacra, quod ad externa attinet, habeant, leges etiam circa ea ferre poſſunt, quae adeo ab obiecto, *eccleſiaſticae* dicuntur. Hoc faciunt, quatenus principes ſunt, ſeu ſummum imperium, vel ſuperioritatem territorialem habent. * Qui autem ex neſcio quo iure epiſcopali hanc poteſtatem deriuant, notionem epiſcoporum, quam ſcriptura tradit, ab ea, quam pontificiorum dominandi libido in eccleſiam inuexit, non ſatis diſcernunt. Interim ſubditorum eſt, vt aliis, ita hiſce principum conſtitutionibus, ſi nihil, quod verbo diuino repugnet, contineant, parere. Idem dicendum, ſi principes aut ſummi imperantes canones eccleſiaſticos confirment.

* Cum ſummis imperantibus ſuprema poteſtas circa ſacra, ſeu facultas quoad externa ea dirigendi, & vt cuncta ad ſubditorum ſalutem & reipublicae tranquillitatem peragantur, conſtituendi, competat, ſequitur, quod poteſtate etiam gaudeant, condendi leges eccleſiaſticas. Atque hoc tum ſcriptura ſacra, ipſaque ratio dictitat, tum exempla imperatorum veterum, qui leges circa res eccleſiaſticas dederunt, demonſtrant. Dicetur autem hac de re ex inſtituto infra, *cap. 3. ſect. 7.* §. 24

§. XX.

De *legibus ciuilibus* ſtricte ſic dictis nullum eſt dubium, quin per eas ſi iuſtae ſint, & nihil, quod verbo diuino repugnet, contineant, chriſtiani obligentur. * Subiecti enim ſunt imperio ciuili. *Rom. XIII, 5. Ebr. XIII, 17. 1 Petr. II, 13. 14.* Habent itaque leges ciuiles apud regenitos rationem normae, ſed *humanae*, vel vt alii, *ſecundariae*. Interim ciuilium legum ad nos non ſpectat conſideratio, qui *diuinam*, eamque *uniuerſalem*, non *humanam* tradimus iuriſprudentiam.

* Legum ciuilium nomine non eas tantum intelligimus, quas ipſi tulere ſummi imperantes, ſed quas etiam, aliunde velut adſumptas, adprobarunt, & vim legum habere voluerunt, modo quod voluerint, conſtet. Etſi enim alienae leges nos non obligent, quod ſi tamen publica auctoritate in noſtram rempublicam introducantur, tum ex voluntate & decreto illorum, quibus parere tenemur, vim obligandi accipiunt. Vnde, quid de legibus Romanis, quarum apud nos quoque magna hactenus fuit auctoritas, cenſendum ſit, liquet.

Digitized by Google

Etſi enim ab illis profectae ſint, qui nullam in nos habuere poteſtatem, quamdiu tamen ſummi imperantes volunt, vt obſeruentur, noſtri quoque eſt officii, in iis, quae diuinis legibus non repugnant, illis obſequi. Quae vero Romani iuris fuerint fata, poſtquam primo ex legibus populi Romani variis, iureconſultorum reſponſis, imperatorum conſtitutionibus, in tantam molem excreuerat, VT IVSTINIANVS imperator illud opera TRIBONIANI in compendium redigere conſultum duxerit, vnde noua veluti forma in pandectis, codice, inſtitutionibus & nouellis conſtitutionibus comparuit: quo pacto ius illud Iuſtinianeum in oriente quidem poſt libros βασιλικῶν, a BASILIO imperatore editos, in occidente autem per ipſam imperii ruinam obſcuratum, hinc in Italia ab IRNERIO aliisque reſuſcitatum, inde in alias Europae partes, & ſeculo quidem decimo quinto in Germaniam traductum; quo pacto idem philoſophorum ſupra barbariem ſcholaſticam, non ſapientium, ſubtilitatibus implicatum, ſeculo autem decimo ſexto criticorum opera reſtitutum quodammodo & illuſtratum, ſeculo autem decimo ſeptimo Germanorum maxime iureconſultorum ſtudio & opera ad praxin accommodatum ſit, prolixius exponunt ARTHVRVS DVCK, de *vſu & auctoritate iuris ciuilis Romanorum*; GEORGIVS SCHVBARTVS in *exercitationibus academicis de fatis iurisprudentiae Romanae*; IANVS VINCENTIVS GRAVINA, iureconſultus & anteceſſor Romanus, vir clariſſimus, in *originibus iuris ciuilis*; HERMANNVS CONRINGIVS, de *origine iuris Germanici*, aliique. De vſu etiam & praeſtantia legum Romanarum diſputatum fuit inter eruditos, aliis quidem, ſummis eas in coelum laudibus euehentibus, aliis naeuos & defectus illarum agnoſcentibus, & ingenue indicantibus. Laudes & encomia Romani iuris in compendio exhibet ARTHVRVS DVCK, de *vſu & auctoritate iuris ciuilis Roman. lib.* I. *cap.* 2. *p.* 23. egitque praeter alios hoc ex inſtituto IACOBVS MAESTERTIVS, in libro de *iuſtitia legum Romanarum*, cui tamen CYPRIANVS REGNERVS, alium, de *iniuſtitia legum Romanarum* oppoſuit. Defendit tamen ius Romanum quoque VLRICVS HVBERVS, contra AMESIVM, ANTONIVM FABRVM, ANTONIVM MATTHAEVM, IOAN. IACOBVM WISSENBACHIVM aliosque, in *Eunomia*, ſeu *cenſura cenſurae iuris Iuſtinianaei*, opere poſthumo, a filio eius, ZACHARIA HVBERO, Franecquerae anno MDCCIV. edito. At praeter eos, quos oppugnat HVBERVS, alii etiam fuere, qui non adeo praeclare de hocce iure ſentirent, ſpeciatim de eius collectore, TRIBONIANO, quos inter FRANCISCVS quoque HOTTOMANNVS eminet, in *anti-Triboniano*, ſiue diſſertatione de *ſtudio legum*, anno MDLXVII. ſcripta, ſed anno MDCIII. edita, & aliquoties deinceps recuſa. Taceo, quae CHRISTIANVS THOMASIVS, iureconſultus noſtri ſeculi celeberrimus, paſſim de naeuis & defectibus iuris Romani monuit. Id profecto negari nequit, varia ex huius iuris vſu apud nos orta eſſe incommoda, quibus inter alia iuſtitiae adminiſtratio ſaepiſſime ſufflaminatur: nec dubitandum, feliciorem eſſe rempublicam, quae propriis, eiusque ſtatui accommodatis, quam alienis, legibus vtitur; interim haec ferenda ſunt, donec mutentur ab iis, in quorum hoc poſitum eſt poteſtate. Subditis, qua leges publica auctoritate adprobatas, confirmatasque, modo conſcientiae vis non inferatur, nihil aliud, quam obſequii gloria eſt relicta.

§. XXI.

Ceterum, vt legibus ſtricte ſic dictis, quaecunque demum ſint, obſtringatur homo, non tantum requiritur, ut a poteſtate ſuperioris non ſit immunis, qua de re, ſaltem quod ad diuinas attinet, nullum eſt dubium, * ſed ut intellectu quoque & voluntate praeditus ſit, tum vt intelligere, quid ſibi faciendum, quidue omittendum ſit, tum & vt ad normam praeſcriptam actiones ſuas componere queat. Vnde & *intellectus*, ac *voluntas*, pro principiis actionum humanarum, recte haberi ſolent.

 *Nemo

Digitized by Google

* Nemo enim eſt mortalium, qui ſe imperio Dei ſubducere auſus fuerit. Quod ſi eiusmodi quid animo concipiat, nihil aliud aget, quam vt ſuam prodat ſtultitiam. Quod autem ad humanas leges attinet, cum ſummi imperantes, vere tales, ſuperiorem inter homines non agnoſcant, humanis quoque eos non obligari legibus, ſequitur. Demonſtratum hoc a me pluribus, in *diſſertatione de principe legibus humanis, ſed non diuinis, ſoluto.* Ex eo vero, quod legibus non teneatur, niſi qui ſuperiorem agnoſcat, ſua ſponte etiam hoc conſequitur, Deum nullis plane legibus obligari.

§. XXII.

Hic vero inter *regenitos*, atque *irregenitos* magnum intercedit diſcrimen. Facultates enim naturales, quae principia actionum conſtituunt, in illis longe rectius ſe habent, quam in his; adeoque & longe rectius actiones ſuas ad leges diuinas componunt. Immo irregeniti ob ſeruitutem peccati, & quia fide deſtituuntur, nunquam ea, qua decet, ratione actiones ſuas ad legem componunt, adeoque nec bonae, in ſenſu theologico, Deoque placentes, vocari poſſunt. Regeniti contra, per vires gratiae, in conuerſione acceptas, actiones reuera bonas, etſi cum imperfectione coniunctas, ob fidem tamen Deo placentes, edere poſſunt.

§. XXIII.

Speciatim quod ad *intellectum* attinet, id equidem verum, quod hominis etiam irregeniti intellectus, ſi nullum impedimentum adſit, & inſtitutio accedat, omnino vniuerſalia iuris naturalis, in quantum ex ratione innoteſcit, principia comprehendere valeat: * ſed hominis regeniti intellectus, non ratione tantum, ſed diuina nititur reuelatione, ſeu auctoritate ſcripturae ſacrae, eſtque praeterea illuminatus, vt longe rectius cognoſcat, & exploret, *quae ſit voluntas Numinis*, *Rom. XII*, 2.

* Hoc ſi non eſſet, fruſtra legum naturalium obſeruatio, ſaltem, in quantum in homines ſibi relictos cadit, & ad cuſtodiendam humani generis ſocietatem neceſſaria eſt, exigeretur, quod vero hominis intellectus talia cognoſcere queat, res ipſa & experientia teſtatur, ſuffragante ſcriptura, *Rom. II*, 15. add. RICHARDVS CVMBERLANDIVS, de *legibus naturae*, *cap.* 2. §. 10. At capiendum hoc eo, quo diximus, modo. Homines, quibus rationis deeſt vſus, aut quibus nulla vnquam, aut non ſufficiens inſtitutio obtigit, in profunda principiorum iuris diuini ignorantia verſari poſſe, non abnuo. Experientia, proh dolor! id teſtatur. Sed de principiis quoque loquimur, non de concluſionibus. Namque in his errare homines etiam doctos poſſe, vel ipſae eruditorum de variis iuris capitibus controverſiae, teſtantur. Multo ergo minus mirandum, ſi ſimplicium ac rudiorum hominum quaedam in his ignorantia aut error deprehendatur. add. HVGO GROTIVS, *de iure belli & pacis*, *lib.* 2. *cap.* 20. §. 43.

§. XXIV.

§. XXIV.

Idem de praecipua intellectus operatione, quae hic in cenſum venit, ſcilicet *conſcientia*, obſeruandum. Quo pacto enim haec tum ſecundum naturam, tum ſecundum gratiam ſe habeat, in praecedentibus luculenter eſt expoſitum. * Vnde & regulae, quae de conſcientiae obligatione vulgo tradi ſolent, longe rectius ad homines regenitos adplicari queunt, immo in illis praecipua quadam ratione locum habent.

* *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 3.

§. XXV.

Regulae iſtae ſunt: contra conſcientiam veram, ſiue certa, * ſiue probabilis ſit, ** non eſſe agendum; probabiliorem ſententiam praeferendam eſſe minus probabili; *** tutiorem probabili, ſi haec rationibus infirmioribus nitatur; * contra conſcientiam dubiam, nihil eſſe agendum, ** ex duobus malis moralibus neutrum eſſe eligendum; ſcrupulum leuioris momenti eiiciendum eſſe, & quae reliqua ſunt, eiusdem generis. De conſcientia erronea ſpeciatim adhuc moneri ſolet, *** ſi error ſit inuincibilis, potius ſecundum, quam contra eam agendum eſſe, idemque faciendum, ſi vincibilis ſit dere indifferenti, ſin circa rem vetitam aut praeceptam error verſetur, excutiendum eſſe.

* Quod ſi tamen certa haberi poteſt, circa controuerſiam probabili eſt praeferenda.

** Sequenda nimirum eſt conſcientia probabilis, ſi vera ſit, non erronea. Quo pacto enim in conſcientia erronea quis ſe gerere debeat, deinceps exponetur. Deinde, vt reuera probabilis ſit conſcientia, requiritur. Quae ſi expendantur, patebit, quo loco habenda ſint commenta Ieſuitarum, & moraliſtarum quorundam recentiorum ex pontificiis, qui ſupponentes, probabilem quamuis opinionem, etſi erroneam, etſi lubricam, & vel vnius doctoris auctoritate ſuffultam, ſequi fas eſſe, adeo, vt, qui talem ſequatur, non peccet, tam lubrico fundamento vniuerſae theologiae moralis ſyſtema inaedificari poſſe, ſibi aliisque perſuadere conati ſunt. At fallacias & ſophismata iſtorum hominum facile deprehender, qui obſeruauerit, probabilem conſcientiam vel veram, vel erroneam eſſe: & cum dicitur, ſequendam eſſe conſcientiam probabilem, non hanc, ſed illam intelligi; idque ea ratione, ſi certam habere conſcientiam non liceat. Praeterea ad probabilem conſcientiam non ſufficere rationem qualemcunque, aut auctoritatem vnius alteriusue doctoris, ſed graues praegnantesue rationes requiri, quae virum ſapientem inducere queant, vt credat, non prorſus eiusmodi reiiciendam eſſe ſententiam. Sed bene eſt, quod errori tam inepto, tamque pernicioſo, & vitiis quibusuis feneſtram aperienti ex ipſis Romanenſibus obuiam iuerint, GONETVS, VINCENTIVS BARONIVS aliique, quos indicaui in *hiſtor. iur. natur.* §. 14. Legi cumprimis meretur LVDOVICVS MONTALTIVS, in *litteris prouincial. epiſt.* 5. & quae prolixe ac erudite ad eam commentatus eſt WILHELMVS WENDROCKIVS Iungenda SAMVELIS RACHELII *differtat de probabiliſmo.*

*** Id iisdem intelligendum eſt conditionibus, quibus regulam praecedentem intelligendam diximus.

* Praefer-

* Praeſertim ſi res, de qua agitur, magni fuerit momenti. conf. HVGO GROTIVS *lib. 2. de iure belli & pacis cap.* 23. §. 5. Tutior autem haec eſt ſententia, vbi, ſi vel maxime a ſcopo ſit erratum, non adeo graue poteſt prouenire malum, quam ſi ex altera parte fuiſſet peccatum. vid. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib.* 1. *cap.* 3. §. 6.

** Hoc iam ex gentilibus intellexit CICERO, qui *bene*, inquit, *praecipiunt, qui vetant, quidquam agere quod dubites, aequum ſit, an iniquum*, de *offic. lib.* 1. *cap.* 9. Referri huc etiam ſolet locus, *Rom. XIV*, 23. de quo tamen ſupra dictum, *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 3. *ad* §. 20. Non ſimpliciter & ſine limitatione hanc regulam admittendam eſſe, exiſtimat GOTTLIEB GERHARD TITIVS, Lipſienſium iureconſultus clariſſimus, in *obſeruationibus ad Pufendorf. de officio hominis & ciuis, ad lib.* 1. *obſeru.* 19. *p.* 64. *Dubitans enim*, inquit, *habet intentionem & bene & male agendi, hinc tum demum peccati arguendus eſt, ſi actio ſuſcepta legi etiam reuera repugnet.* At, quod pace viri doctiſſimi dixerim, qui dubitat, & non obſtante dubitatione agit, intentionem habet, legem migrandi, etiamſi illi aduerſa fuerit. Hic etiam non ipſa actio, ſed ſola intentio in cenſum venit, quod recte quoque obſeruat IOAN. BARBEYRACIVS, ad *Pufendorf. de iur. nat. & gent. lib.* 1. *cap.* 3. §. 8.

*** An conſcientia erronea omnino conſcientiae nomine digna ſit? ſupra diſputauimus, *part.* 1. *ſect.* 2. ad §. 8. Hic de obligatione eius ſermo eſt. Nonnulli, eam plane non obligare, aſſerunt, ideo, quod a lege diſcrepet, adeoque aliquid agere iubeat, quod agere nefas eſt. vid. GABRIEL VASQVEZIVS, in *part.* 1. *part.* 2. *Thomae de Aquino artic.* 6. *diſſ.* 8. & ex noſtratibus BALTHASAR MEISNERVS, *diſput. de ſummo bono, cap.* 3. Alii contra omnino conſcientiam erroneam obligare contendunt, quam receptam moraliſtarum ſententiam vocat idem VASQVEZIVS *l. c.* add. CONRADVS HORNEIVS, *philoſ. moral. lib.* 3. *cap.* 4. §. 5. At expedienda eo, quo diximus, modo, res eſt. Reſpiciendum namque ad intentionem eſt, non ad ea, quae lex praecipit & vetat. Vnde, qui agit, quae per errorem vetita credit, haud dubie habet intentionem migrandi legem; adeoque & grauiſſime peccat. At peccat etiam, inquis, dum ſecundum conſcientiam agendo legem migrat. Sed quis neget, mereri excuſationem, ſi error ſit inuincibilis; ſin vincibilis ſit, habeat ſibi, quod per ignauiam ſuam ſe crimine inuoluat. At dubitant nonnulli, an omnino detur error inuincibilis? vid. ELIAS SAVRINVS, *dans ſes reflexions ſur les droits de la conſcience, part.* 1. *ſect.* 2. ſine ratione quidem, vt ego exiſtimo. Etſi enim error abſolute inuincibilis non detur, dari tamen talem intuitu certarum circumſtantiarum, quae hominum quorundam ſtatum comitantur, negari nequit.

§. XXVI.

Quod ſi *ignorantia* intellectus laboret, nec cognoſcat, quae agenda quaeue omittenda ſint, legis quoque inde ſequi violationem neceſſe eſt: quae ſi *inuincibilis* fuerit, imputari nequit, at ſi fuerit *vincibilis*, aliter ſe res habet. Idem dicendum, ſi aut *voluntaria* fuerit, aut *innoluntaria.* * Quemadmodum vero in iis, quae hominibus regenitis agenda ſunt, nulla datur ignorantia abſolute inuincibilis, ita ne voluntaria ea ſit, omni ſtudio elaborant.

* De variis ignorantiae diuiſionibus vid. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib.* 1. *cap.* 3. §. 10. ſed add. quae poſt TITIVM notat BARBEYRACIVS ad *h. l.* Legi etiam merentur, quae habet ELIAS SAVRINVS, *reflex. ſur les droits de la conſcience part.* 1. *ſect.* 2.

§. XXVII.

Quod ad voluntatem attinet, licet irregeniti homines facultatem habeant,

habeant, quadantenus actiones ſuas externas, ad leges diuinas & humanas componendi, * ſolis tamen regenitis vera proprieque ſic dicta libertas, ſcilicet a ſeruitute peccati competit. *Ioan. VIII, 35. 36.* Hi itaque ſoli vt Deum amare & timere, licet non ea, qua debebant, & ipſi vellent, perfectione, ita obſequio etiam filiali ad leges diuinas ſuas componere actiones poſſunt, *Rom. VI, 19.* Interim licet irregeniti, ea, quam filii Dei per gratiam Chriſti habent, libertate deſtituantur, recte tamen omnia, quae contra legem committunt, illis imputantur peccata, in foro quidem humano, quia facultatem habent, peccata externa euitandi, ** in foro etiam diuino, quia ipſimet in culpa ſunt, vt in hocce ſtatu verſentur, *** nec inde emergant. Et licet in hominibus irregenitis, libertas quoad externa, per conſuetudinem, adfectus, ebrietatem, interdum valde imminuatur, haec tamen non obſtant, quo minus quae tum in humano, tum in diuino foro perperam egerunt, illis imputari queant * In regenitis autem quod haec omnia longe aliter ſe habeant, vt moneamus, neceſſe non eſt.

* conf. omnino, quae diximus, *part. 1. cap. 1. ſect. 4. §. 19. 20.*

** Hanc enim ſi non haberent, nec legibus, nec poenis humanis locus eſſet. Qua de re itidem *l. c.* dictum.

*** conf. quae infra dicuntur, *cap. 4. §. 10.*

* Etſi enim conſuetudinis magna vis ſit, vt altera velut cenſeatur natura: homo tamen ipſe in culpa eſt, vt eam conſuetudinem contraxerit. Accedit, quod per conſuetudinem contrariam vis & efficacia prioris infringi queat. Conſuetudo itaque peccandi neminem a poena liberare, aut imputationem impedire poterit. Quod ad adfectus attinet, certos in iis dari gradus, iam ſupra obſeruauimus, *cap. 1. ſect. 6. ad* §. 8. Et verum ſane, cum ſummus gradus adfectuum adeſt, difficulter illis reſiſti: immo ſupra vires hominum poſitum videtur, tum illis reſiſtere. Sed poterant tamen coërcere adfectus, & impedire, quo minus ad ſupremum gradum, quem ὁρμὴν Stoici vocabant, peruenirent. Quod qui intermittunt, nullam habent conquerendi cauſſam, quod illis imputentur, quae adfectuum abrepti vehementia deſignarunt. Recte interim nonnulli monent, magis excuſandos eſſe adfectus, qui nos impellunt ad declinandum malum, quam qui ad bonum acquirendum nos abripiunt. Facilius enim bono quodam caremus, quam malum aliquod patimur. Videturque ipſa natura acriores ideo voluiſſe adfectus, quibus ad malum depellendum incitamur, quam quibus ad bonum conſequendum impellimur. vid. HVGO GROTIVS, *lib. 2. de iur. belli & pacis cap.* 20. §. 31. *n.* 1. Id iam ARISTOTELES obſeruauit, dum χαλεπώτερον γὰρ, inquit, τὰ λυπηρὰ ὑπομένειν, ἢ τῶν ἡδέων ἀπέχεσθαι, *lib. 3. ethic. ad Nicom cap.* 12. Cui & alia ex veteribus iungit BARBEYRACIVS ad *Pufendorf. lib. 1. de iur. nat. & gent. cap. 4. §. 8. p.* 57. Addenda, quae erudite & prolixe ad *lib 1. cap. 6. §. 14. p. 74.* contra PETRVM BAELIVM diſputat, qui (*dans ſes penſées ſur la comete &c. p.* 508.) aſſeruerat, amorem eorum, quae bene nos adficiunt, maiorem eſſe, quam auerſationem eorum, quae male nos adficiunt. Denique & de ebrietate addendum, licet per eam vſu rationis adeoque & libertate, homines priuentur, quia tamen ipſi in culpa ſunt, vt in huncce ſtatum deueniant, imputationem eorum, quae tum perpetrarunt, fruſtra deprecantur. Vnde recte mea opinione PITTACVS MITYLENAEVS, duplici poena dignos eſſe, pronuntiauit, qui per ebrietatem, peccaſſent,

peccaſſent, apud ARISTOTELEM *lib. 5. ethic. ad Nicom. cap. 6.* Scio non omnibus hancce PITTACI probari ſententiam: & apud nos, qui chriſtiani vocamur, nihil frequentius eſſe, quam vt delictis grauioribus ebrietas obtendatur, eo quidem plerumque ſucceſſu, vt mitiorem iudicis ſententiam referant. Sed recte ſe habere hocce ſapientis viri effatum, demonſtratum a me eſt in *ſapientia veterum*, ſeu *dictis illuſtrioribus ſeptem Graeciae ſapientum explicatis*, ſpeciatim in *ethica Pittaci Mitylenaei*, §. 7. 8.

§. XXVIII.

Quae autem porro de iis, quae requiruntur, vt actio imputari queat, itemque de actuali imputatione, & quae hanc conſequuntur, tradi ſolent, licet in iuriſprudentia diuina, etiam iuxta reuelationem conſiderata, vſum maximum habeant, nunc tamen merito ſupponuntur, cum iam prolixe & ex inſtituto, explicata ſint alibi. *

* In *element. philoſ. pract. part. 2. cap. 2. §. 25. ſeqq.* add. PVFENDORFIVS, de *iur. natur. & gent. lib. 1. cap. 5. & 9.*

§. XXIX.

Actiones ergo, voce generaliſſime accepta, prout internas & externas, itemque omiſſiones denotat, hominum, quae imputari illis poſſunt, aut praeceptae vel vetitae ſunt lege, aut non ſunt praeceptae vel vetitae. Illas *neceſſarias*, has *indifferentes*, vel *licitas*, * minus accurate *permiſſas*. ** vocare ſolent. Neceſſariae etiam *morales* vocari ſolent, quia reuera omnis moralitas eſt a lege. *** Qui enim quosdam actus per ſe bonos aut turpes ſtatuunt, quid dicant aſſerantue, non ſatis penſi habere videntur. Non neceſſariae, ſeu indifferentes, *media* etiam dicuntur, quod tamen non de medio, quod vocant, *participationis*, * ſed *negationis* intelligendum eſſe, alibi iam monui.

* Quod de indifferentibus ergo actionibus deinceps dicetur, id de licitis pariter intelligendum. Nunc ſaltem addendum, quasdam actiones vel *plene*, vel *minus plene licitas* eſſe. Plene licitum eſt, cui nullae leges, nec diuinae, nec humanae obſtant: minus plene, cui non diuinae, ſed humanae, aut vice verſa non humanae, ſed diuinae obſtant leges. Quae autem plene licitae ſunt actiones ſecundum obligationem generalem, in indiuiduo ſpectatae, ſemper bonae ſunt, ſi cetera recte ſe habeant, vt deinceps dicetur, quae minus plene, ſemper malae. add. IO. SAMVELIS STRYKII, iureconſulti Halenſis celeberrimi, *diſſert.* de *iure liciti, ſed non honeſti.*

** Saltem iuxta illorum hypotheſin, qui omnem permiſſionem a lege eſſe ſtatuunt. Hoc enim ſenſu actiones indifferentes non poſſunt dici permiſſae. conf. quae diximus ad *cap. 1. §. 8.*

*** Quaeſtio haec, de qua recentiori etiam aetate diſceptatum eſt, diuerſimode proponi ſolet: an detur moralitas obiectiua? an voluntas Dei ſit principium moralitatis? an actus quidam antecedenter, an vero conſequenter, ſcilicet ad legem vel voluntatem diuinam, boni vel mali ſint? item an dentur actus per ſe turpes vel boni? omnes enim iſtae eodem tandem redeunt quaeſtiones. Eſt vero, vt recte hac de re pronuncietur, accurate formandus controuerſiae ſtatus. Cum moralitas actionum a legibus deriuatur,

non

non intelliguntur leges humanae, ſed diuinae. Reiicienda itaque prorſus eſt ſententia THOMAE HOBBESII, omnem moralitatem a lege ciuili deriuantis, de *ciue cap.* 6. §. 9. *&* 16. it. *cap.* 12. §. 1. add. IO. GEORGIVS KVLPISIVS, in *colleg. Grot. ad lib.* 1. *cap.* 1. §. 6. Porro, cum a legibus, ſeu, quod perinde eſt, a voluntate diuina, moralitas actionum deriuatur, non hoc ita intelligendum, ac ſi ſanctitas & iuſtitia diuina excludatur. Immo potius adſerimus, etſi in libera Numinis poteſtate poſitum fuerit, creaturas rationales condere: poſtquam autem tales condere decreuit, non potuiſſe non eum tales iis praeſcribere leges, quales iis praeſcripſit. Hoc ſanctitas, iuſtitia, & ſapientia Numinis requirebat. Vnde non alias iis leges dare Deus potuit, quam dedit. Non enim agere potuit contra ſanctitatem ſuam & iuſtitiam. Quod ſi vero porro quaeras, cur ergo ſanctitati Numinis conveniens fuerit, eiusmodi leges dare? hoc eiusmodi eſſe puto, ad quod reſpondendum non ſit, cum ceteroquin quaerendo in infinitum aliquis progredi poſſit. Sufficit, quod ratio pariter ac ſcriptura doceat, Deum, vt perfectiſſimum, ita & ſanctiſſimum eſſe, eumque nihil contra ſanctitatem ſuam agere poſſe, ſufficit, quod in legibus diuinis ſanctitatis diuinae perfectiſſima eluceſcat imago: vnde, quae his contraria ſunt, non poſſunt non cum eius ſanctitate pugnare. Eum ergo in modum ſi ſententia, quam defendimus, explicetur, palam eſt, iniquiſſime illos agere, qui Pyrrhoniorum & academicorum veterum, qui itidem obiectiuam moralitatem negaſſe dicuntur, placita, cum noſtra, aut recentiorum quorundam, qui eandem defendunt, conferunt. Quantopere enim haec ab illis differat, quilibet facile intelligit. Probari autem rationibus euidentiſſimis poteſt, actionum moralitatem a lege ſeu voluntate diuina repetendam eſſe, & ab aliis iam pridem eſt probatum. Ita namque 1) ratio plana & perſpicua reddi poteſt, cur aliquid turpe aut honeſtum ſit: cum contra, ſi dicatur, turpe aliquid eſſe, quia eſt per ſe turpe, & honeſtum, quia eſt per ſe honeſtum, obſcurum per aeque obſcurum probetur: 2) quia, in quamcunque etiam ſe vertant partem diſſentientes, qui actiones per ſe turpes aut honeſtas admittunt, principium aliquod moralitatis extra Deum admittere tenentur, quod vt abſonum, ita plane impium eſt; 3) notiones clarae & perſpicuae praeferendae ſunt inanibus & nihil ſignificantibus ſcholaſticorum commentis: 4) quia optime cum noſtra hypotheſi conſentit ſcriptura ſacra. Peccatum enim Ioannes definit per *ἀνομίαν illegabilitatem*, normam actionum non aliam, quam legem diuinam, eſſe, diſerte innuens, 1 *Ioan. III*, 4. Sic & Paulus, per legem demum peccatorum venire agnitionem, docet, *Rom. VII*, 7. Ergo a lege actionum moralitas. Secus ſi res ſe habeat, dicendum illi fuiſſet, peccatorum agnitio inde venit, quod quaedam actiones ſint per ſe turpes. At illud apoſtolo ne in mentem quidem venit, nec venire potuit: ſed mitto reliqua. Quod ſi ſcholaſticorum autoritate dimicandum eſſet, allegare poſſem GVILIELMVM OCCAMVM, qui in *libr.* 2. *ſent. qu.* 19. omnem moralitatem a lege eſſe, docuit. Sed iſtorum hominum ineptias parum curo. Cauſſas grauiſſimas autem habuit SAMVEL PVFENDORFIVS, cur eandem proponeret ſententiam, de *iur. natur. & gent. lib.* 1. *cap.* 2. §. 4. & *lib.* 2. *cap.* 3. §. 4. eamque contra aduerſariorum ſuorum inſultus maſcule defenderet, in *ſpecim. controu. cap.* 5. qua in re & conſentientem ſecum praeter alios habuit IO. GEORGIVM KVLPISIVM, in *colleg. Grot. ad lib.* 1. *cap.* 1. §. 6. Nec ego rationem vllam obſtare vidi, cur non PVFENDORFIVM ſequerer, in *element. philoſ. pract. part.* 2. *cap.* 2. §. 39. Quod cum nonnullis diſpliceret, occaſio hinc ſuppeditata fuit doctiſſimo viro IO. IACOBO SYRBIO, rem omnem tam accurate, tantoque iudicii acumine diſcutiendi, vt, quod reponere quadam veritatis ſpecie poſſint, illis relictum non ſit, *in der ausführlichen Abfertigung derer unbefugten Beſchuldigungen &c.* §. 15. *ſeqq.*

* Et ita reſponderi poteſt ad dubium, quod inde nonnulli formant, ac ſi diſciplinae moralis nulla ſit certitudo, quia actiones dentur mediae: ita enim philoſophatur HVGO GROTIVS, de *iur. belli & pacis, lib.* 2. *cap.* 23. §. 1. Sed rectiora ſuppeditat PVFENDORFIVS, *de iur. natur. & gent. lib.* 1. *cap.* 2. §. 8. *ſeqq.*

§. XXX.

Sed an dentur omnino actiones indifferentes, diſputari ſolet. * Quod quidem de actionibus in genere morum, ſpectatis, ſeu quae homini imputari poſſunt, intelligendum eſt. Etenim ad motus naturales ſeu phyſicos, qui voluntatis directionem reſpuunt, quod attinet, cum ad legem dirigi nequeant, eos indifferentes quoque eſſe, palam eſt. De iis itaque actionibus, quae voluntatis directionem admittunt, obſeruandum, ſpectari in illis, aut *generalem*, aut *ſpecialem* obligationem poſſe. Secundum *ſpecialem* obligationem, quaedam indifferentes eſſe poſſunt, ſi lex non adſit, in qua ſpeciatim iſtae actiones praeceptae ſint, aut prohibitae: at ſecundum obligationem *generalem* nulla actio eſt indifferens, cum per eam, homo quilibet omnes ſuas actiones, cogitata, dicta, facta, ad certum finem, gloriam ſcilicet Dei, dirigere teneatur. conf. *Coloſſ. III, 17. 23. 1 Cor. X, 31.* Alii rem omnem ita expediunt, vt dicant, actus quosdam regenitorum ſecundum *ſpeciem* indifferentes eſſe poſſe, e. g. *Rom. XIV, 2. ſeqq.* at in *indiuiduo* ſpectatos, nullum actum eſſe indifferentem, ſed quemlibet vel bonum, vel malum.

* Plurimum ad hancce quaeſtionem rite expediendam intereſt, vt ſtatus controuerſiae recte formetur. Triplicem nonnulli ſtatuunt indifferentiam, *obiectiuam*, *ſubiectiuam* & *formalem*. *Obiectiuam* in rebus ipſis fundari, aſſerunt, quas eligere homo poteſt, & repudiare: quemadmodum per *ſubiectiuam* facultatem ipſam, id quod lege determinatum non eſt, eligendi, vel repudiandi, intelligunt: & per *formalem*, proprietatem eiusmodi actionum humanarum, qua lege iuberi vel vetari, adeoque tranſire in ſtatum moralitatis poſſunt. Monent praeterea alii, cum de actionum indifferentia diſceptatur, non de eo quaeſtionem eſſe, an actio lege quadam praecipi aut vetari, aut (quod ex hypotheſi ſua addunt) permitti queat, cum hoc ſenſu actiones quaedam minime indifferentes ſint, illae ſcilicet, quae neceſſariam quandam cum natura hominis connexionem habeant, ideoque, ſi naturae humanae repugnent, non potuerint non vetari, ſin non repugnent, ſed eidem conueniant, non potuerint non lege, ſcilicet diuina, praecipi. Iidem concedunt, ſi actiones tanquam motus mere phyſici conſiderentur, ſine vllo reſpectu ad regulam quandam moralem omnes actiones, citra controuerſiam eſſe indifferentes. De eo itaque quaeritur, num actiones quaedam, moralitatem recipere capaces, ſi ad legem referantur, indifferentes, hoc eſt, tales ſint, quae nec bonae, nec malae cenſeri debeant? Diſputatum quidem hac de re iam pridem fuit. IOAN. HVSSVM, ſanctiſſimum martyrem, nonnulli inter alia & hoc nomine a Conſtantienſi concilio damnatum memorant, quod aſſeruiſſet, nulla opera eſſe indifferentia, ſed cuncta vel bona, vel mala. vid. BARTHOLOMAEVS CARANZA, *ſum. concil. conſtant. ſect. 15. p. 629.* Scholaſtici in diuerſas hac in re abierunt ſententias. Plerique cum THOMA DE AQVINO, quasdam actiones moralitatis ceteroquin capaces, abſtracte, hoc eſt, in ſe & ſua natura indifferentes eſſe: in indiuiduo autem, hoc eſt, cum circumſtantiis conſideratas, nullam earum eſſe indifferentem, ſed ſingulas aut bonas, aut malas, contendunt. At hisce cum familia ſua ſe oppoſuit IO. DVNS, Scotus, a quo Scotiſtae olim nomen habuerunt, qui etiam quasdam in indiuiduo indifferentes admiſit actiones. At THOMAE praeualuit opinio, multisque etiam noſtratium ſe adprobauit, ad quorum circa ſuam theſeos hic alludo opinionem. conf. CONRADVS HORNEIVS, *philoſ. moral. lib. 2. c. 7. §. 11. p. 259.* Speciatim & eandem defendit B. IO. GVIL. BAIERVS noſter, *theol. moral.*

part. 3

part. 3. cap. I. §. 11. *p.* 121. poteſtque ſine periculo admitti. Obiicitur tamen ei, quod actio moralis ſimpliciter a circumſtantiis abſtracta ſit non ens, vt adeo, qui hoc ſaltem ſenſu actiones indifferentes aſſerunt, reuera omnes negent. Ita poſt GOTTLIEB GERHARDVM TITIVM, iureconſultum Lipſienſem, in *obſeruat. ad Puſendorf. de offic. hom. & ciu. lib.* 1. *cap.* 2. *obſeruat.* 70. IO. BARBEYRACIVS, ad *Puſendorf. de iure nat. & gent. lib.* 1. *cap.* 7. §. 5. *n.* 5. *p.* 106. Et fateor ſane, in praxi vitae chriſtianae huius diſtinctionis nullum fere vſum eſſe: cum ea quidem doceatur, quo pacto actio quaedam indifferens dici queat: ſed ad actiones, quae ab hominibus ipſis proficiſcuntur, hoc parum quadrat. Quidquid ergo huius ſit, an actiones quaedam in indiuiduo ſpectatae indifferentes ſint, id quidem eſt, de quo maxime quaeritur: negant id cum BAIERO noſtro plerique theologorum, & ex recentioribus etiam ANDREAS ADAMVS HOCHSTETTERVS, in *colleg. Puſendorf.* exercit. 2. §. 37. *p.* 94. Et hicce quidem recte, *ceterum de vero*, inquit, *chriſtiano expedita regula eſt*, *Coloſſ. III*, 17. & 1 *Cor. X*, 31. Allegat etiam hunc in finem dictum B. MARTINI LVTHERI, *tom.* 1. *Ienenſ. fol.* 225. cuius hic eſt ſenſus, hominem chriſtianum in minimo etiam opere, quod vera fide peragat, bonum aliquod opus exhibere. Addit idem auctor egregie: *quae ſi recte obſeruentur, ſpero, vt non neceſſariis, nec ſine ſcandalo, in hoc argumento motis litibus liceat ſuperſedere.* Ad argumenta, quae in contrarium adferri ſolent, ex iis, quae in theſi dicta ſunt, facile reſpondere licet, ſi ſcilicet actiones, quae moralitatem recipiunt, ab iis, quae eam non recipiunt, item obligationem generalem a ſpeciali, probe diſtinguamus. Vrgent enim, dari actiones quamplurimas, quae bonae dici nequeant, ſenſu poſitiuo, ac ſi lege aliqua eſſent praeceptae, quae tamen non ſint malae, & vice verſa. Verum, ſi de actionibus, quae moralitatem recipere poſſunt, ſermo ſit, perperam ſupponitur, dari vllam eiusmodi actionem, ad quam non generali obligatione obſtricti ſimus, ita vt omnia dirigantur ad gloriam Dei. Et vice verſa, nulla datur in hoc genere actio, quae, ſi a lege quoad obligationem generalem diſcrepet, non dici debeat mala. Harum ſi quis in dubium vocare aſſertionum veritatem velit, eum exempla eiusmodi actionum in medium proferre neceſſe eſt, quibus contrarium demonſtrari poterit, quod non temere fiet. Ad ſpecialia, de quibus hodie disputari ſolet, vt ſunt *ſaltationes*, *ludorum varia genera*, *comoediae &c.* vt deſcendamus, neceſſe non eſt, cum ex dictis, quid de iis ſtatuendum ſit, pateat. add. GOTTFRIEDI VOCKERODTI, gymnaſii, quod Gothae floret, rectoria meritiſſimi, *illuſtrata manifeſtatio fallaciae & ſcandalorum in adiaphoris*, quam lingua Germanica ſcripſit, & vbi hanc de indifferentia actionum quaeſtionum ex inſtituto pertractauit, praeſertim *part.* 2. *cap.* 4. & 5. *p.* 216. *ſeqq.* Patet etiam ex dictis, quid de illorum ſtatuendum ſit ſententia, qui praeter actiones bonas & malas, *vanas* quoque ſtatuunt, quae inter bonas & malas medium velut locum teneant. Vocant namque actionem vanam, actionem hominis natura ſua indifferentem, in qua homo falſam quietem quaerat, vnde ipſa actio ab indifferentia moueatur ad turpitudinem. Verum, ſi rem omnem accuratius expendamus, omnes actiones vanas malis ſeu turpibus annumerandas eſſe, deprehendemus. Fruſtra namque ſupponitur, dari actiones in indiuiduo, cum ſuis circumſtantiis ſpectatas, quae indifferentes ſint, vt iam demonſtrauimus. Immo, cum in confeſſo ſit, quod vel minima circumſtantia actionem aut bonam aut malam reddat, multo minus actio indifferens cenſeri poteſt, vbi citra controuerſiam illicitus finis & ſcopus adeſt. Scopum autem ſeu finem minime profecto laudabilem habet, qui in rebus tranſitoriis animi quietem quaerit, quam tantum in Deo quaerere debebat, & inuenire poterat. Immo ſi ſpeciatim actiones conſideremus, quae vulgo *vanae* vocantur, nullam earum cum vero Numinis amore & timore conſiſtere poſſe, nec in gloriam eius tendere, adeoque directe eas prohibitas, & inter malas turpesque referendas eſſe, animaduertemus.

§. XXXI.

Cum itaque nulla actio, in indiuiduo, & ſecundum obligationem generalem ſpectata, indifferens ſit, manifeſtum eſt, in errore verſari illos, qui actiones quaſdam pro indifferentibus venditant, quae

tamen minime ſunt indifferentes, ſed accuratius conſideratae, prorſus malae.* Nimirum, cum eiusmodi actiones bonas, aut ſanctas vocare non audeant, nec tamen damnare eas aut reiicere velint, expedire hinc ſe conantur, dum eas indifferentes, ſeu adiaphoras, dicunt.

* Nonnullae quidem tam aperte, vt nec ethnici aliter de illis iudicauerint. Aliae honeſtiori quadam ſpecie inſinuantur, ſed cum ipſi tamen, qui eas perpetrant, eas bonas eſſe, aſſerere non audeant, hinc indifferentes vocantur. Reuera itaque iſta indifferentia nihil aliud eſt, quam πρόφασις quaedam, qua prauas ſuas cupiditates tegunt miſeri mortales.

§. XXXII.

Neceſſariae actiones, prouti omnes ſunt, in indiuiduo, & ſecundum obligationem generalem ſpectatae, vel *bonae* ſunt, vel *malae*. Bonitas enim actionum conſiſtit in conformitate, ſeu conuenientia cum lege. Cum enim peccatum ſit *ἀνομία 1 Ioan. III, 4.* ſequitur, quod quae cum lege conuenit actio, bona cenſeri debeat. Conformitas autem intelligitur plena, & exacta, ſecundum verum & genuinum legis ſenſum; ſecundum quem non conformatio ſaltem quoad externa, ſed & interna, propenſiones, motus, adfectus, cogitationes, totamque cordis diſpoſitionem requiritur. Phariſaeorum enim errorem turpiſſimum, conformationem quoad externa ſufficere, vt legi ſatisfioret, exiſtimantium, iam pridem reiecit, atque damnauit ipſe ſeruator, *Matth. V, 20. ſeqq.*

§. XXXIII.

Vt bona ſit actio, non ſufficit, quod cum lege conueniat, niſi quoad omnes circumſtantias * cum ea conueniat. Et hoc eſt, quod vulgo dicere ſolent, eam non tantum *materialiter*, ſed & *formaliter* cum lege conuenire debere.

* Ita quidem, vt, ſi vel vnica circumſtantia non recte ſe habeat, ipſa actio mala inde fieri queat, quae ceteroquin bona eſſet. Plane ſe res habet, ac in phyſicis, vbi, vt effectus producatur, omnes cauſſae concurrere debent, ſed vt non producatur, ſufficit, ſi vel vnica abſit. Huc illud DIONYSII, quem Areopagitam vocant, pertinet: *bonum eſt ex integra cauſſa, malum ex quouis defectu, de diuin. nom. cap. 5.*

§. XXXIV.

Inter circumſtantias iſtas primum merito praecipuumque locum tenet *finis*, quippe qui maxime & luculentiſſime de animo agentis teſtatur. Finis itaque, ſeu ſcopus, ſi recte ſe non habeat, actio nullo modo bona cenſeri poteſt. Vltimus autem finis omnium actionum apud homines regenitos, eſſe debet gloria Dei, *1 Cor. X, 31. Phil. I, 11.* Vnde mala omnis actio exiſtimanda, quae gloriam Dei pro ſcopo atque fine non habet. Hic autem finis intendi ſemper debet, non tantum *implicite*, vt nonnulli ſibi perſuadent, ſed & *explicite*, non tantum

tantum *negatiue*, ac ſi ſufficeret, nihil agere, quo directe gloria Dei laedatur, ſed & *poſitiue*, vt gloria Dei ſtudio & data opera quaeratur. *

* conf. GOTTFRIEDVS VOCKERODT, in *tractat.* antea laudato *part. 2. cap. 6. p. 231.* vbi diligenter hac de re agit.

§. XXX.

Neque tamen, quae de fine diximus, ita capienda ſunt, ac ſi ſolus finis actionem per ſe illicitam, bonam reddere poſſit. * Namque ſupponitur, actionem materialiter iam bonam eſſe, hoc eſt, cum lege conuenire. Quamuis fieri vix poſſe videatur, vt quis in actione mala, ** bonum habeat finem: vbi tamen praetextus, ſeu πρόφασις, ſedulo ab ipſo fine diſcernendus eſt. Quod ſi vero contingat, per ignorantiam aut errorem aliquem in actione mala verſari, aut committere quid contra legem, bonum tamen habere finem, intentionemque laudabilem, tum quidem finis ſeu intentio, non efficit, vt actio mala fiat bona, hoc tamen efficit, vt minus mala, & pro re nata excuſabilis, aut excuſabilior actio cenſeatur. Et ita intelligendi ſunt, qui ad lapſus aliorum excuſandos, aliquando ad bonam illorum prouocant intentionem: *** non, ac ſi intentio iſta omnem actionis prauitatem tollat, ſed quod excuſationem quandam mitiusque iudicium, actioni iſti conciliet.

* Corruit itaque ſua ſponte lepidum iſtud moraliſtarum quorundam, quos vocant, commentum, de methodo dirigendi intentionem, qua ſe efficere poſſe putant, vt actio, quantumuis turpis, aut foeda, per intentionem bona fiat: quos merito exagitat LVDOVICVS MONTALTIVS, in *epiſt. prouinc. epiſt 7. p. 283. ſeqq.* add. & WENDROCKIVS, ad *h. l.* Et ſane non tantum recta ratio docet, intentionem, vt actio bona dici queat, non ſufficere, ſed aliud quid adhuc requiri, ſed confirmat quoque idem ſcriptura ſacra. Diſerte namque Paulus docet, non eſſe facienda mala, vt inde eueniant bona, *Rom. III*, 8. Cum enim ibi retuliſſet, ab irriſoribus ac empectis talia ſibi ubiici, ac ſi doceret, vel ex doctrina, quam proponit, hoc flueret, poſſe aliquem peccare, vt inde bona, quae in iuſtificatione fidelium abſque operibus legis, per ſolam fidem conſpiciuntur, eo illuſtriora fierent, tantum abeſt, vt hoc adprobet, vt potius eos, qui tale quid dicebant, blaſphemare contendat, καθὼς βλασφημούμεθα, ſeueriori etiam pronunciata in eos ſententia: ὧν τὸ κρίμα ἔνδικόν ἐστιν. Huc praeterea pertinent exempla illorum, qui bona intentione aliquid egerunt, vel egiſſe viſi ſunt, & tamen vituperantur, quorſum nonnulli facinus Aaronis, vitulum conflantis, *Exod. XXXII*, 23. Gideonis, Ephod conficientis, *Iud. VIII*, 27. aliorumque, referunt. Quidquid huius ſit, res ipſa poſita eſt extra dubium. Vnde recte AVGVSTINVS: *intereſt quidem plurimum, qua cauſſa, quo fine, qua intentione, quid fiat. Sed ea, quae conſtat eſſe peccata, nullo bonae cauſſae obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla velut bona intentione facienda ſunt; cont. mendac. cap. 7.*

** Siquidem ſciat eam eſſe malam. Namque, vt quis in actione mala, quam bonam eſſe credit, bonam habeat intentionem, facillime fieri poteſt. Sed in actione mala, quam quis malam eſſe nouit, bonam habere intentionem, contradictionem inuoluere videtur. Ecquid enim ei prodeſſet bona intentio, ſi iam nouit, actionem iſtam eſſe & manere malam, * quamcunque habeat intentionem. Si quis vero intentionem ſeriam bene agendi habet,

habet, num vero hunc actionem malam, quam talem eſſe nouit, perpetraturum credibile eſt? Sed diſtinguenda hic eſt πρόφασις, a vera intentione. Afferuntur exempla haereticorum, aliorumque, qui bona intentione feciſſe aut docuiſſe talia perhibentur. quae mala eſſe, aut erronea, neſcire non potuiſſe videntur. At ſi ſciuerunt, aut ſcire potuerunt, ea eſſe mala aut erronea, & nihil ſecius talia fecerunt aut docuerunt, nunquam bonam habuere intentionem, ſed quidquid de ea dixerunt, mera fuit πρόφασις. Vt vero quis per errorem aut ignorantiam, actionem malam, bonam eſſe, credens, bonam intentionem habeat, & facile contingere poteſt, & longe eſt frequentiſſimum. Referre huc licet *pias* iſtas, quas vocant, *fraudes* veterum quorundam inter chriſtianos, qui per ſcripta quaedam ſuppoſititia aut commentis quibusdam rem chriſtianam promouere voluerunt, haud dubie credentes, hoc non eſſe illicitum, qua in re tamen ſeipſos deceperunt turpiſſime, & maximum ſimul rei chriſtianae attulere damnum.

*** Non mihi conſtat, an quisquam eousque audaciae progreſſus ſit, vt, quae alius perperam aut fecit aut docuit, hoc ſaltem nomine aut excuſare aut defendere voluerit, quod bona id fecerit intentione. Si quis tamen hoc fecerit, errauit haud dubie grauiſſime. At ſi quis hac defenſione aut excuſatione, in iis, quae quis per errorem, aut ignorantiam, aut humanam imbecillitatem commiſit, in tantum vtatur, non, vt inde euincat, quidquid hac ratione admiſſum eſt, non eſſe peccatum, ſed eum, qui hoc modo peccauit, mitius promerere iudicium, is cur reprehendendus ſit, non video. Extra omnem enim controuerſiam poſitum eſt, eum, qui in actione mala prauam habet intentionem, grauius peccare, quam eum, qui habet bonam.

§. XXXVI.

Cum autem finis, quem alii in ſuis actionibus habeant, aeque ac tota animi, quae in illis eſt, diſpoſitio, nos lateat, aut indiciis incertis nobis innoteſcat, ſaepius etiam praetextus a vera intentione toto coelo ſit diuerſus, facile inde intelligitur, de aliorum actionibus, ſintne bonae an malae, iudicium ferre, longe eſſe difficillimum.

§. XXXVII.

Praeter finem, diligenter conſideranda circumſtantia, *quis?* Non enim omnia omnibus conueniunt: quaeue laudantur in his, vituperantur in aliis. Quae recte & laudabiliter a magiſtratu geruntur, non aeque conceſſa ſunt ciuibus, aut priuatae ſortis hominibus. In actionibus itaque hominum rite diiudicandis, ad differentiam aetatis, ſexus, ſtatus, &c. vel maxime attendendum. Quod praecipue etiam de ſtatu hominum *ſpirituali*, ſecundum quem non tantum regeniti alii, alii irregeniti ſunt, ſed vtrorumque etiam magna eſt differentia, intelligendum eſt. Ineptus vero, admodum tamen communis, eſt illorum error, qui *ſtatum ſpiritualem*, qui omnium eſt hominum regenitorum, tantum ad clericos, quos vocant, reſtringentes, inde concludunt, multa quae reuera peccata ſunt, ſibi licita eſſe, cum non ſint clerici. Denique ex conditione agentis actio quaedam non tantum ſit vel *licita*, vel *illicita*, ſed interdum maior quoque aut ſingularis quaedam ad agendum inde oritur obligatio. conf. *Luc. XII, 47.*

§. XXXVIII.

Digitized by Google

§. XXXVIII.

Obiectum ſeu circumſtantia *quid?* non tantum efficit, vt generatim actio bona vel mala fiat, prout quis circa licitum, aut illicitum obiectum verſatur, ſed & vt certa peccati, aut malitiae ſpecies inde oriatur. Sic, quod inter homicidium ſimplex & parricidium, inter furtum & ſacrilegium, intercedit diſcrimen, ex obiecti diuerſitate, prouenit. Interdum quantitas quoque obiecti, moralitatem actionis mutare poteſt. Cibo & potu recte vtimur ad neceſſitatem, minus recte ad ſatietatem, aut intemperantiam.

§. XXXIX.

Non quoque perinde eſt, quibus *inſtrumentis*, aut quorum *auxiliis*, operaue, ad aliquid peragendum vtamur. Namque de *moralibus* non minus, quam *phyſicis* inſtrumentis intelligenda eſt circumſtantia, *quibus auxiliis?* Niſi tibi perſuaſeris, perinde eſſe, quibus miniſtris ad magni momenti negotia peragenda vtatur princeps, ſiue prudentibus & fidelibus, ſiue perfidis & imprudentibus. De ratione, *modoque*, quo aliquid peragitur, idem cenſendum. Multum ſane refert, vt lenitate vtatur verbi diuini miniſter, vbi lenitate opus, & ſeueritate, vbi ſeueritas requiritur. De *loco* denique, atque *tempore*, quod hic itidem in cenſum veniant, conſtat inter omnes. Non ſtatim publice licet, quod priuatim peragere fas eſt, & quod aliis diebus recte fit, non ſine crimine interdum ſuſcipitur die dominica.

§. XL.

Eſt de circumſtantiis iſtis porro obſeruandum, hanc illarum vim eſſe, vt non tantum per eas actio aut bona aut mala fiat, ſi recte vel minus recte ſe habeant, ſed & vt vna actio bona, laudabilior, praeſtantiorque altera, & vna actio mala, altera peior deteriorque, pro iſtarum circumſtantiarum conditione cenſeatur. Externas autem ſi accuratius conſideres circumſtantias, eas non tam per ſe actionem aut bonam aut malam reddere, ſed aut rectum aut peruerſum agentis indicare animum, deprehendes.

§. XLI.

Praeterquam vero, quod cum lege & quidem quoad omnes ac ſingulas circumſtantias conuenire debent actiones regenitorum, ſi bonae cenſendae ſint, cumprimis requiritur, vt ex *fide* proficiſcantur. Quemadmodum enim fides per *actiones bonas*, ſeu *opera bona*, demonſtratur, *Gal. V, 6. Iacob. II, 17. 18.* etiam efficit, vt arbores frugiferae reddamur, *Ioan. XV, 4. 16. Matth. XII, 33. 2 Petr. I, 5.* ita & per eandem opera noſtra tantum Deo placent. *Ebr. XI, 6.* Enimuero propter ad-

Digitized by Google

haerentes ſingulis regenitorum actionibus imperfectiones, nulla earum ſecundum rigorem legis, bona dici poſſet: ſed per fidem contingit, vt in illis, qui ſunt in Chriſto, οὐδὲν ſit κατάκριμα, *Rom. VIII, 1.* hinc & actiones eorum bonae, non obſtantibus imperfectionibus iſtis, Deo ſunt gratae, & *opera* vere *bona* cenſentur, *Epheſ. II, 10.*

§. XLII.

Si ad actionem bonam, reſpectus accedat ad alium, qui facultatem habet eam a nobis exigendi, *iuſta* dicitur: quae iuſtitia *actionum*, multum differt a iuſtitia hominum, vt alibi iam docuimus,* quanquam accurate loquendo iterum tantum regeniti *iuſti* vocari queant, non tantum ob *imputatam*, ſed & *inhaerentem* iuſtitiam, cum quotidie renoventur, ad imaginem Dei, in *iuſtitia vera & ſanctitate, Epheſ. IV, 24.* Solent etiam *ſanctae* vocari regenitorum actiones bonae, quoniam ipſi ſancti ſunt, & vitae ſanctitate quotidie proficere ſtudent. *Coloſſ. III, 12. 1 Petr. I, 15. 16.* Hinc & actiones ſuas *ſanctas*, hoc eſt legi diuinae conformes, & ab omni vitio, ac labe, quantum fieri poteſt, purgatas eſſe cupiunt. ** Denique & *bonorum operum* nomine, actiones bonae regenitorum veniunt, *Epheſ. II, 10. Tit. II, 14.* quae &, voce ex philoſophorum ſcholis petita, *officia*, vocantur, vti ſupra obſeruauimus. ***

* In *element. philoſ. pract. part. 2. cap. 2. §. 44.* De iuſtitia non actionum, ſed hominum, intelligenda eſt ea, quam ibidem attulimus VLPIANI definitio, quod conſtans ſit & perpetua voluntas ſuum cuique tribuendi. De iuſtitiae, pro attributo actionis ſumptae, diuiſione in *expletricem*, ſeu *particularem*, & *attributricem* ſeu *vniuerſalem*, ibidem dictum, §. 45. add. PVFENDORFIVS, de *iure nat. & gent. lib. 1. cap. 7. §. 9. 10.*

** Lucem hic dabunt, quae de voce ſanctitatis ſupra dicta ſunt, ad *part. 1. cap. 2.* §. 2.

*** In *prolegom. huius partis ad* §. 5.

§. XLIII.

Ceterum licet leges ſuas dederit Deus, cum in ſtatu integritatis adhuc conſtitutus eſſet homo, immo per iuſtitiae & ſanctitatis ſuae rationem non potuerit non eas dare, quas dedit, hominisque etiam natura eiusmodi leges poſtularit, in ſtatu tamen poſt lapſum neceſſitas actiones ſuas ad certas leges dirigendi ex eo luculentiſſime patet, quod quo magis a lege ceu norma ſuarum actionum homines diſcedunt, eo magis ſuam augent miſeriam, quam rurſus eo magis imminuunt, quo diligentius ſuas actiones, ad leges, praeſertim diuinas, componunt. Cum enim omnes homines ſua natura ad malum ſint proniſſimi, *Gen. VI, 5. VIII, 21. Rom. III, 10. ſeqq.* hoc ipſo ſibi nocent quam maxime, cum quo magis cupiditatibus, ad quas feruntur, indulgent, eo magis ſe perdant, animique tranquillitatem excutiant, & huius quoque vitae felicitate ſe priuent. conf. *Hoſ. XIII, 9.*

* Pertinent huc, quae de neceſſitate dirigendi actiones ad leges diuinas, ex ipſa natura & indole humanarum actionum demonſtranda, dixi in *element. philoſ. pract. part. 2. cap. 3.*

§. XLIV.

In irregenitis quidem id longe eſt manifeſtiſſimum. Si enim conſideremus, quo pacto in officiis, aut erga Deum, aut erga ſeipſos, aut erga alios ſe gerant, nihil aliud eos agere, quam vt ſtultitiam ſuam prodant, miſeriamque augeant, deprehendemus. Atheus, homoque improbus, vbi animus acquieſcat, nullibi, quam in figmentis ſuis inuenit, dataque opera miſer eſt, ſtultitiae merito arguendus. *Pſalm. XIV, 1. LIII, 2. ſeqq.* Qui voluptates ſectantur, vel gentilium iudicio miſeri ſunt, taliaque committunt, quorum eos, ſi reſipiſcant, pudet, *Rom. VI, 21.* ſtultitiae & ipſi damnati a ſeruatore, *Luc. XII, 20.* idque vel hoc nomine merito, quod in rebus citiſſime perituris, maximaque incommoda illis illaturis, animi quietem quaerant. *Ierem. VI, 16. Matth. XI, 29.* Qui alios laedere proni ſunt, ſimilia vt ab aliis expectent, par eſt. Vnde officiorum erga alios neglectus, diſſidiis, contentionibus, certaminibus, bellis, ſtrepitu, ac tumultu orbem replet. Quibus calamitatibus mortales ſuperſedere poſſent, ſi perdomitis cupiditatibus, ad legem ſuas componere actiones vellent.

§. XLV.

Ad regenitos quod attinet, licet cupiditatibus ſuis imperent, & ſua ſponte, quae lex iubet, facere allaborent, *Gal. V, 18. 1 Tim. I, 9.* ſubinde tamen cum prauis adfectibus, ad dominium iterum adſpirantibus, iis pugnandum eſt. *Gal. V, 17.* Omni itaque opera annituntur, vt accurate & ſummo ſtudio ſe ad legem diuinam componant, ne libertate ſua excidant, & ſub vitiorum iugum duriſſimum mittantur, ſub quo qui conſtituti ſunt, ad foeda quaeuis pariter ac noxia abripiuntur, & in abyſſum miſeriae ſummae & infinitae praecipitantur.

CAPVT SECVNDVM
DE
LEGIBVS DIVINIS VNIVERSALIBVS IN GENERE.

Σύνοψις.

Ordinis ratio, §. I.
Legis diuinae vniuerſalis definitio, §. II.
Quo ſenſu dicatur decretum Numinis, §. III.
Promulgatae ſunt leges diuinae per ipſam creationem, §. IV.
Vnde poſt lapſum notitia earum omnium mentibus inſita adhuc adeſt, §. V.

Repetita ſuit legum diuinarum promulgatio, per promulgationem decalogi, vt & per praedicationem euangelii, & ſcripta prophetarum ac apoſtolorum, §. VI.
Quo pacto a prima promulgatione, quae deinceps ſecutae ſunt, differant, §. VII.
Imperium Dei in homines, ex creatione ac conſeruatione, accedente eius omnipotentia, rectisſime deriuatur, §. VIII.
Vnde & cauſſae, cur ad obſequium homines obligati ſint, intelliguntur: in regenitis tamen adhuc ſpeciales quaedam accedunt, §. IX.
Obiectum legum diuinarum ſunt actiones hominum, quae per legem dirigi debuerunt, quarum, quae ex reuelatione hauritur cognitio, perfectior longe eſt ea, quae ex ratione conſtat, §. X.
Finis earundem, ſumma hominum felicitas, §. XI.
Affectiones, ſpeciatim ſanctitas, & perfectio, §. XII.
Immutabilitas, §. XIII.
Indiſpenſabilitas, §. XIV.
Ratio inueſtigandi & cognoſcendi leges diuinas iuxta ſcripturae ſacrae ductum, §. XV.
tum directe, §. XVI.
tum indirecte, ex conſideratione humanae naturae, in ſtatu integritatis, lapſus, & reſtitutionis, §. XVII.
De ſtatu integritatis quid obſeruandum: collatio eius cum ſtatu poſt lapſum caute inſtituenda, §. XVIII.
Leges diuinae in ſtatu integritatis vel abſolutae fuerunt, vel hypotheticae, §. XIX.
Hominis conditio in ſtatu integritatis, qua mentem eiusque facultates, §. XX.
item, qua corpus, §. XXI.
Vnde ſumma legum abſolutarum in hocce ſtatu colligitur, §. XXII.
Inſtituta diuina in eodem ſtatu, quibus leges hypotheticae innituntur, §. XXIII.
Conditio hominis in ſtatu poſt lapſum, quoad mentem eiusque facultates, §. XXIV.
quoad corpus, §. XXV.
quoad res externas, ſpeciatim alios homines, §. XXVI.
Qua ratione ex naturae humanae in hoc ſtatu conſideratione leges diuinae inueſtigari queant, §. XXVII.
Summa iuris diuini iuxta ſtatum hominum hac ratione conſideratum: qui tamen ex reuelatione rectius cognoſcitur, quam ex ratione §. XXVIII.
De inſtitutis diuinis in ſtatu poſt lapſum, & primo quidem de iis, quae ex ſtatu integritatis remanſerunt, §. XXIX.
ſpeciatim de matrimonio, §. XXX.
Ex facultate rebus creatis vtendi, a Deo conceſſa, enatum eſt rerum dominium, §. XXXI.
vnde & rerum pretia, ac contractus, §. XXXII.
Acceſſerunt praeterea poſt lapſum ſtatus herilis, atque ciuilis, §. XXXIII.
Conditio humanae naturae in ſtatu reſtitutionis, §. XXXIV.
Multis in eo homines obnoxii ſunt imbecillitatibus, §. XXXV.
quoad mentem, eiusque facultates, §. XXXVI.
quoad corpus, §. XXXVII.
quoad externa incommoda, §. XXXVIII.
Quo pacto hinc leges diuinae inueſtigari queant, §. XXXIX.
Summa iuris diuini iuxta ſtatum reſtitutionis, §. XL.
Eandem iuris diuini ſummam, ex triplici iſto hominum ſtatu reſultare, §. XLI.
Quid per amorem numinis, item per ſanctitatem, & amorem aliorum intelligatur, §. XLII.
De inſtitutis diuinis in ſtatu reſtitutionis, quorum alia ex prioribus ſtatibus adſunt, alia de nouo acceſſerunt, §. XLIII.
Priora vel immediate a Deo originem habent, vt ſabbathum, §. XLIV.
& matrimonium, §. XLV.
vel mediate, vt dominia particularia, pretia rerum, & alia, §. XLVI.
Poſteriora duplicis generis ſunt, cum alia reſpiciant oecanomiam veteris teſtamenti, vt circumciſio & agnus paſchalis, alia oeconomiam noui teſtamenti, vt baptismus & ſacra coena, §. XLVII.
Quo pacto lex & inſtituta differant, §. XLVIII.
Ad inſtituta diuina obſeruanda homines iure naturae obligatos eſſe, §. XLIX.
ita quidem, vt ea ratione, qua Deus ea inſtituit, illa obſeruent, §. L.
Colligitur ex dictis, chriſtianos non alias leges diuinas, quae eos obligent, quam naturales, habere: has autem vel abſolutas eſſe, vel hypotheticas, §. LI.
Summa legum hypotheticarum, §. LII.
Philoſophorum methodus, principium aliquod cogno-

cognoſcendi iuris diuini quaerentium, in theologia non eſt equidem neceſſaria, §. LIII.
Nihil tamen obſtat, quo minus, obſeruatis, quae theologiae propria ſunt, & hic adhibeatur, §. LIV.
Primum principium quoad leges abſolutas, §. LV.
Principia eius ſubordinata, §. LVI.
Primum principium, quoad leges hypotheticas, § LVII.

§. I.

VT ergo ad normam ipſam, eamque praecipuam, ad quam homines regeniti actiones ſuas componere tenentur, accedamus, de legibus diuinis iisque vniuerſalibus, generatim primo, deinde & ſpeciatim agendum eſt.

§. II.

Per legem itaque diuinam vniuerſalem, intelligo decretum Numinis, per ipſam creationem ad imaginem eius, homini olim manifeſtatum, poſteris autem, per relictas poſt lapſum & cum natura propagatas, connatasque notitias principiorum practicorum indicatum, & ſubinde pluribus actibus externis repetitum, & in ſcriptura ſacra veteris, & noui teſtamenti exhibitum, obligans omnes homines, ad ea omnia, quae naturae illorum, ad imaginem diuinam reſtaurandae, & magis magisque componendae conueniunt, agenda, & omittenda, quae eidem repugnant, idque ad ſummam ac aeternam illorum felicitatem promouendam.

§. III.

Quod leges diuinae proprie ſic dictae leges ſint, iam ſupra euicimus. * Sed & ex iis, quae generatim de notione legis diximus, intelligitur, cur lex diuina a nobis *decretum Numinis* vocetur. At cum eiusmodi intelligatur decretum, quod aliis innoteſcit, de promulgatione eius, quaedam monenda ſunt. Haec enim quod per rationem vires ſuas rite exſerentem fiat, philoſophia equidem docet, ſed ſcriptura ſacra nos plenius hac de re informat.

* *cap.* I. §. 3. *ſeqq.* Ceterum in definitione hacce legis naturalis rectius *decretum Numinis* generis loco ponitur, quam, quod vulgo fieri ſolet, *dictamen rectae rationis*, quod & HVGO GROTIVS facit, *lib.* 1. *de iur. belli & pacis*, *cap.* 1. §. 10. Namque, vt reliqua taceam, decretum Numinis aliis etiam legibus diuinis competit, cum ſolis naturalibus ſit proprium, quod ſint dictata rectae rationis, etſi alia quoque ratione iſtae leges innoteſcant, vt in ipſa definitione oſtenditur. Deus itaque cum ſit cauſſa efficiens iuris naturae, in manifeſto verſantur errore, qui ius naturae Deo & hominibus ita commune aſſerunt, vt ille non minus, quam hi, per id obligetur. Cum enim omnis obligatio ſuperiorem ſupponat, citra inſignem abſurditatem aſſeri nequit, Deum vllo modo obligari.

Merito

Merito itaque hanc ſententiam profligauit PVFENDORFIVS, *lib. 2. de iur. natur. & gent. cap.* 3. §. 5. & 6. Non minus impia pariter ac inepta illorum eſt ſententia, qui, etiamſi ſupponatur, non eſſe Deum, nihilo ſecius, ius aliquod naturae fore contendunt. Hoc enim eſt legem fingere ſine legislatore. Interim ipſi HVGONI GROTIO haecce adprobatur ſententia, *prolegom. de iur. belli & pacis*, §. 11. quem merito caſtigant commentatores, ſpeciatim CASPAR ZIEGLERVS, *p.* 7. vbi oſtendit, ſcholaſticos ſimilia docere. add. KVLPISIVS, in *colleg. Grot. exercit.* 1. §. 3.

§. IV.

Haec namque docet, promulgatas leges diuinas vniuerſales fuiſſe per ipſam creationem. Cum enim & qua intellectum ad imaginem diuinam conditus primus homo, adeoque ſumma cognitione voluntatis diuinae praeditus fuerit, ecquis dubitet, eum etiam cognouiſſe, *Deum ſupra omnia amandum eſſe*, quae eſt ſumma omnium legum diuinarum, *Matth. XXII, 37.* Praeterea, cum *in iuſtitia* quoque atque *ſanctitate* conſtiterit imago diuina, *Epheſ. IV, 24.* legem quoque cognitam primis parentibus fuiſſe, neceſſe eſt, cum iuſtitia & ſanctitas in pleniſſima voluntatis cum lege diuina conuenientia conſiſtat.

§. V.

Imagine diuina per lapſum primorum parentum amiſſa, remanſit tamen notitia principiorum practicorum, in omnes illorum poſteros propagata, non quidem *actualis*, ſed *potentialis*, hoc eſt, vt homo maturae aetatis, & ſanae mentis ex humanae naturae conſideratione, poſſit facile generalia iuſti & honeſti principia elicere, cum inclinatione quadam, ac propenſione, veritatibus hiſce, ſtatim ac cognitae ſunt, aſſenſum praebendi. Vnde eiusmodi principiorum, non *acquiſitam* modo, ſed *inſitam* quoque notitiam * dari, manifeſtum eſt. Hinc &, qui ius naturae tantum ſecundum rationem conſiderant, illud definire ſolent, per dictamen rectae rationis.

* Notitiam inſitam principiorum vocant, quae apprehenſis terminis ſtatim intellectui citra diſcurſum ineſt, non ſecus, ac ſi cum ipſa natura ei actu indita ac implantata eſſet. Cumque hoc tum de *actu ſecundo*, tum de *actu primo*, tum denique de *potentia propinqua* accipi queat, non prioribus, ſed vltimo modo hoc intelligendum eſſe, luculenter docet B. IOAN. MVSAEVS noſter, philoſophus pariter ac theologus acutiſſimus *introduct. in theol. cap.* 2. §. 19. *p.* 12. Hoc modo ſi notitia illa inſita recte explicetur, non tantum, quod detur, facile intelligitur, ſed ad obiectiones ac ſophiſmata diſſentientium, prompte reſpondetur. Enimuero, quod talis notitia inſita principiorum detur, docere quemlibet ipſa naturae humanae conſideratio poteſt. Si quis enim ſerio conſideret, quae in mente ſua contingunt, deprehendet, ſtatim ac eiusmodi principia obſeruantur, vt ea quoque intelligat, non poſſe non ſe illis aſſenſum praebere. Et niſi hoc admittatur, ratio dari nequit, cur

tot

tot gentes per orbem diſperſae, linguis ceteroquin, moribus, inſtitutis admodum inter ſe diſſentientes, in hiſce tamen principiis maximam partem inter ſe conſentiant. Et licet interdum ob certas cauſſas haec notitia impediatur, quo minus in actum erumpat, immo licet a quibusdam data opera ſupprimatur, & impugnetur, inde tamen non magis ſequitur, talem notitiam non dari, quam ſi quis ex eo, quod furioſi & infantes rationis vſum non habent, inferre velit, homines non habere rationem. Confirmat idem Paulus apoſtolus, dum, *opus legis in animis gentium inſcriptum eſſe*, docet *Rom. II*, 15. ad tabulas haud dubie vel Sinaiticas vel Romanas alludens, vt ſenſus ſit, quam vere leges illae in tabulis litteris externis ſcriptae erant, vt iniis ſemper legi poſſint, tam vere quoque in animis gentium dari notitiam quandam, qua ſi recte vti velint, intelligere prompte poſſint, quid lex diuina a ſe requirat. IO. CLERICO enim, viro clariſſimo, adſentire non poſſum, contendenti, verbis apoſtoli nihil aliud ſignificari, quam leges naturales etiam ſine doctore diſci, & facile memoriae mandari, in *art. crit. part.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 1. §. 9 Vox enim *inſcriptionis* amplius quid denotat, ſcilicet, quod reuera in animis gentium adeſt, ſeu notitiam illam, prout eam deſcripſimus, inſitam. Interim de actuali legum notitia, ac ſi eam natura omnes haberent, verba apoſtoli capienda non eſſe, lubens concedo, quippe quae & mea opinione non datur. Haec autem cum ita ſint, fuerunt tamen, qui notitiam omnem principiorum inſitam ſtrenue negarent, vt praeter THOMAM HOBBESIVM, LAMBERTVM VELTHVSIVM, tota facit atheorum turba, quibus & frigidum hic ſuffundunt Sociniani. Cumprimis autem noſtra aetate hoc magno conatu fecit ſubtiliſſimi vir ingenii, IO. LOCKIVS, de *intellectu humano*, *lib.* 1. *cap.* 2. & 3. In hiſce enim capitibus principia practica impugnat, vti in *cap.* 1. contra principia theoretica omnem vim ingenii effuderat. Operae pretium fuerit, praecipua eius, quae in medium adfert argumenta, paucis reuocare ſub examen. Primum in eo ponit praeſidium, quod principia practica neque tam euidentia ſint, neque tam generaliter recepta, ac principia theoretica. Cum autem probauerit, principia theoretica non eſſe innata, ſequi, multo minus practica principia innata eſſe. At multa hic ſibi ſumit vir doctus, quae non temere illi concedentur ab aliis. Falſum eſt, principia practica non tam euidentia eſſe, nec tam generaliter recepta ac theoretica. Principium hoc: *Deum eſſe colendum*, tam euidens eſt, & tam vniuerſaliter receptum, ac illud: *impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe.* Citius reperiri homines, crediderim, qui de veritate poſterioris, quam de veritate prioris dubitauerint. Praeterea euidenter a ſe probatum, principia theoretica innata non eſſe, ſibi quidem, non aeque aliis, perſuadebit. Vnicum ſaltem afferam, quod ſpeciminis loco ſit. Principium hoc: *impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe*, omnibus innatum non eſſe, inde probare annititur, quod hocce principium infantibus, & hominibus rudibus, & litterarum ignaris ignotum ſit. Quo ipſo indicat, ſibi mentem ſententiamque eorum, qui principia innata defendunt, non ſatis fuiſſe perſpectam Si quis enim diceret, principia haecce ita innata eſſe, vt actu in omnium hominum mentibus, & ſemper, eorum cognitio exiſtat, tum allata ratio quidquam valeret. At ſi forte quidam ita ſentiant, non tamen omnium, qui innata principia defendunt, haec eſt opinio. Supra enim iam obſeruaui, dum innatam notitiam aſſerimus, hoc intelligendum eſſe de potentia propinqua. Licet itaque infantes & homines rudes actu hoc principium, *impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe*, non cognoſcant, ita tamen comparatum eſt, vt, quam primum quis vſum rationis conſecutus fuerit, & terminos intelligat, quibus exprimitur, non poſſit non ſtatim eidem aſſenſum praebere. Atque hoc, noſtra opinione, ad innatam notitiam ſufficit. Sed vt ad practica redeamus principia, vt ea, innata non eſſe porro oſtendat LOCKIVS, vrget, fidelitatem & iuſtitiam, hoc eſt, quod fides ſeruanda, & iuſtitia colenda ſit, non ab omnibus hominibus pro principiis haberi. Etſi enim plurimi fidem datam ſeruent, adeo, vt latrones hoc faciant erga ſe inuicem, hoc tamen inde prouenire, quod facile intelligant, ad ſocieratem quandam conſeruandam hoc adeo eſſe neceſſarium, vt nec latronum coetus ſine tali vinculo conſiſtere queat. Faciunt ſane ſaepiſſime id homines, fateor, vt regulas iuſtitiae obſeruent, magis, quod ad commodum ſuum hoc ſpectet, quam vt ſuum erga Deum comprobent obſequium. Sed nihil aliud inde ſequitur, quam dari, apud quos notitia inſita principio-

Digitized by Google

principiorum practicorum velut ſuffocetur, aut impediatur, quo minus vim ſuam exerere queat: quod concedimus. Rurſus tamen id nobis concedi poſtulamus merito, dari plurimus, qui veritatem horum principiorum, ſtatim ac ea intelligunt, agnoſcunt, & ad aſſenſum illis praebendum impelluntur, quod documento eſt, inſitam eſſe horum principiorum notitiam. Quae hic excipit vir doctus, nullius ſunt momenti. Et actionibus, inquit, cognoſcendum, quam quisque de re agenda aut omittenda foueat opinionem. Quaſi vero, ac ſi adeo infrequens eſſet, vt homines agant, quae perpetrare nefas eſſe, ipſimet credunt. Multo autem minus mirandum, ſi quis perpetret, quae, errore ductus, perpetrare non eſſe nefas, credit. A ſophiſmate autem parum abeſt, quod dicit, contradictorium eſſe, ponere principia practica innata, quae tamen ad praxin non deducantur. Eſt enim, manetque principium aliquod practicum, dum ad praxin tendet, etſi homines, variis cauſſis praepediti, ad praxin illud non deducant. Sed nouo contra noſtram ſententiam inſurgit argumento, dum, regulae, inquit, morales opus habent probatione, ergo non poſſunt eſſe principia innata. Hoc ſi de concluſionibus intelligat, quae ex principiis deducuntur, concedere equidem poſſumus, quod probatione indigeant: ſed tum nihil contra nos euincet, cum nobis non de concluſionibus, ſed de principiis ſermo ſit. Sin principia intelligat, fallitur. Vt enim hoc principium: *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*, nulla indiget probatione: ita nec illud principium: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, probatione vlla indiget, apud ſanae mentis homines, cum quilibet non poſſit non iniquitatem agnoſcere, ſi quis prae aliis, quibuscum eiusdem eſt conditionis, ſibi quid arrogare velit. Quae de contractibus & fide in iis ſeruanda adfert, ad concluſiones potius, quam ad principia, pertinent. Has vero concluſiones, quod ex diuerſis homines deducant principiis, nihil aliud euincit, quam quod nonnulli circa principia a recta via aberrent. Quod fieri poſſe, conceſſimus. Sed nec de virtutibus recte ſentit, dum laudari ſaltem eas & adprobari exiſtimat, quia commodum ac vtilitatem adferunt. Qua in re aduerſantes ſibi habet philoſophos tantum non omnes, qui virtutum nomen iis aut actionibus, aut propenſionibus prorſus denegant, in quibus commodi cuiusdam aut vtilitatis ſubeſt reſpectus. Quodſi in praxi vitae humanae quosdam ſecus ſe gerere, & virtuti, ſui commodi cauſſa operam dare, deprehendat, num aliud quid inde ſequitur, quam nonnullos contra principia innata, quae cognoſcere poterant, agere? Ieiune nimis autem de conſcientia ſentit, dum eam nihil aliud eſſe dicit, quam opinionem, quam nos habemus de iis, quae facimus, vt euincat ex conſcientia nullum poſſe deſumi argumentum, ad ſtabiliendam notitiam inſitam principiorum practicorum. Colligit inde porro, principia iſta innata ſibi ipſis contraria fore, ſiquidem conſcientia in hominibus admodum variet, nihilque ſit frequentius, quam vt licitum aliquis ſecundum conſcientiae dictamen reputet, quod alius ſecundum idem conſcientiae dictamen prohibitum credit. Ego vero vix contingere poſſe exiſtimo, vt in iis, quae ad iuris diuini principia pertinent, aliquis a recta regula aberret, modo ſanae mentis ſit, nec rationis vſu deſtituatur, aut non alia impedimenta, hanc cognitionem ſufflaminantia, adſint. Quod ſi vero ab his diſſentiant alii, & itidem conſcientiae dictamen obtendant, adeoque, in errore ſe verſari, demonſtrent, nondum inde ſequitur, principia, quae priores ſequuntur, a natura ipſa non fuiſſe indita. Conſcientiae hanc eſſe indolem, vt qua principiorum etiam notitiam conſopiri penitus queat, ſupra demonſtratum eſt. Mirum itaque non eſt, atrociſſima facinora, non reclamante conſcientia fuiſſe perpetrata, quod vt probet, exempla cumulat vir doctus, *cap.* 2. §. 9. Hoc ſane experientia docet. Sed ſi inde colligat, non dari notitiam principiorum practicorum inſitam, eadem inde ratione inferri poteſt, non dari quoque acquiſitam. Non minus enim homines, qui contra conſcientiam agunt, principia inſita, quam acquiſita, violant. Parum itaque nos mouent exempla aut ſingulorum hominum, aut integrarum gentium, quae leges naturales violarunt, nec eas violare religioni ſibi duxerunt. Praeterquam enim, quod dubitari adhuc poſſit, quousque fides adhibenda iis ſit, quae hinc inde in itinerariis leguntur, nihil tandem aliud inde ſequitur, quam iſtas gentes vim inſitorum principiorum oppreſſiſſe, aut, quod longe etiam eſt frequentiſſimum, contra conſcientiae agere dictamen. Excipit ad minimum ex publica peccatorum quorundam permiſſione, pateſcere, legem, qua iſta peccata prohibentur, non eſſe

innatam,

innatam. Plane ac ſi in integra gente notitia horum principiorum obſcurari nequeat? Vt enim in ſingulis hominibus contingere poteſt, vt impediantur haec principia, quo minus actu ſe exerant, cur hoc non fieri poſſet in integris gentibus? praeſertim cum ex moribus in gente quadam receptis non ſtatim iudicandum ſit de conſcientia ſingulorum hominum, qui ſunt eiusdem gentis. Experientia enim docet, multa ſaepius in gente quadam pro peccatis non haberi ac publice permitti, quae tamen viris probis & ſapientibus minime probantur. Mirum vero, LOCKIVM & hoccе vrgere, eos, qui principia innata defendunt, non poſſe dicere, quaenam ſint haecce principia innata. In amore enim Dei & proximi, omnia haecce principia innata continentur. Haec principia qui nouit, omnia nouit. Quanto ergo quisque rectius ratione ſua vti didicit, tanto rectius concluſiones ex hisce principiis deriuabit. Vnde patet, abſonam prorſus eſſe quaeſtionem, quot ſint principia innata? immo inepte prorſus obiici, neminem vnquam principia iſta innata deſignaſſe, aut certum eorundem contexuiſſe catalogum. Et haecce quidem praecipua ſunt argumenta, quae contra principia innata protulit LOCKIVS: reliquis vt immoremur, neceſſe non eſt.

§. VI.

Cum autem notitia iſta naturalis ſatis infirma eſſet, & per defectum educationis, aliasque cauſſas, in quibusdam valde obſcuraretur, Deus, eo praeſertim tempore, quo decreſcente vitae humanae aetate, traditioni non amplius commode locus erat, denuo leges illas repetendo, ne ab hominibus facile ignorari poſſent, effecit. Iſta repetitio, aut repetita promulgatio, facta eſt cumprimis genti Iſraeliticae, per *decalogum*, * ita quidem, vt per hanc gentem notitia huius legis dimanare ad alias gentes poſſet; tum & per apoſtolos, euangelium omnibus annuntiantes, quod ſupponit *notitiam legis.* Immo & ipſa ſcripta prophetica, & apoſtolica huc pertinent, ** in quibus perſpicue & luculenter quoque leges diuinae declarantur.

* Hacce voce ſummam iſtam legum diuinarum vniuerſalium, tabulis a Moſe iuſſu Numinis inſcriptam, & Iſraelitis promulgatam, exprimimus, idque praeeunte ſcriptura, in qua decem iſta praecepta *decem verba* vocantur, *Exod. XXXIV*, 28. *Deut. IV*, 13. *X*, 4. Sunt, qui in numero iſto denario varia myſteria captant, quod cumprimis more ſuo facit PHILO Iudaeus, de *decalogo, pag.* 475. Quidquid huius ſit, ſufficit, quod decalogus hicce ſummam quandam legum diuinarum vniuerſalium omnium, tum abſolutarum, tum hypotheticarum, contineat. Luculenter hoc oſtendit B. IO. GERHARDVS noſter, *loc. de lege Dei*, §. 14. *ſeqq.* vbi eundo per ſingula praecepta, ea iam ante Moſen nota fuiſſe, oſtendit. Et ſane res ipſa hoc demonſtrat, cum, quod ad leges abſolutas attinet, ipſa ratio hoc quodammodo docet, quidquid in decalogo continetur: etſi luculentius adhuc ex imagine diuina cuncta deriuari poſſint. Inſtituta autem diuina, quae praecepta quaedam ſupponunt, vt ſabbathum, matrimonium, dominium rerum, cum itidem iampridem ante Moſen fuerint, obligatio quoque haecce inſtituta obſeruandi ſtatim adfuit, quippe quae eſt iuris naturalis, iuxta ea, quae ſupra docuimus. Licet itaque promulgatio ſpeciatim ad Iſraelitas ſit directa, licet etiam, quod nonnulli obſeruant, ad ſtatum & genium huius gentis praecepta iſta quodammodo fuerint accommodata, neutiquam tamen ſolos Iſraelitas, ſed omnes omnino homines decem iſta praecepta obligant, quippe quae praecipua iuris diuini vniuerſalis principia continent, ex quibus reliqua etiam nullo negotio deriuari poſſunt. Quo pacto autem haecce praecepta ad genium ſtatumque populi

Iſraelitici quodammodo accommodata ſint, oſtendit IACOBVS ABBADIE, reformatae eccleſiae thelogus, *dans l' art de ſe connoitre ſoy-meme, cap. 4. & 5. p. 89. & ſeqq.* Id extra controuerſiam poſitum, etſi in quibusdam praeceptis actus quidam grauiores ſaltem exprimantur, vt *homicidium, adulterium*, ſubintelligendos tamen ſimul non tantum ſimiles eiusdem commaris actus, ſed ſubtiliores quoque, immo ipſas cupiditates, & motus quosuis ad eiusmodi actus ducentes. Quod vel ex nono & decimo praecepto intelligere poterant Iſraelitae: apud nos autem poſitum eſſe debet extra dubium, ob interpretationem decalogi, quam ipſe dedit ſeruator, *Matth. V, 20. ſeqq.* De diuiſione decalogi multa diſputari ſolent, cum alii ad primam tabulam quatuor praecepta, & ſex ad ſecundam tabulam, ſeparando, quae ad primum praeceptum pertinent, & nonum ac decimum coniungendo, referant: alii autem primam tabulam tribus, & ſecundam ſeptem praeceptis circumſcribant, coniungendo, quae ad primum praeceptum pertinent, & nonum ac decimum ſeparando. Priorem ſententiam reformatae eccleſiae doctores amplectuntur, poſteriorem noſtrates, niſi quod alicubi conſuetudine receptum ſit, priorem diuidendi decalogum rationem ſequi, quod de Argentoratenſi eccleſia teſtatur IO. CONRADVS DANHAVERVS, in *colleg. decalog. p. 16.* qui & ibidem pro adiaphoria huius diuiſionis pugnat, liberum cuique eſſe debere, contendens, quam diuiſionem ſequi velit. Interim rationibus grauiſſimis, tum ex identitate obiecti quoad praeceptum primum, & quod reformati ſtatuunt, ſecundum, & diuerſitate obiecti in praecepto nono & decimo. petitis, tum ex accentuatione, noſtrates demonſtrarunt, diuiſionem ita inſtituendam, prout ipſi inſtituunt. Legendi hac de re B. IO. GERHARDVS, *loc. de lege Dei*, §. 47. WOLFGANGVS FRANZIVS, *ſchol. ſacrif. diſp.* 20. §. 74. *ſeqq.* &, quem iam laudauimus, IO. CONRADVS DANHAVERVS, *l. c.* qui recte ex CHEMNITIO atque MVSCVLO monet: *parum ad pietatis ſtudium facere, ſi praecepta Dei recte quidem numeres, male vero cuſtodias.* add. AVGVSTVS PFEIFFERVS, *dub. vex. cent. 1. loc. 96. p. 235. ſeqq.* Quo pacto nonum praeceptum a decimo differat, expoſitum a nobis ſupra eſt, *part. 1. cap. 1. ſect. 4. ad* §. 39.

** Dubium enim non eſt, quin horum ſcriptorum notitia ad gentiles peruenerit: quod vt de iis temporibus, quae Chriſti ſeruatoris natiuitatem aut ſecuta ſunt, aut proxime anteceſſerunt, palam eſt, ita de antiquioribus etiam admodum eſt veroſimile. Etſi enim ea, quae PETRVS DANIEL HVETIVS, in *demonſtrat. euang. part. 1. prop. 4. cap. 3.* copioſe, & magno eruditionis adparatu, adſtruit, omnem fere veterum gentilium theologiam, & inſtituta eorum ſacra ex Moſe, Moſisue actis & ſcriptis profluxiſſe, in omnibus forte calculum non mereantur, notitia tamen quaedam ſcripturae ſacrae, rerumque ab Ebraeis, aut a Deo in hoc populo & per eum geſtarum, denegari gentibus nullo modo poteſt. Nec vna ſe antiquitatum monumenta ſcrutantibus offert occaſio, quae Ebraeae gentis & ſcripturae ſacrae notitia apud gentiles diuulgari potuerit. Exitus ille Iſraelitarum ex Aegypto nimis portentoſus erat, vt non rerum tam mirabilium fama longe lateque ſparſa fuerit. Qui, occupata terra Cananaea, partim in Graeciam, partim in Africam, conceſſerant, Phoenices, non poterant ignari prorſus eſſe gentis Ebraeae, rerumque ab ea geſtarum, aut religionis etiam, & legis, quae in ea in vſu erat. Accedebant deinceps commercia Dauidis ac Salomonis cum Hiramo, Tyriorum rege: huius quoque nauigationes in terram Ophir, & matrimonia cum exteris, ſapientiae quoque ſumma per omnem orientem, & ad gentes remotiſſimas, propagata fama: quae omnia occaſionem ampliſſimam aliis, in ſtatum populi Iſraelitici eiusque leges inquirendi, dare potuerunt. Secuta hinc ſunt bella varia in Aſia & Aegypto geſta, quibus ſubinde impliciti Iudaei: donec omnino in captiuitatem Babylonicam abducerentur, poſtquam reliquae tribus ab Aſſyriis iam abductae, & adeo Iſraelitae hinc inde per orientem diſperſi eſſent. Cumque ex captiuis iſtis atque diſperſis nonnulli magnam inter ipſos ethnicos conſequerentur auctoritatem, vt vel Danielis exemplo patet, nemo, tam ſtupidos eos rerumque ſuarum incurios fuiſſe ſaltem illos, qui ſapientiae laudem affectabant, crediderit, vt non tam celebratae gentis inſtituta, mores, religionem, leges fuerint perſcrutati. Fata Iudaeorum ſub imperio Perſarum, & quod hoc excepit Graecorum multo magis id comprobant, ob frequentia eorum cum gentilibus commercia, legum Moſaicarum notitiam non potuiſſe inter Iudaicae gentis fines conſiſtere, ſed gentilibus innotuiſſe,

Digitized by Google

innotuiſſe, quantumuis etiam ſua ſtudioſe occultare anniſi fuiſſent Iudaei. Immo tandem omnino factum, vt libri Moſaici in Graecam linguam transferrentur. Etſi enim incertum ſit, an verſio Graeca antiquior illa, quae LXX. interpretibus tribuitur, extiterit, etſi etiam ea, quae ARISTEAS de LXX. interpretibus litteris conſignata reliquit, ceu fabuloſa & commentitia, a viris doctis hodie explodantur, hoc tamen certum & extra omnem dubitationem poſitum, iam ante Chriſtum natum libros veteris teſtamenti in ſermonem Graecum fuiſſe translatos. His omnibus addunt peregrinationes philoſophorum Graecanicorum, quorum nonnullos Iudaeam quoque adiiſſe, aut certe in Aegypto aut Babylonia cum Iudaeis colloquendi, rerumque Iudaicarum notitiam acquirendi, occaſionem adeptos, ex variis antiquitatis monumentis, colligitur. Pluribus haec omnia ediſſerit vir clariſſimus, GOTHOFREDVS VOCKERODT, in exercitatione pereruditа, de *notitia diuinarum ſcripturarum apud gentiles.*

§. VII.

Iſta repetitio, etſi a quibusdam etiam *promulgatio* dicatur, alii tamen *diuulgationem* dicere maluerunt, * quae ſit adplicatio primae promulgationis ad notitiam ſubditorum, qui primam illam promulgationem non perceperunt, aut percipere non potuerunt. Commodiſsime dicitur, *promulgationis repetitio.*

* vid. B. IO. GVIL. BAIERI *compend. theol. moral. part.* 3. *cap.* 2. §. 4. *p.* 137.

§. VIII.

Obligatio, * cuius in legis diuinae definitione, facta eſt mentio, ſupponit *imperium.* Quod vero Deo imperium proprie & ſtricte ſic dictum in homines competat, nemo niſi cui ſana mens non eſt, negaverit. Nec tamen iſtud ex muneris & virtutis diuinae praeſtantia, aut ex potentia, cui reſiſtere nemo poteſt, aut ex conſenſu hominum, ** deriuandum eſt, ſed ex eo, quod Deus iuſtas cauſſas habeat, obſequium ab hominibus exigendi, & potentia inſuper reluctantes cogendi, polleat. Inter cauſſas autem iſtas, ob quas merito obſequium ab omnibus exigit, eminet *creatio* & *conſeruatio.* Cum enim homo quantus quantus eſt, a Deo pendeat, & quidquid habet, illi vnice acceptum ferre debeat, iniquum profecto eſſet, ſi mandatis eius reſiſtere, ſibi fas eſſe putaret. Deus quoque facultatem ad leges nos componendi nobis dedit, *** eandem ergo praeſcriptis legibus dirigere, in ipſius poſitum eſt poteſtate.

* Vt obligatio tantum a ſuperiori, ſeu eo, qui imperium habet, deriuanda, ita ſine obligatione nulla lex eſt proprie ſic dicta. Et licet leges diuinae vtilitate quoque ſe commendent, non tamen eſſent leges, ſi obligatio non accederet. Ab imperio humano haec obligatio repeti nequit; cum, qui eo gaudet, ſuis tantum ſubditis imponere obligationem queat. Ex conſenſu pacta oriuntur, non leges. Ab imperio itaque diuino vis obligandi, qua leges iſtae gaudent, vnice deducenda. conf. PVFENDORFIVS, de *iure nat. & gent. lib.* 2. *cap.* 3. §. 20.

** Ex muneris & virtutis diuinae praeſtantia imperium hocce deriuat MOSES AMYRALDVS, in *diſſertat. de iure Dei in creaturas*, ex potentia irreſiſtibili, THOMAS HOBBESIVS, in *Leuiath. cap.* 31. *p. m.* 167. & *de ciue*, *cap.* 15. §. 5. *p. m.* 113. qui tamen non ſatis ſibi

 conſtat,

conſtat, dum etiam conſenſum hominis ad imperium diuinum requirit, ſatis quidem inepte. Sed ſupra iam ad *cap.* 1. §. 7. luculenter demonſtrauimus, duo ad imperium, adeoque & ad facultatem aliis imponendi obligationem, requiri: cauſſam iuſtam, & facultatem cogendi reluctantes. Et hisce fundamentis innititur etiam imperium diuinum. De potentia quidem diuina nemo dubitauerit. Cauſſas vero iuſtas ei eſſe, cur obſequium ab hominibus exigere queat, is demum inficias iuerit, qui aut negauerit, aut ignorauerit, eum eſſe rerum omnium, ſpeciatim hominum, conditorem, & hos ita ab eo pendere, vt ſine eius nutu ac voluntate nec digitum mouere queant. Ab eo enim, qui ita a nobis dependet, iure meritoque poſtulamus, vt ad noſtram ſe componat voluntatem, noſtrumque nutum ſequatur: idque eo magis, cum nihil ab eo exigitur, niſi, quod pium, iuſtum, aequum, & illi ſalutare eſt. An ex ratione hoc intelligi queat, homines a Deo conditos, disputari equidem ſcio: nec ignoro, fuiſſe plurimos ethnicorum philoſophorum, qui de hominum origine ita ſentirent, vt, aut ſemper eos fuiſſe, contenderent, aut talem hominum generi originem aſſignarent, quae creationem excludit: qua de re legendus CENSORINVS, de *die natali*, *cap.* 2. & quae *ad h. l.* erudite obſeruauit HENRICVS LINDENBROGIVS. Sed id quoque conſtat, EPICVRVM, aliosque cum creatione prouidentiam, adeoque conſeruationem hominum, ſuſtuliſſe. Verum haec noſtrae non obſtant ſententiae. Etſi enim multi iſta aut ignorauerint, aut negarint, hoc ipſo tamen peccarunt grauiſſime, cum ea ſcire potuerint, praeſertim ſi rationis lumine ad inueſtigandam reuelationem rite vti voluiſſent. Praeterea ex eo, quod ſubditus cauſſas, ſua culpa neſciat, cur imperans ab eo obſequium exigere queat, non ſequitur, ad obſequium eum non eſſe obligatum, aut imperium ipſum ceſſare. Multo minus autem ceſſabit, ſi proterue cauſſas iſtas in dubium vocando, contra ſuperiorem inſurgat, rebellionis ſuae iuſtiſſimas daturus poenas. Vnde, quam inepte THOMAS HOBBESIVS, atheos imperio diuino eximat, intelligitur. Qua de re deinceps. Quae autem ratio hac de re dictitat, confirmat etiam Scriptura ſacra. Haec vt a creatione rerum omnium, ſpeciatim hominum, initium ſumit, ita creationis ſubinde memoriam renouat, vt quae noſtri ſint officii, cogitemus. conf. *Kobel. XII*, 1. Immo eum in finem Deus ſabbathum inſtituit, ne creationis memoria excideret, homineſque condocerentur, ſui eſſe officii, creatorem ſuum colere, eique obedire. Hinc & Ieremias *cap. XI*, 7. *quis te non timeat*, inquit, *o rex magne! cum feceris coelum & terram &c.* & *v.* 12. 13. ratio, cur ſolus Deus, non autem dii gentilium colendi ſint, haec adfertur, quod *dii gentilium non fecerint coelum & terram*, cum ſolus verus Deus contra, *virtute ſua terram fecerit*, *& ſapientia ſua orbem praeparauerit &c.* Saepius equidem Deus ad potentiam quoque ſuam prouocat, cum immorigeros ad obſequium vult inducere. Sed potentia non excludit cauſſas iuſtas, nec ſeiungenda, aut opponenda ſunt, quae inter ſe optime poſſunt eſſe coniuncta. Hominum tamen peruerſa indoles requirit, vt, cum frenum mordent, nec cauſſas reliquas, quae ad obſequium eos inducere debebant, ſecum expendunt, multo minus iis locum relinquunt, diuinae omnipotentiae repraeſentatione ſtultitiae ſuae redarguantur, quod ei ſe opponant, cuius vltionem iuſtiſſimam ſeueriſſimamque nulla ratione effugere queant. Vnde fallitur HOBBESIVS, cum ex eiusmodi dictis colligit, imperium diuinum tantum niti potentia irreſiſtibili. conf. quae dixi in *diſſertat. de principe legibus humanis, ſed non diuinis ſoluto*, *axiom.* 2.

*** In ſtatu integritatis enim homines legem diuinam accurate ſeruare & adimplere poterant. Quo pacto autem poſt lapſum, cum nemo legem Dei perfecte adimplere poteſt, Deus tamen recte hoc ab hominibus poſtulet, ex dicendis conſtabit.

§. IX.

Et hinc quoque, quaenam cauſſae ſint, quae hominem inducere debeant, vt legibus diuinis pareat, patet. In regenitis tamen accedunt cauſſae ſpeciales. Non minus enim beneficium Dei eſt, quod eos regenerauit, quam quod eos creavit. Regenerauit enim eos hunc ipſum

ipſum in finem, vt nouis gratiae viribus inſtructi, legem Dei ſeruare poſſint. Hinc *creati in Chriſto* dicuntur, *ad opera bona*, *Epheſ. II, 10.* conf. *Rom. VI, 13. ſeqq. 1 Ioan. II, 8.* Et Chriſtus etiam, *ſe pro nobis tradidiſſe*, dicitur, *vt nos redimeret ab omni iniuſtitia, & purgaret ſibi ipſi populum in peculium, qui eſſet ζηλωτὴς in bonis operibus. Tit. I, 14.*

§. X.

Quod omnes homines, nemine excepto, hiſce legibus obligentur, vt moneamus, neceſſe non eſt. * Obiectum autem earum ſunt actiones hominum, eiusmodi quidem, quae cum natura humana nexum neceſſarium habent, ita vt poſita tali natura hominis, Deus non potuerit non eiusmodi illi ferre leges, vnde &, ſi a diuina reuelatione abſtrahas, ex naturae humanae conſideratione, cognoſci poſſunt. Quod philoſophi quidem intelligunt, de natura, qualis hodie eſt, theologi, de *natura integra & reſtituta*. Haec vero, vti longe perfectior eſt, ita mirum non eſt, quod perfectius ex ea voluntas Dei cognoſcatur, quemadmodum & multa naturae huic integrae, aut reſtauratae, conueniunt, quae ex naturae corruptae conſideratione deriuari nequeunt.

* Obſeruandum tamen hoc contra impiam & ineptam THOMAE HOBBESII ſententiam, qua atheos imperio diuino ſubiectos eſſe negat; vnde ſequitur, nec legibus diuinis eos obligari. Verba inſanientis iſtius philoſophi aperta ſunt: *in regno igitur Dei pro ſubditis habemus, non corpora inanimata, neque irrationalia, licet potentiae diuinae ſubiiciantur, quia praecepta & minas Dei non intelligunt, neque etiam atheos, quia Deum eſſe non credunt, neque eos, qui Deum eſſe credentes, eum tamen inferiora haec regere, non credunt; de ciue cap. 15. §. 2.* Eadem repetit in *Leuiathane, cap. 31.* Non tantum vero atheos, vt ex verbis allatis patet, ſed eos etiam imperio diuino eximit, qui prouidentiam diuinam negant. Vtrumque inepte non minus, quam impie. Ecquis vero acumen ſophiſtae non miretur, in probanda ſententia tam inſana: *qui Deum eſſe non credit, eius imperio ſubiectus non eſt.* Atheus, qui Deum eſſe non credit, hoc facit, aut ex ignorantia, aut ex malitia: quanquam ex ignorantia facere nequeat. Eſto autem, facere eum hoc ex ignorantia, vincibilis tamen erit ignorantia, cum notitia haec omnium ſit longe euidentiſſima. Num vero inde ius alterius in me ceſſabit, quia ego mea culpa ignoro, quod illi eiusmodi ius competat? Sed falſum eſt, vt dixi, dari atheum, qui ex ignorantia talis ſit: omnis atheus per malitiam atheus eſt. Num ergo imperium ceſſabit, ſi quis malitia ductus contra dominum inſurgat, eumque pro domino agnoſcere nolit? Ita peſſimorum hominum ludibrio imperantium omnium auctoritatem exponet HOBBESIVS, quam tamen ingenti conatu ſtabiliuiſſe videri voluit. Fons autem erroris hic eſt, quod imperium diuinum non modo ex potentia irreſiſtibili, ſed ex conſenſu quodam hominum videatur deriuare. Inepte quidem. Namque nec paternum imperium conſenſu, ſed longe aliis cauſſis nititur, multo minus imperium diuinum conſenſum requirit. Cum vero ipſe antea docuiſſet, imperium ex potentia irreſiſtibili oriri, num athei Deo reſiſtere poſſunt? Mentem amiſiſſe, neceſſe eſt, qui talia ſibi perſuaſerit. At, non credunt tamen, inquit, talem potentiam. Sed credere debebant, & cognoſcere poterant. Quae de atheis diximus, eadem ratione adplicari poſſunt ad Epicuri alumnos, qui prouidentiam diuinam negant. add. *diſſertat.* noſtra de *principe legibus humanis, ſed non diuinis ſoluto, axiom. 2.*

§. XI.

Finis legum diuinarum vniuerſalium, quem itidem ſupra indicauimus, * eſt ſumma hominum felicitas. Exhibet enim lex velut in ſpeculo ſummam Dei ſanctitatem & perfectionem. Huic ergo ſi ſimilis homo magis magisque per legis obſeruantiam reddatur, quid addi eius felicitati poſſet? Id autem quo pacto poſt lapſum, vbi *lex per carnem infirma facta eſt*, *Rom. VIII,3.* fieri queat, id enimuero euangelium docet; qua de re alibi.

* conf. quae diximus in *prolegom.* huius partis, *§. 7. ſeqq.*

§. XII.

Affectiones, ſeu proprietates legis, ex dictis fere colligere licet. *Sancta* lex eſt, *bona*, & *iuſta*, *Rom. VII,12.* imaginem ſcilicet eius, a quo profecta eſt, exhibens, *1 Petr. I,16.* Eadem eſt *perfectiſſima*, cum nihil eorum deſit, quae ad hominem vere felicem reddendum pertineant, ſi modo homines eam ſeruare poſſent.

§. XIII.

Praeterea eſt *immutabilis*, non ſolum quoad principia practica generalia, verum etiam quoad concluſiones, vt neque illa, neque hae, abrogentur vnquam, aut abrogari queant. Fundatur namque lex in immutabili Dei bonitate, ſapientia & iuſtitia, *2 Tim. II, 13.* Diſtinguendum tamen eſt inter *mutationem obiecti*, & inter *mutationem legis ipſius.* * Illa enim locum habere poteſt, etiamſi haec minime contingat.

* Inculcat hanc diſtinctionem HVGO GROTIVS *de iure belli & pacis*, *lib. 1. cap. 1. §. 10. n. 6.* & hinc colligit: *ſi quem Deus occidi praecipiat, ſi res alicuius auferri, non licitum fiet homicidium, aut furtum, quae voces vitium inuoluunt, ſed non erit homicidium, aut furtum, quod vitae & rerum ſupremo domino auctore ſit.* Defendi itaque ex hoc capite Iſraelitae ſolent, quod vaſa aurea & argentea Aegyptiorum ſecum abſtulerint. Hoc enim cum iuſſu Dei factum ſit, qui dominium iſtarum rerum ab Aegyptiis ad Iſraelitas transferre potuit, pro furto minime habendum.

§. XIV.

Denique & *indiſpenſabilis* eſt lex diuina, vt nemo mortalium ab obligatione eius, aut excipiatur, aut excidi poſſit. Interim, diſtinguendum hic ſedulo eſt, inter *diſpenſationem* & *tolerantiam*, * quae eſt rei moleſtae & ingratae, & per quam legis obligatio non ſoluitur, quod fit per diſpenſationem. Sane ſi diſpenſaret Deus, aut legis obligationem ſolueret, contra ſanctitatem & iuſtitiam ſuam ageret, quod eſt ἀδύνατον. Tolerare autem eum, quae contra legem diuinam ſunt, & non imputare, vel imbecillitatum, quae regenitis adhaerent, exemplo condocemur. Eſt vero & hoc addendum, in quibusdam peccatis *directe*

laedi

laedi ſanctitatem & iuſtitiam Numinis, adeo vt cum fide conſiſtere nequeant, in quibus tolerantia locum non habet, in aliis autem *indirecte*, praeter voluntatem, minime ex proaereſi, & haec adeo tolerari, eius non repugnat ſanctitati.

* An ius naturae diſpenſationem admittat? iampridem etiam inter ſcholaſticos diſputatum eſt. Nonnulli ex iſto grege generatim affirmant, Deum in omni praecepto naturali diſpenſare poſſe, immo praecipere contrarium his praeceptis, quae dedit, etiamſi ſit odium ipſius Dei. Alii diſtinguunt inter praecepta primae & ſecundae tabulae; & duo priora primae tabulae indiſpenſabilia eſſe aſſerunt, tertium vero, & reliqua ſecundae tabulae, diſpenſabilia. Alii rurſus diſtinguunt inter praecepta affirmatiua & negatiua: haec, praeter quintum, indiſpenſabilia eſſe, contendentes, alii aliter. Prolixius haſce ſcholaſticorum ſententias edifferit IO. ADAMVS SCHERZERVS, in *breuiar. Hülſemann. extenſo, cap.* 21. *theſ.* 8. *p.* 1675. *ſeqq.* Verum, ſi expendamus nobiſcum, diſpenſationem eſſe relaxationem legis, ſtatim deprehendemus, leges diuinas vniuerſales eſſe indiſpenſabiles. Cum enim fundentur in ipſa ſanctitate & iuſtitia diuina, ſi quis diceret, eas relaxari poſſe, ſeu diſpenſationem in iis locum habere, hoc perinde eſſet, ac ſi quis diceret, Deum aliquid velle poſſe, quod ſit contra ſanctitatem eius ac iuſtitiam, quod tamen eſt ἀδύνατον. Sed contrarium tamen ſuadere videntur exempla patriarcharum, aliorumque ſanctorum hominum, praeſertim in veteri teſtamento, qui perpetrarunt, quae legibus diuinis repugnant, e. g. polygami fuerunt, nec tamen ob id reprehenſi leguntur, aut a Deo reprobati. Vnde nonnulli inducti, leges naturales a poſitiuis vniuerſalibus diſtinguendas eſſe, cenſuerunt, eo quod in hiſce diſpenſatio locum habuerit, minime in illis. Et ita ad praecipuum, quod de polygamia virorum ſanctorum veteris teſtamenti obiicitur, dubium, reſponderi quam commodiſſime poſſe, exiſtimant. Sed de legibus poſitiuis vniuerſalibus, quae noſtra ſit ſententia, iam ſupra expoſuimus. Videntur autem omnia quam rectiſſime expediri poſſe, ſi diſtinguamus inter diſpenſationem & tolerantiam. In legibus diuinis vniuerſalibus, ad minimum abſolutis, diſpenſatio locum non habet, cum per earum violationem directe ſanctitas & iuſtitia Dei violetur, quod Deus concedere nequit. In hypotheticis facilius equidem diſpenſatio admitti poſſet: ſed non videtur hoc eſſe neceſſarium. Multa ſane Deus tolerat, quae ſunt contra leges naturae, etiam abſolutas, quae tamen non probat. Tolerat ea in piis etiam & ſanctis, ſed ea demum conditione, ſi aut ex ignorantia aut imbecillitate aliquid agant, quod contra legem ſit, vt tamen nulla proaereſis in illis ſit, legem violandi, ſanctum contra & ſincerum ſtudium, eam ſeruandi pro viribus. Hinc & polygamiam in viris ſanctis veteris teſtamenti tolerauit Deus, quod iſti neutiquam ex libidine aut prauo animi adfectu, ſed deſiderio conſequendi promiſſionem de Meſſia, ex illorum ſemine naſcituro, ſobolis multiplicationem optarent, & hanc in partem ſingularis benedictionis diuinae ponerent, & praeterea ob receptam tum temporis vbique, ſaltem in oriente, polygamiam, eam prohibitam eſſe, ignorarent. Vnde, ſi quis hodie ſanctis iſtis viris plane diſſimilis, in tanta euangelii luce, ſibi perſuadere vellet, Deum etiam id toleraturum, ſi plures vxores duceret, nihil aliud acturus eſſet, quam vt animum malignum, Numinisque contemptorem proderet. Quae enim in hominibus piis & ſanctis integroque animo praeditis per benignitatem tolerat, ea in impiis Deus grauiſſime punit. Diſcrimen tolerantiae & diſpenſationis luculenter exponit B. IO. GVIEL. BAIERVS, in *compend. theol. moral. part.* 3. *cap.* 2. §. 5. *p.* 135. & prolixius in peculiari diſſertatione, de *differentia diſpenſation. & tolerantiae.*

§. XV.

Legis diuinae vniuerſalis indolem poſtquam explicauimus, nunc etiam quo pacto cognoſci, & inueſtigari queat, indicandum. Eam, leges diuinas inueſtigandi rationem, quam philoſophi tradunt, * nunc non

non moramur, quippe quae ad nos non pertinet. Scripturae potius ſacrae, ſequimur ductum, iuxta quem, partim *directe*, partim *indirecte*, diuinas cognoſcere licet leges.

* Ex naturae humanae, praeſertim in ſtatu naturali ſpectatae, conſideratione. vid. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib. 2. cap. 2.*

§. XVI.

Directe quidem, ſi loca ſcripturae conſideremus, quae leges diuinas exhibent. Huc pertinet ſumma legis a Chriſto ipſo indicata, *Matth. XXII, 37.* itemque decalogus, eandem ſummam explicite exhibens, *Exod. XX, 3. ſeqq.* cum explicatione ipſius ſeruatoris, *Matth. V, 21. ſeqq.* Et haec quidem inueſtigandi leges diuinas ratio, ſimplicior eſt, & ad omnium captum accommodata.

§. XVII.

Indirecte leges diuinae inueſtigantur ex conſideratione diuerſorum hominum *ſtatuum*, quos ſcriptura ſacra deſcribit. Si enim natura hominis, in ſingulis ſtatibus paulo accuratius conſideretur, quae ab eo Deus exigat, facile intelligere licet. Conſtat autem triplicem eſſe hominis ſtatum, *integritatis, lapſus, & reſtitutionis.*

§. XVIII.

Ad *ſtatum integritatis* quod attinet, ſummam eius felicitatem in eo conſtitiſſe, conſtat inter omnes, quod primi parentes & excellenti Numinis cognitione ſapientiaque, & perfectiſſima, qua voluntatem, iuſtitia, & ſanctitate fuerint praediti. Nec deerant reliqua, quae ad vitam beate, feliciterque tranſigendam, requiruntur. Et hactenus quidem ex eius conſideratione, quae iuris diuini ſunt, intelligere licet; * ſcilicet, quae ex hocce principio, Deum ſupra omnia amandum, ſequuntur. Ceteroquin in ſtatu hocce, cum ſtatu praeſenti hominum comparando, caute procedendum. Multa enim, ad externam hominum felicitatem, poſt lapſum vtcunque conſeruandam, conſtituenda aut introducenda fuerunt, quae in ſtatu ante lapſum non inuenerunt locum; multae, ob mutatam humani generis conditionem, ex primis & vniuerſalibus iuris diuini principiis deriuandae fuerunt concluſiones, quas forte ignoraremus, ſi in ſtatu integritatis permanſiſſet hominum genus.

* Vt ius naturae ex ſtatu integritatis deriuaret, omnem impendit operam VALENTINVS ALBERTI, theologus quondam Lipſienſis celeberrimus, in *compendio iuris nat. orthodoxae theologiae conformato*, cumprimis *cap. 2. p. 45. ſeqq.* Qua in re ingenioſe etiam & erudite verſatus eſt. Scio, litem ei hac ſuper re motam fuiſſe: ſed expediri res omnis facili

facili negotio poteſt, ſi obſeruemus, quod & ſupra docui, ius naturae, ſeu leges diuinas vniuerſales, vel ſecundum rationem, vel ſecundum reuelationem poſſe conſiderari. Priori modo ſpectatae, ex ſtatu integritatis deriuati nequeunt, quippe quem ratio ignorat. Veſtigia quaedam huius ſtatus, quae apud ethnicos ſcriptores, ſpeciatim poetas, deprehenduntur, nihil allud demonſtrant, quam per traditionem forte aliquam huius ſtatus notitiam ad eos perueniſſe. Vnde & ſi cum hominibus nobis res ſit, qui ſcripturae ſacrae auctoritatem non admittunt, fruſtra apud illos ex ſtatu integritatis concluſiones iuris naturalis deriuaueris. Quod ſi vero ius diuinum vniuerſale iuxta reuelationem diuinam conſideretur, rectiſſime omnino ex ſtatu integritatis, non excluſis tamen aut ſepoſitis reliquis hominum ſtatibus, deriuatur: quod nec illi ipſi diffitebantur, qui contra auctorem antea laudatum diſputabant. An vero idem auctor cautionem, quam hic de ſtatus integritatis cum ſtatu poſt lapſum comparatione adiecimus, obſeruauerit, ex dicendis, ſi cum iis, quae iſte habet, conferantur, diiudicari poterit.

§. XIX.

Vt itaque paulo diſtinctius, quo pacto ex ſtatu integritatis leges diuinae inueſtigari queant, explicemus, primo, ad ipſam hominis naturam, tum ad inſtituta quaedam, huic ſtatui propria, attendendum eſt. Hinc duplicis generis fluunt leges, quarum alias *abſolutas*, alias *hypotheticas* adpellitare licet.

§. XX.

Natura hominis erat longe perfectiſſima, & imagine diuina inſtructa *Gen. I, 27*. Erat namque in intellectu, *lux diuina*, accuratiſſimaque adeo rerum diuinarum pariter ac humanarum cognitio, in voluntate, *amor Numinis* ſummus, ſincerus, & longe perfectiſſimus, & hinc fluentes virtutes, ſanctitas, iuſtitia, veracitas, & reliquae. Quarum quidem virtutum exercitium, in iis quae ſtatui integritatis conueniebant, luculenter ſe oſtendebat. Nec aliter mens hominis in hocce ſtatu comparata eſſe poterat, ob arctiſſimam vnionem, communionemque intimam cum Deo. conf. *Gen. II, 7. Eſ. III, 19.*

§. XXI.

Corporis ſumma erat perfectio, & immortalitas. Nec quidquam, quamdiu hicce ſtatus durabat, aut in homine, aut extra eum erat, quod aut nocere ſanitati, aut deſtruere vitam poterat. Hinc plurima circa temperantiam, & ſanitatem, corporisque ac vitae conſeruationem, officia, quae hodie neceſſaria ſunt, ſua ſponte ceſſabant.

§. XXII.

Summa itaque legum, ex iſta ſtatus integritatis conſideratione, eo redit: in iſto amore & vnione cum Deo, conſtanter perſeuerandum, immo, ſi fieri poſſet, in eo magis magisque proficiendum. Hoc velle & praecipere Numen, facile intelligebant, quia cognoſcebant Numinis bonitatem ſummam, per quam non poſſet non velle & praecipere, quae conſeruare & augere hominum beatitudinem poterant.

 §. XXIII.

§. XXIII.

Erant praeterea in ſtatu integritatis certa *inſtituta*, ſcilicet ſabbathum, *Gen. II, 1. 2.* * matrimonium, *Gen. II, 20. ſeqq.* ** item conſtitutio arboris vitae, & cognitionis boni & mali, in explorationem obedientiae hominum. *Gen. II, 16. 17.* *** Quae circa haec inſtituta verſabantur leges diuinae, erant hypotheticae, quae tamen & recte naturales dici poſſunt, quoniam ex hocce generali principio fluunt: ***quaecunque Deus ad hominum ſalutem inſtituit, ea ſumma diligentia ſunt obſeruanda***, ſeu, quod perinde eſt, ***Deo in omnibus eſt obediendum.***

* Errant enim, qui *Gen. II, 1. 2.* ſabbathum tantum per prolepſin commemorari contendunt: qua de re ex inſtituto dicetur infra, *cap. 3. ſect. 2*, §. 33.

** Matrimonium ad inſtituta paradiſiaca pertinuiſſe, negabunt haud dubie, qui tum demum vxorem creatam putant, cum Adamus iam deficere coepiſſet. Deumque, ne homo magis magisque vileſceret, vtque eum ad res diuinas contemplandas erigeret, adiutricem ei dare decreuiſſe. Ita quidem praeter alios PETRVS POIRET, *oeconom. diuin. lib. 2. cap. 12.* §. 4. *p.* 503. Sed haec commenta ſunt, quae omni deſtituuntur fundamento. conf. IO. WOLFGANGI IAEGERI, *examen theolog. nouae, controu. 15. p.* 193. Videntur autem nonnulli in eiusmodi prolapſi paradoxa, quod crederent, matrimonio cum ſtatu ſummae perfectionis, qualis ſtatus integritatis fuit, non ſatis conuenire, infirmitates, hodie etiam hominibus ſanctis in hoc ſtatu adhaerentes, cum ipſo confundentes matrimonio. Ex matrimonio autem cum ſequatur ſtatus paternus, quin & hic locum in ſtatu integritatis, ſi in eodem homines perſtitiſſent, habiturus fuiſſet, dubium non eſt. De ſtatu autem herili & ciuili deinceps dicetur. Sunt nonnulli, qui etiam rerum dominium, & quae hinc fluunt, inter inſtituta paradiſiaca referunt. Verum, etſi Deus primis parentibus facultatem rebus creatis vtendi in prima creatione dederit. *Gen. I, 28.* eam tamen facultatem a dominio proprie & ſtricte ſic dicto differre, nonnulli contendunt: qua de re ex inſtituto infra, *cap. 3. ſect. 5.* §. 14.

*** Sunt ex reformatae praecipue eccleſiae doctoribus, qui in hisce arboribus ſibi ſacramenta paradiſiaca inueniſſe viſi ſunt. HERMANNVS namque WITSIVS, in *federe operum ſeu ſtatu integritatis*, quatuor ſtatuit ſacramenta, *paradiſum, arborem vitae, arborem ſcientiae boni & mali, & ſabbathum; de oeconom. feder. Dei cum homin. lib. 1. cap. 6.* §. 2. *ſeqq.* IOANNES BRAVNIVS autem, duo tantum adfuiſſe ſacramenta, autumat, *paradiſum & arborem vitae; in doctrina federum vol. 1. part. 3. cap. 2.* §. 18. Verum falſa atque erronea iſti nituntur hypotheſi, ac ſi ſacramentum nihil aliud ſit, quam ſignum ac ſymbolum: a qua ſacramenti notione multum differt ea, quam ad ſacrarum litterarum ductum noſtrates theologi conſtituunt. Ceterum, quod ſpeciatim *ad arborem vitae* attinet, multae de ea extant eruditorum coniecturae, quibus discutiendis nunc non immorabimur. Nobis ſufficit, quod fuerit arbor ſingularis & extraordinaria, vim diuinitus inditam habens, vitam hominis conſeruandi, ne infirmitate vel aetate in deterius rueret. Immortalitas enim in ſtatu integritatis conceſſa equidem homini erat, ſed non abſolute, qualis in altera vita futura, verum cum vſu mediorum ad prorogandam vitam ordinatorum, qualis etiam erat eius de fructu arboris vitae, obſeruante ABRAHAMO CALOVIO, ad *Gen. II*, 9. Simul tamen ſublimioris quoque rei ſignificatio ſubeſſe potuit: vt arbor vitae imaginem exhiberet filii Dei, ſapientiae iſtius hypoſtaticae, qui fons eſt & ſcaturigo omnis vitae, naturalis, ſpiritualis & aeternae. conf. *Prouerb. III, 18. Ioan. I, 4.* Nullum vero eſt dubium, quin certo modo ordineque a Deo praeſcripto fructibus arboris vitae veſci homines debuerint: cumque ad illorum conſeruationem hoc pertinuerit, adeoque ad hoc obſtricti etiam fuerint, hoc quidem ſenſu, arborem vitae inter inſtituta diuina paradiſiaca refero. De *arbore ſcientiae boni & mali*, miſſis coniecturis incertis & inutilibus, pariter arbitror,

dictam

dictam eam ita, quod per eam cognoſcere deberent, bonum eſſe homini, in obſequio & obſeruantia legum diuinarum perſiſtere, malum vero, leges diuinas vel in re minima migrare. Ad explorationem itaque obſequii hominum haecce arbor erat comparata: quo ſenſu & TERTVLLIANVS eleganter oſtendit, ſummam totius decalogi, adeoque omnium legum diuinarum, in ea fuiſſe comprehenſam, *aduerſ. Iudaeos*, *p.* 133. add. & B. IOAN. GERHARDVS, *loc. de lege Dei*, §. 15. Hominum itaque officium fuit, ab eſu fructuum huius arboris ſe abſtinere, & ſuum ita erga Deum comprobare obſequium. Qua quidem ratione & hanc arborem inter inſtituta diuina paradiſiaca recte referri, patet.

§. XXIV.

Feliciſſimus ille integritatis ſtatus, vti notum eſt, non diu admodum durauit, ſucceſſitque in eius locum, per primorum parentum lapſum, ſtatus hominum longe miſerrimus. Cuius quidem miſeriae documenta lucuientiſſima, partim in homine ipſo, partim in iis, quae extra eum ſunt, illumque certa ratione afficiunt, deprehendere licet. Etenim, quod ad prius attinet, ſi qua mentem hominem ſpectes, voluntas eius a Deo plane auerſa eſt, vnione arctiſſima cum Deo, prorſus ſublata, hinc & in locum amoris diuini ſucceſſit philautia praua, fons & radix omnium malorum, & ex ea prauae propenſiones quamplurimae, in crimina foediſſima, turpiſſimaque ſcelera, erupturae; * intellectus non tantum lumine diuino orbatus eſt, ** ſed & multis magniſque imperfectionibus, etiam innaturalibus, laborat, etſi cognoſcere vtcunque poſſit, quaenam, vt felix atque beatus homo ſit, requirantur, & ita in reliquis mentis facultatibus, in quibus cum mente corpus concurrit, ſe res habet, vt alibi ex inſtituto demonſtratur.

* Lucem affundent, quae diximus *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 4. §. 31. *ſeqq.*
** vid. *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 2. §. 7. *ſeqq.*

§. XXV.

Corpus quoque variis incommodis, periculis, morbis, tandemque morti ipſi obnoxium eſt. Et licet nulla via ſit, mortem prorſus euitandi, aut morbos, aliaue corporis mala, plane declinandi, ratio tamen pariter ac experientia docet, & prolongari vitam, & pericula plurima euitari, incommoda varia imminui poſſe, ſi temperantiae ſtudeat homo, adfectibusque imperet, & mediis ad ſui conſeruationem neceſſariis, rite vtatur.

§. XXVI.

Quod ſi porro ea conſideremus, quae extra hominem ſunt, & eius aut felicitatem aut miſeriam, vel augere vel imminuere poſſunt, inter ea primum praecipuumque locum alios homines tenere, animaduertemus. Hoſce enim, ſi pacifice, tranquille, amice, vnico verbo ſocialiter cum iis viuamus, plurimis in rebus nos adiuuare, vitamque tutiorem,

commodiorem, iucundiorem reddere poſſe, conſtat. Rurſus tamen, ſi nos ipſos exploremus, varios in nobis adfectus, & vitia obſeruabimus, quae aliorum a nobis abalienare animos, iram, odium, inuidiam excitare apta ſunt, vnde contentiones, iurgia, caedes, bella, urbium vaſtationes, gentiumque ruinae. Paucis, vt plurima in hac vita nobis adferre poſſunt commoda alii homines, ſi pacifice, amice, ſocialiter cum iis viuamus; ita incommoda longe maxima, grauiſſimaque adferunt, praeſertim ſi eos offendamus.

§. XXVII.

Hancce ergo ſtatus hominum poſt lapſum faciem indolemque, ſi paulo accuratius nobiſcum expendamus, ſummam iuris diuini, ſtatim cognoſcemus. Enimuero, vt externa incommoda, ab aliis hominibus oriunda depellat, & quantum ad hoc attinet, vitam maxime felicem, iucundam, tranquillam reddat homo, hoc ſibi agendum eſſe facile videt, vt ſocialitati, paci cum omnibus ſeruandae, & concordiae ſtudeat, prauosque adfectus hiſce repugnantes, ſubigat, atque coërceat. Vt quae corpori ceteroquin imminent pericula, euitet, morbos effugiat, vitam prolonget, & ab aliis incommodis quam plurimis ſe liberet, ſuarum eſſe partium, vt temperantiae ſtudeat adfectus corporis conſeruationi inimicos compeſcat, nec media, quibus ſe conſeruare poteſt, negligat. Denique, vt mentis tranquillitate, verae felicitati conſulat, hoc vnicum ſupereſſe, vt Deum legitimo cultu proſequatur, hoc eſt, ſupra omnia amet. In eo ſane veram hominis felicitatem, qua mentem, conſiſtere, ex corruptae etiam naturae conſideratione intelligi vtcunque poteſt, quemadmodum & gentilium quidam id intellexerunt philoſophi: ſed ſimul tamen, quo pacto ſumma illa ἀδυναμία Deum recte amandi, adeoque rite colendi, tolli queat, & quae ratio ſit, eum, tot peccatis offenſum, iterum placandi, ** id ex naturae corruptae conſideratione, non intelligitur, adeoque ratio hoc plane ignorat.

* Ad minimum illi, qui Deum ipſum ſummum hominum bonum eſſe exiſtimarunt: quos indicaui ſupra, *part* 1. *cap.* 2. *ſect.* 4. ad §. 85.

** Dictum hac de re a me pluribus, in *animaduerſionibus in Petri Chauuini librum de religione naturali*, *cap.* 1. *in parergis hiſtorico-theolog.* p. 404. *ſeqq.*

§. XXVIII.

Summa igitur iuris diuini, prout ex naturae corruptae, qualis poſt hominum lapſum eſt, conſideratione eluceſcit, huc redit: Deum ſuper omnia eſſe amandum, temperantiae eſſe ſtudendum, corpuſque rite conſeruandum, & denique ſocialitatem colendam. Et haec quoque cum ratio doceat, haecce ius diuinum inueſtigandi methodus, philoſophis

ſophis eſt propria. Longe accuratius tamen, de ſtatu hominum poſt lapſum, de corruptionis profunditate, eiusque cauſſis nos erudit ſcriptura ſacra. Nimirum, ex ea conſtat, omnia mala, quibus homo premitur, inde orta, quod amiſſa imagine diuina, ad quam conditus erat, vnione cum Deo arctiſſima exciderit, nec aliter rebus eius conſuli poſſe, vt felix fiat, quam vt ad vnionem cum Deo, iterum perueniat. Vnde ſumma omnium officiorum, iuxta ea, quae ſcriptura ſacra, de ſtatu hominum poſt lapſum, tradit, eo redibit: ad reſtaurationem vnionis cum Deo, omnibus viribus adſpirandum eſſe. Idque quo pacto fieri queat, & quaenam ad hoc vſurpanda ſint media, itidem ſcriptura ſacra luculenter docet. His ergo ſi recte vtatur homo, oritur inde ſtatus reſtitutionis, de quo deinceps pluribus.

§. XXIX.

Cum vero in omnibus ſtatibus hominum, certa ſint inſtituta, vnde *leges hypotheticae*, de ſtatu quidem poſt lapſum obſeruandum, quaedam inſtituta ex ſtatu integritatis remanſiſſe, quaedam autem ex huius ſtatus conditione acceſſiſſe. Ex ſtatu integritatis reliqua omnia remanſerunt, praeter inſtitutum de *arbore vitae*, itidem *cognitionis boni & mali*. Haec enim, cum homo poſt lapſum ex paradiſo eiectus ſit, locum amplius habere non poſſe, per ſe patet. Sed reliqua manſerunt, cum eorum iſta ſit indoles, vt in ſtatu poſt lapſum locum inueniant.

§. XXX.

Huc primo pertinet *matrimonium*, in ſtatu integritatis equidem inſtitutum, ſed per hominum lapſum, neutiquam ſublatum. Immo eo magis poſt lapſum neceſſarium erat, vt eius ratio ad primam Numinis inſtitutionem, reuocaretur, quo turpius in humani generis propagatione, varii, iique inordinati, & foedi adfectus, ſe prodebant. Idem cenſendum de *ſabbatho*, cum, cur & huius obſeruatio iuxta diuinam inſtitutionem in ſtatu poſt lapſum ceſſare debeat, nulla ratio adferri queat.

§. XXXI.

Sed & facultas vtendi rebus creatis poſt lapſum manſit, immo repetita diſerte fuit tempore Noachi *Gen. II, 9*. An in ſtatu integritatis particularia rerum dominia futura fuiſſent; diſputari equidem ſolet. Quicquid huius ſit, poſt hominum lapſum, neceſſarium prorſus erat, ob prauos praecipue hominum adfectus, vt diſtincta rerum eſſent dominia, ne quibusdam cuncta ad ſe rapientibus, ceteris fame & inopia pereundum eſſet, aut contentiones & bella, in infinitum orirentur. *

* Dicetur hac de re ex inſtituto infra, *cap. 3. ſect. 5. §. 14.*

§. XXXII.

Poſitis autem rerum dominiis, ſequuntur etiam certa rerum pretia, vt per permutationem aliosque contractus, concedendo aliis ſuperflua, ſibi comparare neceſſaria poſſent homines. Et hinc inter inſtituta humana, ſed a Deo adprobata, a nonnullis referuntur, ***dominia*** & ***rerum pretia***, quibus & ***ſermonem*** addunt; ſed quo iure, ſuo loco * docebitur. Ex rerum dominio autem, & *contractus* varii ſequuntur, qui quidem, vt & alia eiusmodi, in ſtatu integritatis non videntur locum habuiſſe. Vnde haec omnia ad inſtituta refero, poſt lapſum ab hominibus introducta, ſed ad humani tamen generis ſalutem, ac conſeruationem neceſſaria, ideoque & a Deo adprobata. Non tantum enim ipſa ratio docet, Deum velle adprobare, quae ad hominum pertinent ſalutem, & conſeruationem, ſed ſcriptura quoque ſacra idem confirmat quam luculentiſſime, vt itidem ſuo loco demonſtrabitur.

* *cap. 3. ſect. 5. §. 2.*

§. XXXIII.

Sed praeter matrimonialem ſtatum in ſtatu integritatis inſtitutum, & inde fluentem, paternum, poſt lapſum etiam acceſſerunt ſtatus *herilis & ciuilis.** Imperium enim eiusmodi, quale in ſtatu tum herili, tum ciuili conſpicitur, & cum ſumma hominum inaequalitate coniunctum eſt, videtur perfectioni & felicitati ſtatus integritatis prorſus repugnare. Seruitus ſane propter quorundam hominum indigentiam introducta fuit. Ciuile autem imperium hodie neceſſarium eſt, ut qui in unam ſocietatem coaluerunt, vt ſe contra vim aliorum defenderent, contineri in obſequio queant. Quae omnia quantopere a ſtatu integritatis diſſideant, vel me non monente, quilibet intelligit. Interim quod de rerum dominio, & inſtitutis reliquis eo pertinentibus, dixi, de hiſce ſtatibus pariter obſeruandum, licet ob hominum indigentiam ad illorum conſeruationem ab ipſis hominibus inſtituti ſint, factum tamen hocce eſſe adprobante Numine. Vnde & quo pacto, haecce inſtituta omnia *diuina* dici queant, patet.

* conf. quae dicentur infra, *cap. 3. ſect. 6. §. 33. ſeqq. & ſect. 7. per integr.*

§. XXXIV.

Supereſt *ſtatus reſtitutionis*, vt quo pacto inde quoque leges diuinae inueſtigari queant, oſtendamus. Vbi iterum tum ad ipſam hominum naturam, tum ad certa inſtituta, quibus leges hypotheticae innituntur, reſpiciendum eſt. Nimirum, quod ad naturam humanam attinet, conſtat ex ſcriptura ſacra, ſi homo mediis a Deo praeſcriptis rite vtatur, per fidem in Chriſtum imaginis diuinae reſtaurationem inchoari,

choari, in qua vt magis magisque proficiat, tota vita illi laborandum eſt, *Epheſ. IV, 22. 24. Coloſſ. III, 10.* Cumque homo imagine diuina praeditus, arctiſſime cum Deo vnitus fuerit, & per fidem in Chriſtum haecce vnio itidem iterum incipiat, vt ea continuetur, augeaturue, hoc eſt, vt magis magisque cum Deo vniantur, & ita ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν transformentur, illis annitendum eſt. *2 Cor. III, 18.* conf. *Ioan. XVII, 20. 21. ſeqq.*

§. XXXV.

Interim quantumuis homines regeniti, omnem in eo adhibeant diligentiam, multis tamen magnisque circumſepti manent imbecillitatibus ac imperfectionibus, tum in ſupranaturalibus, tum in naturalibus, qua mentem pariter ac corporis conſtitutionem.

§. XXXVI.

Etenim intellectus, etſi illuminatus ſit, nunquam tamen tantá in ſpiritualibus praeditus eſt cognitione, vt non ignorantiae & errorum quaedam dentur veſtigia; ſapientiae quoque licet apud quosdam maior, apud alios minor gradus detur, apud neminem tamen tam perfecta eſt, vt omnibus numeris abſoluta cenſeri debeat. In naturalibus, etſi induſtria & exercitatione, defectus & imbecillitates interdum inſigniter imminuantur, tolli tamen penitus nequeunt. Sic & voluntas, ad Deum equidem iterum conuerſa eſt, ſed ita, vt contra repullulantes philautiae prauae adfectus, ſubinde* ſit dimicandum, & ita in reliquis mentis facultatibus ſe res habet, quarum nulla in hacce vita tam perfecte reſtituitur, vt non naeuos ac defectus quamplurimos in iis deprehendere liceat.

* Repetenda hic, quae diximus de imperfectionibus ac infirmitatibus regenitorum, *part. 1. cap. 2.*

§. XXXVII.

Corpus itidem, variis periculis, morbis atque incommodis obnoxium eſt. Et licet prauos & inordinatos eius motus, temperantia ac ſobrietate ſtrenue compeſcant, *1 Cor. IX, 27.* & reliquis etiam mediis, quae ad corporis mentisque conſeruationem conducunt, caute & prudenter vtantur, neutiquam tamen incommoda aut pericula quaevis euitare poſſunt, etiam ea, quae quandoque euitare forte potuiſſent, ſi maiorem & hic adhibuiſſent ſollicitudinem. Mors autem neceſſario ſubeunda, licet non tantum temperantia, ſobrietate, aliisque cauſſis, ſed precibus etiam, ex ſingulari Numinis gratia, vitae prolongationem impetrare queant.

§. XXXVIII.

Quod ad externa incommoda, quae ab aliis hominibus nobis imminent, attinet, operam ſane nauant, ne quenquam temere laedant, ſed pacem

pacem ſeruent cum omnibus, *Rom. XII, 18. Ebr. XII, 4.* immo vt inimicos etiam diligant, *Matth. V, 44. 1 Petr. III, 9.* vix tamen tam caute ſe gerere poſſunt, vt non ſaltem per imprudentiam, alios laedant, eorumque ſibi attrahant odium. Sunt tamen & aliam ob cauſſam aliorum odio expoſiti, quia mundo huic nuntium miſerunt, hinc mundus eos non diligit. *Ioan. XV, 19.*

§. XXXIX.

Haec omnia ſi nobiscum expendamus, patet, veram hominis regeniti felicitatem requirere, vt cum Deo arctiſſime coniunctus ſit & maneat, immo magis magisque cum eo vniatur; hinc porro, vt Deum ſincere, & toto corde ſupra omnia amet, & ita magis magisque transformetur, ad imaginem eius, a quo eſt conditus. Imitari itaque Deum etiam debet, qua ſummam eius ſanctitatem, vt hac quoque in re imago Numinis in eo reſtauretur, vt & qua amorem, quo Deus tum res a ſe conditas reliquas, tum ſpeciatim homines, complectitur. Summa enim perfectionum moralium, quas in Deo cognoſcimus, in ſanctitate & amore conſiſtit. Sanctitas eſt, qua ſeipſum ita amat, vt omne quod vitium aut imperfectionem inuoluit, remotum cupiat. Amor autem rerum creatarum, ſpeciatim hominum, dum illis bene cupit, & cuncta, quae ad illorum ſalutem & conſeruationem pertinent, benigne largitur.

§. XL.

Summa itaque iuris diuini, ex hactenus dictis, ſi homo ſecundum ſtatum reſtitutionis conſideretur, reſultans, haec erit; vnionem cum Deo, & hinc reſtaurationem imaginis diuinae in nobis, eiusque continuationem, & augmentum ſummo ſtudio quaerendam: adeoque *diligendum eſſe Deum tota anima, toto corde, tota mente, Matth. XXII, 37.* Hoc enim non facere nequit, qui cum Deo vnitus eſt, & vnionis huius continuationem, & augmentum quaerit. Praeterea, imitandum quoque eum eſſe, tum qua ſanctitatem, *1 Petr. I, 15. 16.* tum qua amorem aliorum hominum, *Matth. XXII, 39.* Illud enim ſi faciamus, quae ex corporis etiam conditione adhaerent incommoda magis magisque imminuemus, & conſeruationi noſtrae, qua corpus, qua mentem, recte conſulemus. Hoc ſi nobis iniunctum credamus, rite & vt decet nos geremus erga alios, & praeſtabimus illis ea, ad quae obſtricti ſumus.

§. XLI.

Et ita quidem patet, quo pacto ex vnione cum Deo, & reſtauratione imaginis diuinae, ſtudioque eam augendi & continuandi, commode officia hominis chriſtiani, erga Deum, ſeipſum & alios deriuari poſſint. Patet etiam, quod ratio ius diuinum iuxta ſtatum reſtitutionis, conſiderandi

derandi, conueniat fere cum ratione idem ex ſtatu integritatis inueſtigandi: immo, quod eadem iuris diuini ſumma reſultet, iuxta quemcunque ſtatum naturam hominis conſideres, hoc ſaltem diſcrimine, quod in ſtatu corruptionis ſi conſideretur homo, amoris erga Deum, temperantiae, ſeu ſanctitatis, & charitatis, quaedam velut vmbra ſaltem exhibeatur, cum longe perfectius, profundius, & accuratius ex ſtatu integritatis & reſtitutionis haec elucеſcant. Inter ſtatum integritatis & reſtitutionis hoc intercedit diſcrimen, quod in illo perfectio & felicitas hominis exhibeatur, qualem tum reuera obtinuit, in hoc autem, ad quam adſpirat, & quam poſt hanc demum vitam pleniſſime obtinebit.

§. XLII.

De *amore* ergo *Numinis* cum hic ſermo eſt, ſummus & intimus ſignificatur; qui totam animam & omnes eius facultates occupet. Sic & *ſanctitas* ea intelligitur, * qua omne illud, quod vlla ratione labem nobis adſpergere poterat, ſtudioque mentem & corpus conſeruandi repugnat, fugimus. Quemadmodum & *charitatem* ſeu *amorem aliorum* eiusmodi innuimus, qui & opere ipſo ſe prodit, & adfectus puriſſimus eſt, ſinceriſſimusque. *1 Tim. I, 3.* Et haec quidem omnia, cum lege diuina a nobis exigantur, manifeſtum eſt, quod omnia, quae his aduerſantur, eadem prohibeantur, omnia non tantum dicta facta, ſed cogitata, adfectus, motus: paucis, omnis concupiſcentia praua, ſiue actualis ea ſit, ſiue habitualis. Atque hoc ſemel hic monuiſſe ſufficiat, ne cum ad ſingulorum officiorum explicationem deſcenderimus, illud a nobis ſaepius repetendum ſit.

* Summam officiorum hominis erga ſeipſum, alias voce *temperantiae* complexi ſumus; in *element. philoſ. p. act. cap. 4. ſect.* 1. §. 37. alibique. conf. & quae diximus *part. 1. cap. 1. ſect. 4.* §. 139. Nec inſolens, vt temperantiae vox in ſignificatione generaliori accipiatur, vt non tantum moderationem circa voluptates corporis denotet, ſed circa omnia ea, quae ad hominis conſeruationem, aut deſtructionem, faciunt. Quo ſenſu CICERO *lib. 1. de finib. temperantiam*, dicit, *quae in rebus aut expetendis, aut fugiendis, vt rationem ſequamur, monet.* Reſpondet fere Graeca vox σωφροσύνη. Ἐμφατικωτέρως tamen eadem voce *ſanctitatis* exprimi poteſt, vt ſtudium ſimul imitandi ſanctitatem Numinis, inſinuetur. Et licet vox ſanctitatis generatim ita accipiatur, vt omnia hominis officia ſub ſe complectatur, vti dictum *part. 1. cap. 3.* §. 2. nihil tamen obſtat, quo minus & ſpecialius ſumatur pro ea virtute, quae officia hominis erga ſeipſum complectitur, praeſertim, cum ita ſpecialiori quadam ratione reſpondeat notioni *ſanctitatis*, quae Deo tribuitur.

§. XLIII.

Sed nunc de inſtitutis quoque, quorum in ſtatu reſtitutionis habenda ratio, aliquid dicendum eſt. Haec eadem fere ſunt, quae in ſtatu poſt lapſum iam commemorauimus, niſi quod quaedam iuxta

Digitized by Google

diuerſas oeconomias federis gratiae acceſſerint, & circa ea quae iam ceteroquin adſint, aliter ſe gerant homines regeniti, quam irregeniti.

§. XLIV.

Quod ad illa attinet, quae iam adſunt, & velut in ſtatu reſtitutionis ſupponuntur, ea vel immediate a Deo originem habent, vel mediate, vt tamen a Deo ſint adprobata. Ad priorem claſſem pertinent *ſabbathum* & *matrimonium*. Et ſabbathum quidem, quo pacto in ſtatu integritatis fuerit inſtitutum nec abrogatum in ſtatu poſt lapſum, iam diximus. Idem porro ſtatui reſtitutionis prorſus eſt conueniens, cum die certo, a Deo definito, ceſſare a reliquis operibus, & de reſtauratione imaginis diuinae ſerio cogitare, vtile valde ſit & ſalutare. A patriarchis itaque, virisque ſanctis ante Moſen quin religioſe obſeruatum ſit, non eſt quod dubitemus. Per Moſen autem, iuſſu Numinis, indoli & ſtatui gentis Iſraeliticae fuit attemperatum: donec ceſſante & hacce federis gratiae oeconomia, in locum diei ſeptimae, prima, ſeu dies dominica, ſubſtitueretur. Qua de re ſuo loco * ex inſtituto dicemus.

* *cap. 3. ſect. 2. §. 33. ſeqq.*

§. XLV.

Matrimonium itidem ad exemplum primaeuae inſtitutionis a regenitis ineundum eſt, docente ſeruatore ipſo, *Matth. XIX, 48.* Paulus praeterea nos condocuit, contineri in eo imaginem coniunctionis inter Chriſtum & fideles, *Epheſ. V, 32.* ſed hac de re itidem ſuo loco * plura.

* *cap. 3. ſect. 6. §. 1. ſeqq.*

§. XLVI.

Ad poſteriorem claſſem pertinent *dominia* & *pretia* rerum, cum *contractibus*, & reliquis eodem ſpectantibus, itemque ſtatus *berilis* atque *ſeruilis*. Enimuero, licet haecce inſtituta propter hominum indigentiam introducta ſint, & in ſtatu integritatis locum non habuerint, rectiſſime tamen vel apud illos, qui in ſtatu reſtitutionis ſunt, retinentur, ſed ita, vt omnes abuſus, qui inſtitutis hiſce adhaerent, ſedulo euitentur. Etſi enim in credentibus reſtauratio imaginis diuinae inchoetur, per eam tamen minime in eum ſtatum perducuntur, vt hiſce inſtitutis carere queant. Accedit, quod regeniti, aliis hominibus intermixti viuant, adeoque, ſi non propter ſeipſos, certe propter eos, quibuſcum varia illis commercia intercedunt, inſtitutis hiſce neutiquam carere poſſent. Vnde mera cerebri ſui figmenta ſecuti ſunt, qui apud chriſtianos hiſce inſtitutis locum eſſe non poſſe, nec debere, ſibi perperam, & incaute perſuaſerunt. *

* & hoc vlterius comprobabitur, *cap. 3. ſect. 5.*

§. XLVII.

Sed praeter haecce inſtituta, in ſtatu reſtitutionis, alia adhuc acceſſere, quorum quaedam oeconomiae federis gratiae in veteri, alia eidem in nouo teſtamento ſunt propria. Ad priorem claſſem praeter alia pertinent ſacramenta veteris teſtamenti, *circumciſio*, *& agnus paſchalis*. Ad poſteriorem, ſacramenta noui teſtamenti, *baptiſmus*, *& ſacra coena*, itemque *miniſterium eccleſiaſticum*, * a Chriſto ipſo, ad verbum diuinum docendum, & ſacramenta legitime adminiſtranda, inſtitutum.

* conf. quae dicentur infra, *cap.* 3. *ſect.* 2. §. 37. it. *ſect.* 8. *per integr.*

§. XLVIII.

Inſtituti cuiusdam haec eſt ratio, vt per illud hominibus beneficium aliquod conferatur. Id eundo per omnia, quae hactenus enumerauimus, inſtitutorum exempla, comprobari poteſt. Vnde patet, quodnam inter *inſtitutum & legem*, intercedat diſcrimen. Namque vt alia taceam, per inſtitutum, vt diximus, beneficium aliquod confertur illis, in quorum gratiam inſtitutum eſt, cum tamen lex, proprie ſpectata, directe eo non tendat, vt conferat beneficium, ſed vt exigat obſequium. Praeterea, inſtitutum aliquod non neceſſario ſupponit facultatem legislatoriam, cum per eos etiam, qui inter ſe ſunt aequales, per pacta & conſenſum produci poſſit, cum lex contra ſine legislatore concipi nequeat. Et licet haecce inſtituta a Deo, aut introducta, aut adprobata ſint, non tamen hoc fecit, ſpectatus vt legislator, ſed vt benignus pater, qui ſingulari erga homines amore ductus, hac ratione ſaluti illorum, aeternae ac temporali, conſultum voluit.

§. XLIX.

Interim tamen inſtitutum aliquod, a ſummo imperante, ſpeciatim Deo, introductum, aut adprobatum, eſt inſtar legis. Habet ſcilicet obligationem, non per ſe, quatenus inſtitutum eſt, ſed ex lege, quae accedit, aut quae interdum diſerte adiicitur. Nimirum, ſi etiam leges ſpeciales adiectae non ſint, obligantur tamen homines ad inſtituta iſta obſeruanda ex lege hacce generali: quaecunque ad ſingulorum hominum pariter ac humani generis ſalutem & conſeruationem faciunt, praeſertim ſi ab ipſo Deo hunc in finem inſtituta & adprobata ſunt, ea ſunt facienda, omittenda contra, quae iis repugnant.

§. L.

Ex hocce vniuerſali iuris diuini principio omnibus natura noto, ſua ſponte ſequitur, omnibus hominibus incumbere, vt vniuerſalia eiusmodi inſtituta obſeruent. Nemo enim eſt, cuius felicitatem

internam & externam Deus ſerio non cupiat, velitque vt media ad eam obtinendam praeſcripta vſurpet. Omnes itaque & ſinguli, ad hoc obligati ſunt, vt in omnibus, quae ad eſſentiam inſtituti iſtius pertinent, ſe ad voluntatem Numinis componant. Sapientiſſimae enim Deo fuere, rationes, cur inſtitutum aliquod hoc vel illo modo voluerit eſſe comparatum. Homini ergo non licet quidquam mutare, aut ipſum inſtitutum mutilare. * Sic ſacramentis, non pro lubitu noſtro, vti licet, ſed eo modo, quo Deus ea inſtituit, ea vſurpanda ſunt, cum modus & ratio inſtitutionis, modum etiam & rationem ea adminiſtrandi, nobis patefaciat.

* Hoc praeſertim contra pontificios notandum.

§. LI.

Ex dictis vero nunc luculenter patet, quod & ſupra obſeruauimus, non alias quam naturales, chriſtianos obligare leges. Quae enim ſpecialiori ratione a chriſtianis exigi videntur, partim ad inſtituta hactenus explicata, pertinent, partim in naturalibus, ſed ſecundum ſtatum naturae integrae & reſtitutae conſideratis, continentur. Interim leges illas naturales, quae nullum inſtitutum ſupponunt, *abſolutas*, quae vero aliquod ſupponunt, *hypotheticas* vocare liceat. Si enim inſtitutum eiusmodi non eſſet, obligatio quoque illarum ceſſaret.

§. LII.

Denique & hocce addendum, licet inſtituta haecce diuina generatim ad hominum felicitatem tendant, quaedam tamen magis ad internam vnionem cum Deo, & diuinae imaginis in hominibus reſtaurationem ſpectare, quaedam autem ad huius vitae felicitatem conſeruandam, aut promouendam, praecipue pertinere. Et hinc ſumma legum hypotheticarum huc redibit: inſtitutis diuinis iuxta praeſcriptum Numinis ſancte vtendum, vt tum interna hominum felicitas, vnio cum Deo, & reſtauratio imaginis diuinae in hominibus, tum externa, per ea promoueatur, nec per illorum, quae ad felicitatem externam ſpectant abuſum, felicitati internae obſtaculum aliquod ponatur.

§. LIII.

Ceterum, qui leges diuinas ſecundum rationis ductum conſiderant, ita procedere ſolent, vt ex naturae humanae, ſed in ſtatu corruptionis ſpectatae (namque ſtatum integritatis & reſtitutionis philoſophia ignorat) contemplatione, vniuerſale aliquod principium forment, ex quo omnes iuris diuini concluſiones ordine deriuent. Cumque in humanae naturae conſideratione varii ſe offerant conceptus, principiis eiusmodi formandis inſeruientes, mirum non eſt, in

diuer-

diuerſas philoſophos hic ire ſententias, variasque inde & maximam partem inutiles enatas eſſe diſceptationes. * In theologia iſto equidem ſuperſedere poteramus labore, cum concluſiones iuris diuini, ſi non omnes, certe pleraeque immediate ex ſcriptura ſacra probari poſſint, aut ſi non immediate & directe, certe per legitimam conſequentiam, ex luculentiſſimis oraculis, facili negotio deducendam. Et haec quidem concluſiones iuris diuini probandi ratio vt ſimplicior, ita omnium captui eſt accommodata. **

* Notae ſunt variae eruditorum virorum hac de re ſententiae, quos inter ſine omni neceſſitate acriter de primo iuris naturae principio, noſtra aetate diſputatum fuit. Qui cum IO. SELDENO, *lib. de iur. nat. & gent. cap.* 10. ſeptem Noachidarum praecepta huc aduocant, audiendi prorſus non ſunt, cum de propoſitione quadam vniuerſali, & adaequata, quaeſtio ſit, ex qua concluſiones iuris naturalia commode deriuari queant. Pari ratione, qui voluntatem diuinam pro principio iuris naturalis venditant, principium cognoſcendi a cauſſa, quam vocant, efficiente non diſcernunt, & alia iterum principia aduocare neceſſe habent, ex quibus voluntas diuina cognoſcatur. Dictum ea de re in *hiſtor. iur. nat.* §. 47. EPICVRI ſententia, in ſola vtilitate principium iuris naturae ponentis, iam paſſim profligata eſt, etiam ab AVGVSTINO, de *doct. chriſt. lib.* 3. *cap.* 14. Hoc enim reuera eſt ius naturae tollere: quod & de THOMA HOBBESIO, in propriae ſalutis ſtudio iuris naturalis principium collocante, cenſendum de *ciue cap.* 1. §. 7. & *in Leuiath. cap.* 14. Propriae ſalutis ſtudium, prout eſt in hominibus prauorum adfectuum ductum ſequentibus, quales natura omnes ſunt, niſi alio quodam principio dirigatur, non poteſt non noxia quaeuis ſuadere. Interim ipſum EPICVRVM defendit, quantum poteſt, more ſuo PETRVS GASSENDVS, in *ſyntagm. philoſ. Epic. p.* 1527. Sunt porro, qui in actibus, quos bruta & homines communiter appetunt aut aduerſantur, naturalis iuris principium ſibi inueniſſe viſi ſunt; vid. GVIL. GROTIVS, *enchirid. cap.* 2. §. 17. quod alii in cultu diuino, cum IO. IOACHIMO ZENTGRAFIO, de *orig. iur. natur. artic.* 5. §. 9. & *ſeqq.* alii in amore Dei & hominis, cum HVGONE DE ROY, *de eo, quod iuſtum eſt, lib.* 1. *tit.* 3. §. 5. alii in conformatione creaturae rationalis cum creatore, collocant. In ſocialitate iſtud ponit SAMVEL PVFENDORFIVS, qui aliorum ſententias ſub examen reuocat, in *ſpicileg. controuerſ. p.* 38. *ſeqq.* Quo pacto nonnullae ex allatis ſententiis inter ſe conciliari queant, oſtendere annititur KVLPISIVS, in *colleg. Grot. exercit.* 1. §. 6. Quid in PVFENDORFII ſententia viri docti deſiderent, notum eſt. Officia erga alios commode inde deriuari poſſunt, non aeque officia erga Deum, aut hominis erga ſeipſum. Rectius HVGO GROTIVS ſocietatis cuſtodiam pro fonte ſeu principio iuris naturalis aſſumpſit, in *prolegom. de iur. belli & pacis*, §. 8. quippe, qui inde ſaltem officia hominis erga alios, aut gentium potius erga gentes, deriuauit. Quae noſtra hac de re ſit ſententia, patet ex *element. philoſ. pract. part.* 2. *cap.* 4. §. 22. *ſeqq.* Tota autem haecce non adeo magni momenti eſt controuerſia, ſi ab iis diſcedas, qui eiusmodi principia ponunt, per quae ius naturae tantum non tollitur, ac plane euertitur. Ceteroquin enim contingere poteſt, vt, cum varia ratione, varioque reſpectu natura hominum conſiderari queat, varia hinc quoque reſultent principia, quae aeque equidem vera ſint, licet vnum ſit euidentius altero, vnum magis adaequatum, quam alterum. Hinc eo tandem maximam partem iſtae quaeſtiones redeunt, an hoc aut illud principium ſit ſatis euidens? an ſit adaequatum? quod ex Logicorum praeceptis eſt definiendum. Maximopere itaque etiam errant, qui ex diuerſis iſtis virorum doctorum de principio iuris naturalis ſententiis, incertitudinem iuris naturalis colligere voluerunt, quaſi non de euidentia potius, aut aliis requiſitis, quam de veritate iſtorum principiorum diſputatum fuiſſet.

** vid. quae dicta ſunt ſupra, §. 16. & 17. hujus capitis.

§. LIV.

Interim nihil tandem obſtat, quo minus & hic ad ſcripturae ſacrae ductum, ex humanae naturae, in ſtatu integritatis & reſtitutionis ſpectatae, conſideratione, primum aliquod iuris diuini principium ſtatuamus, ex quo omnes & ſingulae concluſiones ordine deriuentur. Haec enim demonſtrandi ratio, quod aliquid ſit iuris diuini, commode cum priori coniungi poteſt. Vbi quae ceteroquin philoſophi de primo principio, eiusque requiſitis monere ſolent, * itidem ſunt obſeruanda, niſi quod principium theologicum ſcripturam pro fundamento habeat, quae ſola de ſtatu integritatis & reſtitutionis nos informat, vt philoſophicum ex ratione procedit.

* Scilicet, quod debeat eſſe verum, euidens & adaequatum. vid. *element. philoſ. pract. part.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 1. §. 13. Quae omnia ad principium etiam theologicum requiruntur, niſi quod hic non tam adeſſe debeat euidentia obiecti, vt in philoſophicis, quam euidentia teſtimonii, hoc eſt, vt clare & euidenter hoc principium in ſcriptura ſacra contineatur.

§. LV.

Ex iis vero, quae ſupra de humanae naturae in diuerſis ſtatibus conſideratione, diximus, manifeſtum eſt, quoad leges abſolutas, non aliud poſſe iuxta lumen reuelationis, conſtitui iuris diuini principium, quam hocce: quaecunque vt homo in vnione cum Deo permaneat, & adeo in reſtauratione imaginis diuinae proficiat, requiruntur, facienda, quae vero eidem repugnant, omittenda ſunt. Veritas & euidentia (teſtimonii, ex ſcriptura ſacra petiti) ex dictis elueeſcit. Idem vero principium, quod adaequatum ſit, per inductionem omnium ac ſingularum concluſionum demonſtrari poteſt.

§. LVI.

Cum vero triplex legum diuinarum obiectum perſonale ſit, * aliaeque praecipiant, quid immediate erga Deum praeſtare debeamus, aliae, quo pacto erga nos ipſos, & aliae denique, quo pacto erga alios nos gerere debeamus, vt vbique in vnione cum Deo & imaginis diuinae reſtauratione proficiamus, tria hinc oriuntur principia ſubordinata: Deum ſupra omnia toto corde, totaque anima eſſe amandum: ſanctitati ad exemplum Dei eſſe ſtudendum; homines alios ſincere & ſine fuco, eſſe diligendos. Paucis, cum Paulo dicere poſſes, viuendum eſſe, *ἐυσεβῶς*, *σωφρόνως*, *καὶ δικαίως*, *Tit. II*, 12. Veritas ex dictis patet. Quod adaequata ſint, res ipſa, & noſtra docebit tractatio.

* Sunt nonnulli, qui obiectis hiſce perſonalibus bruta, & angelos iungunt, & peculiaria erga eos officia conſtituunt. E iureconſultis, quod ad bruta attinet, in ea verſatur opinione IO. SCHILTERVS, in *manuduct. philoſ. mor. ad iurisprud. cap.* 1. *p.* 34. & ex theologis IVSTVS CHRISTOPHORVS SCHOMERVS, qui in *theol. mor. cap.* 18. ex inſtituto de officio

officio erga bruta agit. Verum id ſine neceſſitate, aut vlla praegnanti cauſſa fieri, arbitror. Quae enim circa bruta commemorantur peccata, vt crudelitas, immiſericordia, amor nimius, & reliqua, peſſimos hominis indicant adfectus. Adfectus itaque ſuos ſi compeſcere homo, & in ordinem redigere didicerit, circa rerum creatarum omnium etiam vſum ita, vt decet, verſabitur, nec circa bruta, quidquam, quod reprehenſione dignum, committet. Vnde ad officia hominis erga ſeipſum haec commode reuocari poſſunt. Locus *Rom. VIII*, 22. noſtrae adeo non obſtat ſententiae, vt eandem potius confirmet. Eſto enim, per κτίσιν ibi intelligi cum reliquis rebus creatis praecipue bruta, quamuis variae eruditorum hac de re extent ſententiae, nihil aliud tamen ibi agit apoſtolus, quam vt impietatem peſſimosque adfectus hominum, rebus creatis abutentium redarguat, cumque in finem, vt eorum malitiam exaggeret, ſenſum quendam iniuriae brutis tribuere videtur. Ceterum, cum in venationibus etiam, quae delectationis cauſſa inſtituuntur, prauus eiusmodi & inordinatus adfectus conſpiciatur, dum in ipſa crudelitate delectatio quaeritur, quid de illis cenſendum ſit, facile intelligitur. Quod ad angelos attinet, & quidem bonos, cum ſint miniſtri Dei, per quos Deus hominibus varia beneficia praeſtat, quaenam noſtra erga eos ſint officia, patet. Nec tamen vt peculiaris ideo claſſis officiorum erga angelos conſtituatur, neceſſe eſſe videtur, cum ex officiis erga Deum, ea, quae angelis ceu Dei miniſtris, praeſtanda ſint, commode deriuari queant. IVSTVS CHRISTOPHORVS SCHOMERVS, etiam *cap. 19. theologiae ſuae moralis*, agit de officio noſtro reſpectu diaboli. Sed cum ſumma iſtorum officiorum in eo conſiſtat, vt contra diabolum ceu hoſtem noſtrum acerrimum ſtrenue pugnemus, eiusque inſidias ſolerter euitemus, idque noſtrae ſalutis ratio exigat, patet, hoc fluere ex officiis hominis erga ſeipſum. Reliqua autem, quae ibidem SCHOMERVS adfert, alibi attinguntur.

§. LVII.

Legum, quas ſupra hypotheticas vocauimus, haec eſt indoles, vt ex communi aliquo & vniuerſali principio deriuari nequeant. Inſtituta enim diuina pariter ac humana, cum natura hominis nexum neceſſarium non habent, ſed a libera inſtituentium dependent voluntate. Hinc ex ipſa cuiusque inſtituti indole, officia hominum, quae circa illa verſantur, deriuanda. Obligatio autem, quae nos obſtringit, vt inſtitutis iſtis, ea qua decet ratione vtamur, ex communi iſto, ſupra * iam a nobis deſignato iuris diuini principio, prouenit.

* §. 48. 49.

CAPITIS TERTII
DE
LEGIBVS DIVINIS IN SPECIE
SECTIO I.
DE OFFICIIS HOMINVM ERGA DEVM,
SPECIATIM DE CVLTV DEI INTERNO.

Σύνοψις.

Dicendorum ordo, §. *I.*
Amor ſeu cultus Dei praeſupponit eius agnitionem, quae paucis deſcribitur, §. *II.*
Agnitio haec, ſi recte ſe habere debeat, neceſſe eſt, vt ſit explicata, §. *III.*
vera quoque, viua, & efficax, §. *IV.*

itemque

itemque ſufficiens, §. *V*.
Obiectum huius agnitionis eſſe Deum, qua eſſentiam, attributa, opera & voluntatem, ſpectatum, §. *VI*.
Deum eſſe in eſſentia vnum, ſed trinum in perſonis, §. *VII*.
Attributa Dei ſunt vel naturalia, vel moralia, §. *VIII*.
Quaenam ad vtramque claſſem pertineant, §. *IX*.
Opera diuina, partim in regno naturae, partim in regno gratiae conſpiciuntur, §. *X*.
Voluntas Dei tum ex lege, tum ex euangelio cognoſcitur, §. *XI*.
Agnitio Dei, hactenus delineata, ex ſcriptura ſacra eſt haurienda, §. *XII*.
Ad eam acquirendam & augendam, lege diuina obligati ſumus: quod cum aliunde, tum ex primo maxime probatur iuris diuini principio, §. *XIII*.
item ex primo decalogi praecepto, aliisque ſcripturae dictis, §. *XIV*.
Obligati ad hoc ſunt non tantum clerici, ſed omnes omnino homines, §. *XV*.
Peccant mortales contra hanc legem multiplici ratione, ſpeciatim per ignorantiam, §. *XVI*.
Item, ſi quis implicitam notitiam ſufficere putet: vt & per errores, quorum alii circa ipſum cognoſcendi principium, alii circa dogmata hinc deriuata, verſantur; quinam ad priorem claſſem pertineant? §. *XVII*.
quinam ad poſteriorem? §. *XVIII*.
Speciatim errores praecipui indicantur circa Numinis eſſentiam & attributa, §. *XIX*.
circa opera eius, in regno naturae & gratiae, §. *XX*.
circa voluntatem, tum legalem, tum euangelicam, §. *XXI*.
Peccatur porro contra haecce legem per ſcepticiſmum, §. *XXII*.
& nimiam curioſitatem in rebus diuinis, §. *XXIII*.
Ipſe cultus Dei, & quidem internus, conſiſtit in amore Dei, §. *XXIV*.
Cultus interni nomine quid nobis veniat? §. *XXV*.
Vox cultus, interdum late accipitur, vt agnitionem etiam Dei complectatur. vocatur alias & adoratio, quae tamen, voce ſpecialius accepta, a cultu generatim ſpectato, differt, §. *XXVI*.
Obiectum cultus diuini vnicum eſt verus Deus, §. *XXVII*.
& quidem tota ſacroſancta trinitas, §. *XXVIII*.
etiam humana Chriſti natura, §. *XXIX*.
quod probatur, §. XXX.
Spiritus ſanctus itidem pertinet ad obiectum cultus diuini, §. *XXXI*.
cultus Dei internus pro diuerſis amoris ſpeciebus, diuerſis abſoluitur partibus, §. *XXXII*.
quod vlterius explicatur, §. *XXXIII*.
Quod fides ſpecialis in Chriſtum, ſpecialiori quadam ratione, ad cultum Numinis internum pertineat, §. *XXXIV*.
Inter partes cultus interni, ſpeciatim conſiderandas, primo ſe offert amor Dei ſpecialis, qui deſcribitur, §. *XXXV*.
Cur dicatur adfectus? §. *XXXVI*.
eſt amor concupiſcentiae, §. *XXXVII*.
fundamentum huius amoris, §. *XXXVIII*.
effectus eius, §. *XXXIX*.
Quod ad eiusmodi amorem lege diuina obligati ſimus, probatur, §. *XL*.
Altera pars cultus interni eſt reuerentia ſeu timor Dei: qui deſcribitur, §. *XLI*.
Quo pacto vox timoris hoc loco accipiatur, §. *XLII*.
non intelligi hic metum ſeruilem, ſed timorem filialem, §. *XLIII*.
fundamentum huius timoris, §. *XLIV*.
longe rectius ex ſcriptura hoc intelligitur, quam ex ratione, §. *XLV*.
Effectus huius timoris, §. *XLVI*.
Deum ita timendum eſſe, probatur, §. *XLVII*.
De ſpe & fiducia in Deo collocanda, §. *XLVIII*.
Quare ſpes & fiducia hic coniungantur, §. *XLIX*.
fundamentum ſpei, §. *L*.
obiectum eius ſpeciale, §. *LI*.
Fundamentum fiduciae, §. *LII*.
Quod lege diuina ad ſpem pariter ac fiduciam obligati ſimus, probatur, §. *LIII*.
Obedientia erga Deum, quae itidem cultus interni partem conſtituit, quid ſit? §. *LIV*.
quo pacto interna obedientia ab externa differat, §. *LV*.

fundamen-

fundamentum obedientiae, §. *LVI.*

Oritur inde non tantum obſequium, ſed & obſequii promptitudo, §. *LVII.*

Quae obedientiae in regenitis quoad ſtatum euangelicum ſit ratio, §. *LVIII.*

Non tantum in externis, ſed & internis actibus, conſiſtit, tum quoad agenda, tum quoad intermittenda, §. *LIX.*

Ad obedientiam iſtam hominem obligatum eſſe, probatur, §. *LX.*

Quid ſit inuocatio Dei mentalis, item gratiarum actio mentalis, §. *LXI.*

Vtraque ad cultum Numinis pertinet, & eſt amoris quaedam modificatio, §. *LXII.*

Determinatur namque amor Dei in inuocatione, per conſiderationem indigentiae, tum noſtrae, tum alienae, §. *LXIII.*

quoad bona tum temporalia, tum ſpiritualia, §. *LXIV.*

Inuocationis mentalis ratio formalis, ac fundamentum, §. *LXV.*

Quae a Deo expetimus, certo ordine, & ſecundum voluntatem eius expetenda ſunt, §. *LXVI.*

Quid per gratiarum actionem hic intelligatur, §. *LXVII.*

eſt & ea amoris certa ratione determinati, ſpecies, §. *LXVIII.*

fundamentum gratiarum actionis, §. *LXIX.*

Concurrit in ea intellectus, proprie tamen pertinet ad voluntatem, §. *LXX.*

Quod lege diuina, tum ad inuocationem Numinis, tum ad gratiarum actionem obligati ſimus, probatur ex primo iuris diuini principio, item ex praecepto decalogi primo & ſecundo, §. *LXXI.*

item ex aliis ſcripturae dictis, §. *LXXII.*

Denique & fides ſpecialis in Chriſtum ad cultum Numinis internum pertinet, §. *LXXIII.*

quae neutiquam vnico actu abſoluitur, ſed per omnem vitam eſt continuanda, §. *LXXIV.*

Spectatur hoc loco vt officium, §. *LXXV.*

Ad eam nos lege diuina obligatos, probatur ex primo iuris diuini principio, §. *LXXVI.*

item ex primo decalogi praecepto, & aliis ſcripturae dictis, §. *LXXVII.*

fundamentum fidei, §. *LXXVIII.*

Quae legi, cultum internum Numinis praecipienti, aduerſantur, ſummatim indicantur, & ad duo reuocantur extrema, §. *LXXIX.*

Quo pacto contra amorem Dei ſpecialem peccent, qui conſtituti ſunt in ſtatu ſecuritatis §. *LXXX.*

item, qui conſtituti ſunt in ſtatu ſeruitutis, §. *LXXXI.*

Peccata contra reuerentiam ac timorem Dei §. *LXXXII.*

Certos in hisce peccatis dari gradus, §. *LXXXIII.*

Quo pacto contra ſpem erga Deum peccent, qui conſtituti ſunt in ſtatu ſecuritatis, §. *LXXXIV.*

item, qui conſtituti ſunt in ſtatu ſeruitutis, §. *LXXXV.*

Peccata contra fiduciam in Deo collocandam, §. *LXXXVI.*

Obedientiae repugnat inobedientia: quae vel ſpontanea eſt, vel inuita. §. *LXXXVII.*

item vel totalis, vel partialis, §. *LXXXVIII.*

Repugnat eidem obſequium peruerſum ac ineptum, §. *LXXXIX.*

Contra inuocationem Dei peccant, qui eum aut plane non inuocant, §. *XC.*

aut non recte inuocant, §. *XCI.*

Peccata contra gratiarum actionem, §. *XCII.*

item, contra fidem ſpecialem in Chriſtum, §. *XCIII.*

Vt ad cultum internum ipſum, ita & ad media, cultum huncce promouentia, quilibet homo obligatus eſt, §. *XCIV.*

Media haec vel generalia ſunt, §. *XCV.*

vel ſpecialia, amorem, timorem, ſpem & fiduciam excitantia, §. *XCVI.*

ad obedientiam, inuocationem, gratiarum actionem impellentia, §. *XCVII.*

fidem in Chriſtum augentia & fouentia, §. *XCVIII.*

Ad impedimenta quoque cultus interni remouenda homo obligatus eſt: quae vel generalia ſunt, §. *XCIX.*

vel ſpecialia, ratione amoris, §. *C.*

item ratione timoris & reuerentiae, ſiue haec ad ſecuritatem ducant, §. *CI.*

ſiue ad ſuperſtitionem, §. *CII.*

impedimenta ratione ſpei & fiduciae, §. *CIII.*

item ratione obedientiae, §. *CIV.*

ratione inuocationis & gratiarum actionis §. *CV.*

& denique ratione fidei in Chriſtum, §. *CVI.*

§. I.

INter leges diuinas, primum merito locum tenent, quae nobis officia erga Deum praeſcribunt. Earum ſummam in eo conſiſtere, vt Deum ſupra omnia ſincere & toto corde diligamus, ſupra iam diximus. Sed nunc paulo vberius hoc exponendum. Quod vt ordine fiat, primo de cultu Dei interno, qui totus fere amore abſoluitur, tum & de externo, qui ex illo fluit, agemus. Praemittemus autem, quae amor, ſeu cultus Dei internus, neceſſario praeſupponit.

§. II.

Praecedit amorem, ſeu ſupponitur, vera & viua Dei *agnitio*, eaque non tam ex lumine rationis, quam ex lumine reuelationis ſeu ſcriptura ſacra haurienda, quippe quae nos pleniſſime & ſufficienter de Deo, eiusque eſſentia, operibus & voluntate, erudit. Haec enim omnia non tantum ſcire, ſed aſſenſu quoque firmo, auctoritate ſcripturae ſacrae innixo, comprobare oportet, ſiquidem agnitio recte ſe habere debeat.

§. III.

Manifeſtum eſt, quod agnitio haec, de qua loquimur, *expreſſa* ſeu *explicita* notitia eſſe debeat. Ea enim, quam *implicitam* nonnulli vocant, nulla eſt, & nomine notitiae, aut agnitionis prorſus indigna. * Si quis enim dicat, ſe credere, quod alii homines aut eccleſia credit, & tamen, quid eccleſia aut alii homines credant, ignoret, ille etiam quid credat, neſcit. Ignorantia haec eſt, non notitia. Parumque etiam nobis prodeſt, quod alii recte credant, aut Deum agnoſcant, *cum iuſtus ſua*, non aliena, *fide viuat. Habac. II, 4. Rom. I, 17. Ebr. X, 38.*

* Romanenſium hunc errorem, notitiam quandam implicitam ſtatuentium, paſſim & ſaepius profligarunt noſtrates.

§. IV.

Quod *vera*, itemque *viua & efficax* debeat eſſe agnitio Dei, patet ex ipſa natura, & indole notitiae ſeu cognitionis in ſpiritualibus. * Idemque patet ex natura amoris ſeu cultus diuini, qui agnitionem hanc ſupponit, vel praerequirit. Si enim a veritate quis aberraret, hoc eſt, Deum non recte cognoſceret, Deum quoque non recte amaret, immo forte loco veri Dei aliud quid amaret. Si autem nec viua, nec efficax ſit haec agnitio, amorem quoque producere aut conſeruare non poſſet, quorſum tamen agnitio, prout nunc eam ſpectamus, comparata eſſe debet. conf. *Pſalm. XXXIV, 9. Ioan. VII, 17. 1 Petr. II, 3. Ebr VI, 4. 5.*

* conf. quae diximus in *prolegom. part. 1. §. 8. & 9.*

§. V.

§. V.

Praeterea, licet haec agnitio in hac vita neutiquam ſit perfecta ex omni parte, & conſummata, debet tamen eſſe *ſufficiens*, pro cuiusque ſtatu, & indole, vt quis nihil eorum ignoret, quae ſcire de Deo debet, quaeue ad amorem eius in corde noſtro producendum, atque fouendum, ſunt neceſſaria. Et ita intelligendi ſunt, qui cognitionem Dei in *comprehenſiuam*, *& apprehenſiuam* diſpeſcunt, & non hanc, ſed illam in hancce vitam cadere, docent, apprehenſiuae autem in vita demum aeterna locum eſſe.

§. VI.

Obiectum agnitionis huius eſt Deus, qua *eſſentiam & attributa*, itemque *opera & voluntatem*, ſpectatus.* Et ad eſſentiam quidem eius quod attinet, & ratio & ſcriptura docet, Dei nomine venire ens omnium perfectiſsimum, quod reliquorum entium omnium cauſſa ſit. Paucis multa nonnulli comprehendere voluerunt, dum dixerunt, Deum eſſe ſpiritum independentem. ** Quod non ita capiendum, ac ſi qui haec dicit, ipſam Numinis eſſentiam ſe plene ac adaequate cognoſcere profiteatur, ſed quod hac ratione perfectionum diuinarum ſumma, prout, pro noſtrae cognitionis modulo nobis innoteſcit, velut in compendio exprimatur.

* Supponimus itaque ceu euictum, & ab omnibus ſanae mentis hominibus comprobatum, dari Deum. Hoc enim ni eſſet, fruſtra quoque eſſet omnis noſtra de Dei agnitione tractatio. Non tantum vero hoc a poſteriori, vt loquuntur, conſtat, ſeu argumentis a creaturarum indole, ſtructura, ordine, pulchritudine, operationibus, aliisque, deſumptis, demonſtrari poteſt, vti poſt THEOPHILVM RAYNAVDVM, *theol. nat. diſt.* 5. *qu.* 1. *art.* 6. pluribus demonſtrarunt SAMVEL PARKERVS, in *diſſertationibus de Deo & prouidentia diuina*, RICHARDVS BENTLEIVS, de *ſtultitia & irrationabilitate atheiſmi*, IAQVELOT, in diſſertationibus de *exiſtentia Dei*, Gallicana lingua ſcriptis, aliique: ſed & a priori, per notitiam innatam omniumque hominum cordibus inſcriptam, cuius ea vis eſt & efficacia, vt quam primum hanc propoſitionem, *Deus eſt*, audiant, ſi modo ſanae mentis ſint, ſingulari & ineuitabili propenſione vrgeantur, eidem aſſenſum praebere. Sunt equidem nonnulli, qui vt generatim notitias inſitas, ita & ſpeciatim notitiam innatam Dei negant & in dubium vocant, quod & SOCINVS facit, in *praelect. theol. cap.* 2. & SIMON EPISCOPIVS, *lib* 1. *inſtitut. theol. cap.* 3. & PETRVS CHAVVINVS, de *relig. natur. part.* 1. *cap.* 4. ſed perperam id fieri patet ex iis, quae ſupra ad *cap.* 2. §. 5. prolixe pro notitia inſita diſputauimus. Cum vero contra notitiam inſitam cumprimis vrgeri ſoleant exempla aut ſingulorum hominum, aut integrarum gentium, quae nullum ſciuiſſe, aut agnouiſſe Deum dicuntur, quid ad hoc reſpondendum ſit, itidem ex ſupra dictis conſtat: poſſe videlicet hanc notitiam omnino aut ſupprimi aut impediri, quo minus in actum erumpat: addendum tamen, incerta aut omnino falſa eſſe, quae de integrarum gentium atheiſmo iactitantur, qua de re erudite diſſerit IOAN. LVDOVICVS FABRICIVS, in *apologetico pro genere humano contra calumniam atheiſmi*. Iungenda, quae egregie hac de re obſeruauit auctor eruditiſſimus libri, qui hoc ipſo, quo haec ſcribo, anno prodiit, & cui titulus: *Entretiens ſur diuers ſujets d'hiſtoire, de litterature, de religion, & de critique*, *p.* 254. *ſeqq.* Quo pacto notitia, quam hic aſſerimus Dei inſita, ab idea innata RENATI CARTESII differat, alibi explicatur. conf. diſſertatio noſtra, de *pietate philoſophica ſeu religione naturali*, *in ſelectis iur.*

 nat.

nat. & gent. §. 13. & 14. Quaenam autem omnium hominum circa exiſtentiae Numinis agnitionem officia ſint, bene & eleganter explicat IVSTVS CHRISTOPHORVS SCHOMERVS, *theol. mor. cap.* 6. §. 4. *p.* 205. Cum enim in antecedentibus exiſtentiam Numinis paucis demonſtraſſet, *ante omnia igitur*, inquit, *hunc naturae dictum ſequi, illique adhaerere oportet hominem, atque ab omni iniuria & petulantia ingenii igniculos hos extincturi penitus ſibi cauere. Officium hoc eſſe omnium in toto orbe hominum, vt cognitionem Dei ſibi curae habeant, docet apoſtolus, cum Athenis in areopago dicens, propterea mortalibus terram colendam datam eſſe inquit, vt quaerant dominum, an contingere & inuenire eum detur, vtique non longe ab vnoquoque noſtrum remotum*, *Actor.* XVII, 27. Cum vero philoſophicarum demonſtrationum non omnes ſint capaces, quo pacto rudiores hic ſe gerere debeant, idem recte ſubiicit: *Dignitas certè rei vrget, dum in hac contemplatione animus defigitur, vt quam firmo fundamento nitatur perpetua diuinitatis perſuaſio vlterius conſideret, quicunque altioris philoſophiae ſe capacem eſſe animaduertit. Omnes tamen homines non pollent iſto acumine ingenii, vt examen eiusmodi ſuſtinere poſſint, praeſtatque ſimplici obſequio naturale lumen tanquam ducem ſequi, quam, quae ipſi fides habenda ſit, diſputare. Quem demonſtrare neſcis, ſufficit credere Deum*, *Ebr.* XI, 6. Sed id quoque recte addit, de exiſtentia Dei, ne quidem ad horam dubitare fas eſſe, vt neque ad horam improbum eſſe licet. Ineptum praeterea eſt de rei cuiusdam exiſtentia dubitare velle, de qua ob ſummam euidentiam dubitari nequit. Denique & id recte & accurate idem auctor §. 5. oſtendit, & rationis & ſenſus intereſſe, ne quis ſibi hanc veritatem excuti patiatur.

** Voce enim *ſpiritus*, omnes perfectiones Deo cum rebus creatis, quas inter ſpiritus eminent, communes, ſed eminentiori quadam ratione Deo conuenientes, voce *independens* autem ea omnia, quibus a rebus creatis Deus diſcernitur, & infinitum in modum diſtat, exprimere volunt.

§. VII.

Vnum eſſe in eſſentia Deum, nec plures quam vnum eſſe poſſe, & ratio & reuelatio docet, * ſed haec addit, eundem eſſe *trinum in perſonis*, patrem, filium, & ſpiritum ſanctum. ** Qui ergo aut vnitatem eſſentiae, aut perſonarum trinitatem, vel negant, vel in dubium vocant, Deum non recte cognoſcunt. conf. *Io. XVII, 3. Matth. XXVIII, 19.* Falluntur igitur maximopere, qui ad ſalutem non eſſe neceſſarium putant, trinitatem perſonarum in vna eſſentia credere, *** adeoque & homines ad Deum hac ratione agnoſcendum, non eſſe obligatos.

* Vnitas eſſentiae diuinae intelligitur, non ſpecifica, vt loquuntur, vt eſſentia diuina ceu ſpecies plura indiuidua numero diſtincta ſub ſe complectatur, quemadmodum IO. PHILOPONVS, philoſophus peripateticus, ſenſiſſe dicitur, vnde haereſis Tritheitarum in eccleſia orta, de qua vid. LEONTIVS BYZANTINVS, *lib. de ſectis*, *art.* 5. & PETRVS IVRIEV, *de la religion du latitudinaire*, *part.* 2. *cap.* 5. *p.* 215. ſed numerica, vt non tantum vnus, ſed vnicus etiam ſit Deus. Eiusmodi vero vnitas in ipſo conceptu Dei inuoluitur, vt rationes pro vnitate Dei aſſerenda adferre neceſſe non ſit, cum ſtatim, ac quis intelligit, quid ſit Deus? non poſſit non intelligere, vnicum ſaltem eſſe Deum, nec plures eſſe poſſe. Interim legenda, quae pro vnitate Dei comprobanda adfert ATHENAGORAS, *legat. pro chriſtianis*, *p.* 67. HVGO GROTIVS equidem hasce notiones: Deos plures vno non eſſe; nihil eorum, quae videmus, Deum eſſe; non aeque euidentes eſſe, ac illam de Numinis exiſtentia notitiam, exiſtimat; indeque concludit, poenis humanis non aeque obnoxios eſſe, qui illas in dubium vocant, ac qui hanc negant, *lib.* 2. *de iure belli & pacis*, *cap.* 20. §. 45. 47. Sed de poenis humanis, quousque iis obnoxii ſint, qui eiusmodi veritates in dubium vocant, nunc non diſputabimus. Id tamen GROTIO concedere non poſſumus,

propo-

propoſitionem, quae docet, Deum eſſe vnum, minus euidentem eſſe, quam eam, quae docet, Deum eſſe. Eaedem enim prorſus rationes, quae Deum eſſe docent, ſimul ſuadent, eum eſſe vnum, ſeu vnicum. Hinc & ſapientiores ethnicorum, vnum eſſe Deum, intellexerunt, & confeſſi ſunt. conf. diſſertatio de *pietate philoſ. ſeu religione nat.* §. 19. add. PETRVS DANIEL HVETIVS, *demonſtr. euangel. prop.* 4. p. 122.

** Ex ratione enim hoc non conſtat. Etſi enim ſimilia quaedam inueniri queant, quae hocce myſterium quodammodo illuſtrent, quanquam in iis quoque caute admodum procedendum, probari tamen, aut demonſtrari argumentis ex ſola ratione petitis nequit. Vnde poſt multos alios, qui irrito conatu ingenii vires hac in re periclitari voluerunt, operam, quod aiunt, oleumque hic perdidit PETRVS POIRETVS, dum omnino mathematica quadam, vt illi videtur, demonſtratione hocce myſterium comprobare voluit, in *cogitat. rationalib. de Deo, anima & malo, lib.* 3. *cap.* 8. Lubricum enim admodum eſt fundamentum, cui totum hocce aedificium ſuperſtruit, ex hypotheſi quippe de animae facultatibus deſumptum, in qua paucisſimos forte mortalium ſecum conſentientes habebit. Reliquos, qui in eandem ingreſſi ſunt ſententiam, indicaui in *diſſertat. de pietate philoſophica, ſeu relig. natur.* §. 20. Interim etſi ratio hoc myſterium ignoret, non tamen eſt contra rationem, idemque ex euidentisſimis ſcripturae ſacrae oraculis apertisſime conſtat; vti alio loco ex inſtituto oſtenditur.

*** Cum ex ſcriptura ſacra conſtet, Deum eſſe in eſſentia vnum, & trinum in perſonis, ſequitur, eos falſum & erroneum de Deo ſibi formare conceptum, qui eum ita vnum credunt, vt negent, eſſe trinum, Deumque adeo non recte agnoſcere. Accedit, quod tota ſalutis noſtrae oeconomia huic trinitatis myſterio innitatur, adeo, vt, qui hoc negat de Chriſto, & toto redemptionis negotio recte ſentire nequeat. Si quis ergo dicit, agnitionem huius myſterii non eſſe neceſſariam, perinde eſt, ac ſi dicat, non neceſſarium eſſe ad chriſtianae religionis cognitionem ea ſcire, quae ad ipſum religionis chriſtianae fundamentum pertinent. Fundamentum fidei eſt Chriſtus, 1 *Cor. III*, 11. *lapis angularis* ideo dictus, *Epheſ. II*, 20. Immo haec eſt vita aeterna, ſi cum patre cognoſcamus eum, quem miſit, Ieſum Chriſtum, *Ioan.* XVII, 3. At Ieſum Chriſtum nemo recte cognoſcit, qui non eum vt verum Deum pariter ac verum hominem cognoſcit, adeoque myſterium trinitatis admittit. add. GEORGII BVLLI *iudicium eccleſiae catholicae trium primorum ſeculorum, de neceſſitate credendi, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſit verus Deus.*

§. VIII.

Non minus vero neceſſarium, vt reliqua etiam Numinis attributa cognoſcamus, * niſi & hic a recto aberrare tramite, & contra officium agere velimus. Ea vel *naturalia* ſunt, vel *moralia*, ſi de rebus diuinis, more humano loqui fas eſt. Haec ſummam Numinis perfectionem in iis, quae morum nomine apud mortales veniunt, arguunt, reliqua, quae tum in regno naturae, tum in regno gratiae ſummam eius excellentiam praeſtantiamque indicant, *naturalia* nobis vocantur, prout a *moralibus* nimirum diſtinguuntur.

* Agnoſcenda ſunt attributa diuina, non tantum, quod ceteroquin agnitio Dei recte ſe non haberet, ſed & quod fundamentum praebeant cultus interni, ut ex dicendis patebit; immo quod generatim homines ad legum diuinarum obſeruantiam efficaciſſime impellant. Recte hoc & HVGO GROTIVS obſeruauit. Cum enim communes quaſdam de Deo notiones attuliſſet, *ex hiſce autem*, inquit, *notionibus contemplationes ſequuntur actiuae, vt, Deum honorandum, amandum, colendum, eique obtemperandum; de iur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 20. §. 45.

§. IX.

Ad priorem claſſem ſpectant, *infinitas*, *immenſitas*, *aeternitas*, *omnipraeſentia*, *omnipotentia*, *omniſcientia*, & reliqua. Eorum, quae ad poſteriorem claſſem pertinent, ſumma continetur in *amore*, *1 Ioan. IV*, 8. cumque Deus & ſeipſum amet, & res a ſe conditas, ſpeciatim homines, ex priori quidem amoris ſpecie, *ſanctitas* oritur, *Leuit. XIX*, 2. *1 Petr. I*, 15. 16. 17. & inde porro *iuſtitia*, praeſertim *vindicatiua*, *Exod. XX*, 5. *Rom. II*, 5. 8 9. itemque *veracitas*, *Ebr. VI*, 18. ex poſteriori, *benignitas*, *Pſal. XXXIV*, 9. *CVII*, 1. *gratia*, *Pſal. CIII*, 11, 12. *miſericordia*, *Pſ. CIII*, 13. *Luc. I*, 50. 54. *2 Cor. I*, 3. *longanimitas & patientia*, *Rom. II*, 4. &c. Et haec quidem, pro noſtri inſtituti ratione, cumprimis nobis obſeruanda ſunt attributa, cum inde exemplum quoque capere homo debeat, ad quod ſe componat, conf. *Matth. V*, 48.

§. X.

Agnoſcendus quoque Deus eſt quoad *opera*, quae partim in *regno naturae*, partim in *regno gratiae* conſpicua ſunt. In regno quidem naturae, *creatio*, *Pſalm. CXXXIX*, 5. 6. 12. 13. *ſeq.* & *prouidentia*, non ſolum generalis, quae ad omnes res creatas ſe extendit, *Pſalm. CIV. & CXLVIII. per integr.* it. *Matth. VI*, 26 *ſeqq.* ſed & ſpecialis, quae hominum genus, *Matth. VI*, 27. 28. *Actor. XVII*, 28. item ſpecialiſſima, quae fideles & ſanctos reſpicit. *Rom. VIII*, 28. In regno gratiae, *redemptio*, *Ioan. III*, 16. *Luc. I*, 74. *1 Petr. I*, 18. 19. *Tit. II*, 14. *illuminatio*, *2 Cor. IV*, 6. *conuerſio*, *Actor. XVI*, 14. *regeneratio*, *Ioan. III*, 3. 5. 6. *iuſtificatio*, *Rom. III*, 24. 25, *ſanctificatio*, *1 Theſſ. IV*, 23. & reliqua.

§. XI.

Denique & quoad *voluntatem ſuam* agnoſcendus eſt Deus, idque vel maxime, ut ad hancce nos componendo, noſtrum teſtemur amorem. Cognoſcitur autem voluntas Dei tum ex lege, tum ex euangelio; ſeu in federe operum, & in federe gratiae. Et licet fedus operum, hodie amplius locum non habeat, ita quidem vt per legem iuſtificemur, non tamen ideo omnis vſus legis ceſſat, vt ſupra * demonſtrauimus. Hinc quae in euangelio conſpicitur voluntas Numinis accurate obſeruanda, vt ordine eo, quem euangelium praeſcribit, ſalutem conſequi annitamur. Inde vero etiam pateſcit, quae regenitis omnibus facienda ſint, & quas cauſſas ſpeciales habeant, ſe in omnibus conformandi ad voluntatem Numinis. Qua de re itidem ſupra dictum ** add. *Rom. II*, 9. *Matth. XI*, 22. *Ebr. II*, 2. 3.

* in *prolegom.* § 8.

** *cap.* 2. §. 9.

§. XII.

§. XII.

Ea, quam hactenus delineauimus Numinis, qua eſſentiam, opera & voluntatem, agnitio, & ſcriptura ſacra haurienda. Ratio enim pleraque horum ignorat, nec perfecte aut ſufficienter, aut de eſſentia, aut de operibus, aut de voluntate Numinis nos inſtituit. Vnde ſimul, quam turpiter errent, qui ratione duce atque magiſtra, aeternam ſe conſequi ſalutem poſſe, exiſtimant, * patet.

* Plurimi tamen, etſi diuerſis hypotheſibus innixi, hoc faciunt, de quibus dictum in *animaduerſionibus in Petri Chauuini librum de religione naturali*, *cap.* 1. *in parergis hiſtorico-theolog.p.* 405. *ſeqq.* Eodem tendit hypotheſis de lumine immediato, omnibus hominibus innato, & ad ſalutem ſufficienti, quam auctor libri: *fides & ratio collatae*, §. 145. *ſeqq.* reuocauit, quam ſupra *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 2. *ad* §. 49. confutauimus.

§. XIII.

Iam, quod talem agnitionem Numinis lex requirat, ſeu quod ad eam ſibi comparandam homines obligati ſint, vel ex eo patet, quod ſine ea rite amari Deus nequeat. Poteſt tamen idem luculentius demonſtrari ex primo, quod ſupra conſtituimus, iuris diuini principio. Si enim vnio cum Deo, eiusque continuatio, imaginisque diuinae reſtauratio requirit, vt ſincero Numinis amori ſtudeamus, hocce vero ſtudium requirit, vt Deum recte agnoſcamus, & in hac agnitione magis magisque proficiamus, ſequitur, quod iure diuino ad hanc cognitionem, & eius incrementum quaerendum, obligati ſimus.

§. XIV.

Patet idem ex praecepto primo decalogi: *ego ſum dominus Deus tuus, non habeas deos alienos coram me. Exod. XX, 2.3.* Duo namque in hiſce verbis indicantur, primo, quod Deum verum pro *noſtro* * Deo habere debeamus; deinde, quod non habere debeamus, deos alienos. Iam quod ad prius attinet, nemo poteſt verum Deum pro ſuo Deo habere, niſi verum Deum, qualem ſe reuelauit, agnoſcat. Eoque & alia ſcripturae effata pertinent, quae cognitionem veram Numinis commendant regenitis, aut ab iis requirunt, *Ierem. IX, 23. 24. Ioan. XVII. 3.* add. *Pſal. XLVI, 11. C, 3. Hoſ. VI, 6.* itemque & ea, in quibus regeniti creſcere dicuntur in cognitione Numinis. conf. *1 Cor. I, 5. Epheſ. I, 17 Phil. III, 9.* Mitto alias rationes, quae ab aliis adferri ſolent.

* Singularis namque emphaſis latet in pronomine TVVS, cum dicitur: *ego ſum dominus Deus TVVS*, quam eleganter explicat B. LVTHERVS apud IOAN. CONRADVM DANHAVERVM, in *colleg. decalog.* *p.* 48.

§. XV.

Agnitio haecce Numinis non a clericis ſaltem, aut eccleſiae doctoribus requiritur, vt perperam nonnulli ſibi perſuadent; ſed ſuo modo,

ab

ab omnibus chriſtianis, licet in illis perfectior eſſe debeat. *Ioan. VI, 45. Coloſſ. I, 28. III, 16.* Vnde & fruſtra ſub nomine *ſimplicitatis*, ignorantia a quibusdam excuſatur. conf. *Rom. XVI, 19. 1 Cor. XIV, 20. Epheſ. IV, 14.* Et licet diuerſi ſint cognitionis gradus, quilibet tamen operam dare debet, vt ſufficientem cognitionem ſibi comparet, & in ea quotidie proficiat. *Matth. XIII, 12. 1 Cor. XII, 11. 2 Petr. III, 18. Epheſ. I, 17.*

§. XVI.

Multiplici ratione homines contra hancce Numinis legem peccant. Primo ipſa in vitio poſita eſt *ignorantia*, cum quis ignorat, quae de Deo, eiusque eſſentia, operibus, voluntate ſcire poterat ac debebat. Quod ita intelligendum, ſi homo intermittat ea vſurpare media, quibus depellere ignorantiam, & ad veram Dei rerumque diuinarum peruenire notitiam, poterat, adeoque actu ignoret, quae ſcire poterat & debebat. Eam enim maxime culpabilem eſſe ignorantiam, nemo dubitauerit, quamuis & generatim quaelibet ignorantia corruptae naturae humanae indicium praebeat. * conf. *Epheſ. IV, 18.*

* conf. quae dicta ſunt ſupra, *part. 1. cap. 1. ſect. 2. §. 11.*

§. XVII.

Quemadmodum etiam explicita tantum agnitio, eaque vera, hoc nomine digna eſt, ita grauiſſime peccant, qui aut *implicita* contenti ſunt, aut ſua culpa *erroribus* variis inuoluuntur. conf. *Epheſ. IV, 22.* Errorum autem hinc tanta occurrit varietas, tanta multitudo, vt illorum inire numerum, ſit ſupra vires hominum poſitum. Iuuabit tamen, praecipua quaedam, ad quae reuocari poſſunt, indicare capita. Sic alii verſantur circa ipſum *principium cognoſcendi* Deum, resque diuinas, alii circa *dogmata* ex hocce principio deriuata. Ad priorem claſſem pertinent omnes illi, qui de ſcriptura ſacra minus recte ſentiunt, * eiusque in dubium vocant perfectionem, ſufficientiam, perſpicuitatem, cumprimis autem, qui ipſam eius diuinam negant inſpirationem, & rationem potius quam ſcripturam ſequi malunt, aut ſcripturae aliud cognoſcendi principium, reuelationes ſcilicet immediatas, aut traditiones, adiungunt, vel omnino praeferunt.

* Solent hodie communi *antiſcripturariorum* nomine comprehendi: quorum vt diuerſae ſunt opiniones, ad labefactandam tamen ſcripturae ſacrae auctoritatem tandem conſpirantes, ita diuerſis ad eas tuendas hypotheſibus cauſſisque inducuntur. Agitur hac de re ex inſtituto in theologia polemica. Referas huc quodammodo *rationaliſtas* etiam & *naturaliſtas*, de quibus dictum, *part. 1. cap. 1. ſect. 2. §. 27. & 30.*

§. XVIII.

Ad poſteriorem claſſem pertinent, primo, qui omnino cum ſcripturae diuina auctoritate, ipſam Numinis exiſtentiam negant, vt tota atheo-

atheorum cohors, * quorum pro diuerſitate principiorum, ex quibus impietatem ſuam deriuant, magna eſt varietas; deinde, qui de eſſentia, attributis, operibus, voluntate diuina non recte ſentiunt. Et hi quidem in duplici conſtituti ſunt diſcrimine. Nonnulli ſcripturam ſacram vtriusque federis ampleĉtuntur, & nihiloſecius de Deo rebusque diuinis errores grauiſſimos fouent, alii hiſce erroribus impliciti ſunt, quia ſcripturam ſacram, aut in vniuerſum, aut qua nouum teſtamentum, repudiant. Illi, ſi errores ſuos pertinaciter tueantur, *haereticorum*, hi vero *infidelium* nomine, venire ſolent. **

* Diuerſa *atheiſmi* ſolent genera conſtitui. Alius enim eſt *theoreticus*, alius *practicus*. Pra-
cticus eſt, cum quis vitae morumque impietate demonſtrat, ſe nullum Deum credere, etſi
ore eundem profiteatur: quanquam fieri etiam poſſit, vt quis impie viuat, etſi Deum cre-
dat. Nihil enim eſt frequentius, quam vt homines ea agant perpetrentque, quae non agen-
da eſſe ipſimet credunt, ſtatuuntque. Atheiſmus theoreticus, de quo nunc nobis ſermo
eſt, iterum vel *rudior* eſt, vel *philoſophicus*. *Rudiorem* voco, qui eſt hominum plebeio-
rum, & qui litteras neſciunt, hinc & de aliis phaenomenon naturalium rationibus redden-
dis, quas reddere debent, qui primam cauſſam tollunt, non ſunt ſolliciti. Hi neſciunt, cur
Deum negent, ſed ideo in eam ſententiam ingrediuntur, vt eo tutius peccare, & ſine metu
poenae vitiis indulgere liceat. *Philoſophicus* eſt, quando quis ita Deum negat, vt ſimul
aliud quoddam ſibi ſyſtema fingat, iuxta quod phaenomena rerum naturalium explicare
queat. Et hic iterum totuplex eſt, quotuplicia fere ſunt philoſophorum ſyſtemata, expli-
candis rerum naturalium cauſſis inſeruientia, quibus athei abutuntur, poſſetque alius Ari-
ſtotelicus, alius Epicuraeus, alius Stoicus dici, a quo non procul diſtat illud, quod noſtra ae-
tate renouauit BENEDICTVS SPINOZA, qua de re pluribus a me dictum in diſſerta-
rione de *Spinozismo ante Spinozam, in analect. hiſtor. philoſ. pag. 20, ſeqq.* Sunt equidem,
qui dubitant, an omnino detur atheus theoreticus? Sed experientiae ipſi repugnare viden-
tur. Etſi enim non dubitem, inſitam iſtam de Deo notitiam vix a quoquam mortalium ita
ſupprimi poſſe, vt non ſubinde conſcientiae morſus ſentiant, & veritatis vis vel illis inuitis
erumpat: fieri tamen poteſt, vt per ſummam animi malitiam quadantenus eandem repri-
mant, & hinc ſibi perſuadeant, non eſſe Deum, idque verbis pariter ac factis teſtentur. Et
tales homines, proh dolor! omni tempore fuiſſe, & hodie plures forte eſſe, quam vulgo cre-
ditur, non eſt, quod dubitemus. De illis, qui iam apud ethnicos atheiſmi nomine infames
fuere, vt EPICVRO, PROTAGORA, DIAGORA, THEODORO CYRENAICO,
aliisque, nunc nihil dicam: cum non neſciam, quosdam a quibusdam defendi: fieri
etiam potuit, vt ethnici eos, qui ab idololatria & ſuperſtitione alieni erant, impietatis &
ἀθεότητος accuſarint, eo, quod conſtet, ipſis chriſtianis olim ab ethnicis atheiſmi crimen ob-
iectum fuiſſe. Quidquid huius ſit, id tamen certum, pleraque gentilium philoſophorum
ſyſtemata, quibus rerum naturalium cauſſas explicare annitebantur, ad alendum & fouen-
dum atheiſmum perquam fuiſſe accommodata. Fuiſſe autem deinceps inter chriſtianos
recentiori praeſertim aetate, & hodie adhuc eſſe, qui hocce impietatis genere ſe obſtrinxe-
runt, hiſtoriarum nos dubitare non ſinunt monumenta; auctoresque, qui velut hiſtoriam
atheiſmi condiderunt, abunde teſtantur, vt ſunt MARINVS MERSENNVS, *comment.
in Geneſin*, GISBERTVS VOETIVS, *diſput. de atheis & atheiſmo, tom. 1. diſp. ſelect.*
THEOPHILVS SPIZELIVS, in *ſcrutinio atheiſmi hiſtorico-aetiologico, & epiſtola ad*
ANTONIVM REISERVM, de *atheiſmo eradicando*, vt & REISERVS, ipſe in *diſſert.
epiſtol.* ad SPIZELIVM, de *origine, progreſſu & incrementis atheiſmi.* Iungendi, qui
ex inſtituto contra atheiſmum ſcripſere, vt FRANCISCVS CVPERVS, in *arcanis
atheiſmi reuelatis*, HENRICVS MORVS, in *antidoto aduerſus atheos*, BIRCKERO-
DIVS, in *exercitationibus contra atheos*, CHRISTOPHORVS FRANCKIVS, in *atheo-*

conuicto, BVRCHERVS VOLDERVS, in *disput. contra atheos*, PETRVS YVO, in *impietate conuicta*, aliique. add. auctor eruditiſſimus *des entretiens ſur diuers ſuiets d' hiſtoire, de litterature, de religion & de critique*, *p.* 250. *ſeqq.* Eſſe autem atheiſmum eiusmodi crimen, quod ſimul omnem virtutem & honeſtatem, omneque iuris diuini pariter ac humani vinculum tollat, res ipſa docet. Vnde & ſequitur, in republica bene conſtitura atheiſmum minime tolerandum eſſe, quippe quo fundamenta, quibus ſalus & tranquillitas reipublicae innititur, labefactantur, atque euertuntur penitus. PETRVM BAELIVM, qui in *cogitationibus diuerſis ſuper cometa &c* alibique, demonſtrare aggreſſus eſt, atheiſmum rebus publicis non adeo noxium eſſe, ſaltem ſuperſtitionem maius adferre periculum, quam atheiſmum, paſſim hactenus viri docti refutarunt, nec neceſſe eſt, vt iis immoremur. Legi prae reliquis meretur IO. BARBEYRACIVS *ad Pufendorf. de iur. nat. & gent. lib.* 2. *cap.* 4. §. 2. *pag.* 203. *ſeqq.* Quam frequens vero hodie atheiſmus ſit, quaeue huius mali ſint cauſſae, & qua ratione illi obuiam iri queat, nemo, puto, luculentius oſtendit, quam B. PHILIPPVS IACOBVS SPENERVS, in *reſponſis theologicis Germanicis* paſſim, praeſertim *part.* 1. *pag.* 38. *ſeqq.* & alibi.

** Inter *haereticos* itaque & *infideles* hoc intercedit diſcrimen, quod illi ſcripturam equidem pro principio cognoſcendi agnoſcant, ſaltem agnoſcere videri velint, & nihilo ſecius errores capitales pertinaciter defendant, hi autem ſcripturam aut quoad vtrumque teſtamentum, aut ſaltem quoad nouum, reſpuant. Sub *infidelium* itaque nomine comprehenduntur Pagani, Iudaei, Mahomedani, de quorum erroribus in theologia polemica agitur. De haereſi, in quo conſiſtat, & quis haereticus dicendus, dictum ſupra, *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 2. §. 31. *ſeqq.*

§. XIX.

Si ad ſpecialia deſcendere vellemus, eundem nobis eſſet per omnes fidei articulos; ſed iuuabit tamen ſummatim quaedam indicare, vt conſtet, quotuplici ratione mortales, contra primam hancce legis diuinae partem peccent. Quod itaque primo, ad eſſentiam Numinis attinet, in grauiſſimo verſantur errore, qui plures vno deos ſtatuunt, * ſiue hoc craſſiori quadam, ſiue ſubtiliori ratione fiat; quorſum & illi pertinent, qui duplex principium independens, alterum boni omnis, alterum mali, ſtatuunt; ** item qui craſſiores de Deo ſibi conceptus formant, & ei corpus tribuunt, aut ſub hominis ſchemate ſibi repraeſentant; *** porro, qui de attributis diuinis humano more cenſent, eorumque ſummam labefactant perfectionem; * & denique omnes illi, qui de perſonarum trinitate non recte exiſtimant, ſiue eſſentiale perſonarum diſcrimen afferant, tritheiſmum profitentes, ** ſiue reale diſcrimen tollant, *** aut inaequalitatem quandam perſonarum inducant, quorſum omnes illi pertinent, qui de Chriſti ſeruatoris & ſpiritus ſancti diuinitate, non recte ſentiunt. * Ne quid nunc de illis dicam, qui de humanitate Chriſti ſeruatoris, aut vtriusque naturae vnione, errores grauiſſimos fouent. **

* Reiicitur itaque merito, ceu grauiſſimum crimen, πολυθεότης gentilium: quam ſcriptores, qui de idololatria gentilium egerunt, pluribus exponunt, ſed quae ipſorum ſapientiorum inter gentiles iudicio, fuit damnata, vt ſupra, obſeruauimus. Fuerunt equidem, qui gentilium polytheiſmum excuſare voluerunt, obtendentes, multiplicem iſtam Deorum

turbam

turbam vnum eundemque eſſe Deum, pro variis effectis, varia nomina ſortitum. Inter Stoicorum ſane dogmata haud poſtremum illud fuit, ex quorum mente DIOGENES LAERTIVS: ὁ Θεὸς πολλαῖς προσηγορίαις ὀνομάζεται κατὰ τὰς δυνάμεις: *Deus pluribus nominibus appellatur, vt ſunt poteſtates: in vita Zenonis.* Atquam male hocce commento ſibi conſuluerint, docet AVGVSTINVS, de *ciuit. Dei, lib.* 4. *cap* II. & LACTANTIVS *lib.* 4. *diuin. inſtit. cap.* 3. A gentilium iſto errore non procul abſunt, quidquid etiam dicant, Romanenſes, dum ingentem illam ſanctorum ſanctarumque turbam mortalibus obtrudere annituntur. Non ignota ſunt, quae ad polytheiſmi ſuſpicionem amoliendam regerere ſoleant, ſed quam parum hac ratione ad ſummam rei proficiant, iampridem demonſtratum eſt ab aliis.

** Quem Manichaeorum errorem a Perſis, vt creditur, acceptum, noſtra aetate defendere quauis ratione annifus eſt PETRVS BAELIVS, vir cetera doctiſſimus, ſed abunde ideo caſtigatus, tum ab aliis, tum praecipue a viro clariſſimo IO. CHRISTOPHORO WOLFIO, in *Manichaeiſmo ante Manichaeos &c.*

*** Quod, praeter gentiles, Anthropomorphitas feciſſe, conſtat: quamuis nec TERTVLLIANVS, aliique eccleſiae patres erroris eius immunes fuiſſe dicantur. conf. PETRVS DANIEL HVETIVS, in *Origenianis pag.* 29. 30. Recentiori aetate CONRADVM VORSTIVM eundem errorem renouaſſe, conſtat.

* in Socinianis hoc paſſim notari ſolet.

** vid. dicta ad §. 7.

*** Vt Sabelliani, quorum errorem reuocauit, dum Trinitatis myſterium ex ratione demonſtrare voluit PETRVS POIRET, *cogit. rationalib. de Deo, anima & malo, lib.* 3. *cap.* 8. De antiquis Sabellianis vid. CHRISTIANI WORMII, *hiſtoria Sabelliana.*

* Vt Arriani olim, & Photiniani, hodie Sociniani, aliique.

** Vt Neſtoriani & Eutychiani.

§. XX.

Sequuntur opera diuina, tum in regno naturae, tum in regno gratiae. De quibus etſi luculenter ſcriptura teſtetur, non tamen deſunt, qui, quod ad opera in regno naturae attinet, grauiſſimos de creatione & prouidentia errores fouent, * vtramque aut directe, aut indirecte, negando, vel talia aſſerendo, quae cum eorum veritate conſiſtere nequeunt. De operibus in regno gratiae hoc itidem eſt longe manifeſtiſſimum, ** totque theologorum de redemptione ac ſatisfactione, illuminatione, regeneratione, iuſtificatione, ſanctificatione controverſiae, ne quid de falſiſſimis plebeiorum hominum in his omnibus conceptibus dicam, ſatis ſuperque teſtantur.

* Mundum a Deo conditum non pauci inficiati ſunt, non tantum ex ethnicis, ſed ex iis etiam, qui chriſtiani videri voluerunt. ARISTOTELEM, PLINIVM, PROCLVM, AVERROEM, SIMPLICIVM, aliosque in hoc verſatos errore, iam aliis obſeruatum eſt. Miror, EPICVRVM a LACTANTIO laudatum, quod auctore DEMOCRITO, mundum & ortum eſſe, & periturum aliquando, exiſtimauerit, *lib.* 7 *inſtit. diuin. cap.* 1. Caſu enim hoc fieri, eum docuiſſe, notum eſt. PLATO productum a Deo mundum exiſtimavit, ſed vt ſemper extiterit. Apud Stoicos cuncta ad infinitam periodorum conuerſionem, fatorumque nunquam interruptam ſeriem redibant, conf. IACOBVS THOMASIVS, de *exuſt. mundi ſtoica differt.* 3. & quae diximus in *differt. de pietate philoſ. ſeu religione naturali*, § 62. Prouidentiam diuinam in dubium vocauit tota Epicuraeorum, veterum & recentiorum cohors, exiſtimantium, caſu cuncta, ſine Numinis cura, euenire. Quem

 quidem

quidem errorem ex veteribus iam ATHENAGORAS profligauit, *legat. pro Chriſt. p.* 285. & ex recentioribus Epicuraeae ceteroquin ſectae vindex PETRVS GASSENDVS, *not. ad lib.* 10. *Diog. Laertii*, *tom.* 2 *opp. & phyſ. ſect.* 1. *lib.* 4. *p.* 32. *tom.* 1. *opp.* Sed non minus prouidentiae diuinae repugnat fatum illud ineluctabile Stoicorum, cuius malignitatem praeter alios demonſtrauit IACOBVS THOMASIVS, de *exuſt. mundi Stoica*, *diſſert.* 13. *ad theſ.* 12. Mitto nunc reliquos errores, diuinam prouidentiam directe aut indirecte labefactantes, add. diſſertatio citata, de *pietate philoſophica*, §. 63. *ſeqq.*

** Pelagianorum huc pertinent errores, gratiae vim inficiantium, & naturae cuncta tribuentium. Quos dum euitare alii volunt, in alterum extremum procurrentes, aut in enthuſiasmum, aut Manichaeismum, facile prolabuntur.

§. XXI.

Denique, ſi voluntatem Dei conſideremus, prout eam tum in lege, tum in euangelio reuelauit, non minus & ibi velut vaſtum oceanum variorum errorum deprehendes. Namque ad legem quod attinet, circa eius tum ſenſum, quem nonnulli tantum ad externa, miſſis internis, referunt, tum interpretationem, & denique obligationem, quam plurimi a recto aberrant tramite. * Euangelium autem, cum gratiam Numinis in Ieſu Chriſto omnibus offerat, ſed vt ipſi meritum Chriſti vera fide adprehendant, & mediis ad fidem excitandam, fouendam, ac conſeruandam, a Deo praeſcriptis recte vtantur, infinitis modis hic iterum aguntur in transuorſum miſeri mortales. Alii ipſam gratiam Numinis ſollicitant, eamque ad omnes aeque pertinere ſibi perſuadere non poſſunt, Numinis potius voluntate & decreto, quam ſua culpa quosdam perire exiſtimantes; ** alii, ordinem a Deo praeſcriptum obſeruare nolunt, aliam ſibi quam per fidem in Chriſtum ſalutis viam fingentes, *** & in mediorum gratiae vſu, naturae potius viribus, quam gratiae diuinae cuncta tribuentes, * vel alia ratione a praeſcripto ordine diſcedentes, & hinc de verbi vſu & efficacia in conuerſione, regeneratione, &c. itemque de indole & efficacia ſacramentorum, erroneos quam maxime ſibi formantes conceptus. Ne quid nunc de fine ipſo, imaginis diuinae reſtauratione, in hac vita inchoanda, in altera conſummanda, & iis, quae euenire decet, vt actu huius finis compos homo fiat, dicam.

* Hoc ex ſequenti conſtabit tractatione. Circa ſenſum iam olim aberrarunt Phariſaei, ad externa tantum eum reſtringentes, quos ideo Chriſtus reprehendit, *Matth.* V, 2 . *ſeqq.* Circa obligationem Antinomi, quibuscum olim eccleſiae noſtrae confligendum fuit. Vt de reliquis nunc nihil dicam.

** Ita iam olim Praedeſtinatiani, hodie plerique Reformatorum.

*** e. g per bona opera, vt Pontificii.

* Vt cum Socinianis, Arminiani, qui fundamentum etiam ſalutis, ſatisfactionem Chriſti negando, prorſus euertunt. Quibus hinc inde alii frigidam ſuffundunt.

§. XXII.

Digitized by Google

§. XXII.

Praeterea, vti non tantum explicita, & vera, ſed & certa eſſe debet Dei rerumque diuinarum cognitio, auctoritate ſcripturae ſacrae innixa, ita eidem omnis repugnat *ſcepticiſmus*, * quando ea quae certo ſcire poteramus, & debebamus, non niſi dubitanter cognoſcimus, nec operam damus, vt cognitio noſtra firma ſit. Dubitatio vero, de iis, de quibus dubitare fas eſt, & quae eo tendit, vt maiorem certitudinem acquiramus, etſi infirmitas ſit, eſt tamen neceſſaria, adeoque hic in cenſum non venit. **

* conf. quae de ſcepticismo diximus, *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 2. §. 23.
** vid. itidem dicta, *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 2. §. 14.

§. XXIII.

Denique & *intempeſtiua curioſitas** inter peccata, hacce lege prohibita merito refertur. Eſt equidem eiusmodi curioſitas vitium grauiſſimum, ſi circa res humanas verſetur. Sed longe grauius eſt vitium, ſi quis in rebus diuinis eidem indulgeat, vt plura ſcire aueat, quam quae ſunt reuelata, aut ſi ea, quae nullius vſus ſunt, & ad oſtentationem potius, aut inanem delectationem, quam ad aedificationem faciunt, de rebus diuinis cognoſcere cupiat. conf. *Ioan. XXI, 22. 1 Tim. VI, 4. 5. Tit. III, 9.*

* Paulo aliter vocem curioſitatis accipimus, ac ſupra, *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 6. *ad* §. 23. vbi ex inſtituto de ea egimus.

§. XXIV.

De agnitione Dei, quam amor ſupponit, vel praerequirit, & ad quam ideo etiam obligati ſumus, vt recte amare Deum queamus, poſtquam diximus, quae inſtituti poſtulauit ratio, nunc de amore ipſo, in quo ſumma officiorum erga Deum conſiſtit, agendum. Vbi tamen id in anteceſſum notandum, quod amor iſte, prouti hic accipitur, & cuius varias velut partes eſſe, ex dicendis conſtabit, omnem etiam *cultum Numinis internum* abſoluat, & velut in compendio complectatur. Hinc generatim de Numinis cultu * quaedam prius praemittenda ſunt, quam de indole, actibusque amoris, in quantum ea huius loci ſunt, exponamus.

* Virtus, quae officia hominis circa cultum Numinis complectitur, ceteroquin *pietas* vocari ſolet, quod & ſupra iam obſeruauimus, *part* 1. *cap.* 1. *ſect.* 4. §. 68. Vnde perinde eſt, ſiue dicas, Deum eſſe colendum, ſiue dicas, pietati eſſe ſtudendum. Diuerſimode equidem vox pietatis accipitur, ſaepiusque apud veteres claſſicosque ſcriptores ſumitur pro amore & reuerentia tum erga parentes, tum erga quosuis ſuperiores, imo & pro amore parentum erga liberos, conf EZECHIEL SPANHEMIVS, de *praeſtant. & vſu numism. diſſ.* 8. *p.* 723. & IOAN WEIDNERVS, *in pietate ex nummis antiqu. delineata p.* 30. *ſeqq.* Quod vero & pro officiis erga Deum ſubinde apud veteres accipiatur, CICERONIS, aliorumque teſtimoniis

moniis docui, in *diſſert. de pietate philoſ.* §. 7. Et haecce hodie longe frequentiſſima eſt ſignificatio. Quod vero de voce *cultus* deinceps, §. 26. obſeruamus, eam in latiori quandoque ſignificatione vſurpari, vt agnitionem Dei connotet, id pariter de voce *pietatis* cenſendum. Sed hic vtraque vox in ſtrictiori ſignificatione accipitur.

§. XXV.

Videtur autem mihi *cultus* Numinis *internus* quam rectiſſime ita deſcribi, quod ſit eiusmodi animi actus, quo Deum, vt Deum noſtrum toto corde recipimus. Hic enim pro actu vocem cultus (vt & amoris) accipimus, qui tamen habitum, ſeu habitualem animi diſpoſitionem ſupponit, & ſubinde in actus erumpit. Fundamentum haecce deſcriptio habet in ipſis ſcripturae ſacrae verbis, quibus praeceptum primum exprimitur: *ego ſum Dominus Deus tuus.* Hoc ergo Deus iubet, vt illi, quorum Deus eſt, hoc eſt omnium hominum, ſpeciatim, ob fedus gratiae, chriſtianorum, eum pro *ſuo Deo* habeant, hoc eſt, intimo & ſummo amoris adfectu proſequantur. conf. *1 Cor. VIII, 4. 5. 6. Pſalm. XXIII, 1.* Et in hocce amore intimo & ſummo, cultus Numinis internus conſiſtit, quod & ipſe ſeruator indicat, *Matth. XXII, 37.*

§. XXVI.

Solet interdum vox *cultus*, in latiori ſignificatione accipi, vt ipſam quoque agnitionem Dei complectatur: ſed nobis nunc in ſtrictiori vſurpatur, referturque tantum ad voluntatem, vt tamen agnitionem Numinis ſupponat. Praeterea quod nos cultum dicimus, alii *adorationem* vocant,* voce iſta iterum latius accepta: quae ſi ſtrictius capiatur, a cultu ſeu amore Numinis, vt effectus a cauſſa differet. Interim quae de cultu Dei generatim diſputantur, ad *adorationem* ſeu *inuocationem* facili negotio adplicari poſſunt, vt nullo modo diſſentire ab aliis cenſendi ſimus, ſi generatim de cultu quaedam adferamus, quae illi ſpeciatim circa adorationem, aut inuocationem diſputare ſolent.

* conf. *diſſert. de pietate philoſ.* §. 25.

§. XXVII.

Ex iſta, quam dedimus, diuini cultus deſcriptione, patet, obiectum eius non poſſe aliud eſſe, quam *verum Deum.** Idque ipſa primi praecepti verba innuunt, cum nefas profecto & crimen ſummum ſit, aliud quid vt *noſtrum* intimo cordis adfectu recipere, niſi idem verus Deus ſit. Comprobant idem & alia ſcripturae effata, *Deut. VI, 5. Eſa. XLII, 8. Ierem. XVII. 13 Matth. IV, 10.* Hinc & character verum Deum ignorantium eſt, rem creatam loco Dei colere. conf. *Gal. IV, 8.* add. *Rom. X, 13. Apoc. XIX, 20.**

* Solenne eſt Pontificiis, diſtinguere inter λατρείαν, δουλείαν & ὑπερδουλείαν, dum illam ſoli Deo, iſtam ſanctis, hanc Mariae & humanitati Chriſti tribuunt. Sed omni prorſus deſtituuntur fundamento. In ſcriptura enim ſacra iſtae voces promiſcue vſurpantur, vt patet

ex

ex Rom. I, 9. & XVI, 18. vbi & τὸ λατρεύειν & τὸ δουλεύειν de Deo dicitur. conf. & *Actor.* XX, 19. *Rom.* VII, 6. XII, 11. XIV, 18. Praeterea vocabulum δουλείας aut pro *cultu ciuili* accipitur, ſeu veneratione rerum laude dignarum, aut pro *cultu religioſo.* Si prius ſit, concedimus lubentes, viros ſanctos, & cumprimis beatam virginem Mariam eiusmodi cultu proſequendam eſſe. Chriſto autem, etiam quoad humanam naturam, cultum deberi religioſum, deinceps comprobabitur. Sin poſterius, cultu ſane religioſo nulla creatura, ſed ſolus Deus proſequendus, adeoque tum δουλεία eadem erit ac λατρεία. conf. AEGIDII STRAVCHII *theologia moralis pag.* 112.

§. XXVIII.

Inter chriſtianos etiam poſitum eſſe debet extra controuerſiam, obiectum religioſi cultus eſſe totam *ſacro-ſanctam Trinitatem*, patrem, filium & ſpiritum ſanctum. Deum enim in eſſentia vnum, ſed trinum in perſonis veneramur. Nullum itaque eſt dubium, quin & Ieſus Chriſtus ſeruator noſter ad obiectum cultus diuini pertineat, quod quidem quoad diuinam eius naturam, * non tantum ex iis ſcripturae locis patet, quibus, eum verum eſſe Deum, comprobari ſolet, quae alibi adducuntur, ſed ſpeciatim etiam ex iis, in quibus cultus religioſus illi tribuitur. conf. *Exod. XXIII, 20. 21.* collat. cum *1 Cor. X, 4. 9. Pſ. II, 12. Ioan. V, 23. VIII, 30. XV, 7. XVI, 23.* vt reliqua nunc mittam, quibus idem comprobari poteſt, argumenta.

* Antitrinitarii hic ſe in omnes vertunt partes. Plerique tamen diſtinguunt inter cultum *inuocationis & adorationis.* Illo dicunt filium Dei poſſe adfici, vt ſcilicet preces noſtras Deo offerat. Sed ſi Chriſtum habent pro mero homine, cultus ille inuocationis eodem tandem redibit, quo inuocatio ſanctorum apud pontificios, mutandus ſcilicet in venerationem mere ciuilem, vt ab idololatriae crimine ſe liberent. Nec concipi poteſt, quo pacto merus homo inuocari queat, vt preces noſtras ad Deum deferat. Sin vero pro vero Deo habendus eſt Chriſtus, conuenit illi ſane, vel fatentibus Socinianis, cultus adorationis.

§. XXIX.

Sed de humana Chriſti natura cumprimis diſputari ſolet, an & haec ad obiectum cultus religioſi pertineat? * Quod vt recte intelligatur, neutiquam nos quaerere, obſeruandum, an aliud quid praeter Deum poſſit cultus religioſi eſſe obiectum? hoc enim prorſus negamus: ſed quaeſtio haec eſt: an alia, quam diuina natura, religioſe poſſit coli? Praeterea humana Chriſti natura non hic conſideratur abſolute, absque diuina natura, ſed prout per vnionem perſonalem arctiſſime cum ea vnita eſt. Et ita ſpectata humana Chriſti natura, pertinet omnino ad obiectum cultus diuini, & quidem, vt nonnullis loqui placet, non tantum vt *obiectum quod*, ſed & vt *obiectum quo*, hoc eſt, non tantum Chriſtus, prout in eo diuina atque humana eſt natura, ſed ipſa quoque humana natura cultu religioſo proſequenda eſt.

* Obſeruandum hoc eſt contra quosdam Pontificios, qui humanam Chriſti naturam, non cultu λατρείας, ſed δουλείας ſiue ὑπερδουλείας colendam ſtatuunt. Reformatae quoque eccleſiae

ecclesiae quidam doctores hac de re inter ſe diſſentiunt, vid. GISBERTVS VOETIVS, *diſp. ſelect. part. 1. pag. 520. ſeqq.* FRIDERICVS SPANHEMIVS, *dub. euangel. part. 2. pag. 452.*

§. XXX.

Atque ita ſe rem habere, ſequentibus probari ſolet rationibus: primo, ex vnione perſonali, duarum naturarum in Chriſto, per quam humana Chriſti natura, iisdem praedita eſt idiomatibus, & perfectionibus, quae requiruntur ad obiectum cultus religioſi; vti ſunt omniſcientia, omnipraeſentia, omnipotentia, & reliquis. Deinde, quia diſerte idem teſtatur ſcriptura ſacra, *Eſ. XLV, 23.* collat. *Rom. XIV, 11.* add. *Ioan. V, 22. 23. Phil. II, 9. 10. 11.*

§. XXXI.

Spiritum ſanctum itidem obiectum cultus religioſi conſtituere, non tantum ex eo patet, quod idem cum patre & filio verus Deus eſt, ſed ex eo quoque, quod & illi in ſcriptura ſacra diſerte cultus religioſus vindicatur; vt *Eſ. LXIII, 10. cap. VI 3.* collat. cum *Actor. XXVIII, 25.* conf. & *2 Cor. XIII, 13. Apoc. I, 4* Taceo, quod idem ex formula baptiſmi conſtet, qua baptizari iubemur non tantum in nomine patris & filii, ſed & ſpiritus ſancti. In cuius autem nomine baptizamur, illi etiam debemus cultum religioſum. Vnde apparet, quantopere fallantur, * qui nullum in ſcriptura ſacra de ſpiritu ſancto religioſe colendo aut mandatum, aut exemplum, aut indicium extare, contendunt.

* Arminianis haec ſententia tribui ſolet. vid. AEGIDII STRAVCHII *theolog. moral p. 116. & 117.* Reſpondet quoque idem auctor *pag.* 119. ad quaeſtionem, an omnes tres perſonas, tribus diſtinctis vicibus & continuata ſerie adorare ſeu colere liceat? recteque docet, poſſe id omnino fieri, ſi abuſus abſit. Deprehenditur enim eiusmodi quid in verbis Chriſti, *Ioan.* XIV, 13. vt & in inſtitutione baptiſmi, vbi diſtincte trium perſonarum fit mentio, *Matth.* XXVIII, 19. item in δοξολογίᾳ priſcis eccleſiis vſitata. Continetur que in eiusmodi formulis ſaltem trinitatis confeſſio, neutiquam perſonarum, aut cultus ſeparatio. Non itaque cauſſam habet praegnantem IO. FORBESIVS, cur eiusmodi preces improbet, *inſtruction. hiſtorico-theolog. pag. 39.*

§. XXXII.

De obiecto ergo cultus diuini cum conſtet, nunc de re ipſa dicendum. Abſoluitur nimirum omnis cultus Numinis internus amore, vti antea dictum eſt. Amoris autem iſtius cum diuerſae velut ſpecies ſint, & actus, adeoque diuerſi inde reſultent adfectus, diuerſis quoque partibus cultus Numinis internus conſtat.

§. XXXIII.

Nimirum, notum eſt, alium eſſe amorem *complacentiae*, alium *concupiſcentiae*, & illum iterum vel *amicitiae*, vel *obedientiae*. * Si Deum amemus amore concupiſcentiae, vt centrum omnis noſtrae felicitatis,

oritur

oritur inde ſpecialis illa dilectio, quae κατ' ἐξοχὴν *amor Dei* dicitur. Si amore amicitiae Deum amemus, & in eo ſpeciatim rationem habeamus ſummae eius non tantum perfectionis & praeſtantiae, ſed & potentiae ac iuſtitiae, oritur inde *veneratio*, ſeu *reuerentia*, vel quod perinde eſt, *timor Dei*. Quod ſi ad amorem concupiſcentiae accedat reſpectus ad noſtra mala, ſimulque partim ad certum Dei auxilium, partim ad bona futura nobis a Deo promiſſa, oritur inde *ſpes & fiducia in Deum*. Denique ex amore obedientiae, ipſa oritur *obedientia*, & euitatio omnis cultus alieni, adeoque & *abnegatio ſui*, cuius duas eſſe praecipue filias, *patientiam & humilitatem*, iam ſupra diximus.

* Dictum hac de re ſupra *part.* 1. *ſect.* 3. §. 116.

§. XXXIV.

Verum enimuero, cum in omnibus hiſce amoris diuini modis, qui cultum Dei internum conſtituunt, conſcientia adhaerentium nobis infirmitatum, nos impediat, & velut impedimentum aliquod ac obſtaculum adferat, *fides ſpecialis in Chriſtum* redemptorem accedat, neceſſe eſt, per quam harum infirmitatum remiſſionem, & condonationem peccatorum impetremus. Quae quidem fides hic conſideratur, prout eſt inter officia hominis chriſtiani, ad quam adeo, ceu maxime inſignem cultus diuini partem, lege obligati ſumus.

§. XXXV.

Vt partes illas cultus interni, antea deſignatas, paulo accuratius conſideremus, primo ſe offert amor ſeu *dilectio Dei ſpecialis*, * quo nomine intelligimus adfectum hominis regeniti, in quo ad amorem, generatim ſpectatum, accedit peculiaris reſpectus, ad ſummam Dei triunius bonitatem, beneuolentiam & amorem, quo ille nos complectitur, & quem praeter alia ſumma maximaque beneficia, per miſſionem chriſti redemptoris declarauit, ita, vt inde concitati omnem noſtram felicitatem in eius fruitione collocemus, hinc & cuncta parui faciamus, modo Deo potiamur, & magis magisque cum eo vniri cupiamus.

* Vocamus amorem ſeu dilectionem hanc Dei *ſpecialem*, quia amor generalis totum cultum internum abſoluit, adeo, vt timor, ſeu reuerentia, fiducia, &c. tantum ſint modificationes amoris huius generalis. Namque amor iſte generalis, pro diuerſa iſta modificatione, mox abſolute amor, mox reuerentia, mox ſpes & fiducia, dicitur. De amore iſto generali ex inſtituto & prolixe ſupra, *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 3. §. 106. *ſeqq.*

§. XXXVI.

Cum de actu amoris hic nobis ſermo ſit, ratio patet, cur eum per *adfectum*, deſcripſimus. Talis autem intelligitur adfectus, qui propenſionem ſupponit. * Adeoque lex praecipiens actum, ſimul prae-

cipit ipſam propenſionem, cum actus propenſionem ſupponat, vti contra propenſio, quae in actum non erumpat, nomine amoris minime digna eſt.

* Cum leges praecipua quadam ratione circa actus verſentur, ratio conſtat, cur hic amor tanquam adfectus potius, ſeu actus, quam vt propenſio ſpectetur. Quod ceteroquin amor Dei ſit propenſio habitualis, nunquam non in actum erumpens, iam demonſtrauimus, *part* 1. *cap.* 1. *ſect.* 3. *ad* §. 111. vbi & moraliſtarum quorundam ſtultitiam, amorem, qui nunquam in actum erumpat, fingentium, exploſimus. Nonnulli inter charitatem & amorem hocce diſcrimen ſtatuunt, quod illa habitum potius, hic actum denotet. vid. B. IO. GVIL. BAIERI *compend. theolog. moral. part.* 3. *c.* 7. *ſect.* 4. §. 1. *p.* 314. vbi GREGORIVM M. AVGVSTINVM, BERNHARDVM, aliosque, voce amoris ita vſos, oſtendit. Recte quidem modo actus intelligatur, qui ex propenſione habituali fluit, nec negetur, poſſe interdum, hanc vocem pro ipſa propenſione ſumi, vti ſupra eam accepimus.

§. XXXVII.

Specialis iſte, de quo loquimur, amor Dei, reuera eſt *amor concupiſcentiae.* Quo an amandus Deus ſit, diſputari equidem ſolet. Sed recto hoc amore eum amari, modo in Deo noſtram beatitudinem ita quaeramus, vt non ad nos ipſos, ſed ad Deum praecipua ratione reſpiciamus, iam alibi a nobis luculenter demonſtratum eſt. *

* *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 3. §. 123.

§. XXXVIII.

Fundamentum huius amoris eſt ſumma Dei bonitas, *Matth. XIX, 17.* tum beneuolentia, ac amor eius ſingularis, qui ſe in beneficiis diuinis, maxime ſpiritualibus, redemptionis, illuminationis, regenerationis, iuſtificationis, &c. manifeſtat. *1 Ioan. IV, 19. Tit. III, 4. Ioh. III, 16. Epheſ. II, 4. 5. Rom. V, 8.* Hiſce enim homo regenitus commouetur, vt in Dei fruitione omnem beatitudinem quaerat, Deumque adeo, ceu ſummum bonum ſuum, omnis felicitatis ſuae fontem, iterum amore ardentiſſimo amet. Et in eo quidem, velut formalis ratio amoris huius conſiſtit, quod omnem noſtram felicitatem ac beatitudinem in eius fruitione collocamus. conf. *Pſ. V, 12. XXXV, 9. XVIII, 2. 3.*

§. XXXIX.

Effectus huius amoris * ſunt ſtudium magis magisque proficiendi in vnione cum Deo, *1 Cor. VI, 17.* delectatio in rebus diuinis, & earum deſiderium, *Pſalm. XLII, 2. 3. LXIII, 1. ſeqq. LXXXIV, 2. 3. Eſ. XXVI, 8. 9.* ſtudium ſeruandi praecepta diuina, *1 Ioan. V, 3. Ioan. XIV, 23. 24.* & denique, amor ſincerus aliorum hominum, *1 Ioan. IV, 20.*

* Vt ceteroquin adfectus etiam in corpore quandam mutationem efficiunt, ita etiam ſpirituales, ſi vehementiores fuerint, id itidem efficere, ſupra obſeruauimus, *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 6. *ad* §. 40. Interim ex amore Dei, ſi etiam vehementior fuerit, commotiones tamen lenes potius, quam violentas, fluere, recte obſeruat IVSTVS CHRISTOPHORVS SCHOMERVS: *at effectus,* inquit, *eiusmodi violenti, quales nonniſi phantaſia fortis erga res viſibiles parit, deſtruentes tantum, non roborantes corpus humanum, a vero & ſancto amore Dei expectari.*

expectari non debent, vt pallore, macie, febri, deliquiis &c. ſe prodat, ſed lenes tantum, quales hiſtoriarum non primus auditus, ſed grata recordatio excitare ſolet, vt nempe teneritudine lacrymarum, plauſu manuum, gemitu, cantu &c. ſe exerat, prout corpore ipſo ad eiusmodi effectus magis minusue diſpoſiti ſumus. Aegram quidem ab amore ſe profitetur ſponſa myſtica, Cant. II, 5. ſed quae conuenienter perpetuae iſtic allegoriae intelligenda eſt, nempe de aegritudine animi, ſeu deſiderio propioris vnionis, & coeleſtis gaudii, non corporis ſibi attracta debilitate; theol. moral. cap. 8. §. 17. p. 321. Ceterum, quae de amoris, quoad corpus, effectibus diximus, certo modo de reliquis etiam adfectibus, qui cultum internum conſtituunt, intelligenda ſunt. Interim nos de moralibus effectibus praecipue hic ſumus ſolliciti. Quod enim *loco* antea *citato diximus, adfectus ſpirituales ad praeclara quaeuis impellere*, id nunc ſpeciatim in ſingulis hisce adfectibus oſtenditur.

§. XL.

Iam quod lex diuina eiusmodi amorem a nobis exigat, probatur, primo, ex primo noſtro iuris diuini principio, quia ad vnionem noſtram cum Deo, & imaginis diuinae reſtaurationem nihil eſt efficacius amore diuino. conf. *1 Ioan. IV, 16. 1 Cor. VI, 17.* Deinde, idem iterum ex primo decalogi praecepto patet: *ego ſum Dominus Deus tuus.* Qui enim Deum, vt ſuum Deum recipit, non poteſt non eum recipere, vt ſuum ſummum bonum. Hinc vero amor iſte oritur. Sed conſtat quoque hocce ex ſumma legis diuinae, quam Chriſtus ipſe proponit, *Matth. XXII, 37.* collat *Deut. VI, 5. X. 12. XI, 1.* Etſi enim ibi de amore generatim ſpectato ſermo ſit, hic tamen vt reliquas, ita hanc quoque amoris ſpeciem ſub ſe comprehendit, add. *Marc. XII, 30. Luc. X, 27.*

§. XLI.

Per *reuerentiam* ſeu *timorem Dei*, eiusmodi hominis regeniti intelligimus adfectum, in quo ad amorem accedit peculiaris reſpectus ad ſummam Numinis excellentiam, maieſtatem, potentiam & iuſtitiam, prouti haec ex diuina reuelatione cognoſcuntur, ex quorum conſideratione homo vehementer excitatur ad honorem Deo quouis modo exhibendum, & ea omnia ſedulo & ſollicite cauenda & euitanda, quae Deum vlla ratione offendere poſſunt.

§. XLII.

Vox *timor*, cum ad Deum refertur, non vno modo ſumitur. Interdum enim timor Dei, denotat totum *Dei cultum. Pſalm. XXXIV, 12. Iob. XXVIII, 28.* Interdum vero adfectum quendam peculiarem, qui partem cultus interni conſtituit, & tum ab amore, tum a ſpe, & fiducia diſtinguitur. conf. *Prou. I, 7. Pſalm. CXI, 10.* Et poſteriori quidem modo hic a nobis ſumitur. Sunt nonnulli, qui inter *reuerentiam & timorem Dei* diſcrimen conſtituunt, quod illa excellentiam & maieſtatem Dei, hic iuſtitiam & potentiam pro fundamento habeat; quemadmodum & veneratio diſtincte in ſcriptura ſacra commemoretur. conf.

 Pſalm.

Pſalm. XXII, 24. Nihil tamen obſtat, quo minus haec coniungamus, & ſub nomine timoris, iuxta receptam ſententiam, etiam reuerentiam ſeu venerationem comprehendamus; praeſertim cum vtriusque & venerationis, & timoris, vnus fere idemque ſit effectus.

§. XLIII.

Eſt autem reuerentia ſeu timor, de quo hic loquimur, nihil aliud quam amoris, generatim accepti, quaedam modificatio, vti & reliqui adfectus, qui bonum aliquod pro obiecto habent. Ex quo ſua ſponte ſequitur, ſermonem hic eſſe non de *metu ſeruili*, ſed *timore filiali.* * Metus ſeruilis tantum ex conſideratione poenae oritur, eſtque ab amore prorſus ſeiunctus. Tantumque abeſt, vt pro parte cultus interni habendus ſit, vt eidem potius repugnet, & hinc in ſcriptura ſacra reiiciatur. *Iob. XV, 20 21. Sap. XVII, 11. 12. 13. 1 Ioan. IV, 18.* Timor contra filialis, qui reuera eſt amor quidam modificatus, character eſt regenitorum, ſeu filiorum Dei. *Rom VIII, 15. Gal. IV, 6.*

* Sunt, qui triplicem Numinis timorem conſtituunt, *filialem, ſeruilem, & mixtum,* ſeu *medicinalem.* vid. IO. CONRADVS DANHAVERVS, in *colleg. decalog. p. 199.* Verum, quae de medicinali dicuntur, commode ad filialem referuntur. Vt vero in irregenitis & impiis tantum eſt metus ſeruilis: ita, ſi in regenitis aliquid metus ſeruilis ſuperſit, hoc pro imbecillitate reputandum, contra quam ſtrenue pugnant.

§. XLIV.

Fundamentum reuerentiae atque timoris eſt, ſumma Dei excellentia & maieſtas. *Ierem. V, 22. X, 6. 7.* Quae Numinis maieſtas, prout ex operibus naturae etiam eluceſcit, prolixe deſcribitur, *Iob. cap. XXXVII,* per integrum, *& ſqq.* Porro iuſtitia ſumma Numinis, *Kohel. XII, 13. 14. Eſ. VIII, 13. 14.* add. *Pſ. V, 5. 6. 7. XLV, 8. CXLV, 17.* item, omnipotentia diuina, *Gen. XVII, 1. Matth. X, 28.* add. *Pſ. CXV, 3. CXXXV, 6.* Accedit vero etiam omniſcientia diuina, *Pſal. CXXXIX, 1. ſqq. Rom. XI, 33. 34.* item omnipraeſentia, *Ier. XXIII, 23. 24. Pſal. CXXXIX, 7. 10.* & denique imperium, ac ius paternitatis, quod Deo in omnes homines competit. *Mal. I, 6. Pſ. II, 11. Ephef. III, 15.*

§. XLV.

Et haec quidem omnia ad reuerentiam ac timorem Dei excitandum apta ſunt, prout ex ſcriptura ſacra cognoſcuntur. Licet enim & ratio eadem quodammodo doceat, ſummam Dei eſſe excellentiam & maieſtatem, iuſtitiam, potentiam, & ſic porro; longe tamen efficacius in ſcriptura ſacra haec proponuntur. Cognitio autem horum attributorum intelligitur, non mortua & mere ſpeculatiua, * ſed viua, efficax, & practica, vti iam ex ſupra dictis conſtat.

* Videas enim homines, qui multa de iuſtitia, omnipotentia, omnipraeſentia Dei loquuntur, diſputant, commentantur, qui vita tamen moribusque demonſtrant, nullam in ſe eſſe reuerentiam, nullum timorem Numinis.

§. XLVI.

§. XLVI.

Effectus huius timoris ſunt promptitudo ad honorem Deo quouis modo exhibendum, *Pſalm. II, 11.* & ſollicita peccatorum euitatio. *Prouerb. VIII, 13. XVI, 6.* Accedit porro poenitentia ſeria, ſi forte praeter ſpem & expectationem noſtram Deum offendimus, *Pſ. CXXX, 4.* item, ne res creatas vllas timeamus, cum ſolus Deus timendus ſit, *1 Petr. III, 14. 15. Matth. X, 28.*

§. XLVII.

Deum ita timendum eſſe, probatur iterum ex primo noſtro iuris diuini principio. Qui enim in vnione cum Deo, & reſtauratione imaginis diuinae proficere cupit, eum neceſſe eſt, vt peccata quaeuis quam diligentisſime euitet, quod praecipue fit per verum, & filialem Dei timorem. Peccata enim ſunt, quae nos a Deo ſeparant, adeoque vnioni cum Deo vel maxime obſtant. *Eſ. LIX, 2.* Patet quoque idem ex primo decalogi praecepto. Si enim Deum verum pro noſtro Deo habere cupimus, neceſſe eſt, vt magnitudinem eius, maieſtatem, iuſtitiam, atque potentiam, cognoſcamus. Inde vero oritur timor Dei. Accedunt denique ſcripturae effata luculentisſima, quibus timor Numinis nobis iniungitur & commendatur, *Pſalm. II, 11. Mal. I, 6. Phil. II, 12. 1 Petr. II, 17.* & alia, ex praecedentibus repetenda.

§. XLVIII.

Spes & fiducia, erga Deum, eſt adfectus hominis regeniti, in quo ad amorem concupiſcentiae accedit firma perſuaſio de bonis ſpiritualibus & temporalibus, praeſertim aeterna beatitudine, iuxta ordinem a Deo praeſcriptum conſequendi, vnde & animus in Deo, ceu auctore omnis boni, & liberatore ab omni malo, firmiter acquieſcit, homoque promptus & alacris redditur, ad incommoda quaeuis, praeſertim ſi ad diuini Numinis gloriam promouendam ſubeunda ſint, libenter ſuſcipienda, & patienti ferenda animo.

§. XLIX.

Spem atque fiduciam erga Deum coniungimus, etſi ab aliis ſeparentur, quia fiducia nihil aliud eſt, quam amplior gradus ſpei. Quemadmodum & quae alibi de hiſce adfectibus diximus, * hic ſuo modo locum inueniunt. Cur vero ſpem & fiduciam *hominis regeniti* adfectum diximus, iam ex iis, quae ſupra obſeruauimus patet. Vt enim in irregenitos, nec amor verus Dei, nec reuerentia ac timor cadit, ita ſpes illorum vana eſt, non viua, ſed mortua, etſi plurimi per ſpem quandam & fiduciam imaginariam, ſe ipſos decipiant. conf. *Iob. XI, 20. 1 Petr. I, 3.*

* *part. 1. cap. 1. ſect. 6. ad §. 19.*

§. L.

Per ſpem, amorem concupiſcentiae modificari, res ipſa docet. Namque pro obiecto itidem habet bonitatem, & benignitatem Numinis. * Sed accedit perſuaſio firma de bonis quibusuis, quae ſperare fas eſt, a Deo facile impetrandis. Quae perſuaſio nititur experimentali cognitione, bonitatis, veracitatis, & omnipotentiae diuinae, *Eſ. XXVI, 3. 4. Pſalm. XXXVI, 8. ſeqq. LXXXIV, 12. 13. CXXX, 7.* add. *Pſ. LXXI, 14. Rom. VIII, 25. 2 Cor. I, 10. Ebr. VI, 11.*

* Res ipſa itaque docet, quod in ſolum Deum ſpes ſit collocanda, quem & pro obiecto ſpei ſcriptura aſſignat, *Pſal.* LII, 10. *Eſ.* L, 10. *Hoſ.* XII, 7. 1 *Tim.* IV, 10. Sed hoc iam patet ex iis, quae generatim de obiecto cultus religioſi diximus. Hinc ſpeciatim in ſingulis eius partibus hoc repetere, ſuperuacaneum duximus. Interim de obiecto ſpei prolixe agit SCHOMERVS, *theol. moral. cap.* 7. §. 22.

§. LI.

Obiectum itaque ſpeciale ſpei, ſunt bona a Deo impetranda, praecipue quidem ſpiritualia, tum & temporalia, ſed iuxta ordinem diuinum. vid. *Matth. VIII, 2. Phil. I, 23.* Non tantum vana, ſed ſtulta, & impia ſpes eſt, quae ordine diuino non nititur. Praecipuum autem ſpei obiectum eſt, vita aeterna, ſed itidem ſecundum ordinem a Deo praeſcriptum, obtinenda. *Rom. VIII, 23. Tit. II, 13.* add. *1 Cor. I, 7. Phil. III, 20. 1 Theſſ. I, 10. 2 Petr. III, 12. 13. Ebr. IX, 28. XI, 10.*

§. LII.

Quod ſi tantus ſpei gradus adſit, vt de bonis neceſſariis impetrandis, & liberatione ab omni malo, nulli dubitemus, adeoque placide in voluntate Dei acquieſcamus, vocatur ſpeciatim *fiducia.* * Quae, vti ſoli Deo debetur, *Prouerb. III, 25. 26.* ita vt omni tempore, etiam in aduerſis, ea inſtructi ſimus, par eſt. *Pſalm. LXXI, 5. 6. LVII, 2. Phil. IV, 12.* Nititur autem haecce fiducia, itidem ſapientia diuina, *2 Petr. II, 9.* omnipotentia, *Rom. IV, 21. 2 Tim. I, 12. Epheſ. III, 20.* & bonitate. *Pſalm. XIII, 6. XXXVI, 8. Ebr. XIII, 5. 6.*

* Haec eſt fiducia generalis, a qua ſpecialem iſtam, quae tertium fidei iuſtificae gradum conſtituit, diſtinguimus.

§. LIII.

Quod lege diuina ad ſpem hancce & fiduciam erga Deum obligati ſimus, ex primo iterum iuris diuini principio conſtat. Cum enim Deo nihil gratius ſit, quam ſpes & fiducia in illum collocata, cum vel maxime ad honorem Deo debitum illi exhibendum hoc pertineat, manifeſtum eſt, quod & hac ratione in vnione cum Deo, & imaginis diuinae in nobis reſtauratione, proficere queamus. conf. *Pſ. II, 12. XXXIV, 9. LXXXIV, 13. Prouerb. XVI, 20.* Idem & ex primo decalogi praecepto patet,

patet. Qui enim omnem in Deo fiduciam collocat, is hoc ipſo demonſtrat, quod Deus ſit ſuus Deus. conf. *Pſ. LXXI, 12. 14.* Hinc & *Eph. II, 12.* de ethnicis dicitur, eos, cum non habuerint ſpem, fuiſſe ſine Deo. Accedunt dicta alia, in quibus idem diſerte nobis iniungitur. conf. *Pſal. XXVII, 14. XXXVII, 7. Prouerb. XX, 22. Tit. II, 12. 13. 2 Petr. III, 11. 12.* & de *fiducia* ſpeciatim, *Pſ. LXII, 9. Prouerb. III, 5. Eſ. XXVI, 4.*

§. LIV.

Obedientia erga Deum, eſt eiusmodi hominis regeniti adfectus, in quo ad amorem * accedit reſpectus ad dependentiam noſtram a Deo triuno, ita vt eum ceu dominum noſtrum & patrem veneremur, omnesque motus noſtros internos & externos, ad eius voluntatem componamus, ſiue haec facienda praecipiat, ſiue omittenda vetet.

* Amorem complacentiae, in amorem amicitiae & obedientiae iam ſupra diuiſimus, *part. 1. cap. 1. ſect. 3. §. 121.* conf. & §. 122. Idem innuere videntur, qui amorem Dei in *affectiuum* & *effectiuum* diſtinguunt, quae tamen quo ſenſu capienda ſit diſtinctio, itidem dictum, *part. 1. cap. 1. ſect. 3 ad* §. 111. Ceterum cum obedientia iſta in omni virtutum exercitio conſpiciatur, ratio patet, cur inter characteres & proprietates virtutis eam retulerimus, *part. 1. cap. 1. ſect. 3.* §. 13.

§. LV.

Obedientiam hic intelligimus *internam*, quae certam animi diſpoſitionem, & adfectum denotat, ex qua tamen *externa*, qua actus omnes legi diuinae conformes reddere annitimur, non poteſt non fluere. Ab ea, regeniti dicuntur, **τέκνα ὑπακοῆς**, *1 Petr. I, 14.* add. *Rom. VI, 16. ſeqq.*

§. LVI.

Reſpectus ille ad dependentiam noſtram a Deo, partim pertinet ad regnum naturae, partim ad regnum gratiae. Quod ad regnum naturae attinet, dependemus a Deo, per creationem & conſeruationem. *Actor. XVII, 24. 28.* add. *1 Paral. XXIX, 11. 12.* Quoad regnum vero gratiae per redemptionem. *1 Petr. I, 17. 18. Eph. II, 10.*

§. LVII.

Oritur inde illa *ſubiectio voluntaria*, qua agnoſcimus non tantum nos obſequi Deo debere, ſed promti etiam ad hoc paratique ſumus, idque lubenti animo *Eph. VI, 6. Coloſſ. III, 23. Rom. VII, 22. Pſalm. XL, 8. 9.* conf. & *1 Petr. V, 2. Matth. IV, 20.* Haec eſt **προθυμία τοῦ θέλειν**, *2 Cor. VIII, 11.* vnde diligens inueſtigatio illorum, quae Deo placere poſſint, *Epheſ. V, 10. Rom. XII, 2.* & conſtantia in exequendis Dei mandatis, *Pſ. XL, 7.* collat. cum *Exod. XXI, 5. 6.*

§. LVIII.

Ipſa obedientia conſiſtit in conformatione actuum omnium, cum voluntate Dei, & quidem pro hodierno hominum ſtatu, euangelica.

Ea

Ea enim obedientia, quam lex requirit, * hodie iuxta tenorem legis a nemine praeſtari poteſt. Voluntas Dei, iuxta doctrinam euangelii, in eo conſiſtit, vt non tantum media ſalutis ad vires ſpirituales in nobis reſtaurandas rite adhibeamus, ſed &, vt, poſtquam reſtauratae ſunt, per eas ad legem diuinam, ceu normam & regulam vitae noſtrae nos totos componamus, certa fiducia freti, fore vt adhaerentes imperfectiones, ob meritum Chriſti Deus nobis remittat.

* Quod conformatio haec, quoad rigorem legis, debeat eſſe *vniuerſalis*, *ſumma*, *plena*, *prudens*, pluribus docet SCHOMERVS, *theol. moral. cap.* 8. §. 20. *p.* 326. *ſeqq.*

§. LIX.

Cum autem lex diuina ſpiritualis ſit, adeoque internos praecipue, tum & externos actus reſpiciat, vt ſeruator docet, *Matth. V, 21. ſeqq.* palam eſt, quod & obedientia chriſtiana non tantum in externis, ſed cumprimis in internis actibus conſpiciatur. Praeterea, cum leges diuinae vel affirmatiuae ſint, vel negatiuae, duplex inde oritur obedientiae ſpecies; praeſtatio illorum, quae Deus iubet, *Exod. XIX, 8.* & intermiſſio illorum, quae Deus prohibet, *1 Petr. III, 11.* Atque vltima haec obedientiae ſpecies, maxime ſe exerit in abnegatione ſui.

§. LX.

Ad obedientiam Deo praeſtandam hominem obligatum eſſe, etſi fere probatione non indigeat, & merito ceu praecipuum iuris fundamentum ſupponatur, probari tamen ex abundanti itidem poteſt, ex primo iuris diuini principio. Qui Deo non obſequitur, eum non amat. *1 Ioan. V, 3. Ioan. XIV, 23. 24.* Qui Deum non amat, cum eo vniri nequit. Idem patet ex primo decalogi praecepto. Deus verus, Deus noſter eſt, ſcilicet & per creationem, & per conſeruationem, non minus autem per redemptionem, ergo & Dominus noſter, cui obſequi in omnibus tenemur. *Mal. I, 6. Pſalm. XCV, 3. ſeqq.* Denique & diſerte hoc a nobis exigit Deus. *1 Sam. XV, 22. 23. Deut. IV, 5. 6. Ioan. XV, 14.*

§. LXI.

Adfectus iſti, quos hactenus deſcripſimus, quiue cultum Numinis internum conſtituunt, cum maxime per *inuocationem, & gratiarum actionem mentalem,* * ſe exerant, de vtraque aliquid dicendum eſt. Inuocatio Dei mentalis eſt adfectus hominis regeniti, per quem accedente ad amorem Dei indigentiae humanae, qua nos ipſos, qua alios, in ſpiritualibus pariter ac corporalibus, conſideratione, mens excitatur ad ea, quae nobis & aliis neceſſaria ſunt, a Deo ſolo per Chriſtum, iuxta ordinem & voluntatem diuinam, filiali fiducia expetenda. Gratiarum autem

autem actio mentalis, eſt adfectus hominis regeniti, per quem accedente ad amorem Numinis, beneficiorum diuinorum, ſpiritualium & corporalium, in nos aut alios, ex mera gratia per Chriſtum ſeruatorem ab eo collatorum conſideratione, mens ad gaudium ſpirituale, animique grati ſtudium excitatur, vt Deum euehat, & extollat, eiusque celebrare quouis modo bonitatem, & aliis patefacere, geſtiat.

* Inuocatio Numinis, & gratiarum actio externa, ſi ſine interna & mentali ſit, inepta eſt & hypocritica. Interna, etſi cum externa haud raro coniuncta ſit, ſine ea tamen eſſe poteſt. Et hac ratione inter internam & externam diſcrimen conſtitui ſolet.: quod a me iam obſeruatum in *diſſert.* de *pietate philoſophica ſeu relig. natur.* §. 32.

§. LXII.

Coniunximus haec officia, quia reuera coniuncta ſunt, & ſe mutuo inſequuntur & excipiunt, ita etiam comparata, vt quod de vno dicitur, facile ad alterum adplicari queat, licet in ſe conſiderata omnino differant. Cumque & inuocatio, & gratiarum actio intelligatur mentalis, patet, quod non tantum ad cultum Numinis pertineant, ſed recte etiam deſcribantur per *adfectus*, & quidem *hominis regeniti*, quia in irregenitis locum non habent. Eſt etiam vterque adfectus modificatio quaedam amoris, poteſtque inuocatio quodammodo ad *cupiditatem*, gratiarum actio ad *laetitiam*, aut *gratitudinem* (namque & hanc nonnulli inter adfectus numerant *) referri, quos quidem adfectus, nihil aliud, quam amoris modos eſſe, aliunde conſtat.

* vti dictum *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 4. §. 22.

§. LXIII.

Determinatur autem amor in inuocatione mentali per conſiderationem indigentiae, & noſtrae & alienae. Namque aliorum, quos amant, calamitates, non minus ſentiunt fideles, quam ſuas, ideoque & ad preces pro illis fundendas, obligati ſunt. Ideoque & Chriſtus in plurali numero nos orare docuit: *pater noſter*, item, *panem quotidianum da nobis hodie &c.* Quemadmodum & Paulus inter alia precum genera etiam *ἐντεύξεις*, *interceſſiones pro aliis*, nobis commendauit. *1 Tim. II, 1.*

§. LXIV.

Ipſa autem indigentia, cum ſit aut ſpiritualium, aut temporalium bonorum, vtraque a Deo expeti poſſe, ſed obſeruato ordine, * qui voluntati diuinae eſt conueniens, manifeſtum eſt, & formula quoque orationis dominicae ab ipſo ſeruatore praeſcripta, omnes condocet. Dum autem bonorum collationem petimus, ſubintelligitur ſimul ablatio malorum oppoſitorum, quam itidem noſtra indigentia exigit.

* vid. dicta, *part.* 1. *cap.* 5. §. 32.

Digitized by Google

§. LXV.

Formalis ratio inuocationis conſiſtit in mentis excitatione & eleuatione ad Deum, * cum cupiditate bona neceſſaria ab eo impetrandi. Cuius fundamentum eſt, quod Deum ceu patrem noſtrum, & fontem omnium bonorum vero amore complectimur. Hinc & Chriſtus in formula orationis dominicae Deum *patris* nomine nos compellare docuit, *Math. VI. 11.* Vnde & ſequitur, quod a ſolo Deo bona, quibus indigemus, petenda ſint, cum alius praeter Deum ea nobis largiri nequeat, & ſi ea hoc modo ab alio expeteremus, eum pro Deo haberemus, quae eſſet foediſſima idololatria. Per Chriſtum autem bona haec expetenda ſunt, quia per eum ſolum habemus παῤῥησίαν, & aditum ad patrem. *Ebr. X, 19. 22.* add. *Eph. III, 12. Ioan. XVI, 23.* Et inde oritur filialis illa fiducia, quae cum ſemper in regenitis adſit, in inuocatione tamen Dei vel maxime ſe exerit, *Rom VIII, 15.* & cum humilitate, ex conſideratione maieſtatis, qua is pollet, quem inuocamus, orta, coniuncta eſt. conf. *Gen. XVIII, 27. Pſ. CXVI, 16.*

* Quam mentis eleuationem itidem explicauimus, *part. 1. cap. 5. §. 26.*

§. LXVI.

Omnia, quae a Deo expetimus, ſecundum ordinem, quo Deus in diſpenſandis bonis ſuis vtitur, & voluntatem diuinam, expetenda ſunt. In ſpiritualibus nimirum ita, vt ſimul media ſalutis ipſi rite vſurpemus. Quemadmodum enim temporalia bona hominibus largitur per media a ſe ipſo conſtituta, vt oratione parum proficeret, qui non laborare, ſed otio indulgere vellet; ita & ſpiritualia per media certa, verbum & ſacramenta confert, quorum adeo vſus legitimus requiritur ab iis, qui & hic voti ſui compotes fieri volunt. Cum etiam temporalia bona hominibus interdum noxia potius ſint, quam vtilia, & chriſtianiſmi ac ſalutis aeternae impedimentum aliquod adferant, conditionate haec expetenda ſunt, ſi Deus ea nobis prodeſſe intellexerit.

§. LXVII.

Gratiarum actionem itidem hic intelligimus mentalem, etſi vox iſta actum aliquem externum ſignificare videatur. Nonnulli inter *laudem, & gratiarum actionem* diſtinguunt, laudem vocantes, cum Deum ob maieſtatem & gloriam extollimus, *Pſ. LXIX, 31. Tob. II, 8.* gratiarum actionem autem, qua animum gratum ob beneficia oſtendimus, *Pſ. L, 23.* Qua quidem ratione laus erit fructus ſeu effectus reuerentiae vel timoris Dei. Nos autem de gratiarum actione nunc loquimur.

§. LXVIII.

Et ea quidem gratiarum actio, vt ex dictis conſtat, itidem amoris quae-

quaedam eſt ſpecies. Accedit vero ad amorem generatim ſpectatum, conſideratio beneficiorum diuinorum, praecipue ſpiritualium, *Pſalm. XCII, 2. Phil. I, 10. 11.* ſiue ea a Deo antea expetiuerimus, ſiue praeter ſpem & expectationem nobis obtigerint, ſiue in nos, ſiue in alios fuerint collata. Vt enim pro aliis orare, ita & pro beneficiis in eos collatis, gratias agere debemus. conf. *Rom. XII, 15. 1 Tim. II, 1. 2.*

§. LXIX.

Conſiderantur autem beneficia diuina in gratiarum actione, prout ex mera gratia in maxime indignos, per meritum Chriſti conferuntur. Ad grati enim animi adfectum excitandum, & inflammandum, plurimum confert, ſuam probe meditari indignitatem, & quam in nobis nihil ſit, quo vel minimum beneficium promereri potuerimus, adeoque propitio Numinis cuncta tribuenda fauori, quod propter Chriſtum tot tantisque nos cumulat beneficiis. Per Chriſtum enim benedictio Abrahami, ad omnes gentes peruenit. *Gal. III, 14.* conf. *1 Corinth. I, 4. ſqq. Phil. I, 3. ſeqq. 1 Tim. I, 12. ſeqq.*

§. LXX.

Conſiſtit itaque gratiarum actio mentalis in mentis eleuatione ad Deum, cum gaudio & veneratione, ſtudioque gratum animum declarandi. Concurrit vtique intellectus beneficia iſta diuina meditando, & nobis repraeſentando, quo ſenſu nonnulli dicunt, primum in gratiarum actione actum eſſe, ſtatuere apud animum, quod beneficium ab altero acceperimus. conf. *Pſ. CIII, 2. & CXXXIX, 14.* Proprie tamen in voluntate ſedem habet, vt reliqui adfectus omnes. Gaudii autem dum iniecimus mentionem, non hoc ita capiendum, ac ſi gratiarum actio tantum in gaudio conſiſtat, ſed quod gaudium cum ea coniunctum ſit, ſpirituale ſcilicet, ex cauſſis quippe ſpiritualibus ortum. Effectus autem gratiarum actionis, ſtudium celebrandi verbis & opere Deum ob accepta beneficia, eius bonitatem euehendi, & reliqui, per ſe patent.

§. LXXI.

Quod iure diuino tum ad inuocationem, tum ad gratiarum actionem obligati ſimus, ex illo, quod ſupra conſtituimus, iuris diuini principio, patet. Inuocatione enim Dei, & gratiarum actione, amor noſter magis magisque erga Deum excitatur, vnioque adeo cum Deo, & diuinae imaginis reſtauratio promouetur. Patet idem tum ex primo, tum ex ſecundo decalogi praecepto. Ex primo quidem, quia, qui Deum verum vt ſuum Deum recipit, non poteſt non eum vt auctorem & fontem omnis boni, omniumque beneficiorum ſpectare, adeoque haec ab eo ſolo expetere, & pro acceptis, illi gratias agere. Hoc & ſub-

inde Dauid rex ſanctisſimus innuit, in precibus Deum, *Deum ſuum, ſuum regem* vocando. *Pſ. V, 3. VII, 2. 4.* In ſecundo autem praecepto glorificatio nominis diuini diſerte iniungitur, quod tum precibus fit, tum gratiarum actione, aliisue modis, niſi de externa praecipue diuini nominis glorificatione ibi ſermonem eſſe velis, quae tamen internam ſupponit.

§. LXXII.

Accedunt & alia, quibus idem iniungitur, ſcripturae ſacrae oracula, & quidem quod ad inuocationem attinet, *Pſal. L, 15. 1 Tim. II, 1. 1 Theſſ. V, 17 Luc. XVIII, 1.* Quod autem ſolus Deus inuocandus ſit, iam ex iis, quae de obiecto cultus religioſi generatim dicta ſunt, patet, add. *Exod. XX, 3. ſqq. Matth. IV, 10. Rom X, 14.* De gratiarum actione idem conſtat ex *Pſalm. L, 14. 1 Theſſ. V, 18. Eph. V, 19. 20.* praeſertim pro ſpiritualibus beneficiis, *Pſalm. CIII. 2. ſeqq.* item pro temporalibus, *Pſalm. CVII, 2. ſeqq.* & denique pro bonis in alios collatis, *1 Tim. II, 1.*

§. LXXIII.

Supereſt, vt de *fide ſpeciali* in Chriſtum, ſeu cultus interni parte maxime neceſſaria, dicamus. Nec tamen indolem eius atque naturam explicabimus, quippe quod huius loci non eſt, ſed prout ad illam iure diuino obligati ſumus, eam conſiderabimus.

§. LXXIV.

Id praecipue obſeruandum, fidem illam ſpecialem, qua meritum Chriſti adprehendimus, vt remisſionem peccatorum ab illo impetremus, neutiquam vnico actu abſolui, ſed continuandam eſſe per omnem vitam, ita quidem, vt homines regeniti etiam ſemper in omni virtutum exercitio credant, Deum ſibi peccata ſua & imperfectiones, optimis etiam actionibus adhaerentes, ex gratia ob meritum Chriſti remiſſurum. Et ita propter fidem opera noſtra, etiam quae in cultu Dei interno praeſtamus, Deo placent, *Ebr. XI, 6.*

§. LXXV.

Duplici porro ratione fides conſiderari poteſt, vel vt inſtrumentum, quo meritum Chriſti adprehendimus, vel vt officium, quod ab omnibus, qui Deo placere, & illum rite colere volunt, requiritur. Non priori, ſed poſteriori modo hic a nobis ſpectatur, cum inter officia refertur, interim prior reſpectus ſemper ſupponitur, cum inde officia noſtra habeant, quod Deo placere queant. *

* De duplici hocce fidei reſpectu paſſim equidem theologi agunt: accurate tamen & luculentisſime cuncta explicat D. SCHOMERVS, *theol. moral. cap. 7. §. 3.* *Fides haec*, inquit, *duplici reſpectu conſideratur, vt concurrit ad iuſtificationem hominis, ſiue gratiam diuinam effectumque obedientiae & iuſtitiae Chriſti obtinendum, & vt hominem actu vel habitu ali-*

quo

quo obedientiae ac virtutis perficit, illo reſpectu pertinet ad euangelium. Gal III, 12. *ſeqq. hoc vero ad legem. Matth.* XXIII, 23. Perinde nimirum ſe res habet, vt in homine, cui aliquid donatur, in quo conſpicitur primum deſiderium accipiendi donum, quo impellitur, vt manum extendat, tum poſtquam donum accepit, motus aliquia reuerentiae & grati animi in eo exilit, acceptum beneficium aeſtimantia, ſeque illi iterum conſecrantis, a quo beneficium accepit. Qui quidem actus ſeu motus animi diuerſi ſunt, reuera tamen coniuncti, cum fieri prorſus nequeat, vt non qui ſerio beneficium deſiderauit, vehementi motu ad animum gratum declarandum inciterur, poſtquam iſtud accepit. conf. & quae ſupra diximus, *part.* 1. *cap.* 5. §. 7. Conſideramus autem hic fidem equidem, vt virtutem, ſed ſimul vt principium omnium virtutum, prout ſine fide etiam nulla virtus Deo grata eſſe ac placere poteſt, vt per fidem meritum Chriſti adprehendentem ipſi demum Deo placemus, vti ſupra demonſtrauimus. Et id euincunt rationes, quae deincepa adferuntur add. B. BAIERVS noſter, *theol. moral. part.* 3. *cap.* 7. *ſect.* 3. Ceterum de fide, vt virtute ſpectata, prolixe & copioſe differit, quam antea laudauimus, SCHOMERVS, qui & de obedientia fidei tum paedagogica, tum ſpirituali, & quod ad hanc attinet, iterum vel actiua vel paſſiua, qua ſingulos fidei gradus, notitiam, aſſenſum & fiduciam, §. 5. *ſeqq.* exponit, quae legiſſe, forte poenitebit neminem.

§. LXXVI.

Etenim ad fidem ſpecialem, hoc modo conſideratam, hominem obligari, ex primo iterum conſtat iuris diuini principio. Praeterquam enim quod fides ſit praecipuum & immediatum medium vnionis cum Deo, *Ioan. III, 16.* vt per fidem etiam maxime viuamus vitam ſpiritualem, *Gal. II, 20. III, 11. Ebr. X, 38.* & ea, quae nos a Deo ſeparare poterant, vincimus, *1 Ioan. V, 4. 5.* reliqua omnia, quae ad vnionem cum Deo, & diuinae imaginis in nobis reſtaurationem ducunt, fruſtra ſuſciperentur, ſi ſine fide eſſemus, ſine qua nihil placere Deo poteſt. *Ebr. XI, 6.* Praeterea, nemo Deum amare, aut filiali timore timere poteſt, niſi certus ſit, Deum placatum propitiumque ſibi eſſe. At hac de re nemo ſine fide certus eſſe poteſt. *Ebr. X, 22.*

§. LXXVII.

Idem conſtat ex primo decalogi praecepto. Cui Deus non eſt placatus, ille Deum vt ſuum Deum recipere nequit. Hinc credentibus in nouo teſtamento Deus promittit: *ego ero Deus illorum, Ierem. XXXII, 38.* Accedunt alia ſcripturae oracula, in quibus idem iniungitur. *Hoc eſt mandatum eius*, inquit Ioannes, *vt credamus nomini filii eius Ieſu Chriſti &c. 1 Ioan. III, 23.* Non tantum diſerte docet ibi, praeceptum ſeu mandatum eſſe a Deo, vt in Chriſtum credamus, ſed coniungitur hoc cum dilectione aliorum hominum, ut intelligamus, quemadmodum praeceptum a Deo eſt, vt alios homines diligamus, ita & pari ratione ab eodem praeceptum eſſe, vt credamus in Chriſtum. Immo quod ad credendum in Chriſtum obligati ſimus, generatim quoque ex hocce iuris naturalis principio patet, quod docet ſalutis obtinendae

 media

media ab omnibus eſſe vſurpanda. At praecipuum ex parte hominis, ſalutis obtinendae medium, fidem eſſe, conſtat. conf. *Ioan. III, 16. XVIII, 3.*

§. LXXVIII.

Nititur autem fides haecce partim merito Chriſti, partim gratia, amore, miſericordia & placabilitate Numinis. *Epheſ. II, 8.* Ad cultum vero Numinis neceſſarium eſſe, vt ſupponamus, Deum nobis peccata noſtra remittere, tam apertum eſt, vt ipſi etiam ethnici quodammodo hoc intellexerint. Namque & placabile Numen eſſe docuerunt, & varia, quibus placari poſſit, ipſi commenti ſunt. * Sed longe rectius ſcriptura ſacra nos hac de re informat, dum non tantum certiori fundamento Deum placabilem eſſe oſtendit, ſed veram etiam & genuinam rationem illum placandi, & remiſſionem peccatorum obtinendi, monſtrat.

* Prolixe admodum & operoſe plurimis ethnicorum ſcriptorum in medium allatis teſtimoniis, quod Numen placabile ſit, comprobat ROBERTVS SCHARROCKIVS, de *officiis ſecundum ius naturae, cap. 16. pag. 617. ſeqq.* Sed haec cognitio gentilibus parum profuit, quod veram & genuinam rationem placandi Numen ignorarent. Hinc ad ritus varios, & ceremonias, ſaepius ineptiſſimas, prolapſi ſunt, exiſtimantes, expiari iis peccata, iramque Numinis placari poſſe. Huc varia iſta pertinent luſtrationum genera, de quibus ex inſtituto IO. LOMEIERVS, in *ſyntagmate, de veterum gentilium luſtrationibus.*

§. LXXIX.

Et ita quidem cum ſe habeat cultus Dei internus, quem per ſingulas partes hactenus deſcripſimus, & ad quem iure diuino nos obligari, oſtendimus, nunc quidem facile intelligitur, quaenam eadem lege prohibeantur. Omnia ſcilicet ea, quae vero & genuino Numinis cultui, & quidem interno, oppoſita ſunt. Ea paucis, eundo per ſumma rerum capita, indicare, noſtri officii poſtulat ratio. In plerisque autem duo deprehendemus extrema, in quorum alterutrum prolabuntur, qui a recta via diſcedunt, dum alii ad ſecuritatem proni, cultum diuinum plane negligunt, * alii contra ſuperſtitioni dediti, non recte Deum colunt, ** idque pro duplici ſtatu, ſecuritatis, & ſeruitutis, in quo omnes irregenitos conſtitutos eſſe, alibi obſeruauimus.

* Nonnulli hocce vitium, *Deismum*, vocant. Ita IOAN. LAVRENTIVS LVCHESINIVS, Lucenſis, in *noua copia & ſerie centum euidentium ſignorum verae fidei, pag.* 550. atheos a Deiſtis ita diſcernit, vt illos nullam agnoſcere diuinitatem, hos agnitam nullo dignari cultu, aſſerat. Obſeruatum id iam a me in *diſſertat. de pietate philoſoph. ſeu rel. naturali*, §. 64. Poſſes & atheismum practicum dicere. Fieri equidem nequit, vt, qui Deum agnoſcit, non etiam ſimul agnoſcat eum cultu religioſo proſequendum eſſe: hoc

enim

enim in ipſa notione Dei continetur, & menti eam intelligenti ſtatim ſe offert. Hoc tamen fieri poteſt, vt quis Deum eſſe credat, etiam cultu religioſo eum proſequendum agnoſcat, nec tamen illum colat. Cuius rei ratio inde petenda, quod cupiditatum, quibus agitantur mortales, ea vis ſit, vt ſaepiſſime contra principia ſibi adprobata, & de quorum veritate non dubitant, agant.

** Qui Deum non recte colunt, iterum non vnius ſunt generis. Aut enim circa *obiectum* cultus religioſi a recto tramite aberrant, aut circa *modum*. Si circa obiectum aberretur, dum quis aliud quid pro Deo colit, quod tamen verus Deus non eſt, vocatur *idololatria*. Quae licet cum polytheiſmo, ſupra iam ad §. 19. notato, & idolologia, vt nonnulli vocant, plerumque coniuncta ſit, adeo vt ipſe polytheiſmus aliquando idololatriae nomine veniat, recte tamen ab eo diſcernitur, cum polytheiſmus, ac idolologia peruerſum de Numine ſenſum, idololatria autem prauum Numinis cultum ſignificet. Eſt autem idololatria vel *craſſior* vel *ſubtilior*. Craſſior eſt, qua gentiles, *gloriam immortalis Dei ad imagines ſimiles hominis mortalis, & volucrum, & quadrupedum*, & *ſerpentium tranſtulerunt*; Rom. 1, 23. A qua craſſiori idololatria magna quidem orbis pars hodie liberata eſt, poſtquam chriſtiana religio longe lateque eſt propagata: quanquam plurimae adhuc ſuperſint gentes, tenebris eiusmodi immerſae. Quemadmodum vero nullum temere eſt rerum creatarum genus, ex quo emolumentum aut damnum ad homines redundare poteſt, quod non gentiles olim diuino cultu fuerint proſecuti: ita cumprimis ſidera coeleſtia illorum in ſe traxerunt animos, tum ſplendore ac curſus perpetuitate in ſui admirationem eos concitantia, tum vtilitate, quam ſublunaria haec ex aſtris percipere ſibi perſuadebant, ad cultum & venerationem eos impellentia. Vt vero inter ſidera ſol eminet, ita & eum ceu Deum pleraeque gentes adorarunt. Hinc MACROBIVS, Graecis ac Romanis ſolem in tanta veneratione fuiſſe, dicit, vt nonnulli, omnes deorum appellationes ad vnum ſolem ſpectaſſe, crediderint, *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 17. Sed de cauſſis, origine & progreſſu craſſioris iſtius idololatriae alibi ex inſtituto agitur: interim conferendi GERHARDVS IOANNES VOSSIVS, de *idololatria gentilium*, IOAN. SELDENVS, de *diis Syris*, PETRVS IVRIEV, in *hiſtoria critica dogmatum & cultuum bonorum & malorum &c.* Gallicana lingua ſcripta, aliique. A craſſiori iſta idololatria noſtra aetate parum alieni ſunt pontificii, ob cultum religioſum, quem Mariae, ſanctis, eorum reliquiis, imaginibus, & cruci deferunt. Enimvero in quamcunque ſe vertant partem, quocunque etiam modo excuſare iſtam idololatriam velint, quibuscunque etiam vtantur diſtinctionibus, res ipſa docet, & experientia quotidiana, quod cultus, quem eiusmodi rebus exhibent, religioſus ſit, & turpiſſimae idololatriae rei peragantur. Potuiſſent ſane eadem ratione & gentiles idololatriam ſuam excuſare, quod & a nonnullis infelici conatu tentatum eſt. Sed hiſce immorari nolo, cum rem omnem luculenter euicerit, & ipſis pontificiorum teſtimoniis eos idololatriae reos egerit, IO. CONRADVS DANHAVERVS, in *colleg. decalog. p.* 58. *& ſeqq.* vbi copioſe & ex inſtituto hac de re diſſerit. Nos id potius obſeruamus, non tantum directe, ſed & indirecte aliquem craſſioris idololatriae reum fieri poſſe, ſi quid agat, ex quo honor Deo debitus in alium redundet. Huc refero *magiam* & omnes eius ſpecies, quae fere infinitae ſunt. In magia namque a daemone malo id homines expetunt, quod a Deo expetere debebant, ſi modo expetant, quae expetere fas eſt: vnde hoc ipſo daemoni malo honorem tribuunt, quem ſoli Deo tribuere debebant. Hoc namque omni tempore, praeſertim in magia, artibusque eo ſpectantibus egit infernalis genius, homines vt induceret, vt eos ſibi tribuerent honores, quos ſolus Deus ſibi vindicare poterat. Vnde vt ipſa magia eſt idololatriae ſpecies, ita cum idololatria, prout a magia diſtinguitur, coniunctam ſemper fuiſſe magiam, erudite probat IOANNES FILESACVS, theologus Pariſienſis, in *diſſert. de idololatria magica*, §. 6. *fol.* 36. *ſeqq.* Neque tantum craſſior illa magiae ſuperſtitioſae ſpecies, cum homines cum infernali genio pactum ineunt, aut ſibi inire videntur, ita comparata eſt, ſed ſubtilior etiam, cum quacunque ratione mediis ab infernali genio mediate aut immediate ſuppeditatis potius ad finem propoſitum conſequendum, vti volunt, quam iis, quae ſapientia ac benignitas Numinis praeſcripſit. Hinc & eodem loco habendae ſunt omnes

artes

Digitized by Google

artes diuinatoriae, quippe quibus id agitur, vt ea reſciſcamus, quae Deus nos ſcire noluit: quo ipſo iterum Deum velut alienum aſſumimus, qui ea nobis praeſtet, quae a Deo vero expectare non audemus. Quotuplici autem ratione hac in re olim peccatum ſit, ſed & hodie peccetur, diſcere licet ex CASPARIS PEVCERI opere, de *variis diuinationum generibus*. Et ſane cum in iſtis artibus diuinatoriis illicitis, nulla ratio ſit, quae nobis perſuadeat, Deum ipſum intercedere, qui futura reuelet, nihil aliud ſupereſt, quam vt concludamus, a daemone malo hoc expectari, adeoque eidem, quae Deo debebantur, tribui. A *craſſa* iſta idololatria, de qua hactenus diximus, diuerſa eſt *ſubtilior*, cum licet vnum verumque Deum nobis colere videamur, corde tamen aliis magis rebus adhaeremus, quam Deo, ſcilicet hominibus aliis, *Ierem.* XVII, 5. *Pſalm.* CXVIII, 8. 9. CXLVI, 3. 4. aut aliis rebus creatis, per auaritiam, *Matth.* VI, 24. *Coloſſ.* III, 5. *Eph.* V, 5. 1 *Timoth.* VI, 17. per ambitionem, *Eccleſiaſt.* X, 14. 15. 16. & denique per voluptatem, *Phil.* III, 19. Immo & ipſe diabolus interdum loco Dei colitur, non tantum craſſiori modo, 1 *Corinth.* X, 20. ſed & ſubtiliori, *Rom.* VI, 16. Cum primis homo ſeipſum per prauam philautiam pro Deo colit, quae idololatriae ſpecies vt omnium eſt ſubtiliſſima, omniumque intime inhaeret animis & cordibus, ita & reliquarum fons eſt & ſcaturigo, quod ex iis, quae *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 4. §. 36. diximus, abunde conſtat. Et ea quidem, qua hactenus diximus, ratione, circa *obiectum* cultus diuini aberratur. Iam quod ad *modum* attinet, nihil frequentius, quam vt homines verum equidem Deum colere velint, ſed non ea id faciant, qua decebat, ratione. Hinc *ſuperſtitio*, ſeu *δεισιδαιμονία*, quam THEOPHRASTVM per *δειλίαν πρὸς τὸ δαιμόνιον*, ſeu *meticuloſum erga Numen adfectum, in charact. mor. pag.* 47. recte definiuiſſe, ſupra obſeruauimus, *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 4. *ad* §. 71. Nimirum ex metu ſeruili oritur ſuperſtitio, vnde varia homines excogitant, quibus placari Numen, & ſibi propitium reddi poſſe exiſtimant, etſi ipſi in peccatis perſeuerent, nec veram rationem per poenitentiam & fidem in Chriſtum propitium ſibi reddendi Numen, ineant. Quorſum & omnis *ἐθελοθρησκεία* pertinet. Vnde in effectus ineptos & ridiculos paſſim erumpere ſuperſtitionem videas. Latiſſime autem ſe diffundit ſuperſtitio, per omnes non tantum interni, ſed & externi cultus partes, immo per omnia officia, quae homo tum erga ſeipſum, tum erga alios, praeſtare debebat; ſed maxime in cultu externo, & certorum rituum ac ceremoniarum obſeruatione conſpicitur. Diuerſimode etiam pro diuerſis hominum ſtatibus ciuili, eccleſiaſtico, oeconomico ſe exerit. Vnde, ſi quis ad ſpecialia deſcendere vellet, ampliſſima variarum obſeruationum ei enaſceretur copia. conf. & IOAN. CONRADVS DANHAVERVS, in *colleg. decalog. pag.* 218. *ſeqq.* & quae diximus in diſſert. *de pietate philoſ. ſeu relig. natur.* §. 71.

§. LXXX.

Id ſtatim conſpicere licet, ſi amorem Dei ſpecialem, ad quem lege diuina homo obligatus eſt, conſideremus. Alii namque, ſcilicet, qui in ſtatu ſecuritatis conſtituti ſunt, in eo peccant, quod de Deo amando prorſus non ſint ſolliciti. Amore rerum huius mundi ita irretiti ſunt, vt de amore Dei non cogitent. Omnis vero intermiſſio amoris diuini, reuera eſt odium Dei. Amor enim & odium hic ita ſibi inuicem oppoſita ſunt, vt qui Deum non amat, eum merito odiſſe cenſeatur. conf. *Matth. VI, 24.* Hinc & Iudaei dicebantur odiſſe patrem, quia eum non amabant, *Ioan. XV, 23.* Et licet in Deo nullum odii obiectum videatur inueniri poſſe, impii tamen non Deum, qua Deum, ſed in Deo id, quod ſuis cupiditatibus maxime repugnat, quod legiſlator eſt, & iuſtus

iuſtus iudex, & peccatorum vindex acerrimus, odio, etſi interdum ita occulto, vt ipſimet hoc vix deprehendant, proſequuntur.

§. LXXXI.

Rurſus, qui in ſtatu ſeruitutis degunt, & ſuperſtitioni dediti ſunt, Deum quidem ſibi amare videntur, ſed amore ſeruili, & impuro. Cuius quidem amoris impuri diuerſi dantur gradus, dum alii propter bona temporalia Deum amant, alii propter ſpiritualia, ita quidem, vt in hiſce ſuam beatitudinem ac felicitatem, vel tantum vel primo loco quaerant: interim omnes iſtas amoris ſpecies, inter ea, quae vero & genuino Dei amori repugnant, merito referimus. At ſi quis Deum primo & praecipuo loco, ſuam tamen ſimul in Deo beatitudinem quaerat, eum amorem minime illicitum eſſe, alibi iam demonſtrauimus. *

* *part. 1. cap. 1. ſect. 4. ad* §. 123. vbi hac de re ex inſtituto dictum.

§. LXXXII.

Contra legem diuinam, quae reuerentiam ſeu timorem Dei iniungit, pariter duplici ratione peccatur. Primo per *contemptum Dei*, quo ſe crimine illi praecipue obſtringunt, qui in ſtatu ſecuritatis conſtituti ſunt, qui ſuo arbitrio viuunt, ac ſi aut Deus non eſſet, aut ille nec iuſtus eſſet, nec omnipotens, adeoque peccata illorum punire nec vellet, nec poſſet, vt impius ille iudex, *Luc. XVIII, 2.* Deinde per *metum* Numinis *ſeruilem*, qui recte *ſuperſtitionis* nomine inſignitur, ſumpta voce in ſpecialiori ſignificatione. * Ceteroquin enim interdum omnis cultus Dei falſus, ſuperſtitio vocatur.

* iuxta ea, quae diximus *ad* §. 80.

§. LXXXIII.

Quemadmodum autem ipſe ſtatus ſecuritatis & ſeruitutis, in quo homines conſtituti ſunt, ſuos habet gradus, ita & de ipſo Numinis contemptu, pariter ac ſuperſtitione, cenſendum. Nonnulli namque ſubtiliori ratione per ſecuritatem peccant, dum externo cultu contenti, & forte craſſiorum peccatorum euitatione, Deum ſe timere putant, quem tamen reuera non timent. Alii contra, palam ſpretis omnibus honeſtatis ac pietatis vinculis, Deum ſe non colere, nec vlla eius cura tangi, teſtantur. Idem & de ſuperſtitione dicendum. Nonnulli ſeruili metu praediti ſunt, ſed manent tamen intra limites cultus externi a Deo probati; alii contra cultum a Deo non probatum ſuperſtitioſe ſequuntur, ſiue ab aliis introductum, ſiue ab ipſis excogitatum, quae ſuperſtitio ſpecialiori ratione ἐθελοθρησκεία dici poteſt, ex *Coloſſ. II, 23.*

§. LXXXIV.

Quae cum ſpe & fiducia in Deum collocanda pugnant peccata, eodem modo ſe habent, & ex iisdem fere progignuntur fontibus.

In illis namque, qui in ſtatu ſecuritatis conſtituti ſunt, aut *nulla ſpes* eſt, aut *ſpes peruerſa*, cum homines ea ſperant, quae ſperanda non ſunt, e. g. abſolutam felicitatem in temporalibus, vel cum aliquid absque diuini ordinis obſeruatione ſperant, vt cum aeternam ſalutem ſperant absque poenitentia & fide. Et haec ipſa quoque eſt *ſpes mortua*, cum tamen ſpes chriſtianorum viua eſſe deberet, *1 Petr. I, 3.* Mortua autem ſpes non tam ſpes, quam falſa eſt perſuaſio, de obtinenda aeterna ſalute, cum tamen mediis ad eam conſequendam neceſſariis, vti nolimus. Cum itaque vera ſpes & viua ſit, & efficax, patientiam aliasque virtutes progignet, haec contra mortua eſt & inefficax, nullos plane fructus ferens.

§. LXXXV.

Eadem ſpes peruerſa & mortua in illis etiam ſaepiſſime reperitur, qui in ſtatu ſeruitutis degunt, quippe qui vana cultus externi ſpecie ſeipſos facile decipiunt. Subinde tamen in his quoque adeſt *deſperatio*, *dum ſpem omnem conſequendae ſalutis ipſimet abiiciunt, & ad violenta quaeuis facile prolabuntur. Cuius quidem deſperationis, pro diuerſitate opinionis, de difficultate bonum aliquod impetrandi, aut euitandi imminens malum, diuerſi ſunt gradus. conf. *Epheſ. II, 12. 1 Theſſ. IV, 13.* add. *Gen. IV, 13. 14. 2 Reg. VII, 2. Matth. XXVII, 5.*

* Lucem hic dabunt, quae de voce *deſperationis* ſupra monuimus, *part. 1. ſe.7. 6. ad §. 19.*

§. LXXXVI.

De fiducia erga Deum eadem dici poſſunt. Haec *peruerſa* eſt & *praepoſtera*, cum quis ob vſum mediorum externorum, vel cultum externum Deo confidit, cum tamen animus reuera a Deo ob incredulitatem alienus ſit. Stultam eiusmodi fiduciam in Iudaeis grauiſſime reprehendit Ieremias, *cap. VII, 4.* add. *Mich. III, 11.* Eodem loco habendi, qui non in Deo, ſed in rebus creatis, propriis viribus, opibus, ſapientia, aliis hominibus, fiduciam ſuam collocant. *Prouerb. III, 5. Pſ. XLIX, 7. Ier. XVII, 4. XLII, 11. Eſ. XXX, 12. 13. XLVII, 10.* Rurſus tamen & *fiduciae defectus*, merito in vitio ponitur, & hinc orta titubatio, angorque animi, *Iud. VI, 13. Pſ. LXXVII, 4. 7. 10.* add. *Eſ. XLIX, 14. Ebr. X, 35.*

§. LXXXVII.

Obedientiae, quam Deo praeſtare debemus, repugnat *inobedientia*, *& obedientia peruerſa* vel *inepta*. Illa ex ſtatu ſecuritatis fere fluit, haec ex ſtatu ſeruitutis. Eſt vero inobedientia vel *ſpontanea*, vel quodammodo *inuita*. Inuitam vocamus, cum ex ignorantia admittimus, quod admittere non debebamus, quae magis aut minus excuſanda eſt, pro diuerſis gradibus & conditione ignorantiae. conf. *Luc. XII, 47.*

Spon-

Spontanea etiam ſuos gradus habet, & generatim *παρακοὴ* vocatur, *Rom. V, 19.* Alias & inobedientes vocantur *ἀνυπότακτοι*, *1 Tim. I, 9* & *ἀπειθεῖς Tit. III, 3.* Tales ſunt, qui ſuis potius obediunt cupiditatibus, quam Deo. Hoc enim quamprimum homo facit, inobediens eſt erga Deum. vid. ***Rom.*** *II, 8. VI, 16.* Et iſti quidem ſunt, qui obediunt ſatanae, ***Ioan.*** *VIII, 44.* mundo, *Rom. XII, 2. Epheſ. II, 2.* carni, *Phil. III, 19.* hominibus magis quam Deo, *Actor. IV, 19.* add. *Matth. XV, 3. 6. 9.*

§. LXXXVIII.

Eſt porro inobedientia iuxta quoſdam, vel ***totalis***, vel ***partialis***. Illa eſt, qua quis in omnibus praeceptis diuinis eſt inobediens: haec eſt, quando quis in quibusdam obediens, in aliis inobediens eſſe videtur. Reuera tamen omnis inobedientia, ſaltem indirecte totalis eſt. Qui enim vnum praeceptum migrat, totam legem violat. ***Iac.*** *II, 10. 11.* Cuius rei ratio tum ex natura legis, tum ex indiſſolubili virtutum omnium nexu, de quo alibi dictum, * repetenda.

* *part. 1. cap. 1. ſect. 4. §. 142.*

§. LXXXIX.

Obſequium ***peruerſum & ineptum*** eſt, quo quis ea, quae Deus non vult, aut eorum quae vult, oppoſita, facit, opinione falſa ductus, ac ſi Deus ea praecepiſſet. De priori vide *Eſ. I, 12.* it. *LVIII, 3. 5.* de poſteriori *Ioan. XVI, 2.* Hominum ſuperſtitioni deditorum, proprium eſſe, obſequio peruerſo ac inepto Deum colere, per ſe patet.

§. XC.

Inuocationi Numinis mentali itidem partim intermiſſio inuocationis, partim peruerſa inuocandi Deum ratio, opponitur. Intermiſſionem inuocationis, in hominibus in ſtatu ſecuritatis, praeſertim craſſioris degentibus, obſeruare licet. Loquitur de illis rex ſanctiſſimus Dauid, *Pſ. XIV, 4.* Quod ſi enim vel maxime totum cultum internum ibi intelligas, inuocatio tamen, ſpeciatim ſic dicta, includitur.

§. XCI.

Quoad modum inuocationis peccant, qui in actu externo inuocationem conſtituunt, mentalem ab orali ſeparantes; qui Deum inuocant, ſed non in ſpiritu & veritate, abſque fide, in impoenitentia perſeuerantes, *Eſ. I, 15.* & denique, qui ordinem diuinum non obſeruant, temporalia abſolute, & ſpiritualia abſque mediis legitimis & a Deo praeſcriptis, concupiſcendo; & ſic porro. Quae quidem in hominibus ſuperſtitioni deditis fere obſeruare licet. De obiecto quae moneri ſolent, jam ex iis, quae generatim de obiecto cultus religioſi docuimus, conſtant.

§. XCII.

Gratiarum actioni repugnat ignoratio, obliuio, contemptus beneficiorum diuinorum. *Deut. XXXII, 4. 5. 6.* add. *Num. XI, 4. ſqq. Pſal. CVI, 25. ſeqq. 1 Cor. X, 10.* Non minus grauiter peccant, qui beneficia divina ſibi collata, aut ſibi ipſi ſuaeque ſapientiae, potentiae, diligentiae, aut aliis hominibus, rebusque creatis imputant: aut, qui temporalia quidem, minime autem ſpiritualia, grato animo agnoſcunt; aut denique, qui diuina vtcunque agnoſcunt beneficia, ſed parum iis mouentur, & in gratiarum adeo actione tepidi ſunt, immo frigidi. In quibus hominum generibus, ſecundum ſtatum, aut ſecuritatis aut ſeruitutis conſideratis, haec ſimiliaue, maxime conſpicua ſint peccata, ex dictis fere colligere licet.

§. XCIII.

Fidei denique ſpecialiter ſic dictae opponitur *incredulitas*, qua quis non credit in Chriſtum, tanquam mediatorem ſuum, nec remiſſionem peccatorum per eius meritum, eo quidem modo, ac ordine, quo debebat, deſiderat. Idque cum ex variis contingere queat cauſſis, non vna quoque incredulitatis velut ſpecies eſt. Nonnulli ex ignorantia non credunt; alii, etſi credere ſibi videantur, ob errores tamen grauiſſimos, quibus mens eorum circumſepta eſt, non recte credunt; alii rurſus falſa fidei ſpecie ſeipſos decipiunt, fidem ſibi fingentes, quae cum vita impia & peccatis proaereticis conſiſtere queat, alii aliter in deuia hic rapiuntur & praecipitia, grauiſſimis ſe obſtringentes peccatis.

§. XCIV.

Ceterum, cum adfectus iſti, animique motus, quibus cultus Numinis internus abſoluitur, per certa media excitari debeant, hominem rite officio ſuo ſatisfacturum, ad haecce, ea qua decet ratione, vſurpanda, itidem obligatum eſſe conſtat. Et hoc quidem etiam pacto occurritur dubio, quod facile alicui ſuboriri poſſet: quo pacto ſcilicet ad cultum internum homo obligari queat, cum adfectus, ne quidem naturales, multo minus ſpirituales pro lubitu excitare, in hominis poſitum poteſtate ſit. Praeterquam enim quod ſupponamus, propenſiones adfectibus hiſce reſpondentes in regenitis adeſſe, in hominis etiam poſitum eſt poteſtate, media ad hoſce adfectus producendos, alendos, fouendos, accommodata vſurpare. Et ita rectiſſime per legem diuinam ab eo hoc exigitur.

§. XCV.

Media haec vel *generalia* ſunt, vel *ſpecialia*. Media generalia ſunt,

ſunt, verbi diuini lectio, eiusdemque & rerum diuinarum omnium attenta & diligens meditatio, ſacramentorum, ſpeciatim eucharistiae, legitimus vſus, & reliqua omnia, quae vitae ſanctitati, vitaeque ſpiritualis incremento inſeruiunt, quae alibi prolixe enumerauimus. * Haec enim omnia hiſce quoque ſpeciatim adfectibus excitandis, fouendisque ſunt accommodata.

* *part. 1. cap. 5.*

§. XCVI.

Specialia ex ipſa natura, indoleque horum adfectuum, qui cultum Numinis internum conſtituunt, facile intelligere licet. Sic quod ad *amorem Dei ſpecialem* attinet, diligens praeter alia diuinorum beneficiorum, tum hominum generi vniuerſo, tum ſpeciatim nobis collatorum, plurimum ad eum excitandum confert meditatio. *Timorem* excitabit, fouebitque iudiciorum diuinorum, in quibus potentia pariter ac iuſtitia Dei ſe exerit, attenta conſideratio, ſiue vniuerſalia illa ſint, ad integras gentes, ſiue ſpecialia, ad ſingulos homines ſpectantia. conf. *Pſalm. XXXIII, 6. 7. 8. Ierem. V, 22. Luc. V, 26. VII, 16. Spem & fiduciam* alent contemplatio exemplorum, quibus patet, non derelictos, qui in Deo fiduciam ſuam collocarunt, *Eccleſiaſt. II, 10.* item recordatio documentorum prouidentiae diuinae ſingularium, quam propria cuique ſuppeditat vita, vt & promiſſionum diuinarum huc ſpectantium diligens & attenta ponderatio.

§. XCVII.

Porro ad *obedientiam* nos impellet, dependentiae noſtrae reliquarumue cauſſarum, cur Deus obſequium a nobis exigere queat, *Mal. I, 6.* itemque promiſſionum, tum generalium, tum ſpecialium, v. g. *Exod. XXIII, 25. Leuit. XXVI, 3. 4. Deut. XXVIII, 1. ſeqq. Pſalm. LXXXI, 14. ſeqq.* vt & vtilitatis, quam obedientia adferat, *1 Ioan. II, 3. 2 Petr. I, 10. 11.* meditatio; ne quid de exemplis ſanctorum virorum, angelorum, immo ipſius Chriſti, *Phil. II, 8. 9.* dicam, quae ponderaſſe, iuubait plurimum. *Inuocationem* promouebit, indigentiae & miſeriae noſtrae praeſertim in ſpiritualibus ſollicita conſideratio, diuinae bonitatis & miſericordiae meditatio, opportunitatis, cum nos ad inuocationem excitari ſentimus, obſeruatio, & alia: quemadmodum contra diuinorum beneficiorum expendiſſe magnitudinem, eaque cum illorum carentia, ſiue ſtatu eorum, qui expertes ſunt iſtorum beneficiorum, comparaſſe, exempla denique aliorum, *Gen. XXXII, 10. Exod. XV.* per integr. *Pſ. IX, XVIII. &c.* immo ipſius Chriſti, *Matth. XI, 25. Luc. X, 21.* & quod ad alios attinet, nos membra eſſe vnius corporis, *1 Cor. XII, 13. ſeqq.* vt quod illis

 obtingit,

obtingit, hoc nobis obtigiſſe merito cenſeamus, conſideraſſe, ad *gratiarum actionem* concitabit atque impellet mortales.

§. XCVIII.

Media denique excitandi, augendi, fouendique *fidem*, eiusque actus eliciendi, ſunt, praeter verbi diuini lectionem & meditationem, *Rom. X, 17. Ioan. XVII, 20. 1 Theſſal. II, 13.* miſericordiae diuinae, & placabilitatis per meritum Chriſti diligens conſideratio, *Ezech. XXXIII, 11. Luc. I, 78. Ioan. I, 29 1. Petr. II, 24.* vſusque legitimus ſacramentorum, cum precibus. *Luc. XVII, 5. Marc. IX, 24.* Sine hiſce itaque, quae hactenus recenſuimus, mediis, cum cultus Dei internus ſibi non conſtet, patet, ad ea legitime vſurpanda, hominem iure diuino aeque obligatum eſſe, ac ad ipſum cultum internum.

§. XCIX.

Vt vero ad media, cultum Numinis internum promouentia, rite adhibenda, ita ad impedimenta remouenda, iure diuino obligatus eſt homo. Haec iterum vel *generalia* ſunt, vel *ſpecialia*. Ad illa pertinent varia intellectus praeiudicia, & errores cum cultu interno pugnantes, naturae gratiam imitantis fallacia, amor rerum huius ſeculi inordinatus, praepoſtera aliorum imitatio, conuerſatio cum improbis, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Quae omnia euitanda ſunt ſummo ſtudio, ſi quis legi diuinae, de cultu Numinis interno ſatisfacere velit.

§. C.

Quod ad ſpecialia attinet, & primo quidem, quae *amori ſpeciali* Dei obſtaculum ponunt, plurima quidem ea ſunt, ſed cumprimis incautus rerum mundanarum vſus huc pertinet. Quo magis enim ſeculi deliciis, indulgendo iis, quae voluptatem, auaritiam, ambitionem, irritare poterant, homo irretitur, eo minus ſuauitatem amoris Dei, beneficiorumque diuinorum ſentit. Quemadmodum contra euenire ſolet, vt quo magis diuini amoris ſuauitatem ſentit, eo minus ad palatum ſint, deliciae huius ſeculi. Quod ſi ergo incaute in rerum huius mundi vſu verſetur, non tantum obſtaculum ponet amori Dei, ſed omnino contingere poteſt, vt omni amoris diuini ſenſu amiſſo, totus tandem mundi huius deliciis immergatur, vnde tandem mors ſpiritualis, *Iac. I, 14. 15.*

§. CI.

Reuerentiae, ſeu *timori Dei* obſtaculum ponunt, vilipendium iudiciorum diuinorum, dum poenas aut integrarum gentium, aut ſingulorum hominum, cauſſis potius naturalibus, vel moralibus, quam iuſtitiae diuinae, mortales tribuunt: profana ratiocinatio de immortalitate

tate animae, de nouiſſimis, de aeterna fidelium beatitudine, & infidelium aeterna damnatione; ſtulta perſuaſio, de peccatorum ſucceſſu & impunitate, ac ſi nunquam punienda ſint, quia non ſtatim puniuntur, conf. *Pſ. L 21.* virium ſuarum fiducia, cum quo plus homo ſibi ipſi tribuit, eo minus tribuat Deo; vnde ſuperbi, & improbi contemptores Dei, haud raro coniunguntur, aut nomina eorum inter ſe permutantur, conf. *Pſ. CXIX, 51. 53. 69 78. 85. Mal. III, 15.* Accedit quandoque incauta philoſophiae tractatio, & librorum ad ſecuritatem ducentium lectio, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Et haec quidem omnia, dum vitae ſecuritati fauent, vero Numinis timori impedimenta maxima adferunt.

§. CII.

Quemadmodum vero & ſuperſtitio timori Dei repugnat, quippe qui filialis eſſe debet, ita non minus, quae ad eam ducunt, euitanda ſunt. Talia ſunt: inconſultus & ineptus rerum creatarum metus, ac ſi nobis nocere ſine Numinis voluntate, vel ſua nobis ſubtrahere beneficia poſſint; qui quidem metus inter cauſſas idololatriae a nonnullis rectiſſime refertur; auaritia, cuius inter alia effectus eſt haud infrequens, vt res creatas vltra quam decet, homines timeant; ignorantia in rebus naturalibus & ſpiritualibus, per quam contingit, vt rebus creatis, e. g. ſpiritibus, vim tribuant maiorem, quam qua reuera gaudent, idque vel cum abnegatione diuinae prouidentiae; librorum ad ſuperſtitionem ducentium lectio, & reliqua.

§. CIII.

Spei & fiduciae impedimenta ſunt: nimia fiducia ſui, aut potius imbecillitatis & infirmitatis propriae ignorantia, quae efficit, vt interdum magis ad nos ipſos, quam ad Deum reſpiciamus; nimia aeſtimatio rerum creatarum, praeſertim aliorum hominum, per quam ad illos potius, quam ad Deum in calamitatibus & anguſtiis noſtris nos conuertimus; rerum ſpiritualium & aeternarum vilipendium, vnde contingit, vt caduca potius & peritura expetamus, quam aeterna, quod peruerſae ſpei eſt proprium; ſtatus ſui, qua vitam ſpiritualem ignorantia, vnde per ſpem mortuam, plerique ſe decipiunt, &c.

§. CIV.

Obedientiae impedimenta ſunt: Ignoratio cauſſae, quae nos praecipue ad inobedientiam impellit, quae eſt philautia praua, cum ſuis filiabus, ambitione, auaritia, & voluptate; ignoratio legis, cum eam de operibus externis ſaltem homines intelligunt, aut tam exactum obſequium exigere, ſibi non perſuadent; falſa perſuaſio de impoſſibilitate obſequii, aut nimia difficultate, prout illud ab hominibus regenitis requi-

requiritur; ſpes impunitatis, & felicitate improborum confirmata, *Pſal. LXXIII, 13. ſeqq.* praeiudicium auctoritatis humanae, & hinc orta procliuitas imitandi dicta & facta aliorum, ſine ſufficienti examine; promptitudo obſequendi hominibus etiam in illicitis, & quae reliqua ſunt, eiusdem generis.

§. CV.

Inuocationis mentalis obſtacula ſunt: propriae miſeriae, praeſertim in ſpiritualibus ignoratio; beneficiorum diuinorum vilipendium; curae huius ſeculi, quibus animus diſtringitur, & eleuatio mentis impeditur, quae tanto perículoſiores ſint, cum ſub ſpecie neceſſitatis, honeſtatis, &c. nos fallunt; tentationes variae per prauas aut alienas cogitationes, a mundo, diabolo, aut carne noſtra profectae. Sic & ***gratiarum actionis*** impedimenta ſunt, beneficiorum diuinorum in nos collatorum obliuio; eorum ignoratio, praeſertim ſi ad alias cauſſas, quam ad Deum, ea referamus; ſpiritualium beneficiorum vilipendium; immoderata cupiditas temporalium, qua contingit, vt dum ſemper plura aut maiora concupiſcunt homines, ea, quae acceperunt, in minimis ponant, & fere pro beneficiis non reputent.

§. CVI.

Impedimenta fidei praeter mediorum neglectum eadem fere ſunt, quae poenitentiam ſeu conuerſionem hominis ſufflaminant, ſummatim indicata, *Luc. XIV, 18. ſeqq.* Quae etiam quodammodo in ſingulis actibus fidei locum habent. Etenim quamdiu homo a peccatis non vult deſiſtere, non poteſt ſerio remiſſionem peccatorum per fidem a Deo expetere. Rurſus tamen ex altera parte, dubitatio de miſericordia Dei, de efficacia & vniuerſalitate meriti Chriſti, omnisque metus ſeruilis, inter impedimenta fidei quam rectiſſime referuntur.

CAPITIS TERTII
SECTIO II.
DE
CVLTV DEI EXTERNO
QVA LEGES TVM ABSOLVTAS TVM HYPOTHETICAS.

Σύνοψις.

ORdo dicendorum, §. I. cultus Dei externus, ſecundum leges abſolutas, in quo conſiſtat? §. II.

Exerit ſe tum verbis, tum factis: quo pacto de rebus diuinis loquendum, §. III. Nomen quoque Dei celebrandum, §. IV.

Nec

Nec ſubterfugienda fidei confeſſio, §. V.
Immo ad martyrium ſubeundum, ſi res poſtulet, obligati ſumus, §. VI.
Pertinet huc quoque religio circa vota, §. VII.
Diſcrimen votorum veteris & noui teſtamenti, §. VIII.
Quid de diſtinctione inter vota communia & particularia, ſentiendum? §. IX.
Quid ad votum proprie ſic dictum requiratur, §. X.
Vota, rite concepta, ſancte ſunt ſeruanda, §. XI.
Quo loco habenda vota circa rem illicitam, aut impoſſibilem, concepta, §. XII.
Monaſtica, aliaque Pontificiorum vota ſuperſtitioſa reiiciuntur, §. XIII.
Cultus externus quoad verba in iureiurando quoque, caute concipiendo, & ſancte ſeruando, demonſtratur, §. XIV.
Quoad facta cultus Dei externus exhibetur generatim obſequio, §. XV.
Speciatim cum factis quoque fidei confeſſio editur, §. XVI.
quotieſcunque ſcilicet occaſio ſe obtulerit, §. XVII.
Ad cultum huncce externum quoad leges abſolutas, hominem iure diuino obligatum eſſe, probatur, §. XVIII.
Quaedam ad cultum externum, vulgo referuntur, quae potius ad media internum promouendi, pertinent, §. XIX.
vt vſus externus verbi diuini, item ieiunia religioſa, §. XX.
item ceremoniae & ritus ſacri, quorum ſumma indicatur, §. XXI.
Conuentuum ſacrorum neceſſitas, §. XXII.
In illis cuncta ordine & decenter fieri debent, vnde, quae rituum & ceremoniarum ſit ratio, oſtenditur, §. XXIII.
Conuentibus ſacris, omnes, qui poſſunt, intereſſe debent, §. XXIV.
De precibus & gratiarum actione externa, quid obſeruandum? §. XXV.
Cultui externo quoad leges abſolutas opponitur profanatio nominis diuini, §. XXVI.
quae fit vel omiſſione eorum, quae fieri debebant, §. XXVII.
vel commiſſione eorum, quae fieri non debebant, §. XXVIII.
Ad cultum externum iisdem mediis, ac ad internum, homo inducitur, ad quae adeo vſurpanda obligatus eſt, §. XXIX.
vt & ad impedimenta remouenda, §. XXX.
cultus externi quoad leges hypotheticas, fundamentum praebent inſtituta noui teſtamenti, §. XXXI.
Huc pertinet ſabbathum, de quo ex ſola ratione nihil certi conſtat, §. XXXII.
Inſtitutum ſabbathum fuit, finita mundi creatione, §. XXXIII.
obſeruatum idem fuit a patriarchis, & Iſraelitis ſtrictiori quadam ratione iniunctum, §. XXXIV.
ſub initium noui teſtamenti ſublato legali ſchemate, dies dominica in locum eius ſucceſſit, §. XXXV.
Sanctificatio ſabbathi, in quo conſiſtat, §. XXXVI.
Ad inſtituta noui teſtamenti pertinent etiam ſacramenta, baptiſmus & ſacra coena, §. XXXVII.
quo pacto circa ea verſandum, §. XXXVIII.
Ad inſtituta noui teſtamenti, ſancte obſeruanda, homines iure diuino ſunt obligati, §. XXXIX.
Quotuplici ratione contra haecce officia peccetur, §. XL.
Ad media, quae ad haecce inſtituta rite obſeruanda impellunt, adhibenda, & impedimenta illis obſtantia, remouenda, itidem quilibet obligatus eſt, §. XLI.

§. I.

CVm cultus Dei externus, partim abſolutis, partim hypotheticis nitatur legibus, primo de illis, tum & de hiſce, ordine exponemus.

§. II.

Priori modo ſpectatus, nihil aliud eſt, quam amoris diuini, ſeu cultus interni per verba & facta, quoties occaſio tulerit, aut res ipſa poſtulauerit, declaratio, * vt gloria diuina hoc ipſo amplificetur, & alii etiam homines ad verum Dei cultum adducantur.

 * Hoc

* Hoc ſi obſeruetur, facile decidi quaeſtio poteſt, an cultus Dei externus ex lumine naturae demonſtrari queat? Concedunt nimirum, etiam qui hoc negant, cultum internum ex lumine rationis conſtare, licet longe plenius & perfectius de eo ſcriptura ſacra nos erudiat. Quod ſi ergo cultus externus ita accipiatur, prout hic innuimus, ſane non poteſt non ex cultu interno fluere. Hoc vtique ratio ipſa dictitat, Deum minime cultu interno colere, qui dictis factisque eum laedere ſibi religioni non duceret, aut dictis factisque internum cultum demonſtrare nollet. add. ANDREAS ADAMVS HOCHSTETTERVS, in *colleg. Puſendorf. exercit.* 4. §. 38.

§. III.

Duo ergo cultus externi conſtitui poſſunt capita; cum duplici ratione, *verbis, & factis*, amor Dei, ſeu cultus internus declaretur. Verbis quidem declaratur, cum de Deo rebusque diuinis, ſumma cum reverentia & ſubmiſſione loquimur. *1 Petr. IV, 11.* Namque ἐκ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας loquitur os. *Matth. XII, 34.* Qui parum reuerenter de Deo rebusque diuinis loquitur, aperte prodit, nullam quoque Numinis in animo ſuo eſſe reuerentiam. Maxime id autem obſeruandum in diſputationibus de Deo, rebusque diuinis, * quae ſumma cum humilitate & animi veneratione inſtitui debent. Symbolum & exemplum huius rei habemus *Exod. III, 5. & Eſ. VI, 5.*

* Duplici ratione officii ſui hic immemores ſunt mortales, primo cum quaeſtiones vanas, ineptas, ridiculas de Deo rebusque diuinis mouent: deinde cum equidem de rebus grauioribus diſputant, ſed ita, vt ambitionem, petulantiam, altercandi pruritum prodant. Prioris vitii exempla in ſcholaſticorum & moraliſtarum ſcriptis affatim ſe offerunt. Nonnulla legere licet apud CHRISTOPHORVM BINDERVM, in *ſcholaſtica theologia, cap. 2. p. 14. ſeqq.* Quod autem ad alterum attinet, commendanda cumprimis omnibus GREGORII NAZIANZENI *oratio, de moderatione in diſputationibus ſeruanda, & quod non ſit cuiusuis hominis, nec cuiusuis temporis, de Deo diſputare*; quae cum aliis quibusdam patrum ſcriptis recuſa legitur, in *inſtitutionibus theologicis antiquorum patrum*, quarum tomus primus Romae, anno MDCIX. prodiit.

§. IV.

Nec tantum honorifice de Deo, rebusque diuinis loquendum, ſed nomen quoque eius celebrandum, & opera laudibus euehenda, quotiescunque ſe commoda obtulerit occaſio, conf. *Pſalm. XL, 4. XLII, 5. 6. 7. CV, 1. 2. CXLV, 3. ſeqq. Rom. I, 20.*

§. V.

Speciatim, amorem ſincerum, animique adfectum declaramus, *fidei confeſſione*, cum ab hoſtibus veritatis interrogati, nulli dubitamus, veritatem & religionem noſtram ſine vlla diſſimulatione profiteri, nec, quo minus id faciamus, blanditiis aut metu nos deterreri patimur. * Pulcherrima haec eſt ratio, nomen diuinum glorificandi. Accedit,

quod

quod eiuſmodi confeſſionem diſerte a nobis exigat ſeruator, *Matth. X, 32.* add. *Marc. VIII, 38. Luc. IX, 26. XII, 8. Ioan. I, 20. Rom. X, 10. 1 Timoth. VI, 12. 1 Ioan. IV, 2. 3.*

* Sunt quidem nonnulli, praeſertim ex pontificiorum moraliſtis, quos vocant, qui diſtinguunt, num interrogans ſit perſona publica, an priuata? ſi priuata ſit, poſſe interrogatum tacere, aut interrogationem eludere, quia ea non habeat ius quaeſitum veritatem a nobis reſciſcendi. Ita quidem praeter alios MARTINVS BECANVS, Ieſuita, in *manuali controuerſiarum, lib. 5. cap. 3. pag. 674. ſeqq.* Sed diſerte hoc repugnat effato Petri 1 *epiſt.* III, 15. quo nos paratos eſſe iubet, *ad rationem fidei OMNIBVS reddendam.* Neque tantum confeſſio haec coram priuatis requiritur, cum forte adſunt, qui per diſſimulationem offendi poſſunt, ut prior ſententia a nonnullis limitatur, ſed ſemper: quia iſta diſſimulatio, vtcunque ſe habeat, eſt ſignum incredulitatis, & indicat, quod homines magis timeamus, quam Deum. Quaeri autem hic ſolet, an quis tempore perſecutionis poſſit fugere, vel ſe occultare, ne cogatur reſpondere de rebus fidei, vt ſic periculum vitae euadat? Quod nonnulli quidem plane adfirmant, freti dicto Chriſti, *Matth.* X, 23. & exemplo Pauli, *Actor.* IX, 25 2 *Cor.* XI, 33. Addunt rationem, quia qui fugit in tali caſu, non ſignificat per ſuam fugam, ſe non eſſe chriſtianum, ſed potius ſe nolle fidem chriſtianam abnegare, & ideo fugere periculum negandi, vel certe ſe cupere adhuc diutius viuere, vt poſſit fidem Chriſti propagare, quod omnino Paulum ſpectaſſe, credibile eſt. Accedit denique, quod nonnullos doctorum veterum fuga ſibi conſuluiſſe conſtet, qua de re legendus ATHANASIVS, *apologia de fuga ſua.* At non ſemper, nec vbique fugam eiuſmodi eſſe licitam, rectius contendunt alii. Praeſertim paſtori & epiſcopo fugere non licet, ſi charitas poſtulet, vitam potius ponere pro aliis. conf. *Ioan.* X, 13. Nec fas eſt relinqui gregem ſine paſtore, ne quid de ſcandalo dicam, inde oriundo, ſi incredulitatis ſuſpicionem, apud ſuos ſubeat. Recte rem omnem iampridem expediuit AVGVSTINVS, *epiſtola* 180. Cum enim antea QVODVVLTDEO ſcripſerat, eccleſias ab Epiſcopis non eſſe deſerendas, HONORATVS opponebat illud ſeruatoris *Matth.* X, 23. *cum perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam*, ille rurſus vrget illud ſeruatoris effatum, quod *animam pro ouibus ponere paſtores* iubet, *Ioan.* X, 11. Tandem vero haecce dicta ita inter ſe conciliat: *tunc de locis, in quibus ſumus, premente perſecutione fugiendum eſſe Chriſti miniſtris, quando ibi aut plebs Chriſti non fuerit, aut etiam fuerit & poteſt impleri per alios neceſſarium miniſterium, quibus non eſt cauſſa fugiendi.* add. B. CHRISTIANVS KORTHOLTVS, de *perſecutionibus eccleſiae primit. cap. 8. §. 36. pag.* 341. Cumprimis tamen in his omnibus, non tantum ad externas circumſtantias, ſed ad internam animi diſpoſitionem, praecipue ad cauſſam, quae aliquem, vt fugam capeſſat, impellat, reſpiciendum eſt. Ex inſtituto hocce argumentum tractatur in libro, Gallicano idiomate ſcripto, cui titulus: *les devoirs des paſteurs & des peuples par rapport à la perſecution, & au martyre &c.* qui Roterodami anno MDCXCV. prodiit.

§. VI.

Si quis propter confeſſionem grauiores adflictiones ſubeat, *martyrium* * vocari ſolet. Ad quod, ſi res hoc poſtulauerit, ſubeundum, hominem obligatum eſſe, vel inde patet, quia hic eſt excellentiſſimus modus glorificandi nomen diuinum, vid. *Ioan. XXI, 19.* Nec tamen ſtatim martyrum nomine digni ſunt, qui incommoda quaedam patiuntur, etſi hoc fiat propter confeſſionem veritatis, aut ob nominis diuini gloriam.

* Non

* Non vna equidem ratione vox *martyris* ſumitur, poſtquam a propria ſignificatione, qua teſtem denotat, ad eos deſignandos in veteri eccleſia translata eſt, qui pro fidei chriſtianae conſtanti confeſſione, duriſſima quaeque graviſſimaque paſſi ſunt. Vſitatior tamen & ſolennis velut ea eſt ſignificatio, qua illos denotat, qui morte ſua fidem, doctrinaeque chriſtianae veritatem, obſignarunt. Ad martyrem itaque proprie ſic dictum requiritur primo, vt non criminis cuiusdam cauſſa, ſed tantum ob fidei & doctrinae chriſtianae profeſſionem, duriora iſta fata ſubeat; deinde, vt illud faciat lubens laetusque, hilari animo atque alacri; & denique, vt non ſaltem cruciatus quosdam aut adflictiones perpetiatur, vel mortis imminentis metum ſuſtineat, ſed vt mortem ipſam ſubeat. Vnde patet, hoc nomine dignos non eſſe, qui ea patiantur, quae ſuis promeriti ſunt ſceleribus, etſi ab iis ea patiantur, qui ſunt infideles, aut aliam ſequuntur religionem, etſi etiam plus quam promeriti ſunt, patiantur. Martyris praeterea gloriam titulumque ſibi vindicare nequeunt, qui ob errores, quos imbiberunt ac pertinaciter defendunt, aſpera quaevis perpetiuntur, aut omnino mortem ſubeunt. Pro veritate enim vt mortem ſubeat, neceſſe eſt, qui martyr audire cupit, non pro errore. Non ſane defuerunt, qui pro errore, aut ſumma etiam impietate extrema quaeque paſſi ſunt, pulchrius eſſe ducentes, mortem ſubire, quam opinioni, quam ſemel mente conceperant, nuntium mittere. Quod pluribus comprobat PETRVS BAELIVS, *dans ſes penſées, ſur la Comete &c. pag.* 568 vt & in *Dictionario hiſtorico critic.* voc. *Mahomed. pag.* 19. 72. & voc. *Marcionitae, pag.* 2036. Nihil tamen inde, quod chriſtianae religioni praeiudicium adferat, colligere licet. Poſſe enim homines errores quosdam tam pertinaciter defendere, vt mortem potius ſubire, quam illis nuntium mittere, parati ſint, a natura humana non adeo alienum eſt. Nec religionis chriſtianae veritas, martyrum vnice conſtantia & teſtimonio, ſed longe aliis quoque argumentis nititur. Praeterea etſi hinc inde nonnulli fuerint, qui pro erroribus ſuis grauiſſima quaeque perpeſſi ſint, ad multitudinem tamen comprimis eorum reſpiciendum, qui doctrinae Chriſtianae veritatem morte ac ſanguine ſuo confirmarunt. Quae enim HENRICVS DODWELLVS, ad martyrum veterum numerum imminuendum in medium attulit, in *diſſertat. de paucitate martyrum*, quae inter Cyprianicas eſt vndecima, apud paucos fidem inueniunt. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Denique & id ex dictis conſtat, martyres proprie non eſſe, qui magna quidem incommoda, neutiquam autem mortem pro fidei & veritatis confeſſione, ſubierunt. Notum eſt diſcrimen inter *martyres & confeſſores.* Vnde ab vſitata vocis ſignificatione diſcedunt, qui illis, qui varias calamitates fidei cauſſa tolerare coacti ſunt, ſtatim glorioſum martyris titulum tribuunt. Quem nec illi ſibi vindicare poterunt, qui aliis inſeruiendo in mortis periculum ſe coniiciunt, quos *martyres charitatis, ſeu miſericordiae*, nonnulli vocare ſolent. Sed plura de martyrio pariter ac martyribus dabunt IO. CONRADVS DANHAVERVS, in *chriſteide act.* 1. *theatr.* 3. *pag.* 630. *& in colleg. decalog. pag.* 403. item IO. HOORNBECKIVS, *theol. pract. lib.* 9. *cap.* 17. *p.* 353.

§. VII.

Referri praeterea ad cultum externum hoc modo acceptum ſolet, *religioſa votorum obſeruatio.* Vocatur autem votum actio religioſa, qua Deo ſpondemus aliquid & promittimus nos praeſtituros, ad ſingularem eius cultum & gloriam.

§. VIII.

In veteri quidem teſtamento, varia occurrunt votorum genera, *Leuit. XXVII, 2. ſqq. Num. XXX, 3. Deut, XXIII, 21. Pſ. LXVI, 13.* * Sanctorum autem noui teſtamenti, poſt ſublatum cultum Leuiticum, nullum occurrit exemplum, quod voto Deo ſe obligauerint. ** Cuius rei ratio

ratio inde petenda videtur, quod cultus externus, veteris teſtamenti, ex praeſcripto Numinis variis conſtabat actionibus externis, ritibusque, *** quorum nonnulli lege quidem ſpeciali ab omnibus ac ſingulis, hoc aut illo tempore, non exigebantur, interim, qui ad eos voto ſe obligabant, eximia quadam ratione Deum colere cenſebantur. At hoc ceſſat in nouo teſtamento. Et vix vllam, puto, ſpeciem cultus diuini, aut actionis Deo placentis, poſt vetus teſtamentum abrogatum, adferri poſſe, ad quod non etiam absque voto obligemur.

* Quae votorum apud Ebraeos fuerit ratio, pluribus exponit IO. SELDENVS, de *iur. nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeorum lib. 7. cap. 2.*

** Quae enim de Paulo apoſtolo commemorantur *Act.* XVIII, 18. & XXI, 24. cultum Leuiticum adhuc ſupponunt. Vnde recte MARTINVS CHEMNITIVS, in *nouo teſtamento*, inquit, *nec mandatum, nec promiſſionem, nec exemplum habemus, cultum Dei in nouo teſtamento conſiſtere in faciendis votis. Nec habemus certum aut expreſſum verbum, de quibus rebus & quomodo vota fieri debeant, exam. concil. Trident. part. 3. cap. 7. p. m.* 476. vbi luculenter hoc euincit, quemadmodum & in *praeced. cap.* 6. quo pacto vota in veteri teſtamento ſe habuerint, explicauerat.

*** De votis ceremonialibus hoc eſt intelligendum, a quibus moralia nonnulli diſtinguunt, quanquam vtraque in veteri teſtamento ita fuiſſe comparata, vt inde colligi nequeat, ea in nouo quoque teſtamento locum habere, demonſtrat B. CHEMNITIVS, *l. c. cap. 6. pag.* 475.

§. IX.

Solent nonnulli inter vota *communia & particularia* diſtinguere; * communia vocantes, quae ad ipſum Numinis cultum nos obligant, qualia in ſacramentis, praecipue in baptiſmo, nuncupemus. *1 Petr. III,* 21. Verum communia minus proprie vota eſſe, vel inde liquet, quod verſentur circa rem, quae minime in noſtra poſita eſt libertate, quod tamen ad votum proprie ſic dictum requiritur, vt verſetur circa rem, quam facere aut omittere, noſtri eſt arbitrii. In particularibus an exemplum voti temere occurrat, quod circa rem Deo gratam verſetur, ad quam tamen itidem absque voto non obligemur, valde dubito.

* Ita IO. HOORNBECKIVS, *theol. pract. lib. 9. cap. 18. pag.* 359.

§. X.

Sed ponamus, dari eiusmodi votorum exempla; vt recte de iis ſtatuatur, quid ad votum proprie ſic dictum requiratur, diſpiciemus. Primo itaque votum concipi ab iis debet, qui ſui ſunt arbitrii, adeoque aliquid vouere poſſunt. conf. *Num. XXX. 3. 4. ſqq.* Idque fieri debet ſponte & conſulto, minime per errorem, aut per coactionem. Obiectum praeterea voti eſſe debet res honeſta, licita, Deo grata, quaeue in noſtra poſita ſit facultate. Impia namque ſunt vota, quae circa prohibita verſentur, quale fuit illud Iudaeorum, *Actor. XXIII, 12. 13.* Finis

denique voti ſit peccati euitatio, grati animi erga Deum, ob boni cuiusdam collationem, aut mali auerruncationem, declaratio, mentisque ad deuotionem excitatio.

§. XI.

Quod ſi ergo votum rite fuerit conceptum, locumue inueniat, manifeſtum eſt, ad illud ſancte ſeruandum, & accurate adimplendum, homines iure diuino obligari. Idque omnino nominis diuini glorificatio requirit. Nec enim turpior diuini nominis abuſus temere cogitari poteſt, quam votorum violatio, quae eſt quaedam velut Dei illuſio. vid. *Pſalm. L, 14.* Hinc & votorum adimpletio, *ſolutio* in ſcriptura ſacra vocatur, eo quod iis velut vinculo quodam conſtricti ſunt, qui ea ſuſceperunt. conf. *Prouerb. VI, 2. Malach. III, 8. Numer. XXX, 4. ſeqq.*

§. XII.

Colligere inde licet, quid de votis de re iniuſta aut impoſſibili conceptis, ſentiendum ſit? Etſi enim grauiſſime peccent, qui per praecipitantiam eiusmodi votis ſe obſtringunt, ea tamen adimplere non tenentur, cum hac ratione bis peccarent. Si vero res poſſibilis fuit, cum votum conciperetur, & praeter culpam eius, quid id concepit, deinde facta eſt impoſſibilis, non tantum obligatio ceſſat, ſed & peccati expers qui illud ſuſcepit, merito cenſetur.

§. XIII.

Et hinc etiam patet, quid de *votis monaſticis* Pontificiorum cenſendum. * Illicita illa ſunt, quia omni ſcripturae fundamento deſtituuntur, *Matth. XV, 9.* & plerumque de rebus impoſſibilibus fiunt, idque ſub opinione meriti, & operum ſupererogationis. Vota ad *diuorum ſtatuas* turpiſſimam inſuper inuoluunt idololatriam, cum ſoli Deo vota facienda ſint, *Num. XXX, 3. ſqq. Deut. XXIII, 21. Pſ L, 14.* add. *Ierem. XLIV, 25.* Idem de *votiuis* etiam *peregrinationibus* ad loca ſacra, ſimilibusque ſuperſtitionum generibus, exiſtimandum, quae non tantum fundamento carent, ſed in ſcriptura inſuper diſerte interdictae ſunt, *Ier. II, 20. 24. Hoſ. IV, 15. Matth. XXIV, 23.*

* Praecipuum fundamentum votorum monaſticorum eſt falſa iſta & erronea hypotheſis de conſiliis noui teſtamenti, quae a legibus differant, quam ſupra iam *cap.* 1. §. 14. ex inſtituto profligauimus. Quod autem vota iſta circa *ἀδύνατα* verſentur, adeoque vel hoc nomine pro illicitis habenda ſint, vel exemplo coelibatus, ad quem promiſcue omnes, qui vitam monaſticam amplectuntur, ſe adſtringere voto tenentur, patet. Namque pauciſſimis donum continentiae contingere, vel ex ſeruatoris effato conſtat: *non quilibet capit verbum hoc. Matth.* XIX, 11. Sed legenda hic, quae prolixe de voto coelibatus diſputat B. MARTINVS CHEMNITIVS noſter, in *exam. concil. Trident. part.* 3. *cap.* 1. *ſeqq. pag.* 449. *ſeqq.* Accedit autem, praeter cauſſas commemoratas, cur vota iſta improbanda ſint, quod ſaepius fiant a liberis adhuc ſub patria poteſtate conſtitutis, quibus ſine conſenſu parentum eius-

modi

modi voto ſe obſtringere fas non eſt. Quod tamen Romanenſes adeo non improbant, vt laudent potius ac defendant. Hinc illud HIERONYMI *in epiſt. ad Heliodorum*, ſemper in ore habent: *licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus, vbera, quibus te nutriuerat, mater oſtendat, licet in limine pater iaceat, perculcato perge patre, ſiccisque oculis ad vexillum crucis euola; ſolum pietatis genus eſt, hac in re eſſe crudelem.* Sed ſi de vocatione ad verum chriſtianiſmum verba HIERONYMI intelligerent, ſatis bene ſe res haberet, iuxta illud ſeruatoris, *Luc.* XIV, 26. At cum de humanis iisque ſuperſtitioſis inſtitutis hic agatur, aperte demonſtrant, ea pluris ſibi fieri, quam leges diuinas, quod iampridem in Phariſaeis, praecurſoribus Pontificiorum, reprehendit Chriſtus, *Marc.* VII, 9. Extant vero ipſorum Pontificiorum acerbiſſimae hac de re querelae, quod monachi, ſpeciatim Ieſuitae, variis artibus liberos ſeducant, vt inuitis parentibus, vota monaſtica ſuſcipiant. Quod cum & PETRO AERODIO, iureconſulto clariſſimo, contigiſſet, cuius quippe filium Ieſuitae ſeduxerant, vt illorum ordini ſe adiungeret, non tantum paſſim grauiter hac de re conqueſtus eſt, ſed peculiarem quoque hoc nomine actionem in Ieſuitas inſtituit, legique cumprimis meretur tractatus eius, anno MDLXXXIX. ſcriptus: de *patrio iure ad filium pſeudo-Ieſuitam.* vid. *vita* Petri Aerodii ab AEGIDIO MENAGIO, eius ex filia nepote ſcripta, & typis data Pariſiis, anno MDCLXXV. 4to, vbi auctor ſimul oſtendit, alios quoque praeter AERODIVM, ſimilia expertos fuiſſe fata. *At non ſolus Aerodius*, inquit, *fatum ſuum gemuit, ingemuere & alii: lege Stephani Paſcaſii & Ioannis Bodini ea de re ad Aerodium epiſtolas, lege Antonii Arnaldi, aduocati Pariſienſis orationem pulcherrimam, habitam in ſenatu Pariſienſi contra Ieſuitas, &c.* conf. PETRVS BAELIVS *diction. hiſtorico-crit. voce Ayrault. pag.* 126.

* De quibus prolixe & ex inſtituto, tum peculiari commentatione, tum in *anatome hiſtorico-theologica concilii Tridentini, part. 2. pag. 1139. ſeqq. agit.* IOAN. HENRICVS HEIDEGGERVS.

§. XIV.

Denique & in *iureiurando*, caute praeſtando, & ſancte obſeruando, cultus externi, qui verbis praeſtatur, pars non minima conſpicitur. Reuerentiam enim Numinis hac ratione vel maxime declaramus, vti contra iuſtitiam, omnipotentiam, ac omnipraeſentiam Dei, velut abnegaſſe, cenſendus eſt, qui parum religioſe hac in re verſatur. Plura nunc non addimus, cum deinceps * ex inſtituto, de iureiurando agendi ſe nobis offerat occaſio.

* *ſect.* 5. huius capitis, §. 10. *ſeqq.*

§. XV.

Non tantum verbis, ſed etiam *factis*, internus animi cultus proditur, nomenque Dei glorificatur. Et generatim quidem hoc fit obſequio, quod omnibus ac ſingulis praeceptis diuinis praeſtamus. Obſequio luculentiſſime noſtrum erga Deum amorem teſtamur. *1 Ioan. V, 3.* Quo pacto & patrem in coelis, glorificamus coram hominibus. *Matth. V, 16. 1 Petr. II, 12.* Hinc & iſtud virtutum exercitium *puri & intaminati cultus diuini* nomine venit. *Iac. I, 26. 27.*

§. XVI.

Speciatim factis glorificatur nomen Dei, quando iisdem fidem noſtram profiteri nulli dubitamus, etiamſi cum maximo hoc coniunctum

ctum ſit periculo. Namque confeſſio illa a Chriſto tantopere commendata, *Matth. X, 32.* ad facta non minus, quam ad verba, pertinet. Quo nomine & omnis diſſimulatio religionis verae, aut ſimulatio falſae, merito damnatur. * conf. *1 Cor. X, 21. 1 Theſſal. IV, 12.*

* Non equidem deſunt, qui non omnem verae religionis diſſimulationem, aut ſimulationem falſae, illicitam eſſe putant, praeſertim inter Romanenſium moraliſtas, quorum quam laxa in hoc genere ſit diſciplina, conſtat. Prouocare autem ſolent ad exemplum Naamani, 2 *Reg.* v, 17. 8. Ad quod nonnulli ita reſpondent, quod Naamanus equidem eiusmodi quid vt ſibi concederetur, petierit, ſed non impetrauerit, cum verba: *vade in pace*, nullam directam reſponſionem contineant. Ita GEORGIVS de VALENTIA, *tract. de fide & fidei profeſſione d. 1. quaeſt. 3. &c. pag.* 107. aliique. Sed quis credat, prophetam iſta reſponſione Naamanum in errore voluiſſe confirmare? Alii itaque putant, petitionem Naamani eſſe de praeterito, ſeu rogare eum, veniam commiſſae olim idololatriae in fano Rimmonis: quam ſententiam praeter alios IOAN. GEORGIVS DORSHAEVS, *theol. Zachar. part.* 1. *cap.* 6. defendit. Sed praeferenda mihi videtur illorum opinio, qui petitionem Naamani exponunt de conceſſione ſeu condeſcendentia, ſi ita loqui liceat, in facto futuro, ſed ita vt externum ſaltem & politicum intelligatur officium, regi idololatrico in fano Rimmonis praeſtandum. Ita omnia ſibi quam rectiſſime conſtant: quod pluribus oſtendit AVGVSTVS PFEIFFERVS, in *dubiis vexatis, cent.* 3. *loc.* 3. *pag.* 445. *ſqq.* Diiudicari autem ex dictis facile plurimae quaeſtiones poſſunt, quae paſſim moueri ſolent, e. g. an Papaeae religionis ritus, ceremonias, aſperſiones luſtrales, roſaria, proceſſiones, ſimulare fas ſit? an Papae non qua anti-Chriſtus, ſed qua magnus Italiae princeps eſt, pedes oſculari liceat? An confeſſionis papalis neceſſitatem pecunia redimere fas ſit? & quae aliae ſunt, eiusdem generis, de quibus conf. IOAN. CONRADVS DANHAVERVS, *theol. conſcient. tom.* 1. *pag.* 652. *ſeqq.* & in *colleg. decalog. p.* 397. De prima etiam quaeſtione ex inſtituto agit IOAN. FRIDERICVS MAYERVS, theologus Gryphicus, in libello Germanico, quo *Lutheranum peregrinantem*, aut inter *Pontificios verſantem*, informat *pag.* 36. *ſeqq.*

§. XVII.

Quod de verbis pariter ac factis hactenus diximus, iis internum animi cultum declarari, adeoque externum ea cultum abſoluere, id intelligendum, quotiescunque occaſio ſe tulerit. Hac enim deficiente, legis quoque iſtius obligatio ceſſat. Interim noſtri eſt officii, ne temere occaſionem praetermittamus. Cuncta autem eo tendunt, certe tendere debent, vt nominis diuini gloria amplificetur, & alii quoque homines, ad cultum Deo debitum, illi reddendum, excitentur.

§. XVIII.

Ad cultum hunc externum Deo exhibendum, omnes homines iure diuino obligatos eſſe, probatur, ex primo iuris diuini principio. Certe, vt arbor bona ſine fructibus, ita amor Dei ſincerus, ſine iſta externa ſignificatione eſſe nequit. Qui verbis factisque alium offendit, num eum amare cenſetur? Ergo nec vnio cum Deo adeſſe, multo minus conſeruari poteſt, vbi homo cultus externi intermiſſione ſe velut inimicum

micum Dei, ſaltem eius honore parum ſe tangi, aperte profitetur. Patet idem ex praecepto decalogi ſecundo, *Exod. XX. 7.* Quod licet negatiue conceptum ſit, hocce tamen praeceptum affirmatiuum continet, quod nomine diuino rite vti, hoc eſt, ſumma illud proſequi veneratione debeamus. Per nomen vero diuinum, non tantum intelligitur Deus ipſe, ſed cumprimis omne id, per quod Deus nobis innoteſcere voluit. Denique & in aliis ſcripturae dictis idem diſerte ab omnibus requiritur, vt *1 Petr. II, 9.* add. *Pſalm. CXIX, 46. Rom. X, 9. 10. 2 Cor. IV, 13.*

§. XIX.

Solent externi cultus nomine & alia quaedam, praeter hactenus commemorata comprehendi, quae tamen rectius ad media cultum internum, adeoque & externum promouendi, referuntur. Cumque ſupra * demonſtratum ſit, non minus ad media cultum internum promouentia, quam ad ipſum cultum, nos obligatos eſſe, quod iſta hic quoque eadem ratione nobis iniungantur, liquet.

* *ſect. praecedent.* §. 94.

§. XX.

Huc pertinet *vſus externus verbi diuini.* Enimuero ad verbum diuinum tum publice, tum priuatim, legitime tractandum, ſiue audiendo, ſiue legendo, ac meditando hoc fiat, homines lege diuina obligatos eſſe, poſitum eſt extra controuerſiam; idque non tam, quia partem cultus externi conſtituit, quamuis in quantum ea ratione nomen diuinum glorificatur, huc quoque referri queat, quam potius, quia inter media generalia cultum internum, & ſic quoque externum promouendi, primum fere praecipuumque tenet locum. * Et idem de *ieiunio* quoque quod vocant, *religioſo*, ** dicendum. Ad hoc obligati ſumus, quia ad media pertinet, quibus vitae ſanctitas conſeruatur & promouetur, praeſertim cum animus ad cultum Dei internum eo velut praeparetur ac diſponatur.

* conf. quae diximus, *part. 1. cap. 5.* §. 10. *ſeqq.*
** de quo itidem dictum, *part. 1. cap. 5.* §. 37.

§. XXI.

Praecipue huc pertinent *ceremoniae & ritus ſacri*, qui interdum *κατ' ἐξοχὴν cultus externi* nomine venire ſolent. Summa illorum eſt, quod chriſtiani ad audiendum verbum diuinum, & adminiſtranda ſacramenta aliquando conueniant, quod hiſce conuentibus certi loci, ſeu templa, certi quoque dies deſtinati ſint, quodue in hiſce conuentibus, quoad cantica, conciones, preces, reliqua, certus ordo,

iuxta ſuperiorum praeſcriptum, aut receptam conſuetudinem, obſervetur. * Cuiusmodi quidem ritus, ſeu cultum, vt vocare ſolent, externum, licet Deus immediate, in nouo teſtamento non praeſcripſerit, ** vnde, pro locorum & temporum varietate, varius eſt: ad eundem tamen eadem ratione, qua ad reliqua cultum internum & externum promouendi media, *** nos iure diuino obligatos eſſe, per ſe patet, & facili ratione vlterius comprobari poteſt.

* Hoſce ritus praeter alios prolixius deſcripſit CASPAR CALVÖRIVS, vir celeberrimus, in *rituali eccleſiaſtico*.

** Principia quidem generalia, quod cuncta facienda ſint, quibus fides chriſtiana excitari, confirmari, propagari queat; quod hunc in finem conuentus ſacri ſint inſtituendi: quod in iis cuncta ordine & decenter fieri debeant, & quae reliqua ſunt, in ſcriptura ſacra aperte ſatis continentur, & ex ipſa indole religionis chriſtianae fluunt. Sed de hisce nunc ſermo non eſt. In applicatione autem horum principiorum, quid cuiusque eccleſiae ſtatus, temporisque, & aliarum circumſtantiarum ratio aut requirat, aut permittat, diſpiciendum, quod prudentiae opus. Hinc in *parte tertia*, vbi de prudentia chriſtiana & theologica agitur, plura hac de re dici poſſunt.

*** Si modo cultus hiece ita comparatus ſit, vt internus per eum promoueri queat.

§. XXII.

Nimirum, cum eccleſia, (etiam particularis) corpus quoddam ſit, ex pluribus membris conſtans, & ad eam conſeruandam neceſſe ſit, vt omnes ac ſinguli ſubinde erudiantur, inſtruantur, redarguantur, commonefiant, idque in conuentibus, certo loco & tempore inſtitutis, quam commodiſſime fieri queat, hos neceſſarios eſſe, ſua ſponte intelligitur. * Idque eo magis, quod animorum per preces communes, & alia exercitia ſpiritualia coniunctio, ad conſeruandum, alendumque amorem mutuum, plurimum valeat.

* Accedit, quod non tantum legere, ſed & audire verbum diuinum debeamus. Auditionis autem vtilitatem & neceſſitatem ſupra demonſtrauimus, *part*. 1. *cap*. 5. §. 12.

§. XXIII.

In conuentibus praeterea iſtis, vt cuncta ordine fiant, & ad deuotionem alendam ac fouendam diſponantur, itidem neceſſe eſt, niſi maiori cum damno eccleſiae, quam emolumento, debeant inſtitui. Ex quo ſequitur, non tantum ritus huic fini inſeruientes, ab eo quidem, qui externam habet eccleſiae directionem, conſtitui poſſe, ſed omnes etiam ac ſingulos chriſtianos, hiſce ritibus & ceremoniis, ceu mediis cultum internum promouendi, pro praeſenti eccleſiae ſtatu, neceſſariis, ita vti debere, vt non tantum concordia eccleſiae conſeruetur, ſed finis etiam eorum, cultus interni promotio, obtineatur.

§. XXIV.

§. XXIV.

Quare ab omnibus requiritur, vt cultui huic publico, rite praeparati, *Pſalm. CXIX, 17. 18. Kohel. IV, 17. Epheſ. VI, 18. 19. III, 16. 19.* interſint, *Ebr. X, 24. 25. Pſalm. XXVI, 6. 7. 8.* niſi cauſſa quadam grauiori impediantur; porro vt verbum diuinum deuote audiant, & vt verbum diuinum recipiant, *Luc. X, 16. 1 Theſſal. II, 13.* ad omnia, quae ad ſuam aedificationem faciunt, diligenter attendant, preceſque cum tota eccleſia rite ac deuote coniungant. conf. *Actor. I, 14. II, 42. IV, 24. Coloſſ. III, 16.* Etſi itaque cultus hicce publicus, vt vocari, ſolet, accurate loquendo, medium ſaltem ſit cultum Numinis promouendi, hoc ipſo tamen neceſſarius eſt, iureque diuino praeceptus. Quam turpiter autem fallantur, qui eo omnem Numinis cultum abſolui, vel κατ' ἐξοχὴν Numinis cultum eſſe, exiſtimant, ex dictis abunde liquet.

§. XXV.

De *precibus externis, & gratiarum actione externa*, quid ſentiendum ſit, ex dictis itidem facile diiudicare licet. Nimirum haec, aut prout a ſingulis hominibus priuatim, aut prout publice in conuentibus peraguntur, ſpectari poſſunt. Priore modo ſpectatae preces externae, neceſſariae ſunt, prout ad alendum fouendumque precandi ardorem, interdum aliquid conferunt: * poſteriori modo neceſſariae ſunt, vt coniunctim, eodem animo ac ſenſu fieri queant, quod publici cultus ratio poſtulat. Hinc ex publici cultus neceſſitate, etiam externarum precum neceſſitas fluit. Quod & de gratiarum actione eſt intelligendum.

* vid. dicta, part. 1. cap. 5. §. 27.

§. XXVI.

Cultui externo, quem hactenus explicauimus, generatim opponitur *profanatio nominis diuini*. Ea duplici fit ratione, non agendo, quae fieri debebant, & agendo, quae fieri non debebant.

§. XXVII.

Ad prius genus profanationis, pertinet omnis intermiſſio cultus externi, quando v. g. nomen Dei glorificare, laudes eius coram hominibus celebrare, fidem noſtram profiteri, aut eam etiam morte noſtra obſignare debebamus, & illud non facimus, *Rom. I, 21. Matth. XXVI, 70. 72.*

§. XXVIII.

Ad poſterius genus peccata plurima merito referuntur: quando nimirum de Deo rebuſque diuinis abiecte, contemptim, & parum reuerenter loquimur, quorſum & vſus nominis diuini in rebus ludicris,

Digitized by Google

cris, iocoſis, aut aliis, pertinet; quando petulanter & curioſius, quam par eſt, de rebus diuinis diſputamus; aut omnino Deum, eiusque nomen, hoc eſt; verbum, opera, & voluntatem blaſphemamus, porro, cum nomine diuino ad maledicendum aliis & mala quaeuis iis imprecanda abutimur, *Iacob. III, 8. 9. 10. Rom. XII, 14.* * item, cum vota non recte concipiuntur, nec rite explentur; cum iureiurando temerarie & per animi quandam leuitatem nos obſtringimus, eademque violare nulli nobis ducimus religioni, vid. *Pſalm. XV, 4. Matth. V, 34. Iac. V, 12. Eccleſ. XXIII, 12. 13. 14.* Huc & vanae Dei atteſtationes, temerariae deuotiones, ſimilesque nominis diuini abuſus pertinent. Denique & grauisſime hic peccant, qui ad incantationes, veneficia, auguria, ſimilesque ſuperſtitiones magicas nomine diuino abutuntur, aut mendaciis ſuis, dolis, ac deceptionibus, nomen ac verbum diuinum obtendunt: quemadmodum & eodem loco habenda, omnis deprauatio & contorſio ſcripturae ſacrae ad palliandos aut tegendos errores, *Ezech. XIII, 6. 7. 8. Gal. I, 8. 2 Tim. III, 13* item omnis hypocriſis, & pietatis ſimulatio, *Pſ. L, 16. 2 Tim. III, 5. Matth. VII, 21. ſqq.*

* Imprecatio autem prophetica, cuius exempla occurrunt 2 *Reg.* II, 24. item *Pſ.* LIX. alibique, eſt ſaltem poenae diuinae denuntiatio, & adeo huc non pertinet. Idem cenſendum de locis, 1 *Cor.* XVI, 22. *Gal.* 1, 8.

§. XXIX.

Cum etiam cultus externus, proprie ſic dictus, reuera ſit fructus & effectus cultus interni, manifeſtum eſt, eum iisdem mediis, quibus internus, * conſeruari & promoueri. Vnde & ex hoc capite etiam, homines ad media huc facientia, legitime vſurpanda, obligati ſunt.

* Quae indicata ſunt *ſect. praeced.* §. 95. *ſeqq.*

§. XXX.

Idem cenſendum de impedimentorum remotione. Maximum autem impedimentum eſt defectus cultus interni, ſpeciatim, timoris ſeu reuerentiae Dei, & nimius metus aliorum hominum. Ex defectu enim reuerentiae, ſeu timoris Dei oriuntur omnes inconſideratae de Deo rebusque diuinis locutiones, & ipſa tandem blaſphemia. Metus autem nimius hominum occaſionem dat abnegationi Dei, ſimulationi & diſſimulationi in rebus ad religionem ſpectantibus, aliisque peccatis. Haec vero quo pacto remoueri impedimenta queant, iam ex dictis conſtat.

§. XXXI.

Supereſt vt de cultu Dei externo iuxta leges hypotheticas conſiderato aliquid dicamus. Inſtituta autem cum varia ſint, vt ſupra * indica-

indicatum, hic tamen ea tantum in cenſum veniunt, quae in nouo teſtamento locum habent, ſiue iam in veteri etiam, aut omnino in ſtatu integritatis fuerint, ſiue ad ipſum nouum teſtamentum eorum origo referenda ſit. De illis enim, quae aut cum ſtatu integritatis, aut cum veteri teſtamento deſierunt, cum ad nos non pertineant, vt dicamus, neceſſe non eſt.

* *cap.* 2. huius partis, §. 23. it. 29. *ſeqq.* vt & 43. & *ſeqq.*

§. XXXII.

Primo itaque loco ſe nobis offert inſtitutio *ſabbathi*, & hinc orta ad illud ſanctificandum, obligatio, quae omni tempore, ante & poſt lapſum, in veteri pariter ac nouo teſtamento locum inuenit. Eſtque obſeruandum, quod ex ſola ratione homines de ſabbatho nihil ſciant. Quod & cum aliis, documento eſt, legem de ſabbatho ad leges naturales, quas ratio capit, referri non poſſe. Apud multas equidem gentes, ſeptimi diei, cultui Numinis deſtinati & ſacri, quaedam occurrere videntur veſtigia: * ex eo tamen nihil aliud colligere licet, quam per traditionem inſtituti huius diuini memoriam apud gentes iſtas quodammodo fuiſſe conſeruatam.

* Memoratur hoc de Aegyptiis, Indis, Graecis, Gallis, Germanis, aliisque. Sunt & qui apud poetas Graecos, HESIODVM atque HOMERVM, ſeptimi diei, ſeu ſacri, veſtigia ſe deprehendiſſe ſibi viſi ſunt, conf. CLEMENS ALEXANDRINVS *lib.* 5. *ſtrom. p.* 600. EVSEBIVS *lib.* 13 *praep. euang. cap.* 7. *p.* 677. Iudaei ſane quidam, praeeunte FLAVIO IOSEPHO, morem celebrandi ſeptimi diei ad omnes gentes penetraſſe autumant, quorum hac de re a me iam allata ſunt teſtimonia, *diſſertat. de pietate philoſ. ſeu relig. nat.* §. 42. Quod ſi ergo quaeras, vnde hoc gentilibus innotuerit? ISAACVS quidem ATIAS, Iudaeus, ſine ambagibus reſpondet: *ethnicis id notum fuiſſe, ac in ipſorum cordibus impreſſum, de ſabbathi feria, in theſ.* anno MDCXXVI. *Venet. editis part.* 1. *num.* 157. Alii vero in numero ſeptenario magna myſteria quaerunt, praeeunte AVL. GELLIO *noct. Attic. lib.* 3. *cap.* 10. MACROBIO in *ſomn. Scip. lib.* 1. *cap.* 5. & CENSORINO de *die natali cap.* 6. & hinc factum putant, vt gentibus pluribus ſeptimus dies ſacer eſſet. Alii denique, quae de ſeptimo die apud gentes ſacro a ſcriptoribus antiquis dicuntur, non tam de ſeptimo hebdomadis, ſed de ſeptimo die poſt lunae ortum, aut die Apollini in feſtis ſacro, capere malunt, vid. IO. SELDENVS de *iure nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebr. lib.* 3. *cap.* 14. IOAN. MEVRSIVS in *denario Pythagor. cap.* 9. Verum hiſce reſponſionibus mea quidem opinione, parum proficiunt. Etenim ad primam quod attinet, notionem de ſabbatho ſanctificando omnium mentibus inſcriptam eſſe, vix cuiquam perſuadebitur. Neque conſuetudo apud quasdam gentes recepta, ad hoc comprobandum ſufficit. In numero ſeptenario etſi multi veterum myſteria quaeſiuerint, non tamen video, quo pacto inde colligi queat, hanc ob cauſſam diem ſeptimum gentibus quibusdam fuiſſe ſacrum. Probandum namque prius eſſet, gentes iſtas, apud quas dies ſeptimus ſacer fuit, & ſeptenarii numeri myſteria intellexiſſe, & hac, non alia cauſſa inductas fuiſſe, vt diem iſtum ſacrum eſſe voluerint. Septimum vero diem intelligi poſt lunae ortum, aut eum qui Apollini dicatus fuit, facilius dicitur, quam probatur. Immo cum gentium iſtarum hoc non conuenire inſtitutis iam pridem obſeruatum FL. IOSEPHO *lib.* 2 *contra Apion.* THEOPHILO ANTIOCHENO *lib.* 2. *ad Autolycum*, TERTVLLIANO, *lib.* I. *adu. gent. cap.* 13. aliisque. Longe itaque probabilius, inſtitutum hocce priſcarum quarundam gentium, inter ea referendum eſſe, quae ab Ebraeis, aut eorum maioribus, vel primis omnino parentibus accepere. add. HVGO GROTIVS, de *ver. chriſt. relig. lib.* 1. *cap.* 16. PETRVS DANIEL HVETIVS,

TIVS, *demonſtr. euangel propoſ. 4. pag. 227.* cumprimis autem IOAN. IACOBI SYRBII, philoſophiae profeſſoris in hac academia excellentiſſimi, erudita diſſertatio, *de ſabbatho gentilium*. Dum vero negamus, ſabbathi ſanctificationem ex lumine rationis innoteſcere, non hicce ſenſus eſt, ac ſi ratio non dictitet, certum tempus cultui diuino deſtinandum eſſe. Id enimuero poſitum eſt extra controuerſiam. Qui enim ſecum expenderit, quam difficulter, mens rerum huius ſeculi tractationi immerſa ad Deum eleuetur, ſimulque cogitauerit quam neceſſarium ſit, vt ſubinde eleuetur, & a vinculis, quibus conſtricta tenetur, quodammodo velut liberetur, non etiam dubitabit, neceſſarium eſſe, vt certum ſubinde tempus, tam graui negotio deſtinetur. Sed quod vnus ex hebdomadis diebus, aut ſeptimus ſpeciatim dies huic negotio deſtinandus ſit, id enimuero eſt, quod ratio ignorat. Et hinc demum diiudicandum, quo loco illorum habenda ſententia ſit, qui homines lege naturali (abſoluta) ad ſabbathum ſanctificandum obligatos eſſe, contendunt, vt NATHANAEL EATHONVS, *inquiſ. de ſabbatho & die dom. qu. 2.* ANTONIVS WALAEVS *de ſabbatho*, *cap. 5.* aliique.

§. XXXIII.

De inſtitutione autem diuina non eſt dubitandum, cum verba *Gen. II, 2. 3.* hoc diſerte doceant. Dumque Moſes *Exod. XVI, 23.* ſabbathi meminit, de eo, tanquam de re certa & iampridem nota loquitur, rationemque legis, Iſraelitis ſpeciali quadam ratione iniunctae, *Exod. XX, 10. 11.* adfert, memoriam creationis & quietis diuinae, vt adeo non ſit dubitandum, Deum ſtatim poſt creationem ſabbathum inſtituiſſe. *

* Non deſunt equidem, qui hic diſſentiunt, ſabbathumque tum demum inſtitutum contendunt, cum eius ſanctificationem populo Iſraelitico iniungeret Moſes. Agmen inter eos, qui ita ſentiunt, ducunt, FRANCISCVS GOMARVS, in *tract. de orig. ſabbath.* & IOAN. SPENCERVS, de *legibus Ebraeor. ritualibus, lib. 1. cap. 4. ſect. 8. ſeqq.* quos alii magno numero ſequuntur. Vtque cauſſae ſuae conſulant, id praecipue omnibus viribus agunt, vt quae de ſabbathi inſtitutione *Gen.* II, 1. 2. memorantur, labefactent & infringant. Nonnulli itaque ſabbathi inſtitutionem ibi per anticipationem memorari autumant, vt indicaretur, Deum deinceps voluiſſe, vt dies hicce Iſraelitis ſanctus eſſet. Alii, verba *& benedixit Deus*, in argumentum ſententiae trahunt, eaque Moſen adduxiſſe putant, quia eo tempore, quo hiſtoriam ſuam ſcriberet, ſabbathum iam inſtitutum fuerit, cuius rei hic fecerit mentionem, qui ad memoriam creationis apud Iſraelitas renouandam fuerit inſtitutum. Addunt porro nonnulli, ſi inſtitutio ſabbathi *Gen.* II, 1. 2. innuatur, ſequi inde, legem de ſabbatho, homines etiam in ſtatu integritatis obligaſſe, quod tamen abſonum eſſe, putant: primo quidem, quod omnis cultus externus, ad tempus & locum certum adſtrictus, reſpectum habeat ad ſtatum hominis poſt lapſum: deinde, pugnare hoc cum indole ſtatus innocentiae, in quo homines Deum omni tempore & loco, ex toto ac ſincero corde culturi fuiſſent: praeterea, datum fuiſſe ſabbathum, vt corpus laboribus defatigatum, quiete reficeretur, & ſeruorum quoque labores relaxarentur, quod in ſtatum innocentiae non quadrat. Verum quantumuis ſplendidae hae aliaeue rationes alicui videri poſſint, rem tamen neutiquam conficiunt. Quod namque primo ad prolepſin ſe recipiunt, vt vim clariſſimorum Moſis verborum euitent, id ſine iuſta faciunt cauſſa. Tota ſermonis ſeries oſtendit, ſermonem ibi eſſe de tempore praeterito, non de futuro. Neque tantum obiter, aut ὡς ἐν παρόδῳ, ſabbathi mentio iniicitur, vt fieri ſolet, cum aliquid προληπτικῶς commemoratur, ſed multis verbis res ita exponitur, vt Moſen ibi ex inſtituto ſabbathi originem ediſſerere voluiſſe, quilibet facile intelligat. Deinde, quo minus verba *& benedixit*, ita vt iſti volunt, capi queant, connexio quietis & benedictionis aperte obſtat. Pertinere vero ſabbathum ad ea inſtituta, quae in ſtatu integritatis locum habuerunt, iam ſupra docuimus. Nec iſtud profecto abſonum, cum nihil quod ſtatui integritatis repugnet, ſabbathi

Digitized by Google

bathi ſanctificatio contineat. Etenim omnem cultum externum ad tempus & locum certum adſtrictum, tantum ad ſtatum poſt lapſum pertinere, fruſtra ſupponitur. Potuerunt praeterea in ſtatu innocentiae homines Deum omni tempore, & loco, ex toto & ſincero corde colere, vt tamen certo tempore hoc fieret conuenientiori quadam ratione. Namque & in ſtatu integritatis laborandum homini erat, etſi hoc fieret ſine moleſtia & defatigatione. Adamum enim in paradiſo Deus collocauerat, vt eum coleret, *Gen.* II, 15. Ab iſto labore quieſcere homo poterat, etſi ad diſſipatas vires corporis iterum colligendas quiete opus non haberet. Id enimuero deinceps poſt lapſum, ex naturae humanae conditione acceſſit. Quorſum & illud pertinet, quod de ſeruorum laboribus relaxandis dictum eſt. Ita ergo cum ſaluum ſit fundamentum inſtitutionis ſabbathi, quod ex narratione Moſis petitur, nunc paucis diſpiciemus, quae pro ſua ſententia ſtabilienda adferant, qui poſt exitum Iſraelitarum ex Aegypto, ſabbathum demum a Moſe inſtitutum volunt. Afferunt itaque, Deum per Moſen ſabbathum primo expreſſe publicaſſe, cum Manna daret populo *Exod.* XVI, 23. ſcripturam porro ſubinde teſtari, Deum ſabbathum dediſſe *populo ſuo*, *Ezech.* XX, 12. *Exod.* XXXI, 13. Cumprimis vrgent verba ex *Deut.* V, 2. 3. *Deus noſter pepigit nobiſcum fedus in Choreb,* NON CVM PATRIBVS NOSTRIS. Sub quo federe cum etiam inſtitutio ſabbathi contineatur, *v* 12. patres ſane Iſraelitarum ſabbathum non habuiſſe videntur. Manifeſto etiam declarare Moſen aiunt, *Deut.* V, 15. ideo ſabbathum inſtitutum eſſe, vt meminerint Iſraelitae, ſe ſeruos fuiſſe in Aegypto, & potenti manu diuina eductos inde liberatosque fuiſſe. Accedere denique, quod gentes ob violationem reliquorum decalogi praeceptorum, punitae paſſim legantur & reprehenſae: nullibi autem ob non ſeruatum ſabbathum, quod tamen factum eſſet, ſi ab initio conditi mundi ſabbathum fuiſſet inſtitutum. Quae tamen eiusmodi ſunt, vt haud difficulter ad ea reſpondere liceat. Promulgatio enim iſta, *Exod.* XVI, 23. commemorata, repetitio ſaltem fuit inſtitutionis iampridem finita mundi creatione factae. Quemadmodum & in decalogo ſumma iuris diuini vniuerſalis repetita fuit, quae tamen iampridem mortalibus nota erat. Cum vero in iſta repetitione noua accederet obligatio, noua quoque & ſingularia beneficia Deus populo Iſraelitico, praeſertim per liberationem ex ſeruitute Aegyptiaca, exhibuiſſet, quorum cum beneficio creationis die ſabbathi meminiſſe debebant, ratio inde intelligitur, cur Deus ſabbathum *ſuo* dediſſe dicatur *populo*. Et ita quoque ſabbathum ſpecialiori hacce ratione conſideratum, refertur inter conditiones federis cum populo Iſraelitico initi. Cum vero Moſes *Deut.* V, 15. ideo ſabbathum inſtitutum eſſe dicit, vt meminerint Iſraelitae ſe ſeruos fuiſſe in Aegypto, nihil aliud inde ſequitur, quam in legis iſtius repetitione Deum nouas addidiſſe cauſſas, ob quas ſpeciatim Iſraelitae ſabbathum obſeruare debeant. Denique, quod ad vltimam rationem attinet, non neceſſe erat, vt omnia delicta gentium in ſcriptura indicarentur, ob quae punitae ſunt. Non ergo ſequitur: gentes olim ob violationem ſabbathi non leguntur a Deo punitae: ergo ſabbathum a Deo in ipſa rerum creatione non fuit inſtitutum. Plura qui hac de re deſiderat, auctores adeat, qui ex inſtituto de ſabbatho commentati ſunt, FRANCISCVM GOMARVM, ANTONIVM THYSIVM, IOAN. PRIDEAVX, IOAN. COCCEIVM, THOMAM BRODAEVM, IOSVAM LE VASSEVR, aliosque, & cumprimis ex noſtratibus IOAN. ANDREAM QVENSTEDIVM, in *antiquitatibus biblicis & eccleſiaſticis, cap.* 10, *num.* 2. *pag.* 828. *ſeqq.* Taceo, quae noſtra aetate hac de re ſunt diſputata.

§. XXXIV.

Licet autem in hiſtoria patriarcharum non legamus, eos ſabbathum obſeruaſſe, nullum tamen quin hoc fecerint, eſt dubium. Neque ex ſilentio Moſis contrarium colligi poteſt, cum cauſſa praegnans, cur hoc commemorare deberet, non adeſſet. Iſraelitis deinceps ſabbathi obſeruatio, ſtrictiori quadam ratione iniuncta eſt, cum & generatim vetus teſtamentum in gente Iſraelitica haberet ſchema ſtatus legalis,

legalis, & gentis quoque illius indoles hoc requireret. conſ. *Exod. XXXI, 13. 14. XXXV, 2.*

* Patet hoc ex iis, quae ad §. *praecedentem*, diximus. Inde vero intelligitur, quo ſenſu obligatio ſabbathi, ſcilicet quoad ea, quae ſpeciatim populum Iſraeliticum ſpectabant, in nouo teſtamento ceſſet.

§. XXXV.

Cum vero in locum veteris teſtamenti nouum ſuccederet, non tantum ſtrictior illa & cum externa coactione coniuncta obligatio ceſſauit, ſed apoſtoli quoque pro ſeptimo die, primum, in recordationem ſurrectionis Chriſti, ſubſtituerunt. * Quod quin inſtinctu, adeoque adprobatione Numinis fecerint, nullum eſt dubium. Mutata quoque eſt adpellatio, & *dies dominica* dicta, quae cultui Numinis, eiusque beneficiis recolendis, eſt deſtinata.

* Quemadmodum ea, quae iuris diuini abſoluti ſunt, ſunt immutabilia: ita in inſtitutis, quibus leges hypotheticae innituntur, Deum quaedam mutare poſſe, ex ſupra dictis conſtat. Vt ergo olim diem ſeptimum, ita tempore noui teſtamenti primum hebdomadis, cultui ſacro deſtinari voluit. Cumque nemo forte dubitauerit, pro diuina voluntate agnoſcendum, quod apoſtoli hac in re fecerunt, id vnice, vt probemus, ſupereſt, iam apoſtolorum tempore, loco ſabbathi, diem dominicam cultui ſacro fuiſſe deſtinatam. Atque id ſane conſtat, quod *Apoc.* I, 10. diei dominicae diſerte mentio iniiciatur. Vbi ſine vlla ratione FRANCISCVS GOMARVS contendit, vocaſſe Ioannem eum diem *dominicum*, quod Dominus ipſi eo tempore ſpecialem gratiam reuelationis feciſſet, de *origine ſabbathi*, *cap.* 7. Cur enim non potius eum diem apocalypticum vocaſſet? Sic & *Actor.* XX, 7. dicitur, Paulum in Troade cum ſociis per dies ſeptem ſubſtitiſſe, τῇ μιᾷ autem τῶν σαββάτων, hoc eſt, prima hebdomadis die, ſeu die dominica, cum conueniſſent diſcipuli, verba ad eos feciſſe. conſ. & 1 *Cor.* XVI, 1. 2. Quae contra vltima haecce loca excipiuntur, tanti non ſunt, vt probandi vi ea ſpoliare queant. Contendunt enim μίαν τῶν σαββάτων non ſtatim ſignificare *primum*, ſed *vnum* ſabbathorum. Sed quod μία interdum idem ſit ac πρώτη, patet ex *Ioan.* XX, 1. Nec abs re eſt, quod *Actor.* XX, 7. dicatur: τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων. Res ipſa etiam hoc docet. Vtrobique enim auctor certum diem indicare voluit. Qui autem dicit, vno quodam hebdomadis die aliquid factum eſſe, aut fieri debere, certum diem non indicat. Accedunt teſtimonia veterum, quae rem extra dubium ponunt. IGNATIVS in epiſtola ad Magneſianos, eaque non interpolata, *p. m.* 1. ex editione THOMAE ITTIGII, *ſi igitur*, inquit, *qui in vetuſtis rebus verſati ſunt, ad nouitatem ſpei venerunt, non amplius ſabbathum colentes*, ἀλλὰ κατὰ κυριακὴν ζωὴν ζῶντες, *ſed ſecundum dominicam viuentes, in qua & vita noſtra exorta eſt per ipſum &c.* In interpolata equidem epiſtola locus hicce ita exhibetur, vt varia ſimul diei dominicae elogia cumulentur: ſed ſufficit, quod hic diſerte eius mentionem iniiciat IGNATIVS, & eam in locum ſabbathi ſucceſſiſſe, aperte innuat. Poſſet idem ex ſeculi ſecundi ſcriptoribus, IVSTINI MARTYRIS, aliorumque teſtimoniis comprobari, ſed hisce diutius immorari neceſſe non eſt.

§. XXXVI.

Sanctificatio ſabbathi, ſeu diei dominicae, in quo conſiſtat, ex fine inſtitutionis intelligitur, qui eſt recordatio creationis & redemptionis, praecipuorum, quae Deus in hominum genus contulit, beneficiorum. Quae quidem ita inſtituenda eſt recordatio, vt animus ad gratitudinem excitetur, verbis pariter ac factis demonſtrandam. Quod vt eo rectius fiat,

fiat, abſtinendum a reliquis laboribus, & cum precibus iungenda verbi diuini meditatio, eumque in finem conuentus etiam eccleſiae publici ſedulo frequentandi ſunt, in quibus & verbum diuinum docetur, & preces ſuas cum aliorum fidelium precibus iungere licet.

§. XXXVII.

Ad inſtituta nouo teſtamento propria pertinent ſacramenta: ***baptiſmus & ſacra coena.*** Haec eſſe inſtituta diuina, conſtat, quia ab ipſo Chriſto ſeruatore ſunt profecta. De baptiſmo quidem id conſtat ex *Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 16. Ioan. III, 5.* de ſacra coena, ex *Matth. XXVI, 26. Marc. XIV, 22. Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 23.* Sunt etiam haecce inſtituta vniuerſalia, quia ad omnes omnino pertinent homines, qui ſaluari cupiunt. Pertinent enim ad ordinem ſalutis a Deo conſtitutum.

§. XXXVIII.

Quemadmodum autem inſtitutorum diuinorum haec eſt ratio, vt accurate, eo modo, quo a Deo inſtituta ſunt, obſeruari debeant, ita & ſpeciatim in ſacramentis, baptiſmi & ſacrae coenae, ſe res habet. Et in eo ſumma officiorum circa ſacramenta, eorumque vſum, conſiſtit. Speciatim tamen ad finem & ſcopum horum ſacramentorum accurate attendendum, ne alium in finem, quis iis vtatur, quam ad quem inſtituta ſunt; tum, vt qui vti rite iis cupit, ita comparatus ſit, vt finem huncce obtinere queat, quem in finem & ſeipſum exploret neceſſe eſt, ne nullam non tantum inde referat vtilitatem, ſed peccato inſuper grauiſſimo ſe obſtringat; porro, vt in vſu ipſo ſacramentorum, quoad ſubſtantialia a forma inſtitutionis ne latum quidem vnguem, diſcedatur; vt quando ab iis adminiſtrentur, quibus ius atque poteſtas ea adminiſtrandi competit; & denique, ſi per conſuetudinem ritus quidam & ceremoniae adhibeantur, vt in iis dignoſcendis caute quisque verſetur, easque repudiet, quae indolem ſacramenti euertunt, vel ad ſuperſtitionem ducunt, aut alias verbo diuino aduerſantur, retineat contra quae verbo diuino non aduerſantur, & ad ordinem in eccleſia ſeruandum, aut ad aedificationem faciunt. *

* Ex principiis hisce generalibus, quibus officia hominum circa legitimum vſum ſacramentorum noui teſtamenti innituntur, ſpecialia, de quibus auctores, qui de caſibus conſcientiae ſcripſerunt, paſſim multa tradunt, facili negotio deriuari poſſunt. Nec difficultas temere hic oriri poteſt, niſi in adplicatione ad facta ſingularia, in quibus omnium circumſtantiarum habenda ratio, quod prudentiae opus eſt, qua de re in parte tertia ex inſtituto dicetur.

§. XXXIX.

Ac haecce inſtituta diuina, ſancte & religioſe obſeruanda, homines iure diuino, ſed hypothetico, obligatos eſſe, patet. Primo qui-

dem id conſtat, ex natura & indole inſtitutorum diuinorum: quae licet a legibus differant, vt ſupra demonſtratum, ideo tamen vt ab hominibus obſeruentur, a Deo ſunt inſtituta. Cumque ex ſingulari gratia atque amore Dei erga homines, ad ſalutem illorum promouendam profluxerint, ſumma impietas eſt illis vti nolle, aut tanto ſeipſum indignum reddere beneficio. Idque eo magis, quod quilibet homo, vti itidem ſupra probauimus, obligatus ſit iure naturali, ea vſurpare media, quibus felicitatem ſuam ſeu beatitudinem promouere poteſt. Inſtituta autem haec, ſpeciatim ſacramenta, ad vnionem Dei, ceu ſummae felicitatis centrum ducunt. Vnde ſimul, quo pacto haecce obligatio, ex primo noſtro iuris diuini principio, deriuari queat, intelligitur.

§. XL.

Contra officia haecce hypothetica, quoad cultum Numinis externum, triplici potiſſimum ratione peccatur. Peccant primo, qui ea plane negligunt, & intermittunt: qui ſabbathum non ſanctificant, ſacramenta contemnunt, & media haecce ſalutis in minimis ponunt. Peccant vero & illi, qui haecce ſe obſeruare inſtitura, videri volunt, ſed non ea id faciunt ratione, qua facere debebant, vt cum ſabbathum egregie ſe ſanctificare putant, qui eo die, non animam, ſed corpus ſtrenue curant: aut qui in ſacramentorum vſu, ab ordine a Deo praeſcripto diſcedunt. Peccant denique, qui ſuperſtitione ducti, externum ſacramentorum vſum, multum ſe iuuare credunt, etſi fides abſit, plane ac ſi actibus eiusmodi externis aliquid promereri apud Deum poſſint, aut ſacramenta ex opere, quod vocant, operato, proſint. conf. *Rom. II, 28. 29.*

§. XLI.

Qui ſe, vt rite diuinis inſtitutis vtatur, excitare cupit, neceſſe eſt, vt illorum ſanctitatem, neceſſitatem, ac vtilitatem diligenter ac ſerio meditetur. Hoc enim velut medium eſt, nos ipſos ad inſtitutorum diuinorum debitam obſeruantiam concitandi, ad quod adeo ſimul ſumus obligati. Id quod & de impedimentorum, quae & hic ſe offerunt, remotione cenſendum: quorum alia ex animi leuitate oriuntur, quae ſcilicet ad neglectum aut comtemptum diuinorum inſtitutorum ducunt, alia ex ſeruili metu & ſuperſtitione, dum externam actionem, absque fide ſibi prodeſſe, nonnulli exiſtimant.

CAPITIS

CAPITIS TERTII
SECTIO III.
DE
OFFICIIS HOMINVM ERGA SEIPSOS.

Σύνοψις.

SVmma officiorum hominis erga ſeipſum, in ſanctitate conſiſtit, voce iſta ſpecialiter accepta, §. I.
Quae ſignificatio vlterius explicatur, §. II.
Amor ſui ordinatus, Deo non diſplicet, §. III.
Exerit ſe tripliciter, ratione mentis, ratione corporis, & ratione bonorum, quae vtriusque conſeruationi inſeruiunt, §. IV.
Cultura mentis ſpiritualis, in quo conſiſtat, §. V.
Artium quoque atque ſcientiarum vtilium cognitione animus eſt imbuendus, §. VI.
Quaenam hic obſeruandae cautiones, §. VII.
Quod iure diuino ad haec circa animum officia, obligati ſimus, probatur, §. VIII.
Oppoſita horum officiorum, §. IX.
Ad corporis quoque conſeruationem homo eſt obligatus, §. X.
In quo conſeruatio ea conſiſtat, §. XI.
Pertinet huc legitimus membrorum, ſpeciatim ſenſuum externorum vſus, §. XII.
Quod ad iſta circa corpus officia iure diuino obligati ſimus, probatur, §. XIII.
aliis adhuc idem demonſtratur rationibus, §. XIV.
Peccant contra haec officia, qui corporis curam negligunt, & talia committunt, quibus deſtrui queat, §. XV.
Αὐτοχειρίαν illicitam eſſe demonſtratur, §. XVI.
Peccant porro, qui corpus ita curant, vt animum perdant, idque per intemperantiam, §. XVII.
& varia impuritatum genera, §. XVIII.
Verbis quoque & geſtibus laſciuis peccatur, §. XIX.
De moderamine inculpatae tutelae, §. XX.
de iure & fauore neceſſitatis, §. XXI.
Bona quoque, quae vocantur fortunae, ad hominis conſeruationem ſunt neceſſaria, §. XXII.
Circa eadem tamen caute verſandum, §. XXIII.
Officia hominum circa bona fortunae, §. XXIV.
Quod iure diuino ad haec officia obligati ſimus, probatur, §. XXV.
Qua ratione contra haecce officia peccetur, quoad opes, §. XXVI.
item, quoad honores ac dignitates, §. XXVII.
Media, quibus ad officia quoad animum obſeruanda homines induci poſſunt, item impedimenta, quae hic remouenda ſunt, §. XXVIII.
Media, officia circa corpus, promouentia, §. XXIX.
Impedimenta in hisce officiis remouenda, quoad intemperantiam, §. XXX.
quoad impuritatem & libidinem, §. XXXI.
vt & circa ſanitatis conſeruationem, §. XXXII.
Media, officia noſtra promouentia, vt & impedimenta remouenda, quoad bona fortunae, §. XXXIII.

§. I.

SVmma officiorum hominis erga ſeipſum, continetur in hocce principio, ſanctitati ad exemplum Dei eſſe ſtudendum. * Solent equidem interdum omnia hominis officia, omnesque virtutes, voce *ſancti-*

tatis comprehendi: ** nihil tamen obſtat, quo minus & ſpeciatim officia hominis regeniti erga ſeipſum hac voce denotentur, quemadmodum & *Luc. I, 75.* ſanctitas diſtinguitur a iuſtitia; conf. & *Epheſ. IV, 24.*

* vid. ſupra *cap.* 2. §. 56.

** Cur ſanctitatis potius, quam temperantiae vocem, in ſumma officiorum hominis erga ſeipſum adhibeamus, quamuis hac alias vſi ſimus, expoſuimus ſupra *cap.* 2. *ad* §. 42. de voce autem *ſanctitatis* prolixe diximus *part.* 1. *cap.* 3. §. 2. 3.

§. II.

Idque etiam docet ſanctitas Dei, quae ad imitandum nobis proponitur, 1 *Petr. I, 15.* Haec enim nihil aliud eſt, quam puriſſimus amor, quo Deus ſeipſum amat, & per quem a ſe remouet, quidquid cum ſumma eius perfectione pugnat. Quare & ſanctitas illa ſpecialis hominis in eo maxime conſiſtit, quod amore ordinato ſeipſum iuxta exemplum diuinum amat, ſuamque adeo felicitatem, cuius fundamentum conſiſtit in vnione cum Deo, promouere ſtudet.

§. III.

Qui amor ſui ordinatus, * tantum abeſt, vt Deo diſpliceat, vt potius ab eodem praeceptus ſit, vt ex dicendis conſtabit. Nec pugnat cum officio crucifigendi carnem, quod ab omnibus regenitis requiritur, *Gal. V, 24. Rom. VIII, 13.* aut cum abnegatione ſui, quae diſcipulorum Chriſti proprius character eſt, *Matth. XVI, 24.* cum potius in hiſce amor ſui ordinatus, vel maxime conſpiciatur. conf. *Ioan. XII, 25. Matth. X, 39.*

* Non enim omnem amorem ſui, ſed tantum inordinatum, in vitio poni, prolixe ſupra demonſtratum eſt; *part.* 1. *ſect.* 4. §. 32. *ſeqq.*

§. IV.

Vt autem amor iſte ſui ordinatus in iis, quae ad hominis conſeruationem pertinent, praecipue ſe exerit, ita tria maxime, pro huius vitae ſtatu & conditione in cenſum veniunt, quae ſtudium ſe conſeruandi poſtulant. Primum locum ipſa hominis anima tenet, cum corpus ſequitur, & denique quae corporis, certo reſpectu etiam animae conſeruationi inſeruiunt, bona, quae vocantur, fortunae.

§. V.

Quod ad animam attinet, cum conſtet, poſt amiſſam imaginem diuinam per primorum parentum lapſum, eam miſerrime eſſe adfectam, elaborandum homini regenito omnibus viribus eſt, vt in eius reſtauratione quotidie proficiat. Ergo operam dare debet, vt ratione intellectus loco ignorantiae, & ſtultitiae lux ſeu cognitio & ſapientia maius in dies incrementum capiat, *Coloſſ. III, 10. Eph. V, 15.* & vt ratione voluntatis, imminuta philautia praua, amor Dei & proximi, ſanctitas & iuſtitia,

tia, indies augeatur; *Epheſ. IV, 24.* denique, vt reliquae mentis facultates, a determinatione ad malum, & adhaerentibus imperfectionibus purgentur, cumprimis & adfectus in ordinem redigantur. *

* Idque eo magis, quod adfectus praui, praeſertim ſi vehementiores fuerint, vel maxime cum hominis conſeruatione pugnent, animam vitiis grauiſſimis immergentes, & corporis ſanitatem deſtruentes.

§. VI.

Praeterea, cum artium atque ſcientiarum notitia, hodie homini neceſſaria ſit, tum vt aliis inſeruire, tum vt vitam honeſte tranſigere queat, quemlibet ad ingenii culturam neceſſariam, artisque certae habitum ſibi acquirendum, iure diuino obligatum eſſe, conſtat. * Idque non tantum ratio docet, ſed & ſcriptura confirmat. conf. *2 Theſſal. III, 11. 12.*

* Pluribus hoc a me demonſtratum in diſſertatione de *cultura ingenii cap. 1. §. 2. ſeqq. in ſelect. iur. nat. & gent. pag. 297. ſeqq.* Ceterum tum in his, tum in aliis hominis erga ſeipſum officiis ſupponitur, notitia ſui ipſius, ad quam adeo, vt & ad ea, quae ex ea fluunt, homo itidem eſt obligatus, vt eleganter oſtendit SAM. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib. 2. cap. 4. §. 5. ſeqq.* ad quem locum etiam conferendus IO. BARBEYRACIVS.

§. VII.

Sed vt rite quis hac in re verſetur, diſpiciendum illi, vt artem vel ſcientiam vtilem, ſibique & aliis neceſſariam eligat, vanis, curioſis, prohibitis, procul faceſſere iuſſis; * eamque ingenio ſuo, indoli & ſtatui conuenientem, cum qui inuita Minerua aliquid addiſcere cupiunt, nihil aliud agant, quam vt tempus perdant; ** praeterea vt in modo quoque eam addiſcendi ſapienter ſe gerat, methodumque eligat conuenientem, quae certo illum ad finem exoptatum perducant; *** denique, vt diligenter caueat, ne artis aut ſcientiae cuiusdam cognitio, impedimentum adferat profectibus in ſpiritualibus. *

* Non omnes vno eodemque loco habendas eſſe artes atque ſcientias, conſtat. Quaedam, quantae quantae ſunt, inutiles ſunt, vanae, ſtultae, ad vitia hominum, ſuperſtitionem, ambitionem, voluptatem alendam fouendamque, tantum comparatae. Quaedam equidem vtiles & neceſſariae, ſed vt per imprudentiam hominum iis abutentium ad legitimum non dirigantur finem, adeoque inutiles quodammodo ac vanae fiant. Non ſatis hocce diſcrimen obſeruauit HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA, in libro notiſſimo, de *incertitudine & vanitate ſcientiarum.* Namque vtiles pariter & inutiles artes ſcientiasque vno eodemque loco habuit, & in vtilium tractatione, quae hominum iis abutentium, aut commentis vanis eas commaculantium vitia ſunt, ipſis tribuere artibus ſcientiisque non dubitat. *De vanitate & praeſtantia ſcientiarum*, orationem eruditam luci publicae expoſuit IOAN. ALPHONSVS TVRRETINVS, theologus Geneuenſis clariſſimus, vanitatis nomine, quod imperfectum eſt in artibus ſcientiisque, perſtringens Sed de eo nunc nobis ſermo non eſt, qui quod inter ipſas artes ſcientiasque intercedit, diſcrimen, obſeruandum contendimus, vt eas quae vanae, inutilesque ſunt, & ad ſuperſtitionem aut alia vitia ducunt, ceu indignas artium & ſcientiarum nomine, fugiamus ac euitemus. Ad ſpecialia vt deſcendamus, neceſſe non eſt, cum nec inſtituti hoc permittat ratio, & quando-

modo hoc iam factum ſit, in diſſertatione, de *cultura ingenii*, *cap.* 1. §. 11. *ſeqq.* add. IO. CHRISTIANI LANGII, *protheoria eruditionis humanae vniuerſae.* it. CHRISTIANI THOMASII *cautelae circa praecognita iuris.* In vtroque enim opere paſſim quaedam monentur, quae in artibus ſcientiisque, ad inutilium, ab vtilibus diſcretionem pertinent.

** Non ergo omnes artes & ſcientiae omnibus conueniunt. Diſpiciendum quid cuiusque ſtatus, conditio, ſexus, aetas, cumprimis ingenii vires permittant, aut exigant. Nec imprudenter tantum agit, qui vitae genus aut artem eligit, ad quam ineptus eſt; ſed & contra officium. Hinc de ingeniorum delectu, & exploratione, multa paſſim moneri ſolent, qua de re itidem a me ex inſtituto dictum in citata diſſertatione, de *cultura ingenii*, *cap.* 2. §. 8. *ſeqq.* add. IO. CHRISTIANVS LANGIVS, in *protheoria eruditionis humanae vniuerſae*, *cap.* 9. *p.* 491. *ſeqq.* Quae vero de artibus & ſcientiis, quibus eruditionis circulus abſoluitur, monentur, facili negotio ad artes quasuis, etiam illiberales, & quaeuis vitae genera, adplicari poſſunt.

*** Prolixius hac de re egi in *citata diſſertatione*, *cap.* 3. §. 4. *ſeqq.*

* Quod varia iterum ratione, in artibus etiam per ſe bonis & vtilibus contingere poteſt, cumprimis ſi quis non rectum in iis addiſcendis aut tractandis ſibi conſtitutum habeat finem, ſed cuncta eo referat, vt ambitioni ſuae, aut gloriae ſtudio, aut lucri cupiditati ſatisfaciat, aut ſi nimio ſtudio iis ita ſe addicat, vt immemor velut ſit eorum, quae ad ſalutem aeternam conſequendam, vitamque ſpiritualem animae conſeruandam pertinent, vel denique ſi ſuauitate artium atque ſcientiarum humanarum ita capiatur, vt diuina prae illis contemnat, immo vt ſacrae litterae illi veluti ſordeant. Huncce artium ſcientiarumque humanarum abuſum, per quem vitae ſpirituali maxima impedimenta adferuntur, iam ſuo tempore grauiſſime redarguit Paulus, paſſim oſtendens, quam male ſapientia huius ſeculi conueniat cum ſapientia diuina, 1 *Corinth.* I, 19. 20. III, 18. 19. 20. Hinc & diſerte 1 *Corinth.* VIII, 1 pronuntiat: *ſcientia inflat*, *ſed charitas aedificat*, hoc ipſo docens, quam neceſſarium ſit, vt artium atque ſcientiarum quarumuis, maxime humanarum, cognitio, per diuini ſpiritus gratiam ſanctificetur, & dirigatur, ne plus noceat, quam proſit. Cum vero nonnulli patres, abuſum huncce artium & eruditionis humanae perpenderent, parum abfuit, quin omne, quod in artes humanasque ſcientias impenditur, ſtudium, condemnarent. Qua in re nonnullos ex recentioribus, eos imitatos nouimus. Sed media via & hic tutiſſima, nec cum abuſu ſtatim reiiciendus eſt vſus. Diiudicanda hinc, quae prolixe hac de re diſſerit HIERONYMVS HIRNHAIM, de *typho generis humani*, *ſiue ſcientiarum humanarum, inani ac ventoſo tumore*, *difficultate*, *labilitate*, *falſitate*, *iactantia*, *praeſumptione &c.* praeſertim *cap.* 20. *ſeqq.*

§. VIII.

Quod iure diuino ad iſta erga animam noſtram officia obligati ſimus, probatur ex illo, quod antea poſuimus principio, ſanctitati, ad exemplum Dei, ſtudendum eſſe. Quod rurſus vnionem cum Deo ſupponit. In ſanctitate autem is vel maxime proficit, qui renouationi mentis ad imaginem Dei incumbit. Per debitam ingenii culturam varia facile euitamus peccata, quae nos a Deo ſeparare poterant. vid. *2 Theſſal. III, 11. 12.* Probatur idem ex eo, quod *Matth. XXII, 39.* dicitur: *ama proximum tuum*, *ſicut teipſum.* Ergo ſeipſum quoque amare homo tenetur. Quod non rectius faciet, quam ſi ita, vt diximus, erga animum ſuum ſe gerat. Deſumptum hoc ex *Leuit. XIX, 18.* repetitur *Gal. V, 14.* Denique ex cura animae idem patet, ſpeciatim nobis iniuncta & commendata, *Matth. XVI, 26. Marc. VIII, 36.* add. *Luc. XII, 4. 5.*

Matth.

Matth. X, 28. Huc & pertinet, quod ſtudium donorum ſpiritualium nobis tantopere commendetur, *1 Cor. XII, 31. XIV, 1.*

§. IX.

Oppoſita horum officiorum ad ſequentia reuocari capita poſſunt: ſi quis in diem viuat, animae nulla habita cura, vt illi, quorum Deus venter eſt, *Phil. III, 19.* vel vt ſtultus ille diues, *Luc. XII, 19.* item, ſi quis ſpiritualibus poſtpoſitis, iis ſaltem artibus animum ingeniumque excolat, quae ad huius vitae vſum ſpectant. Immo huc omnes illi pertinent, qui animae ſuae homicidium committunt, quod varia ratione contingere poteſt, e. g. ſi veritatem detineant in iniuſtitia, *Rom. I, 18.* ſi gratiae diuinae donis non recte vtantur, *Matth. XXV, 29.* ſi crucem ſubterfugiendo animam ſuam perdant, *Matth. XVI, 25. 26.* aliisque modis. Praeterea, in cultura ingenii plurimi non recte verſantur, ratione finis, obiecti, modi, vnde eruditorum peccata quam plurima & fere innumera. Ne quid nunc de illis dicam, qui culturam ingenii plane negligunt, & hinc ſibi aliisque moleſti euadunt, ſiue per ignauiam hoc fiat, ſiue ex aliis cauſſis.

§. X.

Non tantum animae, ſed corporis quoque rationem habere debet homo. Non minus enim corpore, quam anima conſtat, * & ad totius vitae conſeruationem ** opus eſt conſeruatione corporis. Conſtat porro, in corpore facile excitari motus inordinatos, quibus anima ipſa ad varia peccata abripitur, idque ob adhaerens peccatum originale, ex quo fonte etiam reliquae corporis imbecillitates profluunt. Denique obſeruandum, eſſe in homine adpetitum acerrimum ſeſe per ſobolis procreationem multiplicandi, at ob peccatum originale & prauas conſuetudines, aliasque cauſſas, eum perquam eſſe inordinatum.

* Repetenda hic quae diximus, *part. 1. cap 1. ſect. 7. ad §. 1.*

** Vita vero naturalis eſt *fundamentum omnium bonorum temporalium. & aeternorum occaſio*, vt loquitur HVGO GROTIVS, de *iur. belli & pacis lib. 2. cap. 24. §. 6.*

§. XI.

Quae cum ita ſe habeant, ſequitur, conſeruationem corporis in eo conſiſtere, vt homo quaeuis pericula, per quae corpus deſtrui poteſt, * niſi grauior ratio ea ſubire iubeat, euitet; vt cibo ac potu corpus equidem reficiat, ſed ea ratione, ne inordinati iſti, quibus obnoxius eſt, motus excitentur, aut foueantur, ſed vt temperantiae potius accurate ſtudeat; ** *Rom. XIII, 14.* vt denique inſtinctu ad procreandam ſobolem iuxta ordinem diuinum vtatur, puritatis ac caſtimoniae ante

omnia

omnia habens rationem, *1 Cor. VI, 13.* Et haec eſt illa ſanctitas, quae etiam corpori tribuitur, *1 Cor. VII, 34.* conf. & *1 Theſſal. V, 23.*

* Adeoque & morbos, & quidquid ſanitati nocet. Humanae enim felicitatis pars maxima eſt, vt mens ſana ſit in corpore ſano. Quae vero ad tuendam conſeruandamque ſanitatem, requiruntur, aliorum eſt, praecipere.

** Quo pacto quilibet, iuxta chriſtianorum diſciplinam, in cibi & potus vſu legitimo & ſobrio ſe gerere debeat, ſtudioſe & eleganter exequitur CLEMENS ALEXANDRINVS, *paedagog. lib. 2. cap.* 1. 2. & 4. quae legiſſe, & expendiſſe poenitebit neminem.

§. XII.

Huc etiam pertinet legitimus omnium membrorum vſus, *Rom. VI, 19.* ſpeciatim ſenſuum externorum, * quibus non tam ad delectationem, niſi in quantum haec per naturam cum illorum vſu coniuncta eſt, quam ad animi corporisque conſeruationem, quorſum & comparati ſunt, vtendum eſt.

* Qui enim in rerum ſenſus externos afficientium vſu tantum delectationem quaerunt, hoc ipſo voluptati ſe deditos demonſtrant. Multa paſſim hac de re monet, quem laudaui, CLEMENS ALEXANDRINVS, praeſertim *lib. 2. paedagogii cap.* 8. vbi diſputat, an vnguentis & coronis vtendum ſit? Quae enim iuxta morem veterum ibi dicuntur, facile ad noſtri ſeculi, noſtraeque gentis inſtituta, accommodari poſſunt.

§. XIII.

Quod ad iſta quoad corpus officia diuino iure obſtricti ſimus, * vel inde patet, quod ſanctitatis, cui ſtudendum, haud minimam partem conſtituunt. Sed vnionis quoque cum Deo ratio hoc exigit. Qui enim voluptatibus, quibus etiam plerumque non tam conſeruatur, quam deſtruitur corpus, dediti ſunt, nec iis ea, qua decet, ratione reſiſtunt, oſtendunt, ſe cum rebus ſenſus delectantibus, non cum Deo vnionem quaerere. vid. *1 Cor. VI, 16. 17.* Illi, quorum Deus venter eſt, vero Deo adhaerere nequeunt, *Phil. III, 19. 20.*

* Poterat ſuperuacaneum videri, probare velle, quod ad corporis conſeruationem homines ſint iure diuino obligati: cum vt generatim ad ſui ipſius, ita ſpeciatim ad corporis conſeruationem omnes natura proniſſimi videantur. Sed quantumuis magnus ſit naturae inſtinctus ad ſui ipſius, ſpeciatim quoque corporis conſeruationem homines impellens, vel exempla tamen eorum, qui violentas ſibi intulerunt manus, docent, non obſtante iſto inſtinctu, ad corporis deſtructionem abripi homines poſſe. Praeterea, inſtinctus ille ad ſui conſeruationem homines impellens apud pleroſque inordinatus eſt: adeo vt dum ſibi videntur, ſe ea agere, quae ad ſui conſeruationem faciunt, haud raro ea eligant; quibus ſui deſtructionem accelerent. Obligatio autem iuris diuini ad conſeruationem ſui ordinatam pertinet, vt homo eo quo debet modo ſe ipſum conſeruet. Hinc cum Stoici docerent, per prima naturae, omne animal, adeoque & hominem ad ſui conſeruationem impelli, recte addiderunt, per rectam rationem hunc inſtinctum dirigi debere.

§. XIV.

Patet idem ex praecepto de diligendo ſeipſo, *Matth. XXII, 39.* Qui enim

enim eo, quo dictum, modo, corpus ſuum non conſeruat, non amare, ſed odio ſeipſum proſequi cenſendus eſt. Idemque ex praecepto ſexto, *Exod. XX, 14.* eiusque interpretatione authentica, quam Chriſtus ſeruator dedit, conſtat, *Matth. V, 22. ſeqq.* itemque, ex aliis ſcripturae dictis, quibus ea ratione corporis gerere curam iubemur, vt *Rom. XIII, 14.* & *1 Cor. VI, 19.* vbi notanda ratio particularis, quod corpora regenitorum ſint templa ſpiritus ſancti. conf. & *1 Corinth. IX, 27. 1 Theſſal. V, 23.*

§. XV.

Peccant contra haecce officia, primo, qui curam corporis plane abiiciunt, & auaritia, aut ambitione, adfectibusque immoderatis abrepti, ſibi ipſis aut mortem, aut mortis periculum, ſaltem morborum varia genera attrahunt, *Eccleſiaſt. XXX, 22. ſqq. & XXXI. (XXXII,) 30.* Deinde & illi peccant, qui temeritate quadam, ſine neceſſitate & mandato, in pericula ſe coniiciunt, * ex quibus aut corporis mutilatio, aut mors ipſa ſequi poterat. *Eccleſiaſt. III, 27.* Multo autem magis *αὐτόχειρες* peccant, qui directe ſibi ipſis manus violentas inferunt.

* Qui autem ea agunt, quae demandati muneris ratio poſtulat, etſi ſciunt, vitae finem magnis laboribus acceſerari, *αὐτοχειρίας* rei agendi non ſunt: vti nec illi, qui pro aliorum ſalute, accedente cumprimis magiſtratus auctoritate, eiusmodi periculis, quae vitae finem adferre poſſunt, ſe exponunt. Luculenter hoc iam demonſtrauit SAM. PVFENDORFIVS, *de iur. nat. & gent. lib. 2. cap. 4. §. 17. & 18.* add. IOAN. BARBEYRACIVS, *ad h. l.*

§. XVI.

Enimuero, quod *αὐτοχειρία* crimen ſit longe maximum, ex dictis facile intelligitur. * Si enim homo ſe ipſum conſeruare debet, vt luculenter demonſtrauimus, peccat citra controuerſiam contra hancce legem, qui ſeipſum vita, quae fundamentum omnis felicitatis temporalis, & occaſio futurae, recte dicitur, priuat. Praeterea cum homo ſibi ipſi vitam non dederit, in eius quoque poſitum poteſtate non eſt, eam pro lubitu dimittere. Nec caſus vllus fingi poteſt, quo hoc liceat: cum aduerſa quaeuis, etſi ſint grauiſſima, patienti ferre animo, non autem morte ſibi ipſi accelerata, iis ſe ſubtrahere, ſit viri fortis, aut potius hominis chriſtiani officium. Rationes, quas alii contra *αὐτοχειρίαν* adferunt; ſuum cuique eſſe tribuendum, depoſitum eſſe reddendum, & quae reliquae ſunt eiusdem generis, rem illuſtrant magis, quam probant.

* Inter Stoicorum errores & hic refertur, quod *αὐτοχειρίαν* licitam eſſe aſſeruerint. conf. DIOGENES LAERTIVS, in *vita Zenonis*, & SENECA, *epiſt.* LXX. Nonnulli tamen hanc ita temperant ſententiam, vt non ſemper quidem, ſed tum demum viro ſapienti ex vita excedere fas eſſe contendant, ſi iam ita ſibi viuendum videat, vt nulla ad humanam felicitatem, cui vnice homines natos eſſe dicebant, redundaret vtilitas. Pluribus hoc explicaui

in *diſſert. 4. de erroribus Stoicorum in philoſ. mor. §. 5. in analect. hiſt. philoſ. p. 192.* Verum recte IVSTVS LIPSIVS, hanc Stoicorum ſententiam impietatis, ſtultitiae & imprudentiae arguit, *manuduct. ad philoſ. Stoic. diſſert. 22. pag. 155. ſeqq.* Et ſane cum iactitata tantopere viri ſapientis a Stoicis conſtantia, & quod inter tormenta etiam beatus ſit, non ſatis conuenire videbatur, quod nonnulli dicebant, eum morte voluntaria miſeriae & calamitatis ſuae finem facere poſſe. Recte igitur a Stoicis, tum reliqui, tum maxime Platonici diſſentiebant, contendentes, Deum in hacce vita velut in ſtatione quadam hominem collocaſſe, quam ſine ipſius permiſſione deſerere non liceat. vid. LACTANTIVS, *diuin. inſtitut. lib. 3. cap. 18.* Immo tam communi conſenſu apud veteres αὐτοχειρία damnabatur, vt tum apud Graecos, tum apud Ebraeos, honeſta illis denegaretur ſepultura, qui violentas ſibi ipſis intuliſſent manus. De Ebraeis tamen obſeruat HVGO GROTIVS, nonnullos eorum de lege, ſe non interficiendi, vnam excepiſſe cauſſam, tanquam laudabilem exceſſum, ſi quis videat, ſe deinceps victurum in probrum ipſius Dei, de *iur. belli & pacis lib. 2. cap. 19. §. 5.* Atque ex hocce capite excuſare annituntur αὐτοχειρίαν Samſonis, atque Saulis: quibus nonnulli addunt exemplum Razis, Hieroſolymitani ſenatoris, in hiſtoria Maccabaica. Sed vt in probrum Dei viuere cenſendus non eſt, qui in quibusuis calamitatibus prompte ſubeundis, & patienter ferendis ſuum erga Deum probat obſequium: ita exempla iſta nos parum mouent. De Saule atque Razi, quod peccauerint, nullum eſt dubium. Simſonis facinus tam ſingulare eſt, vt argumentum aut regulam, ad quam talia exigantur, inde capere non liceat. Recentiore aetate Anglum quendam, in libro cui titulum fecerit, *Biothanatos* αὐτοχειρίαν defendere auſum, eumque a IO. ADAMI, in *tract. de autochiria*, refutatum, condocet nos ANDREAS ADAMVS HOCHSTETTERVS, in *coll. g. Pufendorf. exercit. 5. §. 3.* Quod vero αὐτόχειρες maximo grauiſſimoque ſe inuoluant crimine, tam manifeſtum, vt fere probatione non indigeat. Ex amore enim noſtri ordinato, & obligatione ſeipſum conſeruandi, quae per cauſſas, quae aliquem ad αὐτοχειρίαν inducunt, neutiquam tollitur, hoc clariſſime elucеſcit. Solent nonnulli idem ex quinto decalogi praecepto deriuare. Et ſane licet praecipua Moſis intentio ſit in hocce praecepto, quae erga alios obſeruare, debeamus, nobis oſtendere, per legitimam tamen conſequentiam colligere licet, ſi alios occidere non licet, ergo nec nos ipſos, cum quilibet proximum ſuum diligere debeat, ſicut ſeipſum. Quod vero diximus, rationibus, quae vulgo adferri ſolent, *ſuum cuique eſſe tribuendum, &c.* nihil ſolidi hic euincere, oſtenſum pluribus, *cit. diſſert. 4. de error. Stoic.* §. 6. Praecipuas rationes contra αὐτοχειρίαν, quas philoſophia ſuppeditat, eleganter complectitur MICHAEL MONTANVS, in *tentaminibus lib. 2. cap 3.* quem locum adfert BARBEYRACIVS, *ad Pufendorf. de iur. nat. & gent. lib. 2. cap 4.* §. 17. add SAMVEL RACHELIVS, peculiari diſſertatione de *morte voluntaria*. Varias quaeſtiones huc ſpectantes, non ſine multae lectionis adparatu expedit MATTHIAS ZIMMERMANNVS, in *analectis miſcellis menſtruis, p. 196. ſeqq.*

§. XVII.

Peccant praeterea hic grauiſſime, qui corpus ita curant, vt illud pariter ac animam perdant. Quod fit per omne genus intemperantiae, ſpeciatim per ebrietatem. Hanc, equidem non deſunt, qui adeo magnum peccatum non eſſe exiſtimant, ſaltem non eiusmodi, quod cum fide conſiſtere nequeat, * adeoque in hominem regenitum, ceu infirmitatem quandam cadere poſſe. At errant graviſſime. Ebrietas enim non minus inter opera carnis refertur, quam idololatria ac adulterium, quae a regno diuino nos excludunt. *Gal. V, 19. 20. 21. 1 Corinth. VI, 9. 10.* Inter ea quoque referuntur peccata, quae efficiunt, vt homo coram iudicio diuino non poſſit conſiſtere,

Luc.

Luc. XXI,34.35.36. 1 Petr. IV,3.4.5. immo inter opera tenebrarum, quae a filiis lucis procul abeſſe debent, *Rom. XIII,12.13.* Hominem denique ad ſpiritualia, & functionem ſacerdotii ſpiritualis plane ineptum reddit ebrietas, & in alia peccata grauiora praecipitat. *Epheſ. V,18. Prouerb. XX,1. XXIII,29.*

* Vix ac ne vix quidem hoc ſibi hodie perſuadere poſſunt plurimi mortalium, ebrietatem eiusmodi peccatum eſſe, quocum fides conſiſtere nequeat. Hinc vt dictorum ſcripturae ſibi obſtantium vim eludant, omnem impendunt operam. Sermonem, inquiunt, ibi eſſe de *ebrioſitate*, ſeu *ebrietate habituali*, non autem de vno alteroue actu ebrietatis. Sed quam parum iſta exceptiuncula cauſſae aut conſcientiae ſuae conſulant, patebit, ſi expendamus, ebrios, 1 *Cor.* VI, 9. 10. *ſeqq.* coniungi cum furibus & adulteris. Quemadmodum ergo vt quis fur & adulter audiat, vnicus actus ſufficit, fur quoque & adulter, qui vnicum actum commiſit, intrare in regnum Dei nequit, niſi ſerio reſipiſcat, ita etiam ſe res habet cum ebrietate. Sic & *Gal.* VI, 19 *ſeqq.* cum eiusmodi peccatis coniungitur ebrietas, quae extra omnem controuerſiam mortalia ſunt, fideque excidiſſe, qui talia committit, demonſtrant, vt adulterium, ſcortatio, idololatria, & reliqua. Nec iuuat gradus ebrietatis diſtinxiſſe, ac ſi ſcripturae oracula de ebrietate, in maiori gradu ſpectata, loquantur, cum quae in minori gradu contrahitur, non ſit damnabilis. Eam enim diſtinctionem ſcriptura ignorat, quae omnem potius intemperantiam, qua animus ad ſpirituales functiones ineptus redditur, damnat, *Luc.* XXI, 34. 35. 36. Legenda quae hac de re diſſerit B. SPENERVS, in *reſponſis theologicis Germanicis, part.* 1. *p.* 780. *ſeqq.* alibique.

§. XXVIII.

Peccant denique contra haecce officia, qui impuritati, quocunque tandem haec nomine veniat, dediti ſunt. * In ſexto quidem praecepto nomine *adulterii*, omnes impuritates damnantur. Committitur namque adulterium, non tantum opere, per ſcortationem, inceſtum, adulterium proprie ſic dictum, peccata ſodomitica, aliaque deteſtanda opera, *1 Cor. VI,9.10. Gal. V,19. ſeqq.* ſed & corde, ſeu cogitationibus & cupiditatibus impuritatis, *Matth. V,28.* geſtibus, quorſum impudicae ſaltationes, & reliqua, quibus prauae cupiditates excitari poſſunt, pertinent, *Eccleſiaſt. IX,7. ſeqq. XXVI,12.13.14.* atque verbis, *Eph. IV,29.30. V,3.4.5.*

* Omnia atque ſingula impuritatum genera curioſius enarrare, perinde fere eſſet, ac ea docere velle. Etiam dum ea deteſtamur, opera danda, ne ea id faciamus ratione, vt prauas aliorum cupiditates irritemus. Sufficit generatim notaſſe, quicunque motus, cogitationes, actus, fini, ad quem Deus hunc inſtinctum hominibus implantauit, repugnant, nec cum ordine, quo Deus eundem inſtinctum circumſcripſit, conſentiunt, illiciti ſunt. Idque cum ratio omnes condoceat, ſimplicem ſcortationem quoque, multo magis reliqua crimina iuri naturali, etiam quatenus ex ratione innoteſcit, repugnare, manifeſtum eſt, conf. *Rom. I,* 26. 27. Quod enim eidem prout ex reuelatione innoteſcit, aduerſentur, allata ſcripturae dicta teſtantur abunde. Quam ſancti veterum chriſtianorum hac in re fuerint mores, intelligere licet ex CLEMENTIS ALEXANDRINI, *paedagog. lib.* 2. *c.* 10. vbi prolixe contra omne impuritatis genus diſputat. Ex recentioribus autem I. F. OSTERWALD, vir clariſſimus, libro Gallicano idiomate *contra impuritatem* ſcripto, *ſect.* 1. *cap* 1.2. *& ſeqq.* grauiſſimis argumentis, tum ex ratione, tum ex ſcriptura ſacra petitis, demonſtrat, omne impuritatis genus diuinis repugnare legibus. Vt tamen in aliis peccatis, ita in hiſce etiam criminibus vnum grauius eſt altero. In quibusdam ordo tantum, quo naturalem inſtin-

inſtinctum Deus circumſcripſit, turbatur, in aliis omnino ipſe finis interuertitur, in nonnullis vterque & ordo & finis inſuper habetur. In quibusdam rurſus homo tantum peccat contra officia erga ſeipſum, in aliis alios ſimul laedit, & officia matrimonialia violat, vt in adulterio.

§. XIX.

Et verba quidem obſcoena pariter, ac geſtus laſciui, vel hoc nomine inter peccata grauisſima, referendi ſunt, quod non tantum pravae cupiditatis, in corde dominantis, ſint indicia, ſed & incitamenta, quibus ipſe homo talia perpetrans magis magisque incenditur, * & ſcandala, quibus & alii ad ſimilia peccata alliciuntur, *Matth. XII, 34. 35. Iacob. I, 14. 15.*

* Per verba itaque obſcoena non tantum contra officia ſermocinantium, de quibus deinceps, ſed & contra legem, quae caſtitatem puritatemque ab omnibus exigit, peccamus. conf. CLEMENS ALEXANDRINVS, *paedagog. lib. 2. cap. 6.* vbi ex inſtituto περὶ αἰσχρολογίας, *de turpiloquio.*

§. XX.

Ceterum, cum lex diuina vitae corporisque noſtri conſeruationem iubens, interdum cum lege, quae alterum laedendum vetat, concurrat, quid tum ius fasque ſit, diſputari multum ſolet. Quod ſi ſecundum rationem rem conſideremus, nulla adparet cauſſa, cur inuadentis potius, quam ſuam, qui inuaditur, vitam conſeruare debeat: adeoque obligatio legis alterum laedere vetantis ceſſat, idque non ob delictum inuadentis, ** ſed quod Deus neutiquam praeſumatur, hominem obligare voluiſſe ad ea, quae communi omnium animantium inſtinctui repugnant. Nec contrarium ex ſcriptura demonſtrari poteſt, omnem ſcilicet defenſionem violentam, quae pro vitae conſeruatione ſuſcipitur, eſſe illicitam, *** etſi vix vlla ſine inordinatis motibus ſuſcipiatur. Quid vero requiratur, vt moderamen inculpatae tutelae legitime inſtituatur, * alibi exponitur.

* Etſi enim ceteroquin homines naturaliter ſint aequales, haec tamen non eousque extendenda eſt aequalitas, vt perinde eſſe debeat in hoc caſu, num ego interficiar, an ad mei conſeruationem interficiam inuaſorem. Vt enim inuaſor deteriori loco merito habeatur, ſuamet ipſe culpa effecit. Nec ſocialitatis ratio defenſioni violentae obſtat, cum potius hac ratione communi humani generis ſecuritati proſpiciatur. Ad rationes, quae in contrarium adferri ſolent, ſuccincte reſpondet ANDREAS ADAMVS HOCHSTETTERVS, in *colleg. Pufendorf. exercit.* 5. §. 4. Loquimur autem de defenſione violenta, quae cum caede inuaſoris eſt coniuncta, etſi eam, qui ſe defendit, non intendat. Quod enim defenſio non violenta, quae fit per viam iuris, licita ſit, dubio caret, etſi & hic prudentiae pariter ac pietatis ſit, iniurias potius tolerare, quam ad lites deſcendere, monente ipſo ſeruatore, *Matth.* V, 40. add. HVGO GROTIVS, *lib. 2. de iur. bell. & pac. cap.* 24. & PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib. 2. cap.* 5. §. 3. Ita vero violentam defenſionem concedimus, vt tamen aliquando eam illicitam eſſe poſſe contendamus, ſi ab iis ſcilicet eiusmodi periculum nobis immineat, quos ſaluos eſſe reipublicae maximopere intereſſe certo nouimus.

Vnde

Vnde contra ſummum imperantem, ſi nos inuadat, violenta vi defenſione nefas eſt, quod contra FERDINANDVM VASQVIVM, *lib. 1. controuerſ. illuſtr.* 18. probat HVGO GROTIVS, *lib. 2. c. 1.* §. 9. Sacra praeterea & inuiolabilis eſt ſummi imperantis perſona, qui & licet perperam agat inuadendo innocentem, hoc ipſo tamen ſummum imperium non amittit. IO. CHRISTOPHORVS BECMANNVS non repugnat huic ſententiae, interim *exuperantiam obſequii*, dicere mauult, ſi quis in tali caſu ſe interfici patiatur, *lin. doctr. moral. cap.* 9. §. 11. Ceterum & id quaeri ſolet, num licita tantum ſit violenta defenſio, an vero praecepta? Sunt qui prius, ſunt qui poſterius adfirmant. CASPAR ZIEGLERVS, aliquando licitam ſaltem, aliquando praeceptam, aliquando prohibitam contendit, ad *Hug. Grot. lib. 2. cap.* 1. §. 8. *p.* 197. Sed cum in defenſione violenta legitime inſtituta, ſe exerat via legis noſtram conſeruationem praecipientis, iniungentisque, eam tum quidem non tam licitam, quam praeceptam exiſtimauerim. Accedit, quod, qui licitam eam non praeceptam contendunt, actiones medias, inter praeceptas & prohibitas ſupponunt, qua de re tamen quid ſentiendum ſit, ex ſupra dictis conſtat.

** Tum enim poena eſſet, non defenſio. Facultas autem puniendi tantum magiſtratui competit, & accuratam cauſſae cognitionem ſupponit. Hinc vero ſequitur, quod etiam is, qui peccato caret, vt ſi quis inſania atque furore agitatus, aut errore ductus, alterum inuadat, per modum defenſionis interfici queat: item ſi quis fugam, qua noſtrae ſaluti conſuluimus, moretur, ea quidem ratione, vt aut nobis aut illi pereundum eſſet. conf. HVGO GROTIVS, de *iur. belli & pacis lib.* 2. *cap.* 1. §. 3. & commentatores ad *h. l.* Contra IO. GEORGIVM KVLPISIVM, in *colleg. Grot. exercit.* 2. §. 3. ſecus ſentientem, recte hic diſputat ANDREAS ADAMVS HOCHSTETTERVS, in *colleg. Puſendorf. exercit.* 5. §. 4. *pag.* 224.

*** Quae enim Seruator *Matth.* v, 39. de iniuriis patienter ferendis docet, ad vitam extendi nequeunt. Nec obſtat locus 1 *Ioan.* III, 16. quo vitam ponere pro fratribus iubemur. Id enim tum demum requiritur, ſi morte noſtra ſalutem aeternam fratrum promouere queamus. Quod cum admodum incertum dubiumque ſit, num fieri queat, ſi inuaſori parcendo, nos interfici patiamur, hoc quoque a nobis requiritur. Praeſertim ſi incertum etiam ſit, an non noſtrae quoque animae ſalutem aeternam periculo exponamus, ſi tum nos interfici patiamur, conf. ABRAHAMVS CALOVIVS, ad *h. l.* Fuerunt equidem nonnulli ex theologis, qui aſſeruerunt, ſi inuaſus certus ſit, ſi interficiatur, aeternae ſe compotem fore ſalutis, inuaſorem contra, ſi pereat, aeternum damnatum iri, tum charitatis eſſe, vt quis interfici ſe potius patiatur, quam interficiat alterum. Rationem huius ſententiae adferunt, quod inter vitam temporalem inuaſi, & ſalutem aeternam inuaſoris, nulla ſit proportio. Verum cum incertum admodum ſit, an aeternam ſalutem inuaſor conſecuturus ſit, etiamſi inuaſus ei parcat, & ſe interfici patiatur, non poteſt hic ipſa ſalus aeterna in cenſum venire, ſed ad proportionem inueſtigandam, vita temporalis inuaſi cum mora ad poenitentiam admodum incertam, comparanda erit. Quod ſi fiat, dubium fere non eſt, quin praeponderet vita temporalis inuaſi. Et in hanc etiam concedit ſententiam B. PHILIPPVS IACOBVS SPENERVS, in *reſponſis theolog. Germanicis part.* 4. *ſect.* 17. *art.* 3. *pag.* 392. *ſeqq.* Si tamen dicendum quod res eſt, tota quaeſtio videtur ſupervacanea, cum is raro eueniat caſus, & fieri vix queat, vt inuaſus deliberare ſecum diu atque conſultare poſſit, quid pro ſua vita conſeruanda, aut anima inuadentis aeternae damnationi eripienda, facere debeat.

* Paucis dici poteſt, violentam defenſionem locum habere, cum ceſſant iudicia & ſummum periculum vitae imminet. Quotuplici autem ratione iudicia ceſſent, exponit HVGO GROTIVS, *lib. 1. de iure belli & pacis cap.* 3. §. 2. Diſtinguendus autem hic a ſtatu naturali, ſtatus ciuilis. In ſtatu naturali ſemper ceſſant, cum qui in eo conſtituti ſunt, communem iudicem non habeant. In ſtatu ciuili ceſſant momentanee, quando ob vim

 aggreſſoris

aggreſſoris, fugere, magiſtratusque auxilium implorare non licet. Praeſentiſſimum autem ſit periculum neceſſe & quidem eiusmodi, vt nulla alia adſit ratio vitam conſeruandi, quam per caedem adgreſſoris. Vnde & ſequitur quamprimum praeſentiſſimum iſtud vitae periculum ceſſat, ceſſare etiam iua defenſionia. De termino defenſionis a quo, & ad quem, obſeruato diſcrimine ſtatus naturalis atque ciuilis, accurate diſſerit PVFENDORFIVS, *lib. 2. de iur. nat. & gent. cap. 5. §. 6. & ſeqq.* Eſt vero & hoc addendum, ad legitimam defenſionem etiam requiri, ne quis ipſe ſe in hocce periculum coniecerit. Quare qui alioa prouocarunt, aut in certaminibus ſingularibua, quae duella vocant, cum aliis congrediuntur, neutiquam moderamen inculpatae tutelae obtendere poſſunt. Duella praeterea & magiſtratus, ſeu iudiciorum, & legum diuinarum vindictam priuatam prohibentium, proteruum petulantiſſimumque contemptum indicant, ideoque inter crimina grauiſſima merito referuntur. Peculiaribus commentarionibus hocce argumentum pertractarunt SAMVEL RACHELIVS, HENRICVS BOCERVS, PAVLVS VOETIVS, aliique laudati IO. GEORGIO KVLPISIO, in *colleg. Grot. exercit.* 3. §. 6. add. ANDREAS ADAMVS HOCHSTETTERVS, in *colleg. Pufendorf. exercit.* 5. §. 8. Ceterum variae hic adhuc moueri quaeſtionea ſolent, quid pro membrorum incolumitate, pro rerum conſeruatione, pro pudicitia liceat. Et ad membrorum quidem incolumitatem quod attinet, IO. A FELDEN, cum iactura membri cuiusdam ſit irreparabilis, violentam quoque pro cuiusque conſeruatione defenſionem licitam eſſe contendit, ad *Grot. lib. 2. de iur. belli & pacis cap.* 1. §. 6. HVGO vero GROTIVS ipſe *l. c.* & IO. HENRICVS BOECLERVS, ad *h. l.* tum demum violentam pro membri conſeruatione defenſionem licitam eſſe, docent, ſi eius iactura mortia periculum poſt ſe trahere poſſet. Ego fruſtra haec disputari exiſtimo. Vix enim vnquam continget, vt inuaſus certus eſſe queat, inuaſorem membrorum ſaltem mutilationem, non vitae ereptionem intendere, multo minus ſcire poterit, qualis mutilatio futura ſit, num mortis periculum poſt ſe tractura ſit, annon? Pro rerum conſeruatione violenta defenſio licita non eſt, cum inter iacturam rerum, & vitae, quae furi eripitur, nulla ſit proportio. Quod ſi autem praeſumptio adſit, furem ſimul eſſe adgreſſorem, tum eum per modum defenſionia interfici poſſe, nonnulli exiſtimant. vid. IO. CONRADVS DANHAVERVS, *colleg. decalog. diſp.* 12. §. 16. *pag.* 698. Et ita quoque capienda lex Moſaica Ebraeis data, *Exod.* XXII, 2. qua permittitur furem nocturnum interficere, quia ſcilicet incertum, annon idem ſimul vitam nobis erepturus ſit. Conſentiuntque & aliarum gentium, idem permittentium, legea, de quibus BOECLERVS *ad Hug. Grot. l. 2. cap.* 1. *n.* 12. add. & IO. SELDENVS, *lib. 4. de iur. nat. & gent. iuxta diſciplinam Ebr. cap.* 5. Pro pudicitia defenſionem eiusmodi aliquando licitam, ſi corporis violenta proſtratio acceſſerit, praeter alioa exiſtimat FRIDERICVS BALDVINVS, in *caſibus conſcient. lib. 4. cap. 1. caſ.* 15. At cum pudicitia qua animum ſpectata eripi nobia nequeat, qua corpus conſiderata, eum vita aeternaque hominum ſalute in comparationem adduci nequeat, rectius forte alii negant, violentam pro ea defenſionem ſuſcipi poſſe. Ita iam AVGVSTINVS ſenſit, de *libero arbitrio, lib.* 1. *cap.* 5. add. CHRISTIANVS THOMASIVS, *iurisprud. diuin. lib. 2. cap. 2. §. 114. ſeqq.* Pro honore & exiſtimatione violentam defenſionem licitam eſſe, nonnulli equidem moraliſtarum, quos vocant, aſſeruerunt, ſed hoc ipſo ne primis quidem doctrinae chriſtianae elementis ſe imbutos eſſe, demonſtrarunt. Indigni itaque ſunt, qui refutentur.

§. XXI.

Generatim quoque de iure & fauore neceſſitatis * ita cenſendum, ſi per legis diuinae violationem directe Numinis ſanctitas laedatur, tum mortem potius eligendam, quam vt quis agat, quod lege diuina eſt prohibitum. Hoc enim totius rei fundamentum eſt, cum doceri ſolet, leges negatiuas, quae immediate cultum Dei reſpiciunt, item

item quae alios homines reſpiciunt, ſi neceſſitas ab aliis hominibus originem habeat, & illi nos adigere velint, vt peccando diuinam laedamus maieſtatem, neutiquam cedere neceſſitati. **

* Per neceſſitatem intelligimus hic eam, quam vocant, incolumitatis; ita vt nobis aut pereundum, aut lex aliqua migranda ſit. Cum vero leges vel diuinae, vel humanae ſint, primo de humanis quaeritur, an eiusmodi adferre neceſſitatem queant? Quod quidem adfirmandum, ſi ſummus imperans expreſſe hoc iubeat, idemque requirat ſalus reipublicae. Conſeruatio enim reipublicae, in quam omnes ciues conſenſerunt, hoc requirit, vt ſi res poſtulet, pro ea mortis ſubire periculum non detrectent, conf. HVGO GROTIVS, *lib.* 1. *de iur. bell & pac. cap* 4. §. 7. Extra hunc caſum leges humanae neceſſitati cedunt. Humanae enim leges vim obligandi tum demum habent, ſi latae ſint ad humanum modum, non ſi onus iniungant, quod a ratione & natura plane abhorreat, vt recte pronuntiat HVGO GROTIVS, *lib.* 3. *de iur. bell. & pac. cap.* 23. §. 5. & *lib.* 2. *cap.* 14. §. 12.

** In legibus enim diuinis ita procedere ſolent, vt primo eas, quae de officiis erga Deum praecipiunt, diſtinguant ab illis, quae agunt de officiis erga alios homines. Priores iterum vel affirmatiuae ſunt, vel negatiuae. De illis, quod neceſſitati cedant, nullum eſt dubium. Vt enim ſeruari poſſint leges affirmatiuae, requirunt occaſionem. Sic lex de ſanctificando ſabbatho tempore neceſſitatis non obligat, vt recte Haſmonaeorum temporibus a ſapientibus definitum fuit, conf HVGO GROTIVS, *de iur. bell. & pac. lib.* 1. *cap.* 4. §. 7. Negatiuas leges circa officia erga Deum immediate verſantes nunquam migrare licet. Nonnulli hic inter leges naturales & poſitiuas diſtinguunt. Eoque referunt exemplum de panibus propoſitionis non edendis, quam tamen migrauit Dauid, 1 *Sam.* XXI, 6. Et fuit ſane lex iſta ceremonialis, per cuius violationem, in caſu neceſſitatis factam, immediate ſanctitas Dei non laedebatur. Leges diuinae, quae circa officia erga alios verſantur, itidem vel affirmatiuae ſunt, vel negatiuae. De illis, quod neceſſitati cedant, iuxta ea, quae diximus, non eſt dubitandum. In his iterum conſiderandum, an neceſſitas a Deo originem habeat, an a malitia aliorum hominum, & ſi hoc ſit, quem iſti habeant ſcopum. Si hoc intendant, vt nos ſaltem interficere velint, vſurpare licet media nos conſeruandi, quae inſtinctus naturalis ſuppeditat, cum probabile non ſit, Deum velle, vt homines leges ſuas in nequitiae inſtrumentum conuertant. Licebit ergo Iudaeo, quem tyrannus ex cauſſa iniuſta fame necare conſtituit, vitam ſeruare eſu carnis ſuillae. Quod ſi vero a malitia hominum medium ſuppeditetur, quodcunque demum ſit, illud acceptare nefas, cum directe id eo tendat, vt legem diuinam migremus. Multo ergo minus, ſi vnicus adflictionis, quae ab hominibus proficiſcitur, hicce ſcopus ſit, vt ad peccandum nos inducat, cedere vlla ratione neceſſitati licet. Quodcunque enim tum euadendi exhibeatur medium, ſemper tamen ſubeſt intentio directe migrandi legem diuinam. Quod ſi neceſſitas originem a Deo habeat, mediis vti licet, quae natura ſuppeditat. Non tum nefas erit Iudaeo veſci carne ſuilla. Sin medium a malitia hominum ſuppeditetur, id acceptare nefas. Nefas ergo conſentire in ſtuprum aut homicidium, vt tempore famis conſequamur, quibus vitam ſuſtentare queamus. Haec omnia, quae in compendio diximus, pluribus ediſſerit, & accurate demonſtrat CHRISTIANVS THOMASIVS, *iuriſprud. diuin. lib* 2. *cap.* 2. §. 123. *ſeqq.* Plurimae ceteroquin circa ius & fauorem neceſſitatis moueri quaeſtiones ſolent, quas inter eminet, an neceſſitas concedat ius in res alienas. Sed tum de hac, tum de reliquis, conferri poſſunt HVGO GROTIVS, *lib.* 2. *de iur bell. & pac. cap.* 1 §. 6. KVLPISIVS, *in colleg. Grot. exerc.* 3. §. 5. 10. SELDENVS, *de iur. nat. & gent. ſec. diſcipl. Ebr. lib.* 6. *cap.* 7 SAM. PVFENDORFIVS, *de iur. nat. & gent. lib.* 2. *c.* 6. CHRISTIANVS THOMASIVS, *iuriſprud. diuin. lib.* 2. *cap.* 2. aliique.

§. XXII.

§. XXII.

Supereſt, vt de *bonis* quoque, quae vocant *fortunae*, dicamus, quae ad hominis conſeruationem, pro huius vitae ſtatu neceſſaria eſſe, conſtat. Vt enim ſine imperio ciuili hominum generi ſaluo eſſe non licet, ita huius ratio, varios hominum ſtatus requirit, vnde *honores & dignitates*. Cum etiam non minus humani generis interſit, diſtincta eſſe rerum dominia, pretiaque definita, nec adeo ſine pretio aequiualente quisquam obtinere queat, quae vitae ſuſtinendae ſunt neceſſaria, aut eius commoditati inſeruiunt, opum quoque inde neceſſitas intelligitur. Quia vero ratio, qua nonnulli prae aliis ad honores aut opes perueniunt, occulta ſaepius eſt, nosque latet, *bona fortunae*, * inde adpellitari ſolent.

* Quam de *fortuna* ſibi formauerint ideam gentiles, conſtat ex PLINIO *lib. 2. hiſt. nat. cap. 7.* Sed nos in ſenſu ethnico fortunam procul faceſſere iubemus, non alio ſenſu fortunam quandam admittentes, quam cum hac voce ipſa prouidentia Dei deſignatur. Cumque haec mitifice res mortalium ita diſpenſet, vt quibusdam occaſio commoda, opes aut honores acquirendi ſuppeditetur, qua aliis carendum eſt, patet, quo ſenſu diuitiae & honores, *bona fortunae* vocari poſſint. De variis ceteroquin ſignificationibus vocis *fortuna*, vid. FRIDERICVS RAPPOLTVS, *in obſeruat. ad Horatium, ad lib. 1. carm. od. 36. obſ. 24. p. 1226. ſeqq.*

§. XXIII.

Haecce bona etſi pro huius vitae conditione neceſſaria, valde tamen ſimul ſunt periculoſa, quia variae per ea irritantur hominum cupiditates, quibus ſi indulgeant, manere in vnione cum Deo nequeunt, maximamque animabus ſuis attrahunt perniciem. Accedit, quod ea bona illis obtingunt, non, vt iis ſui tantum cauſſa vtantur, ſed potius vt aliis iis inſeruiant, cum non ſibi ipſis, ſed aliis quoque nati ſint, & quilibet regenitus, ceu membrum corporis Chriſti, non minus aliorum, quam ſua commoda curare debeat, *1 Cor. X, 24.* Quod qui negligunt, in bonis iſtis fortunae certiſſimam inueniunt perniciem.

§. XXIV.

Officia itaque hominis circa bona fortunae, ſpeciatim circa opes, in eo conſiſtunt, ne quis eas vltra neceſſitatem appetat, legitimo contra modo acquirat, & acquiſitas rite conſeruet, tum vt habeat, quo vitam ſuam ſuſtentet, tum vt aliis quoque iis inſeruire queat; porro, ne animus iis adhaereſcat, aut per eas ad prauas ſe abripi patiatur cupiditates. Praeterea, cum labore ſolo ad acquirenda etiam neceſſaria parum proficiamus, niſi diuina accedat benedictio, *Pſ. CXXVIII, 1. 2.* ne iſta indignos nos reddamus, elaborandum, ſimulque in voluntate diuina acquieſcen-

quieſcendum, cum eos, qui illum timent, illique confidunt, & mediis legitimis vtuntur, deſerere non ſoleat. *Ebr. XIII, 5.* De dignitatibus, honoribusque, qui cum certis officiis ſeu muneribus coniuncti ſunt, pariter cenſendum, non aliter quam partem ordinis ad res humanas rite diſpenſandas neceſſarii, adeoque diuinitus adprobati, eos ſpectandos, adeoque non alium in finem eos adpetendos, quam vt ordini huic nos ſubmittamus, nec alia ratione, quam reipublicae aut eccleſiae ſalus, aut finis, in quem introducti ſunt, poſtulat, iis vtamur.

§. XXV.

Ad haec quod iure diuino obligati ſimus officia, patet iterum ex principio, quod ſupra poſuimus. Sanctitati enim is certiſſime ſtudet, qui omnia ea ſedulo euitat, quae animum a Deo auertere poſſunt, inter quae haud vltimum locum tenet abuſus bonorum, honorumque huius ſeculi. Hoc ipſe diſerte docet ſeruator, *Matth XVI, 24. ſeqq.* Furtum faciunt, qui res ſibi concreditas non recte adminiſtrant. Bona autem fortunae, nobis concredidit Deus. Qui ergo ea non recte ſecundum voluntatem Numinis adminiſtrant, furti rei ſunt. Legitimum eiusmodi bonorum vſum paſſim etiam commendat ſcriptura, ſpeciatim apoſtolus, *1 Cor. VII, 29. 30. 31.* Vnde etiam conſtat, quod eorum poſſesſio non pugnet cum abnegatione ſui. Pertinent denique huc & illa dicta, quibus labor, quo bona huius ſeculi acquiruntur & conſeruantur, iniungitur, vt *Prouerb. XVIII, 9. Epheſ. IV, 28. 1 Theſſal. IV, 11. 12. 2 Theſſal. III, 10.*

§. XXVI.

Repugnat hiſce officiis primo *ignauia;* ſi quis otio deditus, * in acquirendis neceſſariis negligens ſit, & ita paupertatem ſibi attrahat, vnde dedecus, & alia incommoda. Non minus tamen peccatur per *auaritiam*, ** cum quis non ad neceſſitatem, ſed ad abundantiam opes & diuitias concupiſcit, & congerit. Vnde ruſus alia peccata, cordis a Deo auerſio, illegitimi acquirendi modi, denegatio eorum, quae aliis ſuppeditare tenebamur, & alia. conf. *Kohel. V, 9. 1 Tim. V, 9. 10.* Auaritiae etiam fructus eſt, ſi quis rebus ſuis non ſit contentus. *** *Ebr. XIII, 5.* Cumque per eam cor totum rebus mundanis tradatur, *idololatriae* nomine paſſim in ſcriptura ſacra venit, *Epheſ. V, 5. Coloſſ. III, 5. Phil. III, 19.* In contrarium currunt, ſed itidem grauiſſime peccant, qui per profuſionem & prodigalitatem, bona ſua dilapidant, * & hinc paupertatem ſibi attrahunt. *Prouerb. XXIII, 20.*

* Otium vituperabile, hominibus voluptati deditis fere proprium, non eſt vnius generis, ſed mox craſſiori, mox ſubtiliori ratione ſe prodit. Non tantum qui nihil plane agunt, ſed & qui agunt, in quibus recreationem ſaltem, aut animi corporisque delectationem

tionem, quaerunt, ita otioſi ſunt, vt reprehenſionem incurrant. Lectu digna ſunt, quae hac de re diſſerit CHRISTIANVS THOMASIVS, *introduct. ad ethicam part. 2. cap. 13. §. 11. ſeqq. p. 402. ſeqq.* add. quae dixi *part. 1. cap. 1. ſect. 4. §. 52.* Hic vero ſpeciatim ita ſpectantur, prout per ignauiam ea acquirere intermittunt, quae ad vitae ſuſtentationem ſunt neceſſaria, quo ipſo non tantum erga ſe ipſos, ſed & erga alios peccant, vt ex dicendis conſtabit, *ſect. ſeq. §. 15.*

** De auaritia, eiusque indole, effectibus, characteribus, prolixe dictum *part. 1. cap. 1. ſect. 4. §. 65. ſeqq.* Hic ſaltem addo, duplici ratione auaritiam ſe exerere, vel per tenacitatem, vel per rapacitatem. Sunt enim nonnulli ita auari, vt aliena equidem adpetant, in dando tamen reſtricti & tenaces ſint: alii contra ad accipiendum proni, vnde libet, lucrum captant, etiam minimum ex re turpi, immo ad illicitos tandem acquirendi modos progrediuntur. Vnum tamen vtrobique fundamentum, quod opes non ad neceſſitatem, aut vitae huius vſum adpetant, ſed quia in illorum poſſeſſione, ſummam felicitatem quaerunt. Plura de auaritia ſuppeditat IO. CONRADVS DANHAVERVS, in *colleg. decal. exercit. 18. ſeqq. p. 861. ſeqq.*

*** Auaritiae namque opponitur inter alia αὐτάρκεια, qua quis in iis, quae Deus ipſi largitur, conquieſcit, & cupiditates ſuas rebus praeſentibus ac neceſſariis circumſcribit. Agit hac de re ex inſtituto IO. HOORNBECKIVS, *theol. pract. part. 2. lib. 10. cap. 19. p. 585. ſqq.* vbi & rationes ediſſerit, quae nos ad αὐτάρκειαν inducere debeant.

* Prodigalitatis vitium hominum voluptati deditorum fere proprium eſt, vt iam obſeruauimus *part. 1. cap. 1. ſect. 4. §. 52.* Effundit enim prodigus patrimonium ſuum, vel inconſulte largiendo, vel in voluptates ſuas ad luxum impendendo. Interdum tamen & ambitione qua iam ad opes inconſulte profundendas aliquis induci poteſt. conf. PHILARETVS, *ethic. lib. 3. part. poſt. cap. 6. §. 5.*

§. XXVII.

Quod ad honores ac dignitates attinet, duplici itidem ratione, tum in defectu, tum in exceſſu peccatur. Priori modo peccant, qui honores & officia, ſub praetextu modeſtiae & humilitatis fugiunt, * aut ignauiam ſuam, ſplendido otii litterarii, ** nomine tegunt. Poſteriori modo aguntur in transuorſum, qui ſuperbia aut ambitione abrepti, dignitates, imperium, gloriam, honorem, titulos, conſectantur. *** Quam graue autem vitium ambitio ſit, aliunde conſtat. conf. *Prouerb. XVI, 5. XVIII, 12. Iob. IX, 13. XL, 6. 7. Matth. XXIII, 12. 1 Petr. V, 5. Iac. IV, 6.* Denique & illi peccant, qui animum abiiciunt, nec adverſa ferre poſſunt, * qui Deo diffidentes, curis animum frangunt, aut omnino ad deſperationem ſe induci patiuntur. *Pſalm. LV, 23. Matth. VI, 25. ſeqq. Luc. XII, 22. 1 Petr. V, 7.*

* Immo non deſunt, qui chriſtianis nefas eſſe putant, honores ac dignitates acceptare, aut titulos eorum vſurpare. Qui error in CAROLOSTADIO paſſim notari ſolet. Et ſane cum abuſus in hisce omnibus longe ſit grauiſſimus manifeſtiſſimusque, vt ineptae ambitionis & vanitatis exempla in his omnibus quotidie conſpiciantur, mirum non eſt, nonnullos in alterum extremum prolapſos, omnem iſtum honorum, dignitatum, atque titulorum adparatum condemnaſſe. Qua in re tamen eos erraſſe manifeſtum eſt, cum ab abuſu, legitimum vſum non ſatis diſcreuerint. Nec obſtant verba Chriſti, *Matth.* XXIII, 8. 9. quibus prohibere videtur, ne quis *Rabbi*, neue quis *pater*, vocetur. Ea enim, vt recte IO. CONRADVS DANHAVERVS docet, oppoſita ſunt, *faſtui phariſaico,*

quem

quem ducebat cretata ambitio. Prohibet Chriſtus τὸ ἐμπαθῶς θέλειν καλεῖσθαι, vt THEOPHYLACTVS ad *h. l.* explicat: *ne velitis, contendatis, quaeratis, magiſtri, aut patres aliorum vocari.* Deinde, oppoſita fuerunt, vt idem auctor docet, *auctoritati paternae, magiſtrali, & imperioſae*, quae ſibi plus quam licet, aut ſumit, aut indulget. Quorſum refert illud SALOM. IARCHII, in *Deut.* XVII, 11. *etiamſi dixerint Rabbini de manu dextra, quod ſiniſtra ſit, & de manu ſiniſtra, quod dextra, credendum hoc eſſe; in colleg. decalog. diſp.* 10. §. 1. *pag.* 592. conf. & *diſp.* 11. *qu.* 3. *p.* 647.

** Non loquor de illis, qui praeter voluntatem ſuam a publicis excluduntur negotiis, ideoque ne vitam nihil agendo tranſigant, litterarum ſtudiis ſe dedunt. Hi non reprehendendi, ſed laudandi potius ſunt, modo ea id faciant ratione, vt fructus aliquis, tum ad ipſos, tum ad alios inde redundet. De illis loquor, qui ad incommoda, quae vitam publicam munerisque adminiſtrationem comitantur, euitanda, vitam priuatam praeferunt, & ignauiae ſuae honeſtum otium litterarium obtendunt. Id vero iam olim plurimos feciſſe, vel ex PLVTARCHI commentatione patet, qua diſputat, *an recte dictum ſit, latenter eſſe viuendum?* Poſitum vero extra controuerſiam, ſi homines eiusmodi iis inſtructi ſint virtutibus, vt patriae & reipublicae vtilem nauare operam poſſent, & tamen ob taedia & incommoda, quae cum vita publica coniuncta ſint, eidem ſe ſubtrahant, grauiſſime eos peccare, ſub quocunque etiam hoc fiat praetextu. conf. quae dixi in *ſpecimine prudentiae ciuilis Rabbinicae, cap.* 8. §. 14. add. CASP. HENRICI STARCKII, *tract. hiſtorico-moral. de doctorum vita priuata, quam honoribus quidam & officiis publicis praetulerunt &c.*

*** Diuerſimode enim hic ambitio ſe exerit, vt iam ſupra obſeruatum, *part.* I. *cap.* I. *ſect.* 4. §. 57. Vt autem officii eſt, honores, dignitates, & reliqua non alium in finem expetere, quam vt aliis prodeſſe, & nosmet ipſos rite conſeruare queamus, ita ambitionis eſt, in his ſaltem eminentiam quandam, & ἐξοχὴν prae aliis quaerere: hinc & intra mediocritatem ſubſiſtere neſcit, ſed ſemper plus vltra tendit. Eleganter SENECA: *ambitio non patitur quenquam in ea menſura honorum conquieſcere, quae quondam eius fuit impudens votum; de beneficiis lib.* 2. *c.* 26. *p. m.* 643.

* Inter officia enim hominis erga ſeipſum cum hoc quoque ſit, vt ſi circa bona fortunae praeſtiterit, quae ſuarum erant partium, in reliquis acquieſcat in voluntate diuina, nihil aliud契 ſupereſt, quam vt quae ei aduerſa videntur, lubenti in ſe ſuſcipiat animo, iuxta ea, quae ſupra diximus. Atque hoc *fortitudinis* eſt, quae dum in laude ponitur, non modo animum imperterritum aduerſus hoſtes, ſed magnum etiam & excelſum in rebus aduerſis denotat: quamuis vltimo modo ſpectata, *patientiae* nomine veniat. Et tum quidem fortitudini partim inconſulta *temeritas*, partim *timiditas*, animique abiectio opponitur. Fundamentum autem fortitudinis huius ex ſpe & filiali fiducia, quam in Deo collocamus, petendum, de qua ſupra, *ſect.* 1. *huius cap.* §. 48.

§. XXVIII.

Non tantum ad officia hactenus expoſita, ſed & ad media, quibus ad eorum praeſtationem quis inducitur, vt & ad impedimentorum remotionem, obligati ſumus. Media, quoad ea, quae circa animae conſeruationem & culturam praeſtanda ſunt, praeter alia, ſunt exacta conſideratio neceſſitatis, vtilitatisque horum officiorum, ordinisque a Deo conſtituti, quem migrare, nemini mortalium fas eſt. Ad impedimenta pertinent exempla aliorum, de corpore potius, quam anima ſollicitorum, praeiudicia varia e. g. de artium quarundam aut ſcien-

tiarum vtilitate, & neceſſitate, quae tamen vanae ſunt, ignauia, rerum huius ſeculi amor, & alia quamplurima.

§. XXIX.

Quod ad corpus attinet, temperantiae ſpeciatim inſeruit diligens conſideratio maximorum damnorum, quae intemperantia poſt ſe trahit, & vtilitatis, quam illa ſecum vehit, exempla veterum chriſtianorum, quaecunque carni grata ſunt, ſtudioſe ſubtrahentium; praeiudiciorum variorum, ac ſi temperantiae exactum ſtudium ſanitati noceret, &c. remotio, & quae alia ſunt eiusdem generis. Puritati caſtitatique, praeter preces, *Eccleſiaſt. XXIII, 5. 6.* aliaque generalia, & ipſum temperantiae ſtudium, ſine quo fruſtra ad caſtitatem adſpiratur, & per quod alimentum velut impuritati ſubtrahitur; inſeruit diligens cumprimis omnipraeſentiae diuinae conſideratio, *Gen. XXXIX, 9. Eccleſiaſt. XXIII, 27. ſeqq.* cordis & ſenſuum, praeſertim & externorum, accurata cuſtodia, occaſionisque euitatio & reliqua. * Ad ipſius quoque corporis ſanitatem conſeruandam plurimum confert temperantia, vnde, quod & hoc nomine ad eam obſtricti ſimus, patet, non neglectis tamen regulis diaeteticis, quae ab aliis praeſcribi ſolent. Sed caute tamen hic incedendum, ne dum corporis conſeruare ſanitatem annitimur, noceamus animae, eique perniciem adferamus.

* Tum de argumentis, quibus caſtitatis ſtudium, ceu ſumme neceſſarium demonſtratur, tum de mediis, quibus ad caſtitatem puritatemque animi pariter ac corporis aliquis peruenire poteſt, eleganter diſſerit IO. FRID. OSTERWALD, in libro, ſupra iam laudato, *contra impuritatem. part. 2. ſect. 2. & 3. p. 280. ſeqq.* Digna haec ſunt, quae legantur & expendantur ab omnibus.

§. XXX.

Impedimenta, quoad temperantiam, inter alia ſunt, imitatio, conſuetudo, mores, & hinc enata frequentiſſima occaſio. Huc praecipue & conuiuia eiusmodi, & conuentus referas, quibus ſine temperantiae damno intereſſe non licet. * Stultitia autem eſt, cum improbitate coniuncta, ſi quis, vt aliis placeat, in eiusmodi ſe coniiciat pericula, cum aperte oſtendat, ſe Deum poſtponere hominibus. Qui vero eiusmodi conuentibus interſunt, & praeter opinionem ſibi obtigiſſe videri volunt, vt temperantiae leges migrarent, ſeipſos quidem, minime autem alios, decipiunt turpiter.

* Quod in conuiuiis, ſimilibusque conuentibus, & caſtitas & temperantia, in magna ſaepius adducat pericula, occaſione utramque violandi oblata, nemo temere inficiatus fuerit. Quaeſtiones hinc enatae, an & quomodo recte instituantur conuiuia? an iis intereſſe liceat? an in conuiuiis in ſalutem aliorum bibere liceat? & aliae eiusdem generis, de quibus prolixe quoque diſputat GISBERTVS VOETIVS, *comment. de excelſis mundi, diſp. 2. de luxu in conuiuiis & ſympoſiis, diſp. ſel. part. 4. p. 325.* Verum ſi quis & conſcientiae & animae

animae ſaluti ſerio conſulere velit, facile hinc ſe expediet, ſi tum ad illos, qui conuiuium inſtruunt, tum ad conuiuas, qui ei interſunt, tum maxime ad animae ſuae ſtatum, viresque ſpirituales, quibus inſtructus eſt, attendat. De vltima quaeſtione vid. B. PHIL. IAC. SPENERVS, in *reſponſis theolog. Germ. part. 2. p. 453. ſeqq. & part. 4. p. 599.*

§. XXXI.

Caſtitatis puritatisque impedimenta ſunt omnia ea, quae impuras irritare ac incendere cupiditates poſſunt, vt praeter intemperantiam, commercia, & colloquia, cum hominibus impuris ac laſciuis, picturae ad libidinem excitandam comparatae, * abuſus muſices, cantilenae, lectio librorum obſcoenorum, fabularum Romanenſium, poetarum, ** otium quoque, tam ſeuere ab apoſtolo prohibitum, *2 Theſſal. III, 11.* choreae & ſaltationes, *** comoediae & ludi ſcenici, * & alia eiusmodi.

* Nonnulli patrum, ſpeciatim TERTVLLIANVS, pingendi artem, ob grauisſimum eius abuſum, ceu illicitam, prorſus damnarunt. Legenda ſunt quae hac de re habet IO. DALLAEVS, de *imaginibus lib. 1. cap. 6. p. 81. ſeqq.* Qua in re nimis rigidi fuiſſe videntur. Hoc tamen certum, abuſum artis huius eſſe maximum, infinitisque peccatis per picturas obſcoenas, ac laſciuas, occaſionem praeberi. Procul talia ab orbe chriſtiano debebant eſſe remota.

** vid. dicta *part. 1. cap. 5. ad* §. 28. add. OSTERWALDVS *contra impuritatem, part. 1. ſect. 3. cap. 3. p. 161.*

*** Choreas & ſaltationes hic conſideramus, non in abſtracto prout nonnulli eas ſibi fingunt, ſed prout reuera inter homines in vſu ſunt, cum circumſtantiis, quae nunquam non eas comitari ſolent. Qua quidem ratione prauas iis vel maxime irritari cupiditates, nemo temere inficias iuerit. Fugiendae ergo illis ſunt, qui vitae ſanctitati, ea qua par eſt ratione ſtudent. conf. prae reliquis B. SPENERVS, in *reſponſis theolog. German. part. 2. cap. 3. artic. 4. ſect. 20. p. 484. ſeqq.*

* Quod de choreis & ſaltationibus dictum, de comoediis quoque & ludis ſcenicis intelligendum. Niſi fouendis & irritandis prauis hominum cupiditatibus inſeruirent, ſpectatores non inuenirent. Contra experientiam pugnat, qui talia negat. Interim & hac de re conf. B. SPENERVS, *reſponſ. theol. Latin. part. 2. cap. 4. p. 113.*

§. XXXII.

Quo minus corporis ſanitas, rite conſeruetur, obſtant vitae & ſanitatis vilipendium, ignoratio conſtitutionis corporum, mediorum ordinariorum ſanitatem conſeruandi contemptus, extraordinariorum conſectatio, immoderata quaeuis, in quae per ambitionem, aut auaritiam, aut alias cupiditates, praecipitantur mortales.

§. XXXIII.

Vt circa bona fortunae rite nos geramus, conſideratio neceſſitatis & mandati diuini plurimum conferet. Iuuabit tamen etiam, expendiſſe, periculis maximis in illorum vſu, nos eſſe obnoxios, naturam paucis eſſe contentam, tranſitoria eſſe haecce bona, & indigna, quibus nos tradamus. conf. *1 Cor. VII, 31. 1 Tim. VI, 17.* Inter impedimenta, quae

quae remouenda, eminent, praeiudicia varia, quae ſub ſpecioſo praetextu ſuſtentationis neceſſariae, auaritiam; & ſtatum ſuum conſeruandi, ambitionem; & modeſtiae, ignauiam ſuadent; abuſus item exemplorum, & dictorum ſcripturae, & alia.

CAPITIS TERTII
SECTIO IV.
DE
OFFICIIS HOMINVM
ERGA ALIOS ABSOLVTIS.

Σύνοψις.

SVmma officiorum erga alios, continetur in amore proximi, qui deſcribitur, §. I.
Quo ſenſu adfectus, & quidem hominis regeniti dicatur, §. II.
Exsendit ſe ad omnes homines, etiam inimicos, & infideles, §. III.
Certus tamen in eo obſeruandus eſt ordo, §. IV.
Fundamentum amoris huius, §. V.
Dantur in eo certi gradus, quorum infimus eſt, ſi alios non laedamus, §. VI.
Ad quid obligatus ſis, qui alium laeſit, vt &, qui laeſus eſt, §. VII.
Alter amoris gradus eſt, omnes homines pro aequalibus habere, §. VIII.
Quae hinc porro conſequantur, §. IX.
Tertius amoris gradus eſt, praeſtare aliis, quae ſine iniuria illis denegari nequeunt, quorſum pertinet, pacta ſeruanda, quod ab omnibus hominibus requiritur, §. X.
multo magis a chriſtianis, §. XI.
ſed ſi pacta rite fuerint inita, nec vitio laborent, §. XII.
Num erga omnes fides in pactis data ſeruanda ſit? item de eorum interpretatione, §. XIII.
Quartus amoris gradus eſt, commoda aliorum, quauis ratione promouere, §. XIV.
idque tum indefinite, §. XV.
tum definite, & hoc iterum varia ratione, §. XVI.
In officiis, quae definite praeſtantur, iterum varii dantur gradus, §. XVII.
Quo pacto ſcriptura haec exprimat, §. XVIII.
De officiis illorum, in quo beneficia collata ſunt, §. XIX.
Quod ad officia haecce erga alios, hactenus enumerata, iure diuino obligati ſimus, probatur, §. XX.
Peccant contra haecce officia, ſpeciatim contra primum amoris gradum, qui alios quocunque modo laedunt, §. XXI.
item, qui cum laeſi ſint, reconciliationem detrectant, & vindictam quaerunt, §. XXII.
Quo pacto contra ſecundum amoris gradum peccatur, §. XXIII.
item contra tertium, §. XXIV.
& denique contra quartum, §. XXV.
Ad media, quibus horum officiorum praeſtatio promouetur, adhibenda, nos itidem obligatos eſſe, §. XXVI.
item ad impedimenta remouenda, §. XXVII.

§. I.

SVmma officiorum erga alios continetur in *amore proximi Matth. XXII, 39.* Eſt autem amor proximi adfectus hominis regeniti, quo omnes homines, etiam inimicos, propter voluntatem & amorem Dei, ſincero amore proſequitur, vt non tantum eos nullo modo laedat,

laedat, ſed eos ſibi aequales credat, iuſte ſe aduerſus eos gerat, immo commoda illorum qua animam, qua corpus, & fortunae bona, promovere omni ſtudio annitatur.

§. II.

Per *adfectum* dum amorem hunc deſcribimus, itidem talem intelligimus, qui habitualem diſpoſitionem ſupponit, adeoque cum obiectum adeſt, ſe exerit, & ipſo opere prodit. *Hominis* quoque *regeniti* adfectum intelligimus, cum quae in irregenitos cadit vmbra amoris, hocce nomine minime digna ſit. Atque hoc vel ex characteribus genuini amoris conſtat, quos Paulus apoſtolus, tum alibi, tum *1 Corinth. XIII, 1. ſeqq.* tradit, ex quo loco & dignitatem amoris huius colligere licet.

§. III.

Extendit ſe amor hicce ad omnes omnino homines, etſi tum actu ſe exerere debeat, cum ope & auxilio noſtro indigent, & tum *proximorum* nomine veniunt, diſerte docente ipſo ſeruatore, *Luc. X, 29.* Speciatim & inimici amandi ſunt, in quo praecipue amor chriſtianorum, ab amore aliorum hominum differt, * *Matth. V, 44.* conf. & *1 Petr. III, 9. Rom. XII, 17.* Amandi itaque etiam ſunt infideles & improbi, etſi ipſam improbitatem iure deteſtemur, *Pſalm. CXIX, 113.* it. *CXXXIX, 21. 22.*

* Sunt multi characteres, ex quibus amor genuinus chriſtianorum, ab vmbra amoris, qua reliqui mortales ſe decipiunt, dignoſcitur: ſed praecipuum inter eos locum tenet, dilectio inimicorum, ſi ſincera fuerit, & minime fucata. Ab hac enim quam procul abſint, qui ſolis naturae viribus nituntur, facile intelligunt, qui ea qua decet ratione ad ſe ipſos attendunt. Scio, & ethnicorum quorundam de diligendis inimicis paſſim proferri teſtimonia. Ex Stoicorum mente SENECA: *non deſinemus, communi bono operam dare, adiuuare ſingulos, opem ferre etiam inimicis; de otio ſapientis cap. 28. p. m.* 575. Similia paſſim M. AVRELIVS ANTONINVS habet, de *ſeipſo ad ſeipſum, lib.* 7. §. 22. 36. alibique. add. PETRVS DANIEL HVETIVS, *quaeſtion. Alnet. lib.* 3. *cap.* 19. Verum ſplendida haecce ſunt verba, quibus res ipſa, ita vt decet, nunquam reſpondit, & apud homines ſibi relictos nunquam reſpondere poteſt.

§. IV.

Eſt tamen in amore certus obſeruandus ordo, * ita quidem, vt cum officia, quae amor exigit, omnibus ſimul praeſtare nequeamus, quidam praeferantur aliis. Sic cognatos hoc pacto merito praeferimus reliquis hominibus, vt inter cognatos eos, qui arctiori conſanguinitatis vinculo nobis iuncti ſunt, ceteris, qui longius a nobis diſtant. Sic & fidei ſocios merito praeferimus infidelibus, ** & qui a vera fide alieni ſunt, licet nec his amoris officia deneganda. Quo ſenſu Petrus inter φιλαδελφίαν & ἀγάπην diſtinxit, *2 Petr. I, 7.* Non tamen ſemper tam accurate hic ordo obſeruandus, vt non quandoque, ſi alterius, qui cetero-

ceteroquin poſtponendus erat, maior ſit indigentia, aut aliae cauſſae id ſuadeant, ab eo ſit diſcedendum.

* Pluribus & ex inſtituto hoc a me demonſtratum, in *diſſert. de comparatione obligationum, quae ex diuerſis hominum ſtatibus oriuntur*, quae extat in *ſelectis iuris nat. & gent. p. 677. ſqq.* ſpeciatim, §. 32. *ſeqq.* Obſtare equidem huic ſententiae videntur, verba ſeruatoris, *Matth.* V, 46. *Si eos demum amatis, qui vos amant, quam mercedem habituri eſtis? annon vel publicani idem faciunt? & ſi veſtros duntaxat fratres ſalutatis, quid egregium facitis, nonne vel publicani ſimiliter faciunt?* Poſſet enim aliquis exiſtimare, hunc verborum iſtorum ſenſum eſſe, omnes ex aequo diligendos, nec fratres aut cognatos reliquis eſſe praeferendos. Verum redarguit ſaltem ſeruator eos, qui amoris officium ex adfectu naturali aut commodis ſuis, non autem ex voluntate Dei metiuntur. Qui enim hoc faciunt, cognatos ſaltem aut amicos amant, reliquos negligunt. Quos peruerſe agere, manifeſtum eſt. Amandi enim omnes homines ſunt, etiam inimici, ſine commodi inde ad nos redundaturi intuitu etiam tum, cum naturalis ad hoc nos impellit adfectus, ideo quia Deus hoc iubet. Inde tamen non ſequitur, cognatos non praecipua quadam ratione diligendos, ita vt ſi vtrisque tum cognatis, tum aliis, quorum indigent, praeſtari nequeant, illi omnino his praeferendi ſint, niſi ſpecialis quaedam circumſtantiarum ratio aliud quid ſuadere videatur. Addantur quae dixi *diſſert. cit.* §. 39.

** Ex inſtituto & hac de re dictum, in *citata diſſertat.* de comparat. *obligat.* §. 49. *ſeqq.*

§. V.

Fundamentum amoris huius, ſeu id, quod praecipue, vt proximum noſtrum amemus, nos impellere debet, eſt voluntas, & amor Dei.* *1 Ioh. IV, 11.* Quare qui ſui commodi cauſſa, aut vt vtilitatem quandam inde referant, alios amant, non recte, vt decebat, amant. conf. *Matth. V, 46. 47. Luc. VI, 32.* Hypocriticus itaque etiam erat amor phariſaeorum, qui vt ſe oſtentarent, eleemoſynas dabant. *Matth. VI, 11. 12.*

* Sunt tamen & aliae cauſſae quamplurimae, quae nos, vt alios homines, ſicut nos ipſos amemus, inducere debent, de quibus deinceps, §. 20.

§. VI.

Dantur etiam in amore aliorum hominum certi gradus: quorum primus, ſeu infimus eſt, ſi nos abſtineamus ab eorum laeſione.* Amoris namque ratio poſtulat, vt nulla ratione quenquam laedamus,** ne cogitatione quidem, aut adfectu, multo minus verbis aut factis, *Matth. V, 21. ſeqq.* Amoris itaque omnis expertes cenſendi ſunt, qui in vita, membris, bonis,*** fama,* maxime autem in anima alios laedunt, quod fit per *ſcandala.*** *Matth. XVIII, 6.*

* Hinc & praeceptum decalogi quintum, charitatem erga alios vel maxime iniungens, exprimitur per haecce verba: *non occides.*

** Dum non tantum verbis & factis, ſed cogitatione etiam & adſectu alios laedi dicimus, paulo ampliores vocis *laeſionis* limites conſtituimus, quam ceteroquin apud philoſophos & iureconſultos conſtitui ſolent. Exemplum nobis praeiuit ipſe ſeruator, dum praeceptum decalogi quintum: *non occides*, ita interpretatus eſt, *Matth.* v, 21. *ſeqq.* Liceat itaque laeſionem in *externam & internam*, diſpeſcere. Interna, interno animi actu peragitur, qua licet alteri damnum non inferatur, amor tamen ea violatur, grauiſſimoque

homo

homo ſe obſtringit peccato. Externa vero eſt, quae in actum aliquem externum, verba, aut facta, erumpit, de qua HVGO GROTIVS loquitur, cum laedi aliquem dicit, cum illi adimitur, quod ſuum eſt, ſiue illud ſuum illi competat ex mera natura, ſiue accedente facto humano, puta dominio aut pacto, ſiue ex lege, *lib.* 1. *de iur. belli & pacis cap.* 17. §. 2. Quo pacto laeſio & *damnum* dicitur, quippe quod GROTIVS itidem *l. c. a demendo* dictum putat, illudque definit, quando quis minus habet ſuo. Interdum tamen, ſpecialius laeſio, quae fit in bonis, *damnum* dicitur, vt a me obſeruatum, *elem. philoſ. pract. part.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 4. §. 2. Ceterum cum dicitur, per laeſionem externam adimi alicui quod *ſuum eſt*, conſtat, ſuum alicui aliquid eſſe, vel *iure perfecto*, vel *iure imperfecto*. Nec dubium quin vtroque modo aliquis laedatur, non tantum, quando illi adimitur, quod iure perfecto ſibi vindicare poterat, ſed & quando denegatur, quod iure imperfecto illi debebatur. Hoc tamen intercedit diſcrimen, quod reſtitutionem in foro humano exigere nequeat, qui laeſus eſt in iis, quae iure ſaltem imperfecto ſibi vindicare poterat. Sic non minus, pauperem laedit, qui eleemoſynam, quam ei dare poterat ac debebat, denegat, quam alium laedit, qui reddere ei depoſitum detrectat, vel illud abalienauit; ille tamen ad reſtitutionem adigi nequit, cum hic omnino queat. Hoc enim ni eſſet, ſalua eſſe non poſſet humani generis ſocietas. Plenius haec intelliguntur ex iis, quae §. 14. de diſcrimine inter ius perfectum & imperfectum dicemus.

*** Etiam in fructibus, qui ex bonis ſeu rebus noſtris proueniunt, ſiue percepti ſint, ſiue percipiendi, modo poſſeſſor eos percepturus erat. vid. HVGO GROTIVS, de *iur. belli & pacis lib.* 2. *cap.* 17. §. 4. & commentatores ad *h. l.*

* Dubium hic moueri poterat, an omnino in fama & exiſtimatione quis laedi poſſit? cum quamdiu quis nihil infamia dignum commiſit, ſiniſtra aliorum iudicia illi parum nocere videantur. Et verum ſane, quod virtus, quae honoris & exiſtimationis fundamentum eſt, nobis eripi a mortalium nemine queat. Interim, quia experientia docet, quod famae & exiſtimationis per aliorum obtrectationes aut calumnias imminutio, multum ſaepius viris etiam innocentibus noceat, & qui famam aut exiſtimationem noſtram imminuit, ea nobis adimit, quae nobis debentur, ſequitur, quod omnino in fama etiam atque exiſtimatione, aliquis laedi poſſit. vid. ANDREAS ADAMVS HOCHSTETTERVS, in *colleg. Puſendorf. exercit.* 6. §. 14.

** Scandali vox, a rebus corporalibus, ad ſpirituales translata, ſignificat id, quod alicui lapſus vel peccati cauſſa aut occaſio eſſe poteſt. Cumque varia ratione, dictis, geſtibus, factis, committere aliquid poſſimus, quo alii ad peccandum irritari queant, manifeſtum eſt, quod varia quoque ratione committatur ſcandalum. Cumprimis tamen & ſpecialiori quadam ratione ſcandalum committunt, qui exemplo ſuo alios inducunt, vt peccatis ſe obſtringant. Sunt enim natura ſua ad praua aliorum dicta & facta imitanda, pronisſimi mortales, vt ſupra obſeruauimus, *part.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 4. §. 79. Accedit, quod facile animum inducant, vt licita ea eſſe credant, quae ab aliis, magnae praeſertim auctoritatis & exiſtimationis viris deſignari vident, etſi ſcriptura ea apertisſime damnet. Et hinc ratio patet, cur tantam mortalium generi perniciem adferant ſcandala, quamobrem & tam graui oratione ea damnauit ſeruator, *Matth.* XVIII, 6. Sed id quoque ex dictis patet, induci alios ad peccandum poſſe non tantum, ſi is, qui ſuo exemplo ad imitationem eus inuitat, aut ceteroquin occaſionem talia perpetrandi ſuppeditat, reuera peccet, ſed & ſi ſpeciem ſaltem malae actionis habeant, quae perpetrauit. Vnde omnem quoque mali ſpeciem ſumma diligentia euitare iubet apoſtolus, 1 *Theſſ.* V, 22. Quem in ſenſum & 1 *Cor.* VI, 12. pronuntiat: πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' ὐ πάντα συμφέρει. Immo 1 *Cor.* VIII. & *Rom.* XIV. in eo totus eſt, vt demonſtret, in rerum etiam licitarum vſu ita verſandum eſſe, ne cui vlla ratione peccandi occaſionem praebeamus. Manifeſtum vero, quod non committendo tantum, ſed & omittendo ſcandalum quis praebeat, quemadmodum & vtroque modo peccatur. Sed omittendo ſpeciatim ita quoque ſcandalum praebetur, ſi peccata quae prohibere, aut impedire poteramus ac debeamus, non impedia-

Digitized by Google

pediamus, prohibeamusue. Cumque ab omnibus hominibus ſcandalum praeberi poſſit, ſpeciatim tamen maxime hic periculis expoſiti ſunt, qui in eo conſtituti loco ſunt, vt ad illorum exemplum facile ſe componant reliqui, vt imperantes, magiſtratus, & qui docentium munere in eccleſiis pariter ac ſcholis funguntur, & generatim omnes, quorum magna apud alios eſt auctoritas & exiſtimatio. Vnde & quae ab iis proficiſcuntur ſcandala, vt late admodum ſe diffundunt, ita longe quoque ſunt grauiſſima. conf. B. SPENERVS, in *reſponſ. theolog. German. part. 2. cap. 4. ſect. 8. p. 542.* Quae vero hactenus diximus, de ſcandalo, quod vocant *dato*, intelligenda ſunt. Eſt vero & aliud, quod *acceptum* vocant. Contingere namque poteſt, vt ex actione omnino licita atque honeſta, quae per conſcientiae ac prudentiae leges omitti nec poterat, nec debebat, alius peccandi occaſionem arripiat. Quo ipſo cum ſui ipſemet peccati auctor exiſtat, alteri, cuius actio in ſcandali occaſionem arripitur, hoc imputari nequit. add. IO. LA PLACETTE, reformatae eccleſiae theologi, *differt. de ſcandalo, dans les diuers traites ſur des matieres de conſcience, p. 303. ſeqq.*

§. VII.

Si quis autem alium vllo modo laeſit, amor poſtulat, vt ad reſtitutionem ac ſatisfactionem paratus ſit. conf. *Ezech. XXXIII, 15.* * Praeterea teſtetur, neceſſe eſt, ſe facti poenitere; vti contra eius, qui lapſus eſt, officium eſt, dare prompte veniam, ** & acceptare reconciliationem. *Matth. V, 23. 24. VI, 12. 14. 15. XVIII, 21. 22. it. 32. ſeqq. Coloſſ. III, 13.*

* Hoc non tantum ſcriptura ſacra *l. c.* ſed & ipſa ratio inſtituit. *Vanum enim erit, praeceptiſſe, ne alter laedatur, ſi vbi de facto is laeſus fuerit, damnum ipſi gratis ſit deuorandum, & qui laeſit fructu ſuae iniuriae, ſecure & citra refuſionem, gaudere queat:* vt recte pronuntiat PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib. 3. cap. 5. §. 2.* Intelligendum autem hoc ita, ad reſtitutionem eum teneri, qui reuera damnum dedit. Si cui enim damnum datum imputari nequeat, nec ad reſtitutionem is tenetur. Damnum autem aliquis dare poteſt, aut per ſe, aut per alios: & hoc iterum varia ratione, vel faciendo, vel non faciendo, & vtrumque vel primario, vel ſecundario, vt pluribus explicat HVGO GROTIVS, *lib. 2 de iure belli & pacis cap. 17. §. 6. 7.* Atque hinc ordinem quoque, quo quisque tenetur, ſi plures laeſerint, aeſtimare licet: vt primo ſcilicet loco teneantur, qui primario faciendo aut non faciendo concurrerunt, tum vero, qui ſecundario aliquid contulerunt. Quod ſi vero quaeratur, in quantum quisque teneatur, ſi a pluribus in eadem cauſſarum claſſe conſtitutis, idem actus profectus fuerit, ab indiuiduis actibus, diſtinguendi fuerint diuidui, cum in illis ſinguli teneantur in ſolidum, in his quisque in quantum laeſit; qua de re vid. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib. 3. cap. 1. §. 5.* De caſu fortuito, itemque damno per culpam dato, praeterea ſi ſeruus aut animal noſtrum, citra culpam noſtram damnum dederit. vid. idem auctor *ib. §. 6.* indeque aeſtimandae leges diuinae, *Exod.* XXII, 6. 9. 10. 12. Quaeſtiones ſpeciales, quae hac occaſione agitari ſolent, e. g. an ſummi imperantes, qui ob leues cauſſas, aut ad explendam vindictae cupiditatem bella ſuſcipiunt, ſubditis ad damnorum, quae inde oriuntur, reparationem teneantur? item, an qui docentium munere funguntur, ob negligentiam, vel inſtillatos errores, teneantur ad reſtitutionem? expedit HOCHSTETTERVS, in *colleg. Puſendorf. exercit. 9. §. 12. 13.* Ceterum de ipſa reſtitutione porro obſeruandum, eam duplici ratione fieri poſſe, primo ſi res ipſa, quae ablata fuit, reddatur, aut ſi hoc fieri nequeat, aeſtimatio tum rei, tum fructuum praeſtetur, qua de re, etſi poſſemus, vt tamen plura addamus, neceſſe non eſt, cum omnia, quae hic occurrunt dubia, diligenter excuſſerit HVGO GROTIVS, de *iur. bell. & pac. lib. 2. cap. 10.* add. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib. 6. cap. 13.* Si quis aeſtimationem tum rei, tum fructuum praeſtet, nec rem ipſam reddere queat, *ſatisfactio* a nonnullis vocatur, quam a reſtitutione, ſpeciatim dicta,

Digitized by Google

dicta, hac ratione diſtinguunt. Quod autem, quoad res ſeu bona, de fructibus dictum, id generatim de quauis laeſione quoque externa intelligendum, quod qui de actu tenetur, ſimul teneatur de his, quae illum ex vi actus ſunt conſecuta, quo pluribus declarat HVGO GROTIVS, *lib. 2. de iur. bell & pac. cap. 17 §. 12. ſeqq.* Ex dictis nunc facile, quo pacto ſpeciatim reſtitutio, quoad praecipua laeſionis genera ſe habeat, intelligere licet. Si quis in vita alium laeſerit, ſeu homicidium commiſerit, reſtitutio quidem, ac ſatisfactio locum non habet. Vita enim occiſi reddi nequit, nec quicquam, quod vitae aequipolleat, cum vita aeſtimari nequeat. Aequitati tamen conueniens, vt homicida iniuſtus ſoluat impenſas, ſi quae factae ſunt in medicos, & iis, quos occiſus, alere ex officio ſolebat, parentibus, vxoribus, liberis, tantum det, quantum illa ſpes alimentorum, ratione habita aetatis occiſi, valebat; vid. HVGO GROTIVS, *l. c. §. 13.* De laeſione in membris, ſeu mutilatione pariter cenſendum, quod illa aeſtimationem non admittat. Tenetur tamen, qui aliquem mutilauit, ad impenſas & ad aeſtimationem eius, quod iam qui mutilatus eſt, minus poterit lucrari; *id. ib. §. 14.* Ad bona quod attinet, fur & raptor tenentur rem ſubtractam reddere, cum ſuo incremento naturali, & cum ſequente damno ac ceſſante lucro, *ib §. 16.* Famae ac exiſtimationis, ſi laeſa fuerit, reparatio fit culpae confeſſione, exhibitione honoris, teſtimonio innocentiae, & per ea, quae his ſimilia ſunt. Sunt qui addunt, & pecunia tale damnum rependi poſſe, ſi laeſus velit, quia pecunia communis ſit rerum vtilium menſura. vid. HVGO GROTIVS *l. c. §. 22.* Sed animi parum generoſi eſt, pro iniuriis ſibi illatis pecuniam accipere. Denique ſi quis per ſcandala animum alterius laeſerit, reparatio fit erroris, aut peccati agnitione, confeſſione, publicaque, quod minus recte egerit, declaratione, vitaeque mutatione, aliaue ratione, qua in rectam viam reduci poſſunt, qui ſcandalo quopiam in transuorſum acti ſunt. Plura de reſtitutione, praeter hactenus allegatos, dabit IO. LA PLACETTE, peculiari tractatu, lingua Gallicana ſcripto, de *reſtitutione.*

** Si enim, qui laeſus eſt, damni dati accipiat reſtitutionem, ſecuritatemque ſe in poſterum non amplius laeſum iri, quam merito ſibi pollicetur, ſi alter teſtetur ſe facti poenitere, (quanquam in ſtatu ciuili opera magiſtratus, in naturali alia ratione adhuc ſecuritati hominum, ne temere in poſterum laedantur, proſpici queat,) nihil amplius exigere poteſt. Vindicta itaque omnis illicita eſt, vt deinceps demonſtrabitur.

§. VIII.

Alter amoris gradus eſt, quod omnes homines pro aequalibus habere debeamus. * Namque & reuera omnes natura aequales ſunt, quod & ratio docet, ** & ſcriptura confirmat, quippe ex qua nouimus, ex vno omnes homines procreatos eſſe ſanguine, *Actor. XVII, 26.* cum primis autem ipſa natura & indoles amoris demonſtrat. Et licet ob ſtatus diuerſos quaedam inaequalitas inter homines intercedat, haec tamen aequalitatem amoris non tollit, nec ius aliis nobis praeferendi, niſi in quantum ordinis ratio poſtulat, nobis concedit. Apud chriſtianos noua accedit ratio, quia per fidem facti ſunt membra vnius corporis, cuius caput Chriſtus eſt, *1 Corinth. XII, 12. 13. Rom XII, 4. 5. Epheſ. IV, 13.*

* Recte obſeruant alii, quod haec aequalitas conſiſtat, tum in communione iuris, tum in aequalitate libertatis. In communione iuris, dum licet vnus forte prae altero variis animi corporisque dotibus ſit inſtructus, non eo minus tamen legis naturalis praecepta aduerſus alios ei ſint exercenda, atque ipſe ab aliis idem expectat. Libertatis autem aequalitas in eo conſiſtit, quod citra antegreſſum factum aut pactum humanum, nemo poteſtatis quid in alterum habeat, ſed quilibet actionum ac virium ſuarum ſit moderator.

 ** Praeci-

** Praecipuam rationem, cur aequalitas inter homines ſeruanda ſit, ex ipſa ſocialitate petendam eſſe, docet CHRISTIANVS THOMASIVS *iurisprud. diu. lib. 2. cap. 4. § 2.* Recte quidem, ſi haec ſecundum rationem conſideres, ſiu ſecundum reuelationem, ex ipſa natura & indole amoris euidenter haecce aequalitas euincitur. Nec tamen contemnendae aliae rationes, ab aequali omnium qua natiuitatem, mortem, variosque fortunae caſus, conditione, petitae, & quae reliquae ſunt eiusdem generis, allatis facile addendae. Ex aequalitate autem virium, quam THOMAS HOBBESIVS probat, *de ciue cap. 1. § 3.* non ſequitur aequalitas iuris & libertatis, de qua tamen hic ſermo eſt. conf. PVFENDORFIVS de *iur. nat. & gent. lib. 3. cap. 2. § 2.*

§. IX.

Hinc vero ſequitur, omnem procul a nobis abeſſe debere προσωποληψίαν, *Iacob. II, 1. 2. 3.* nefas porro eſſe, alios contemnere, cum quilibet potius alterum ſe ipſo maiorem credere debeat, *Phil. II, 3. 4.* & in humilitate, ac manſuetudine eum ferre. *Epheſ. IV, 2. 1 Theſſal. V, 14.* Denique & hoc inde fluit, quod quae nobis ab aliis fieri volumus, eadem & illis praeſtare ne detrectemus. * *Luc. VI, 31. Matth. VII, 12.*

* Vtique enim, qui ab aliis, quid ſibi praeſtare vellet, nec tamen idem illis praeſtaret, eos ſe velut deteriores credere cenſendus eſt, & adeo peccaret contra aequalitatem. Dictum ſeruatoris, quo idem nobis iuris principium commendauit, ſemper quoque in ore habuit Alexander Seuerus, imperator, *Clamabat ſaepius*, inquit AELIVS LAMPRIDIVS, *quod a quibusdam, ſiue iudaeis, ſiue chriſtianis audierat, & tenebat, idque per praeconem cum aliquem emendaret, dici iubebat: QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS: in vita Alexandri Seueri, cap. 15.* Ceterum, quando quis ita inferre vellet: ego tui cauſſa hoc feci, vel haec facere paratus ſum, ergo ſimile quid a te exigere poſſum, tum diſpiciendum, an illud, quod alterius cauſſa facere parati ſumus, etiam iuſtum atque honeſtum ſit. Qui enim in alterius gratiam illicita peragere paratus eſt, non ſtatim ab eo exigere poteſt, vt in ſui quoque gratiam illicita perpetret.

§. X.

Tertius amoris gradus eſt, vt ea praeſtemus aliis, quae illis ſine iniuria denegari nequeunt, quorſum cumprimis illud pertinet, vt pacta atque promiſſa ſeruemus. * Hoc ratio ipſa docet, ** cum ſi pacta & promiſſa non ſeruentur, ſocialitas ſalua eſſe nequeat, pacta quoque, ſi non unicum, certe praecipuum ſint medium, ea acquirendi, quibus indigemus, ſi alii ſua ſponte ea nobis praeſtare nolint. Si quis autem certus non ſit, fidem ſibi datam ſeruandam, non temere vt pacta ineat, aut promiſſis fidat, ſe induci patietur. Accedit, quod grauiſſime laedatur, cui fidem datam non ſeruamus, quod adeo vel maxime cum amore pugnat.

* Pactum iam alibi definiui, quod ſit conſenſus duorum, pluriumue, in idem placitum: *elem. philoſ. pract. part. 2 cap. 4. ſect. 4. § 8.* Qui enim pactum per translationem iuris mutuam deſcribunt, effectum pactorum, cum pactis ipſis confundunt. Inter pacta autem & promiſſa hocce intercedit diſcrimen, quod in his fides detur per actum μονόπλευρον, vnde & vnus tantum obligatur; in illis autem per actum δίπλευρον, hinc & mutua eſt obligatio.

obligatio. Promiſſionum praeterea tres gradus conſtitui ſolent: aſſertio ſimplex, promiſſio imperfecta, & promiſſio perfecta. Qua de re conf. HVGO GROTIVS, de *iur. bell & pac. lib. 2. cap. 11. §. 2. 3. ſeqq.* & PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib. 3. cap. 5. §. 6. & 7.* Ceterum, quae de pactis dicuntur, etiam de federibus ſunt intelligenda. Sunt enim federa pacta ab integris gentibus ſeu ſummis imperantibus, circa negotia publica inita. Vnde quodnam inter fedus & pactum intercedat diſcrimen, patet. conf. *elem. philoſ. pract. part. 2. cap. 4. ſect. 5. §. 7.* Qua ratione a contractibus pacta differant, ex dicendis conſtabit. Loquimur autem de pactis inter homines. In ſcriptura ſacra pariter ac ſcriptis theologorum pacti ſeu federis inter Deum & homines ſubinde mentio iniicitur. Sed improprie & per analogiam id fieri exiſtimo. Pactum enim ſeu fedus proprie ſic dictum ſupponit legem communem, quae paciſcentes obligat. Deus autem legem non habet, qua obligetur. Interim tamen pacta iſta Dei hominumque ex parte Dei longe ſunt firmiſſima, cum per Numinis veracitatem ſanctitatemque ἀδύνατον ſit, vt non ſeruet, quae promiſit. *Num. XXIII, 9.* Sed hac de re hic non eſt agendi locus. Interim conf. HOCHSTETTERVS in *colleg. Puſendorf. exercit. 7. ad §. 1.*

** Hoc tam euidens eſt, vt nemo mortalium, quantum ſciam, aperte hoc in dubium vocare auſus ſit. De CONNANO, cui haec ſententia tribuitur, vid. IO. GEORG. KVLPISIVS, in *colleg. Grot. ad lib. 2, cap. 11. §. 1.*

§. XI.

Eo magis itaque a chriſtianis requiritur, vt fidem in pactis & promiſſis datam, ſancte ſeruent. Perfidia cum amoris ſinceritate conſiſtere nullatenus poteſt. Recte de amore Paulus; οὐ χαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ, *1 Cor. XIII, 6.* Hinc & integritas, iuſtitia, veracitas, fidelitas, ceu propriae chriſtianorum virtutes in ſcriptura ſacra paſſim commendantur. Speciatim fidelitas in ſeruandis pactis & promiſſis, iniungitur, *Matth. V, 37. Iacob. V, 12.*

§. XII.

Supponitur autem promiſſum & pactum eiusmodi eſſe, vt ſeruari poſſit & debeat. Cumque ante omnia conſenſus * ad ea requiratur, ſi hic non adfuerit, aut impeditus fuerit, obligationem quoque pactorum aut promiſſorum nullam eſſe, ſua ſponte ſequitur. Impeditur autem conſenſus, ratione *intellectus* quidem per aetatem, ſi quis vſum rationis nondum habeat, ** per furorem, *** errorem, * aliaque ratione; ** ratione *voluntatis* autem, per metum & coactionem. *** Sic & ſi quis circa res impoſſibiles * aut illicitas ** aliquid promiſerit, fidem ſeruare non tenetur, etſi peccato grauiſſimo eiusmodi quid promittendo, ſi ſciens volensque fecerit, ſe obſtringat.

* Qui per certa ſigna, verba, facta, geſtus, immo & per ſilentium cum certis circumſtantiis conſideratum, declaratur, vnde *conſenſus tacitus.* Quid ad ſilentium requiratur, vt pro ſigno conſenſus haberi queat, docet HVGO GROTIVS, *lib. 2. de iur. bell. & pac. cap. 4. §. 5.* & IO. HENRICVS BOECLERVS ad *h. l.* Quod autem conſenſus praeſumptus improprie conſenſus ſit, demonſtrat CHRISTIANVS THOMASIVS, *iuriſprud. diu. lib. 2. cap. 7. §. 19. ſeqq.*

** Quando autem rationis vſus ſe exerat, certo definiri nequit. Citius aut tardius hoc ſit,

ſit, pro diuerſitate indolis, educationis, aliarumque cauſſarum. Lege s quae hinc inde extant annales, reſpiciunt id, quod in qualibet gente plerumque contingit.

**** Si ſcilicet pactum durante furoris tempore fuerit initum. Interdum enim furor dilucidis interuallis diſtinguitur. Hinc ſi eo tempore pactum fuerit initum, quo mentis & rationis compos fuit, qui iſto morbo laborat, pactum haud dubie erit validum.

Per errorem pactum irritum redditur, ſi circa eſſentiam rei, aut eius qualitatis, de qua paciſcendo potiſſimum actum, fuerit commiſſus. Ceterum ſi quaeratur, in quem damnum, ſi tale pactum irritum ſit, redundet? ſunt qui ſequenti regula omnes difficultates expediri poſſe exiſtimant: errorem in dubio ſemper nocere erranti, niſi circumſtantia illa, in qua errauit, expreſſe promiſſo per modum conditionis fuerit adiecta. vid. CHRIST. THOMASIVS *iurisprud. diu. lib.* 2. *cap.* 7. §. 39. *ſeqq.*

**. e. g. per ebrietatem, ſi tanta fuerit, vt vſu rationis hominem priuet. Dolendum tamen inter chriſtianos, quorum ſobrietas propria eſſe debebat, eiusmodi ebrietatis exempla dari.

*** Si metus tam vehemens non fuerit, vt omnem rationis vſum excuſſerit, pactum per ſe non reddit irritum. Diſpiciendum igitur, a quo metus inferatur, num ab ipſo paciſcente, an a tertio? Si poſterius ſit, valebit pactum, ſed vt tertius, qui metum incuſſit, ad damnum datum reſarciendum, teneatur. Sin prius ſit, ruſus diſpiciendum, an metum incutiens, in me habeat imperium, adeoque cauſſam iuſtam me cogendi? ſi habeat, promiſſio, ſi ceteroquin nullus defectus adſit, valebit. Quod ſi non habeat, irritum erit pactum aut promiſſum, non tam ob defectum conſenſus, quam quia incutiens iſtum non habet ius promiſſum acceptandi, vt docet SAM. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib.* 3. *cap.* 6. §. 10. *& lib.* 4. *cap.* 2. §. 8. Quod enim HVGO GROTIVS putat, pacta haec ideo irrita eſſe, quod is, qui incuſſo metu promiſſionem extorſit, ad rem reſtituendam obligatus ſit, *lib.* 2. *de iure belli & pac. cap.* 17. §. 17. longius petitum videtur. Alia autem ratio eſt, ſi princeps in bello iuſto inferior pacem conditionibus haud adeo aequis inire cogatur. Cum enim iuſtum in eiusmodi pacificationibus adſit deliberandi atque conſultandi tempus & occaſio, eiusmodi conuentiones ad pacta per metum inita, accurate loquendo, non pertinent. Accedit, quo humani generis interſit, vt bellorum finis ac modus ſit. Hinc & eiusmodi pacta omnino ſunt ſeruanda add. CHRIST. THOMASIVS, *iurisprud. diu. lib.* 2. *cap.* 7. §. 57. *ſeqq.*

* Notum illud; ad impoſſibilia nemo obligatur. Ad quid autem promiſſor teneatur, ſi ſciuerit, rem impoſſibilem eſſe, item ſi eo tempore, quo promiſſio facta, fuerit poſſibilis, poſtea autem impoſſibilis fiat, exponit PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib.* 3. *cap.* 7. §. 2.

** Nemo enim poteſt ad ea ſe obſtringere, in quae nulla ei eſt poteſtas. Turpia autem ac illicita per legem agere nequit, ſeu nulla cuiquam in ea eſt poteſtas. Nemo ergo ad ea ſe obſtringere poteſt. Perinde autem eſt, ſiue conditio turpis adimpleta fuerit, ſiue non fuerit adimpleta. Quod notandum contra HVG. GROTIVM, *lib.* 2. *de iur. belli & pac. cap.* 11. §. 9. docentem, pacto circa rem turpem ex vna parte impleto, omnino obligandi vim ineſſe. Quam eius ſententiam praeter alios merito refellit PHIL. REINHARDVS, VITRIARIVS, *inſtit. iur. nat. & gent. lib.* 2. *cap* 11. *qu.* 21. De facto Iudae, quod extat *Gen* XXXVIII. conf. IO. SELDENVS, de *iur. nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeorum lib* 5. *cap.* 4.

§. XIII.

Fides in pactis & promiſſis data, erga omnes ac ſingulos ſeruanda eſt. Vt enim neminem laedere, ita nec fidem cuiquam datam, fallere licet. Qui vero per dolum nos ad promittendum aut paciſcendum inducunt, * noſtrum hoc ipſo ipſimet impediunt conſenſum, efficiuntque,

que, vt pactum ſeu promiſſum ſit irritum. Cum atheis, ſi modo conſtet, eos tales eſſe, pacta inire ſtultum foret, cum nulla religione teneantur, adeoque nec leges naturales admittant. ** At aliter de infidelibus & haereticis cenſendum, *** quibus qui fidem datam ſeruandam negant, * idoneas ſententiae ſuae adferre nequeunt rationes. Ceterum, ſi circa verba, quibus pactum aut promiſſum aliquod conceptum eſt, dubium oriatur, per legitimam illud tollendum eſt interpretationem, qua de re alibi actum ex inſtituto. **

* De dolo, vulgo ſtatuunt, quod, ſi ab ipſo paciſcente profectus fuerit, pactum plane irritum reddat: rarum idem manere, ſi a tertio fuerit profectus, etſi is ad damnum hac ratione datum reſtituendum, ſit obligatus. Et ſane ſi per dolum in eiusmodi inducatur errorem, vt in id, quod promiſit, minime conſenſiſſe cenſeri queat, irritum eſſe eiusmodi pactum, palam eſt. Sed & hoc dubio caret, quicunque dolo ſuo alteri damnum infert, ad id reſtituendum obligatum eſſe. Diſtinguunt alias porro, an dolus cauſſam dederit contractui, an fuerit incidens aut in rem ipſam, aut in qualitatem rei. Si prius ſit, pactum aut contractum irritum eſſe, quoniam conſenſus ibi plane deficiat, ſin poſterius, contractum hactenus eſſe vitioſum, vt decepto liberum ſit, aut ab illo diſcedere eumque diſſoluere, aut laeſionis penſationem exigere. Sed reiicit hanc diſtinctionem, vtpote ex iure ciuili petitam, CHRIST. THOMASIVS, *iurisprud. diuin. lib. 2. cap. 7. §. 49. 50.*

** Non tantum ſtultum eſt, cum atheis pacta aut federa inire, ſed ipſa illa federa nulla plane ſunt, cum omne pactum aut fedus ſupponat legem diuinam, pacta eſſe ſeruanda. Lex autem diuina ſine Deo, ſeu legislatore, concipi nequit. Nec ſatis capio, quid ſibi velit vir illuſtris, PHIL. REINHARDVS VITRIARIVS, quando in *inſtitut. iur. nat. & gent. lib. 2. cap. 15. qu. 9.* ita reſpondet: cum athei retineant communionem iuris naturae, non videmus, cur non poſſint federa contrahere. Cum enim athei leges naturales nullas, proprie ſic dictas, addmittant, non video, quo pacto communionem iuris naturae retinere queant. Interim ipſe auctor celeberrimus fatetur, imprudentiae eſſe, ſi quis cum eiusmodi hominibus fedus ineat.

*** Quod cum illis, qui a vera religione alieni ſunt, pacta atque federa inire liceat, non tantum inde patet, quia vt cum omnibus hominibus, ita cum iſtis quoque nobis eſt communio iuris naturalis, ſed & exemplis quoque ſanctorum veteris teſtamenti, conſtat. Sic Abrahamus cum Abimelecho (quanquam de huius religione non ſatis conſtet) Iacobus cum Labane idololatra, Dauid & Salomoh cum Hiramo, Tyriorum rege, federa iniuere. Horum deinceps ſecuti ſunt exemplum Iudas Maccabaeus, atque Hircanus Alexandri filius. Vterque enim cum Romanis fedus iniit, & hic inſuper Iulio Caeſari in Syria & Aegypto bellum gerenti, egregiam operam nauauit, vid. IOSEPHVS, *lib. 12. antiquit. cap. 17. & lib. 14. cap. 14.* Circumſpecte tamen omnino hic procedendum, ne ſine neceſſitate, ſaltem non ſine praegnanti cauſſa, cum eiusmodi hominibus, aut gentibus, pacta vel federa ineamus, tum vt ea id fiat ratione, ne religio chriſtiana vllum inde capiat detrimentum. Dictum a me hac de re ex inſtituto, in *diſſertat. de ratione ſtatus circa federa* §. 12. add. CASPAR ZIEGLERVS, de *iurib. maieſt. lib. 1. cap. 38. §. 9.*

* Sententiam hancce in concilio Conſtantienſi ſtabilitam, a IACOBO SIMANCHA, epiſcopo Pacenſi, CONRADO BRVNO, IACOBO MENOCHIO, aliisque defenſam eccleſiae Romanae recte tribui, luculenter demonſtraui, in *diſſertat. de concordia relig. chriſt. ſtatusque ciuilis, cap. 4. §. 8. ſeqq.*

** Non tantum de interpretatione, ſed & de conditionibus, internunciis, acceptatione pactorum,

pactorum, atque promiſſorum, multa dici poſſent, ab inſtituto noſtro eo minus aliena, quod in theologicis etiam ſubinde quaeſtiones occurrant, vbi harum doctrinarum aliquis vſus eſſe queat. Verum, cum ab illis, qui ius naturae ſecundum rationem conſiderant, haec omnia exquiſito ſtudio pertractata ſint, nihil addimus. Conferendi itaque HVGO GROTIVS, de *iur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 11. & 16. & commentatores, ad *haec loca*; PHIL. REINHARDVS VITRIARIVS, *inſtit. iur. nat. & gent.* itidem *lib.* 2. *cap.* 11. & 16. SAM. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib.* 3. *cap.* 8. & 9. & *lib.* 5. *cap.* 12. & IO. BARBEYRACIVS, ad *haec loca*, CHRISTIANVS THOMASIVS, *iurisprud. diu. lib.* 2. *cap.* 12. & quae in compendio diximus, *elem. philoſ. part.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 4. §. 14. *ſeqq.*

§. XIV.

Quartus amoris gradus eſt, ſi commoda aliorum quouis modo promoueamus, & varia in eos conferamus beneficia. Cumque reliquorum erga alios officiorum, quae hactenus commemorauimus, ea ſit ratio, vt ſine illis vita ſocialis nullo modo conſiſtere queat, Deum voluiſſe, rectiſſime creditur, vt ad ea praeſtanda homines cogi poſſint, in ſtatu quidem naturali ab illis ipſis, qui ea a nobis exigere poſſunt officia, in ſtatu autem ciuili a magiſtratu, vnde *obligationem perfectam* habere dicuntur: horum contra, quae ad vltimum huncce amoris gradum pertinent, haec eſt indoles, vt externa vi ad ea praeſtanda nemo cogi poſſit aut debeat, cum, ſi etiam non praeſtentur, ſalua tamen vtcunque ſit ſocialitas, & naturae quoque horum officiorum omnis coactio repugnare videatur; vnde *obligationem imperfectam* habere dicuntur. Quod diſcrimen cum ex reſpectu ad vitae ſocialis conſeruationem ortum ſit, minime inde inferendum, ac ſi abſque hoc reſpectu in foro diuino officia, quae imperfectam obligationem habent, minus neceſſaria ſint, quam reliqua. Patet etiam ratio, cur haec officia, ſpeciatim etiam *charitatis* nomine veniant, cum reliqua *iuſtitiae* nomine, * vtraque voce in ſtrictiori ſignificatione accepta, comprehendantur.

* Notum eſt, quod tum alii, tum HVGO GROTIVS, paſſim diſtinguant inter *iuſtitiam & charitatem*, ſeu *legem iuſtitiae & charitatis.* vid. GROTIVS, *lib.* 2. *de iur. bell. & pac. cap.* 17. §. 4. & *lib.* 3. *cap.* 13. §. 4. *n.* 1. alibique. Quod vt recte intelligatur, obſeruandum, vtramque vocem tum in latiori, tum in ſtrictiori ſignificatione accipi. Iuſtitia, in latiori ſignificatione accepta, tum expletricem, tum attributricem iuſtitiam complectitur, & ita reſpondet charitati, quatenus itidem latius accepta omnium hominum erga alios officia denotat. Et hactenus iuſtitia & charitas non differunt. At ſi iuſtitiae vox ſtricte pro iuſtitia expletrice capiatur, & charitas itidem ſtricte, pro officiorum, ad quae iure imperfecto obligati ſimus praeſtatione, vt adeo reſpondeat iuſtitiae attributrici, tum ſane quod inter vtramque intercedit diſcrimen, manifeſtum eſt. Hinc diiudicanda, quae CASPAR ZIEGLERVS, & IO. ADAMVS OSIANDER *ad Grot. lib.* 2. *cap.* 17. §. 9. hac de re habent. Iungenda, quae in editione Beemanniana, ad *eundem locum*, monentur.

§. XV.

Commoda aliorum duplici ratione promouemus, aut *indefinite*, aut

aut *definite*. Indefinite, ſi quis eam vitae rationem ſequatur, ex qua ad alios commodum redundare poteſt, *adeoque & artem vtilem, qua aliis prodeſſe queat, addiſcat, **mentemque excolat, ne inutile ſit terrae pondus, itemque, ſi conatus illorum, qui aliis inſervire poſſunt, &cupiunt, quouis modo promoueat, prouehatque. Definite, ſi quis huic aut illi homini, non excluſis inimicis, commodum aliquod praeſtet.

* Vnde patet, quid etiam ex hocce capite de vita monaſtica plerorumque in eccleſia Romana cenſendum ſit, quippe qui non tantum otio ac ignauiae litant, ſed & ſub praetextu religionis opes aliorum labore partas degluriunt. Intellexit haud dubie hoc IO. MABILLONIVS, Benedictini quondam ordinis monachus doctiſſimus, dum, vt ab ignavia monachum ſuum reuocaret, litterarum ſtudia praegnantiſſimis argumentis illi commendauit, *de ſtudiis monaſt. part. 1. cap. 4. ſeqq.*

** conf. dicta *ſect.* 3. huius capitis, §. 6.

§. XVI.

Quae definite aliis praeſtari poſſunt commoda, varia ſunt. Fieri namque hocce poteſt ratione *mentis*, ſi aliquem erudiamus, aut curemus, vt ad notitiam veram Dei & ſui ipſius perueniat, vt vera religione imbuatur, erroresque dimittat. * *Rom. II, 19. 20.* Ratione *corporis*, idem fieri poteſt, ſi aut conſilio aut opera aegrotos ſanitati reſtituamus, aut talia iis conferamus, quae ad corporis conſeruationem faciunt. *Luc. X, 34. 35.* Ratione *opum*, ſi pauperes, pecunia, aliisque rebus neceſſariis ſubleuemus. *Matth. XXV, 35. ſeqq.* ** Denique ratione *famae & exiſtimationis*, ſi innocentes defendamus, aut excuſemus, & ne quis exiſtimationis iacturam faciat, aut ſi fecerit, eam recuperet, omni annitamur modo. *Exod. XX, 16.* Quibus nonnulli *officia* etiam erga mortuos *** addunt.

* Huc ergo & *correptio*, quam vocant, *fraterna* pertinet, cum quis ſincero amore ductus, ea qua par eſt, manſuetudine ac lenitate, alios, ſi forte quae minus decet, eos admittere videt, corrigit, redarguit, reprehendit, vt a peccatis eos abſtrahat, neue hac ratione ſibi ipſis noceant, impediat. Ingens profecto beneficium aliis confert, qui efficit, vt non peccent, aut vt peccare deſinant. Sed totum hoc argumentum luculenter pertractauit B. IO. HVLSEMANNVS, *in diſſertatione practica, de iure & moderatione correptionis fraternae.*

** Quae ex opibus noſtris in egenos rerumque inopes conferimus, *eleemoſynae* vocari ſolent. Dicitur enim ἐλεημοσύνη ἀπὸ τοῦ ἐλεεῖν, *miſereri*, notatque ſtipem illam, quam dat homo miſericors & benignus. Atque ita accipitur, *Luc.* XI, 41. XII, 33. *Actor.* III, 2. 3. alibique. Ad eleemoſynas autem in pauperes erogandas nos iure naturali ſeu divino vniverſali obligatos eſſe, is demum dubitabit, qui dubitat, an ad charitatem obſtricti ſimus, in qua tamen ſumma legis conſiſtit. *Matth.* XXII, 39. *Gal.* V, 14. Neque tamen diuites, hoc eſt, qui opibus abundant, vt de ſuperfluis aliis aliquid impertire queant, ſed & pauperes, qui tamen aliis adhuc indigentioribus aliquid impertire poſſunt, ad hoc obligantur. conf. *Luc.* XXI, 2. 3. BASILIVS: Κἂν εἰς ἕνα ἄρτον περιστῇ ἡ τροφή, ἐπιστῇ δὲ ταῖς θύραις ὁ ζητῶν, προκόμισον ἐκ τοῦ ταμείου τὸν ἕνα &c. *Licet vnus tibi tantum ſit panis, ad fores autem mendicus adſtet, deprome vnicum illum ex cella penuaria, &c. hom. in ſiccitatem & famem, p.* 46.

Dandae itaque eleemoſynae ſunt, etiam cum detrimento rei familiaris, poſthabito periculo propriae indigentiae, ſi extrema alterius neceſſitas hoc poſtulet. Dandum etiam omnibus, qui noſtrae opis indigent, cum hi omnes *proximi* nomine veniant, *Luc* X, 29. 36. *ſeqq.* proximum autem noſtrum diligere iubemur, ſicut nos ipſos, *Matth.* XXII. 39. Et licet digni hic omnino praeferendi ſint indignis, nec tamen his eleemoſynae denegandae, *Matth.* V. 45. cum forte hac ratione ad mentem meliorem reuocari poſſint, modo non ſimus certi, eos ex iis, quae illis damus, peccandi occaſionem arrepturos. Multo vero minus fas eſt, eleemoſynas denegare aliis, eo quod incerti ſimus, ſintne digni, in quos conferantur. Mera enim apud pleroſque haec eſt πρόφασις, qua auaritia, atque tenacitas tegitur. Nimirum, cum interdum in dandis eleemoſynis noſtri conſeruatio, cum amore aliorum concurrere videatur, occaſio hinc datur mortalibus, plurima ſibi formandi dubia: quae tamen qui proponunt, reuera nihil aliud agunt, quam vt auaritiam prodant, ſignificentque, ſe non niſi inuitos ad eleemoſynas erogandas accedere. Qui amorem ducem ſequitur, veraque in Deum fide nititur, non faciet, quae eum poenitere queant, nec multis regulis opus habet. Atque hinc patet, quid de impiis moraliſtarum, quos vocant, Pontificiorum, ineptiis, ſtatuendum ſit, qui legem de dandis eleemoſynis ſuis cauillationibus ita euertunt atque reſtringunt, vt nec ditiſſimis in tota vita vnquam neceſſitas dandi eleemoſynas incumbat. Huc pertinet, quod diſputant, proximo non niſi ſine detrimento fortunarum, ſtatus ac honoris, eleemoſyna ſuccurri debere; *taleſque inſuper nodos, circa praedicamentum quando in eleemoſynis nectunt vt ſi nihil dandum ſit, antequam ſoluantur iſta dubia, plurimorum egenorum morte eleemoſynas anteuerti oporteat*, vt recte pronuntiat IO. ADAMVS SCHERZERVS, *in breu. Hülſeman. extenſo, cap.* 12. *theſ.* 24. *pag.* 752. vbi & βδελύγματα horum hominum in compendio exhibet & refellit. Idem ex inſtituto quoque facit LVDOVICVS MONTALTIVS, *in epiſt. prouinc. epiſt.* 12. *pag.* 346. *ſeqq.* Longe ſapientiores & aequiores moraliſtis iſtis fuere veteres Ebraei, quorum de eleemoſynis & iure pauperum, ſcita, lectu digna, exhibet IO. SELDENVS, *de iur. nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeor. lib.* 6. *cap.* 6. *p.* 723. *ſeqq.*

*** Et recte quidem. Intelligo autem per officia erga mortuos ſepulturam, ſeu quidquid demum cadaueribus hominum mortuorum, iuxta cuiuscunque gentis ritus & conſuetudines, praeſtare tenemur. Non deſunt equidem, qui ius ſepulturae ad ius gentium referunt vid. IO. ADAMVS OSIANDER. *ad Hug. Grot. lib.* 2. *de iur. bell. & pac. cap* 19. §. 1. Perperam quidem, ſi per ius gentium ius aliquod, tum a iure naturae, tum a moribus gentium, diſtinctum, intelligant. Eiusmodi enim ius gentium inter figmenta virorum quorundam doctorum referendum eſſe, alibi ſatis demonſtrauimus. Quod ſi per ius gentium, intelligant ius naturae, prout ad integras gentes adplicatur, facile nos ſecum conſentientes habebunt. Enimuero ex lege humanitatis, tum ſingulos homines, tum integras gentes obligante, quam commodiſſime ius ſepulturae deriuari poſſe, luculenter, ni fallor, demonſtraui, *in elem. philoſ. pract. part.* 2. *cap.* 6. *ſect.* 9. Eo vero minus quae hae de re ibi dixi, mihi diſplicent, quod ea prorſos probata vidi doctiſſimo viro IO. BARBEYRACIO, *ad Puſendorf. de iur. nat. & gent. lib.* 2. *cap.* 3. §. 23. *p.* 198. Iungenda, quae prolixe hac de re diſſeruit ANDREAS ADAMVS HOCHSTETTERVS, *in colleg. Puſendorf. exercit.* 6. *ad* §. 22. *p.* 257. *ſeqq.* Ceterum, vt ſingulorum hominum hic ſaltem habemus rationem, ita ſi ad integras gentes leges iſtae diuinae, de quibus loquimur, adplicentur, officia quaedam ſingularia inde reſultant, de quibus in compendio dictum *in elem. philoſ. pract. part.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 9. ſed haec huius loci non ſunt: interim idem de officiis abſolutis, quae obligationem perfectam habent, vt & de hypotheticis, eſt intelligendum, iuxta ea quae diximus *l. c. ſect.* 5. & 7.

§. XVII.

Dantur quoque in ipſis hiſce officiis, quae definite aliis praeſtantur, certi gradus. Interdum enim ea, quae praeſtamus, nos non grauant,

vant, etſi accipienti proſint. Huc non tantum communia iſta humanitatis officia ſpectant, vt cum erranti viam monſtramus, deliberanti fidele conſilium damus, * ſed & cum ex noſtra abundantia aliis aliquid impertimur. conf. *2 Corinth. VIII, 14.* Quandoque autem aliquid praeſtatur, quod cum noſtro incommodo coniunctum eſt, in quo iam amplior amoris gradus conſpicitur. vid. *2 Corinth. VIII, 2.* Immo eousque hic quandoque amor progreditur, vt non tantum maxima, grauisſimaque aliorum cauſſa ſubeat incommoda, ſed vitam ipſam, ſi res id poſtulauerit, adducere in diſcrimen non dubitet; qui ſummus haud dubie eſt amoris gradus, *1 Ioan. III, 16.* collat. cum *Ioan. XV, 13.* add. *Rom. V, 7. 8.* Quae cum incommodo noſtro aliis praeſtantur, ***beneficia*** vocari ſolent: circa quorum collationem, multa monere ſolent, ** quae tamen ita accipienda, ne amoris limites nimis coarctemus.

* Hoc ratio ipſos ethnicos docuit. vid. CICERO de *offic. lib. 1. cap. 16.*

** Vt vel apud eundem CICERONEM videre licet, *lib. 1. de offic. cap. 14.*

§. XVIII.

De hiſce officiis, quippe quibus noſtrum erga Deum, aliosque homines amorem, quam luculentisſime teſtamur, pasſim ſcriptura loquitur. Paulus, multa vna voce complectitur, dum de amore dicit: *χρηστεύεται, benignus eſt. 1 Cor. XIII, 4.* Nimirum hoc eſt, quod dicitur, non verbis, ſed opere nos amare debere, *1 Ioan. III, 18. Iacob. II, 15. 16. III, 17.* add. *Eſ. LVIII, 7. Ezechiel. XVIII, 7. Matth. XXV, 35. 36. Luc. X, 34. 35.* Vnde & ſpeciatim *hoſpitalitas*, * a chriſtianis requiritur, *Rom. XII, 13. 1 Petr. IV, 9. Ebr. XIII, 2.*

* Hoſpitalitati vel maxime apud veteres locus fuit, cum nondum hoſpitia publica & mercenaria conſtituta eſſent, quibus peregrini excipi poterant. Legi hac de re meretur IO. SCHILTERI, *diſſertat. de iure hoſpitii apud veteres*, quae addita eſt eiusdem *manuductioni philoſ. mor. ad iurisprud.* Nec tamen hodie nullus plane hoſpitalitatis locus eſt, etſi vbique fere hoſpitia publica ſint conſtituta. Praeterquam enim, quod non in omnibus locis publica hoſpitia dentur, licet ſuſcipere pauperes, quibus in publicis hoſpitiis, cum pecunia deſtituantur, locus vix conceditur. Pesſimi praeterea mores in publicis hoſpitiis palam regnant, vt quibus pietas curae cordique eſt, ſaepius hoſpitio carere, quam inter homines omni improbitatis genere inter ſe velut concertantes, commorari malint.

§. XIX.

Ab illis autem, in quos beneficia collata ſunt, requiritur ***animus gratus***, hoc eſt, vt ea ſibi grata fuiſſe oſtendant, dantique eam ob cauſſam faueant, ſeque ad paria reponenda, ſi aliquando vires permiſerint, paratos demonſtrent. Ita namque amor reciprocus in eiusmodi hominibus ſe exercere poteſt. conf. *Coloſſ. III, 15. 1 Theſſal. V, 18.* Cumque homines omnes, etiam a quibus nulla beneficia accepimus, immo inimicos

micos amare debeamus, ſumma profecto impietas eſſet, eos non amare a quibus beneficia accepimus. Vnde ingrati animi crimen pro turpiſſimo, foediſſimoque omni tempore eſt habitum.*

* Hoc ipſi agnouere ethnici, quos inter SENECA, in *libris de beneficiis*, in foeditate huius vitii depingenda, fere totus eſt. *Erunt*, inquit, *lib. 1. cap. 10. homicidae, tyranni, fures, adulteri, raptores, ſacrilegi, proditores: infra iſta omnia ingratus eſt, niſi quod omnia iſta ab ingrato animo ſunt, ſine quo vix ullum magnum facinus accreuit. Hoc tu caue, tanquam maximum crimen, ne admittas*, &c. conf. & *lib. 4. cap. 18.* Eundem in modum & PVBLIVS: *dixeris maledicta cuncta, cum ingratum hominem dixeris.* An detur actio ingrati? diſputat SENECA, *l. c. lib. 3. cap. 6. & 7.* eandemque in peculiari diſſertatione tractat quaeſtionem, IO. HENRICVS BOECLERVS. Quod dubio careret, ſi legibus ciuilibus eiusmodi quid conſtiturum eſſet. Ex meris enim naturae legibus ſi rem aeſtimes, ius illud, quod habet, qui beneficium contulit, ſaltem imperfectum eſt, vnde nemo ad grati animi demonſtrationem cogi poteſt. Nec enim humani generis conſeruatio hoc poſtulabat. Repugnat praeterea beneficii natura indolesque, immo & grati animi ratio. *Non glorioſa res eſt*, recte inquit SENECA, *gratum eſſe, niſi tutum eſt ingratum fuiſſe; lib. 3. de benef. cap. 7.* Interim grauitati huius peccati, ſiue hominum iudicio, ſiue in foro diuino aeſtimetur, nihil inde decedit.

§. XX.

Quod ad officia erga alios hactenus enumerata, iure diuino obligati ſimus, ex ipſa natura amoris, in quo omnia continentur, patet. Atque idem ex primo noſtro principio fluit. Qui cum Deo vnitus eſt, & magis vniri cupit, adeoque eum amat, non poteſt non & eos amare, quos ipſe Deus amat, & ab omnibus amari cupit, conf. *1 Ioan. IV, 20.* Requirit idem omnium hominum cognatio naturalis,* *Actor. XVII, 26.* & ſpiritualis regenitorum. ** *Rom. XII, 5. 1 Cor. XII, 13.* Praeterea, in ſumma legis, ab ipſo ſeruatore expreſſa, hoc nobis diſerte, iniungitur, *Matth: XXII, 39.* add. *1 Tim: I, 15.* vt & in praecepto decalogi quinto, iuxta interpretationem ipſius ſeruatoris. *Matth. V, 22. 43. 44.* Idem nos condocet amor ille, quo nos Deus amauit: erga quem turpiter ingrati eſſemus, niſi alios homines itidem amaremus. *1 Ioan. IV, 11.* Accedunt & alia ſcripturae effata, quibus amor non tantum nobis commendatur, ſed & ceu teſſera diſcipulorum Chriſti deſcribitur. *Luc. VI, 25. XII, 33. Ioan. XIII, 34. 35. XV, 12. 1 Cor. XIII. per integr. Gal. V, 6. 13. 14. 15. Epheſ. IV, 15. 16. V, 1. 2. Coloſſ. III, 14. 1 Ioan. IV, 11. 20. 21.*

* Hanc cognationem naturalem omnium hominum vrgebant cumprimis Stoici, & inde concludebant, & inimicos diligendos eſſe. Hinc SENECA: *membra ſumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem & in eadem gigneret, &c. ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, quam laedi, &c. epiſt. 95.* Verum haec aliaque illorum effata ſplendida, falſis nitebantur hypotheſibus, vt pluribus a me demonſtratum, de *erroribus Stoicor. in philoſ. mor. diſſert. 4. §. 8. 9.* Quod & ipſa haecce verba SENECAE accuratius conſiderata, ſatis indicant.

** Ex antiquitate eccleſiaſtica hoc pluribus illuſtrat GOTHOFREDVS ARNOLDVS, *in hiſtoria*

hiſtoria cognationis ſpiritualis inter chriſtianos receptae, vbi & de nomine *fratrum & ſororum*, quibus veteres chriſtiani ſe inuicem compellabant, diſſerit.

§. XXI.

Peccata, officiis hactenus explicatis, oppoſita, ſunt varia. Peccant citra controuerſiam grauisſime, qui alios quocunque modo laedunt, adfectu, verbis, geſtibus, factis. Inter reliqua eminet *homicidium*, ſiue directe, ſiue indirecte, ſiue per ſe, ſiue per alios quis illud committat.* Pertinent huc quoque *libelli famoſi*, ** & *ſcripta ſatyrica*, quibus aliorum exiſtimatio imminuitur, & fama proſcinditur, ſub quocunque etiam edantur praetextu.

* Immo huc etiam pertinent, raptus, ſtupra, adulteria, in quantum alius per ea laeditur, vulnerationes, aliaque, quibus aliis, qua corpus, vis infertur. De homicidio ex inſtituto agit GVIL. GROTIVS, *in enchirid. de principiis iur. nat. cap.* 11. Vtut autem homicidium corporis, crimen grauiſſimum ſit, non leuius tamen eſt *homicidium animae*, cum quis talia agit aut dicit, per quae pernicies animae alterius attrahitur, vel cum abſtrahere alium a peccatis poterat, & debebat, & tamen illud non facit. Ad priorem claſſem pertinent ſcandala, de quibus ſupra *ad* §. 5. dictum.

** Si quis factis alium laedat, vocantur *iniuriae reales*, ſin verbis, *verbales*, a quibus nonnulli *litterales* diſtinguunt. Verbalium iniuriarum, quinque vulgo ſpecies conſtituunt, contumeliam, detractionem, maledictionem, ſuſurrum, & irriſionem, de quibus praeter ſcholaſticos & moraliſtas, GVIL. GROTIVS agit, *in enchirid. de principiis iur. nat. c* 14. §. 12. Ad litterales ſpeciatim *libelli famoſi*, & *ſcripta ſatyrica* pertinent, praeſertim ſi in his non vitia generalia, ſed ſpecialia ſingulorum hominum ita perſtringantur, vt contumelia quaedam inde in illos redundet. Ad libellum famoſum, ceteroquin requiritur, vt graue aliquod, atque enorme crimen, ſiue verum, ſiue fictum, alicui obiiciatur, idque dolo malo, ſeu animo famam alterius proſcindendi. Perinde autem eſt, ſiue carmine, ſiue ſoluta oratione, ſiue etiam pictura, vel alia quacunque ratione fiat. Dolendum vero, quod inter eruditus, qui aliis vt omnium virtutum, ita & modeſtiae exemplum praeire debebant, nihil ſit frequentius, quam ſcriptis variis famam aliorum proſcindere, & ſe inuicem omnium ludibrio exponere. Non deſunt equidem, quae nonnulli petulantiae ſuae, & libidini in aliorum famam graſſandi, obtendunt. Interdum perperam ab aliis facta iuſtam ſibi expreſſiſſe indignationem autumant; quandoque pro veritatis defenſione talia ſe ſcripſiſſe ſibi perſuadent aut omnino ſancto quodam zelo ad hoc ſe inductos; aut ſi hiſtorias ſibi ſcribere videantur, per hiſtoriae leges non aliter ſcribere potuiſſe, & quae alia ſunt eiusdem generis. Quae ita quidem comparata ſunt, vt imperitioribus caliginem offundere queant, ſapientiores autem non fallent, multo minus Deum, cordium atque cogitationum ſcrutatorem. Qui vero libellos famoſos, aut ſcripta ſatyrica, quibus aliorum fama laeditur, ex hoc capite defendunt, quod dum iis a vitiis, quae perſtringunt, alii deterrentur, vtilitatem quandam hominum generi afferant, ſe ipſos miſere decipiunt, ſeque hominum indolem parum exploratam habere demonſtrant, vt recte oſtendit PETRVS BAELIVS, *in diſſert. de libellis famoſis*, dictionario eius hiſtorico & critico ſubiuncta, *p.* 3099. in qua diſſertatione multa notatu digna hac de re adfert.

§. XXII.

Non minus & hic peccatur, per *vindictam propriam*, * & *reconciliationis detrectationem*. Poteſt equidem, qui laeſus eſt, ſatisfactio-

 nem,

nem, & cautionem ſecuritatis poſtulare, ſed hoc fieri debet, via ordinaria, per magiſtratum; absque vindictae cupiditate & litigandi pruritu; non niſi exigente neceſſitate & charitate, & denique animo ad reconciliationem prono. Quae omnia ſi recte expendantur, *actiones*, quas vocant, *iniuriarum*, prorſus improbandas eſſe, conſtabit, quippe quae & amori chriſtianorum, ad hoſtes etiam ſe extendenti, patientiae, & humilitati, & verbis diſertis Chriſti, *Matth. V, 39. 40. 41.* aperte repugnant. **

* Vt quae de *vindicta*, diſputari ſolent, rite diiudicentur, obſeruandum, non vno modo hancce vocem ſumi. Primo namque, interdum idem eſt ac poena, & ita vindicta publica, non autem priuata, eſt licita. Solis enim magiſtratibus competit facultas delinquentes puniendi. Deinde, vindicta quandoque ſumitur pro defenſione, & hoc modo priuatis etiam vindicta eſt licita, vt patet ex iis, quae ſupra de defenſione tradidimus. Licita nimirum eſt defenſio tum extraordinaria, in caſu neceſſitatis, tum ordinaria per viam iuris, quanquam nec haec temere, nec ſine grauiſſimis praegnantiſſimisque cauſſis ſuſcipienda ſit, docente ſeruatore, *Matth.* v, 40. Denique & pro cupiditate dolori & irae ſuae ſatisfaciendi ſumitur. Et talis vindicta prorſus illicita eſt, & non tantum a ſcriptura ſacra, ſed ipſa ratione damnatur, vt ipſorummet gentilium teſtimonio comprobari poteſt. conf. HVGO GROTIVS, *de iur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 20. §. 5. add. MARTINVS CHEMNITIVS, *locor. theolog. part.* 2. *loc. de vindicta p.* 113. *ſeqq.*

** Legitimam famae & exiſtimationis defenſionem, ſi in ea nihil aliud, quam innocentiae noſtrae demonſtratio quaeratur, etiam per viam iuris, non improbamus. Sed in actionibus iniuriarum aliud quid ſpectatur, & vindictae cupiditas, palam ſe exerit. Fuerunt itaque ex ipſis iureconſultis, qui ex inſtituto hoc euincerent, actiones iniuriarum a vera & genuina indole chriſtianiſmi quam longiſſime abeſſe, quod ſpeciatim peculiari diſſertatione, *de iniuſtitia actionum iniuriarum*, praeſtitit, IVSTVS HENRICVS BÖHMERVS, iureconſultus in academia Hallenſi clariſſimus, add. B. PHIL. IACOBI SPENERI *conſilia & iudicia theologica latina*, *part.* 3. *p.* 247.

§. XXIII.

Peccatur hic porro, per *contemptum aliorum*, * & προσωποληψίαν, quae tum alias, tum maxime in iudiciis, deteſtanda eſt, praeeunte ſcriptura, *Exod. XXIII, 6. 7. 8. Deut. I, 16. 17. X, 18. 2 Chron. XIX, 6. 7.* Eodem quoque loco habendi, qui ſe aliis praeferunt, ſibique *praecedentiam* ** prae illis vindicant, aut hac ſuper re acriter cum aliis litigantur, ſtultam atque ineptam ita prodentes ambitionem. conf. *Matth. XXIII, 6. Marc. XII, 39. Luc. XI, 43. XX, 46.*

* Siue verbis, ſiue factis, ſiue geſtibus hicce contemptus ſe exerat. Qui vero ita alios contemnunt, inter homicidas refert ſeruator, *Matth.* v, 22. Vnde grauitas peccati huius intelligitur. Procedit autem hicce contemptus aliorum ex ſuperbia, quam THEOPHRASTVS ideo deſcribit, quod ſit *aliorum omnium, praeterquam ſui ipſius, contemptus*; *in characteribus mor. p.* 65. Sed hac de re ſatis: ſupra dictum, *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 4. *ad* §. 55.

** Cum omnes homines natura ſint aequales, inaequalitas tamen quaedam introduci poteſt, vt nemini fiat iniuria: ſed diuerſa ratione inter eos, qui in eadem ciuitate viuunt, & qui in ſtatu naturali ſunt conſtituti. Illos ſi ſpectes, quae inter imperantes & ſubditos intercedit inaequalitas, cum ipſo ciuium conſenſu nitatur, non poteſt cenſeri iniqua. Ciuium inter ſe diſtinctio, a voluntate & conſtitutione ſummorum imperantium pendet,

cui

cui omnes merito ſe ſubmittunt. Hoc qui facere detrectat, ineptam prodit ambitionem. Quemadmodum vero imperantes, certum ordinem conſtituentes, meritorum, virtutum, commodorumue, quae a certis hominibus, aut ſtatu quodam, in rempublicam redundant, habere rationem ſolent, ita haec omnia fundamentum velut praebent, cur vnus alteri in ciuitate praeferri debeat. Quod ſi ergo imperantium nulla conſtitutio adſit, & vero is, cuius minor virtus eſt & praeſtantia, praeferri aliis cupiat, nihil aliud aget, quam vt ſuam demonſtret impudentiam, etſi alter, vt ſibi cedat, eum cogere nequeat. Si is, cuius maior virtus & praeſtantia eſt, contendat hac ſuper re cum aliis, qui illi cedere nolunt, maximum ſibi ipſi tam inepta ambitione adferret dedecus? vterque autem hac ratione grauiſſime peccat. Idem de illis etiam cenſendum, qui in ſtatu naturali degunt, quos inter nemo ius perfectum alteri ſe praeferendi habet, niſi per pacta, etſi cauſſae variae adeſſe queant, quae ius dent imperfectum. conf. CHRISTOPHORVS BESOLDVS, *politicor. lib. 2. cap. 5. §. 29. ſeqq.* item, in peculiari diſſertatione de *praecedentiae & ſeſſionis praerogatiua.* Quod ſi ergo quis ius perfectum habeat, ſe praeferendi aliis, non peccabit, ſi ius ſuum, ſed citra ambitionem ſibi vindicet, vt tamen lites, quantum fieri poteſt, euitet. At qui aut nullum, aut imperfectum ſaltem ius habet, peccabit, ſi vel ad minimas hac ſuper re cum aliquo lites deſcenderit: cum non poſſit non ineptae hac ratione ambitionis reus fieri.

§. XXIV.

Sed & per *perfidiam* peccatur contra haſce leges, animique leuitatem, in pactis ac promiſſis, dum & inconſiderate aliquid homines promittunt, & violare iterum promiſſa, fidemque in pactis datam fallere, ſibi religioni non ducunt. Et licet a pactis differant promiſſa, nec promiſſorum vna ſit ratio, cum quaedam tantum imperfectam habeant obligationem, in foro tamen diuino peccat, qui promiſſa, quaecunque demum fuerint, ſine grauiſſima ratione violat, multo magis, qui talia promittit, quae ſeruare aut adimplere, nunquam in animum inducit ſuum, quod tamen inter mortales longe eſt frequentiſſimum.

§. XXV.

Denique & contra quartum amoris gradum, multiplici ratione peccatur, etſi haec talia ſint, vt a paucis forte pro peccatis habeantur. Peccant namque hic grauiter, qui eam vitae ineunt rationem, vt nullum inde ad alios redundet emolumentum, immo vt oneri potius ſint omnibus. Peccatur praeterea per *inhumanitatem*, ſi praeſtare aliis recuſemus, quae ſine magna noſtra moleſtia praeſtare poteramus, & illis vſui eſſe poterant; per *immiſericordiam*, ſi neceſſitatibus aliorum qua mentem, qua corpus ſanitatemque, neceſſariamue ſuſtentationem, & alia ratione, non ſuccurramus; aut ſi accipere beneficia, quam dare, paratiores ſimus, immemores quoque illorum, quae accepimus, & in eos, qui illa in nos contulerunt, ingrati: & quae reliqua ſunt eiuſdem generis.

§. XXVI.

Media, quae officiorum hactenus expoſitorum praeſtationem, ad quam mortales natura ſua admodum ſegnes ſunt, promouere, vel ad eam

Digitized by Google

eam nos excitare queunt, & ad quae adeo itidem iure diuino obligati ſumus, varia ſunt. Iuuabit tamen cumprimis conſiderare amoris erga alios, neceſſitatem, *1 Ioan. III, 14. ſeqq.* dignitatem & vtilitatem, *1 Cor. XIII, 1. 2. ſeqq.* quod verus & maxime inſignis character diſcipulorum Chriſti ſit, *1 Ioan. III, 23. 24.* item cognationem, naturalem, ac ſpiritualem, quae nobis cum aliis intercedit, & denique amoris diuini, quo nos amauit Deus, magnitudinem. *Rom. V, 8.* Si enim nos indigniſſimos Deus ita amauit, quanto magis nos decet, ut alios homines, eadem ratione amemus.

§. XXVII.

Impedimenta amoris, quae amouere tenemur, oriuntur ex prauis cupiditatibus, earumque fonte, philautia, ſpeciatim auaritia, ambitione & voluptatis cupiditate. Hiſce qui ſeruiunt, proximum puro corde, & bona conſcientia, amare nequeunt, quod tamen ad amorem genuinum requiritur. *1 Tim. I, 5.* Auaritiae qui deditus eſt, tantum abeſt, vt alios amet, vt crudelis potius ſit, immiſericors, perfidus, & ſi alios amare ſibi videtur, hoc ſui commodi cauſſa facit. Ambitioni qui ſeruit, non poteſt ferre aequalem, hinc fortunis, fama, immo vita priuare alios paratus eſt, vt ipſe emineat ſolus. Quod ſi alios amare videtur, id facit, quia ei ſe lubenter ſubmittunt, vel ambitioni eius quacunque ratione inſeruiunt. Voluptatis denique cupiditate qui laborat, homines alios in tantum amat, in quantum delectationem ex illis percipit: hoc ſi ceſſet, eos parum curat, & ſi vel maxime eos perire videat, non commouebitur, modo ſuo indulgere genio queat. Quae omnia ſi recte expendantur, patebit, quam neceſſario cum amore proximi coniuncta eſſe debeat abnegatio ſui, per quam haecce remoueri impedimenta poſſunt.

CAPITIS TERTII
SECTIO V.
DE
OFFICIIS HOMINVM
ERGA ALIOS HYPOTHETICIS.

Σύνοψις.

IN officiis erga alios tria vulgo inſtituta vniverſalia, commemorari ſolent, ſermo, dominium, & pretium rerum, §. I.

Sermo tamen minus recte huc refertur, §. II.

Interim officia circa ſermonem commode hic adducuntur, §. III.

Sermo ob naturam hominis ſocialem neceſſarius eſt, §. IV.

Immo iuxta ſcripturam nobiliſſimum eſt mutui amoris inſtrumentum, vnde finis eius intelligitur, §. V.

Hinc regula generalis, ſummam officiorum circa

circa ſermonem continens, deriuatur, §. VI.
ipſa officia indicantur, quorum alterum eſt, ne alios ſermone noſtro laedamus, quod varia ratione fieri poteſt, §. VII.
alterum, vt commoda potius aliorum ſermone noſtro promoueamus, quod itidem varia fieri poteſt ratione, VIII.
Quod de ſermone dictum, id de ſilentio quoque ac fictionibus intelligendum, §. IX.
Firmamentum ſermoni quandoque additur per iusiurandum: quod iurare fas ſit, probatur, §. X.
Per ſolum verum Deum iurandum: quid de iuramentis per falſos deos conceptis, cenſendum? XI.
Quis iurare rite queat? §. XII.
De fine ac diuerſitate iurisiurandi, §. XIII.
De dominio rerum, eiusque origine: facultatem rebus creatis ad ſui conſeruationem vtendi, primis parentibus a Deo conceſſam, §. XIV.
Qua ratione dominium, ſtricte ſic dictum, introductum ſit? §. XV.
Concluditur inde, chriſtianis quoque fas eſſe, poſſidere dominia rerum, §. XVI.
quod vlterius ex ſcriptura ſacra confirmatur, §. XVII.
Modi acquirendi ſunt vel originarii, §. XVIII.
vel deriuatiui, §. XIX.
quorſum & ſucceſſiones ab inteſtato pertinent, §. XX.
& teſtamenta, §. XXI.
in quibus ita verſandum, vt integritatis, & iuſtitiae habeatur ratio, §. XXII.
Summa officiorum circa rerum dominia, §. XXIII.
De pretio rerum, eiusque origine & neceſſitate, §. XXIV.
Contractus inire chriſtianis non eſſe nefas, §. XXV.
De variis contractuum ſpeciebus, generatim quaedam obſeruantur, §. XXVI.
Speciatim circa contractum mutui, de vſuris quaeritur: eas, ſi non ſint contra charitatem, non eſſe illicitas, §. XXVII.
reſpondetur ad dicta ſcripturae, quae obſtare videntur, §. XXVIII.
quaenam vſurae ſint illicitae, §. XXIX.
Summa officiorum circa contractus, §. XXX.
Quod ad officia haecce hypothetica iure diuino obligati ſimus, probatur tum ex principio generali iuris diuini, tum ex praecepto decalogi octavo, & ſeptimo, §. XXXI.
item ex aliis ſcripturae ſacrae dictis, §. XXXII.
Officiis circa ſermonem opponuntur varia mendaciorum genera, aliaque peccata, §. XXXIII.
ſpeciatim falſum teſtimonium, § XXXIV.
Officiis circa rerum dominia, & contractus, furta craſſiora & ſubtilia, & impoſturae quaeuis, §. XXXV.
Ad media quoque, quibus horum officiorum praeſtatio promouetur, adhibenda, & impedimenta remouenda, quemlibet obligatum eſſe, §. XXXVI.

§. I.

IN officiis hominum erga alios, tria inſtituta vniuerſalia, ab hominibus quidem ad generis humani felicitatem & commodum introducta, ſed a Deo adprobata, commemorari ſolent: *ſermo*, *dominium*, & *pretium rerum*. Cumque iure diuino, ad officia ex hiſce inſtitutis fluentia, obligati ſimus, leges inde oriuntur *hypotheticae*, reuera quidem ex vniuerſali iuris principio fluentes, ſed vim ſuam obligandi, poſitis hiſce inſtitutis, exerentes.

§. II.

Ad *ſermonem* tamen quod attinet, is minus recte huc refertur. Quae philoſophi equidem de eius origine tradunt, ita comparata ſunt, vt facile in eam aliquem ſententiam inducere queant, conuentioni hominum eum originem ſuam debere: * ſed longe rectius nos

ſcriptura ſacra informat, originem ſermonis ex prima hominis creatione repetendam docens, ſed cauſſam quoque varietatis, quae inter variarum gentium linguas extitit, diſerte explicans, *Gen. XI, 6. 7.*

* Cum gentilium philoſophi, de origine tum rerum omnium, tum ſpeciatim humani generis, nihil certi ſciuerint, mirum non eſt, quod nec de origine ſermonis certi quid tradere potuerint, ſed tum inter ſeipſos diſſenſerint, tum ad incertas coniecturas prolapſi ſint, vt patet, ſi quis quae TITIVS LVCRETIVS CARVS, *lib. 5. de nat. rer. verſ.* 1027. *ſeqq.* & PLATO in *Cratylo*, hac de re habent, inter ſe contulerit. Interim, ſi a reuelatione abſtrahamus, probabilior videtur illorum ſententia, qui ex inſtituto & arbitrio potius humano, quam natura ipſa, ſignificandi vim, quam verba habent, deriuant. Nulla enim alias ratio reddi poteſt, quare eandem rem in diuerſis linguis diuerſa notarent vocabula. Id quod etiam de apicibus & figuris litterarum verum eſt. Accedit, quod de plerisque linguis conſtet, eas ab initio valde fuiſſe pauperes, atque ſimplices, poſtea autem ab hominibus locupleratas, & in concinniorem formam redactas. Sed vt philoſophorum ſcitis immoremur, neceſſe non eſt, cum rectiora certioraque hic ſcriptura ſacra nos condoceat. Ex ea enim conſtat, a Deo primis hominibus ſermonem immediate fuiſſe inditum, ſeu concreatum: quod ſupremo Numini aeque facile fuit, ac linguarum dunum apoſtolis concedere, quod deinceps factum fuiſſe, nouimus. Eam quoque linguam, qua primi parentes, eorumque poſteri vſi ſunt, non aliam fuiſſe quam Ebraeam, extra dubitationem poſitum putamus, etſi nos non fugiat, eſſe hic, qui ſecus ſentiunt. Sed rem omnem in compendio confecit AVGVSTVS PFEIFFERVS, in *exercitat. de lingua protoplaſtorum ſeu primaeua*, quae addita eſt eius *dubiis vexatis, p. 59. ſeqq.* Huiusce autem linguae Ebraeae ſeu primigeniae voces, num naturalem ſignificandi vim habeant, in quadam cum rebus ipſis conuenientia fundatam, quod venerandus Vratislauienſium praeſul, CASPAR NEVMANNVS, non ſine ingenii & doctrinae laude, in *geneſi linguae ſanctae, & lexici*, huic hypotheſi ſuperſtructi, aliquot, quae hactenus prodierunt, partibus, demonſtrare aggreſſus eſt, an vero ex inſtituto & impoſitione primorum parentum, haecce ſignificandi vis proueniat? nunc non disquiremus. De reliquis enim linguis, quae poſt confuſionem Babelicam ortae ſunt, nulla hic eſt diſputatio, cum nemini forte in mentem venerit, quod illarum voces naturalem ſignificandi vim habeant. De ipſa vero linguarum confuſione, earundemque hinc orta varietate, manifeſta ſatis ſunt & aperta, quae traduntur, *Gen.* XI, *v.* 1. *ſeqq.* Sunt equidem viri quidam doctisſimi, qui, quae ibi narrantur, de diſſenſionibus ſaltem & diſcordiis capiunt, quibus inducti, qui turrim aedificare volebant, opus intermiſerint, & a ſe inuicem diſceſſerint, vnde tandem ex iſta gentium diſperſione, linguarum, ſucceſſu temporis, orta fuerit varietas. Ita IO. CLERICVS ad *h. l.* & HERMANNVS VAN DER HARDT, in *ephemeridibus philolog. discurſ.* 3. conf. & CAMPEGIVS VITRINGA, *obſeruation. ſacrar. lib.* 1. *diſſertat.* 1. Verum non ſatis ad hoc attendiſſe videntur, quod *verſ.* 7. 8. 9. diſerte indicetur, linguarum diuerſitatem eſſe cauſſam diſperſionis, non autem diſperſionem, quod iſti ſupponunt, eſſe cauſſam diuerſitatis linguarum. Plura autem de origine ſermonis, & linguarum, dabunt IO. BVXTORFIVS, *diſſertat. philologico-theolog* 1. § 8. *ſeqq.* FRANCISCVS VALESIVS, *philoſ ſacr. cap.* 3. GVIL. POSTELLVS, de *origine linguar. omnium*, GESNERVS in *Mithridate*, aliique.

§. III.

Poſſunt ſane officia hominis circa ſermonem, haud incommode ad officia abſoluta referri, cum in amore erga alios cuncta contineantur: nihil tamen obſtat, quo minus & ex natura ſermonis deducantur: quo intuitu de iisdem hoc loco agimus.

§. IV.

§. IV.

Naturam autem ſermonis conſideranti patebit, eum homini neceſſarium fuiſſe, vt animi ſui ſenſa aliis hominibus ſignificare poſſet. Homo namque in ſolitudine, a reliquorum hominum conſortio remotus, degens, videtur haud difficulter vſu ſermonis carere poſſe. Quod ſi haec tibi vitae ratio longe miſerrima videatur, conclude inde neceſſitatem vitae ſocialis. Et ſane non inepte nonnulli ex ſermone collegerunt, hominis naturae conueniens eſſe, vt ſocialiter viueret.

§. V.

Et haec quidem cum ipſa ratio doceat, ſcriptura vlterius progreditur, hominumque officium eſſe, vt ſincero amore, qui omnis fraudis & fuci, expers ſit, ſe inuicem proſequantur, nos erudit. Cumque ſermonem, non tantum ad vitam ſocialem conſeruandam, ſed & ad mutuum amorem demonſtrandum, nobiliſſimum inſtrumentum eſſe conſtet, hinc quis ſermonis finis ſit, ſeu quamobrem mortalibus a Deo ſit conceſſus, luculenter colligitur.

§. VI.

Oritur hinc regula generalis, omnia hominum circa ſermonem officia, dirigens: ſermone ita vtendum, prout non tantum natura & ratio vitae ſocialis, ſed & amor ille ſincerus, quo chriſtiani ſe mutuo proſequi debent, requirit. Id quod de aliis etiam ſignis, quae forte vicem ſermonis ſuſtinent, identidem eſt intelligendum.

§. VII.

Hinc officia hominis circa ſermonem ſua ſponte fluunt. Sermone ſcilicet ita eſt vtendum, ne alios vllo modo laedamus. Laedere autem alios ſermonis vſu, vel abuſu potius, multiplici ratione poſſumus. Primo, cum non dicimus, quae alterius ſcire intererat, & dicere tenebamur, ſiue ex pacto, ſiue ex lege quadam naturali, ſiue praeſentis negotii indole. * Deinde, cum ea dicimus, quae dicere non debebamus, vt cum arcana aliorum prodimus, vnde magna ſaepius in eos redundant incommoda, aut cum verba otioſa, & obſcoena proferimus, quae chriſtianos non decent, vel alio quocunque modo ſermone noſtro ſcandalum praebemus. *Epheſ. V, 4. Coloſſ. IV, 6.* add. *Matth. V, 37. Iacob. V, 12.* Qui vero talia proloquitur, quae impia ſunt, & iniuria in Deum ipſum, atque blaſphema, non tantum contra leges de ſermone peccat, ſed cultus diuini nullam ſe habere rationem, demonſtrat. Quo nomine iam ſupra ** dicta quaelibet, reuerentiae Numinis repugnantia, reiecimus.

* Ex his namque fontibus ſpecialibus, ius, quod alii habent, a nobis poſtulandi, vt veritatem dicamus, recte deriuat SAM. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib. 4. cap. 1.* §. 7.

Longius petita ſunt, quae hac de re diſſerit HVGO GROTIVS, ius hoc inde oriri, quod quilibet naturaliter gaudeat libertate iudicandi, qua per fictum ſermonem non ſit priuandus, *lib.* 3. *de iur. bell. & pac. cap.* 1. §. 11. Sequitur tamen Grotium IO. GE. KVLPISIVS, in *colleg. Grot. ad h. l.* §. 2.

** *ſect.* 2. huius capitis, §. 3. & 28.

§. VIII.

Non tantum autem alios non laedere, ſed commoda quoque illorum, quantum fieri poteſt, ſermone noſtro promouere debemus. Hoc enim amor aliorum, adeoque & finis ſermonis, poſtulat. Loqui itaque debemus, quae ſunt vtilia, quae aliis prodeſſe poſſunt, atque ad aedificationem faciunt, ſiue errantes & ignorantes inſtruamus, & rectiora doceamus, ſiue peccantes modeſte, & cum omni manſuetudine redarguamus, ſiue moeſtos ſolemur; quae omnia quoque ratio officii ſacerdotalis, quod regenitis omnibus competit, poſtulat. Interim quilibet hic, quid ingenii vires permittant, quidue temporis, loci, aliarumque circumſtantiarum ratio exigat, diſpicere debet.

§. IX.

Quod de ſermone diximus, id de *ſilentio* quoque eſt intelligendum, vt iam ex dictis patet. Si enim ſilentio noſtro alterum non laedimus, nec vt loquamur, amor aut diuini nominis gloria exigit, noſtri contra potius commodi ratio, vt ſileamus, ſuadet, non tantum, vt ſileamus licitum, ſed omnino noſtri eſt officii. Multo autem magis id a nobis requiritur, ſi omnino ſermone noſtro ingens alteri adferri poſſet damnum. De *fictionibus*, * quibus interdum vtendum, ſi nec tacere licet, & loqui alteri noxium foret, idem cenſendum. Videndum enim hic, quid amor aliorum aut exigat, aut permittat; ſimul tamen vt abſque dolo, corde puro, & integra mente, cuncta agantur. *Epheſ. IV,* 21. Vbi vero alteri ius eſt, veritatem a nobis exquirendi, ** fictionibus, ad diſſimulandam veritatem vti, ſummum eſt nefas.

* Non ergo omnes fictiones, ſimulationes, & diſſimulationes pro illicitis habendae, ſed illae demum, quae aut in gloriam diuini Numinis, aut in aliorum commodum iniuriae ſunt, vel cordis vanitatem produnt, arguuntque. Non male rem omnem expedit IO. CONRADVS DANHAVERVS, in *colleg. decalog. diſp.* 6. *p.* 441. dum ſimulationem aliam dicit eſſe *exploratoriam*, aliam *ſtrategematicam*, aliam *rectoriam*, aliam *correctoriam*, & aliam *iniurioſam*: ex quibus vltima in vitio ponatur, non autem quatuor priores. Ad *exploratoriam*, quam & *maioris deſiderii excitatoriam* vocat, refert omnes iſtos luſus ſapientiae increatae, quibus πολυτρόπως apparuit, luſit, ſimulauit, hoſtem in conflictu cum Iacobo, *Gen.* XXXII. militem defenſorem cum ſtricto gladio, *Ioſ.* V. in forma ſeruili, *Phil.* II. (quod tamen caute & cum grano ſalis accipiendum) hortulanum, *Ioan.* XX. peregrinantis, *Luc.* XXIV. & angeli in forma iuuenis, 2 *Maccab.* III, 26. *Marc.* XVI. ſine dolo malo. De loco tamen *Luc.* XXIV, 28. non vna omnium eſt ſententia. HVGO GROTIVS, cum initio

verbum

verbum προσποιεῖσθαι de ſimulatione expoſuiſſet, & prolixe hac occaſione docuiſſet, non omnem in vitio ponendam ſimulationem, addit tamen, & lectoribus cogitandum relinquit, cum προσποιεῖσθαι Graecis ſit prae ſe ferre, etiam vbi nulla eſt ſpecies ſimulationis, annon dici poſſit, Ieſum ſicut greſſum ad iter componebat, ita vere etiam ſecum conſtituiſſe, vltra progredi, niſi inſtanter manere rogaretur. Vltimae tamen huic ſententiae obſtare, putant alii, quod Chriſtus eo fine ſe hisce diſcipulis aſſociauerit, vt in diverſorio ſe iis manifeſtaret, quodque nulla fuerit cauſſa, cur Chriſtus longius proficiſceretur, cum in momento adeſſe potuerit, vbicunque voluerit. Priorem itaque ſententiem praeferendam cenſent. Ita B. IO. GERHARDVS, *harm. reſurr. cap.* 7. *p.* 290. & ABRAH. CALOVIVS ad *h. l.* Ad rem ipſam vt redeamus, alteram ſimulationis licitae ſpeciem DANHAVERVS ſtatuit *ſtrategematicam* in bellis: vbi vt hoſti, inquit, iniuria nulla fit necando, ita nec ſimulando. Quod tamen ita intelligendum, ſi bellum iuſtum ſit, & ceteroquin leges naturales circa modum bellum legitime gerendi, obſeruentur. Exempla interim ex ſacris huc referri ſolent, *Ioſ.* VIII, 22. 2 *Sam.* V, 24. 2 *Reg.* VI, 19. Sequitur ſimulatio *rectoria*, cum ſummi imperantes, vt ciuium & reipublicae, immo & ſui ipſius ſaluti conſulant, ſimulare quaedam ac diſſimulare coguntur, iuxta illud CICERONIS: *eos, quibus commiſſa eſt reſpublica, vt ad effectum ſuorum conſiliorum veniant, oportere, vt multa ſimulent inuiti, multa diſſimulent cum dolore, epiſt. ad famil. lib.* 9. *ep.* 1. DANHAVERVS ex ſacris huc refert exemplum Saulis, 1 *Sam.* X, 27. *Correctoriam* ſimulationem idem auctor vocat, cum is, erga quem ſimulatio fit, nou aegre eam laturus praeſumitur, adeoque cum volenti poſt factum, non fit iniuria. Non ergo peccare medicum, ſi ſub ſpecie dulcis propinet amarum, vt ſanitatem procuret. Huc & nonnulli; eodem auctore, referunt ſimulationem Rebeccae, *Gen.* XXVII, 6. *ſeqq.* correcturae errorem mariti, quem fide certa ſtatuerit errare in perſona benedicenda. Et iſtae quidem licitae ſimulationis iuxta DANHAVERVM, ſunt ſpecies. In quibus tamen omnibus ad agentis animum, intentionem, aliasque circumſtantias eſt reſpiciendum, cum contingere facile queat, vt quae a nonnullis innocenter fiunt, vitio non careant, ſi ab aliis, alio animo, aliaue intentione ſuſcipiantur. De *iniurioſa* autem, quam vocant, *ſimulatione*, per quam directe aut indirecte aliquis laeditur, vt addamus aliquid, neceſſe non eſt, cum iam ex dictis conſtet, grauiſſimo quemuis per eam ſe obſtringere crimine. De exemplis variis in ſcriptura ſacra obuiis, quae ampliſſimam hic diſputandi materiam praebent, vid. ANDREAS ADAMVS HOCHSTETTERVS, in *colleg. Pufendorf. exercitat.* 7. §. 14. *ſeqq. p.* 286. *ſeqq.*

** Ius hoc vnde oriatur, iam indicatum §. 7. Quaeri autem hic inter alia ſolet, an reus coram iudice confiteri delictum teneatur? Sunt, qui diſtinguunt, inter damnum datum, & inter reatum, & ad iſtud confitendum teneri reum, non autem ad hunc, contendunt. vid. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib.* 4. *c.* 1. §. 20. Verum cum iudex officio ſuo rite fungi nequeat, niſi cognitam perſpectamque habeat veritatem, ad hancce cognoſcendam ius quaeſitum habet. Vnde, quod ad reatum quoque confitendum reus teneatur, manifeſtum eſt. add. IO. BARBEYRACIVS *ad Pufendorf. l. c.* Quod ſi autem iudex aut magiſtratus officio ſuo abutatur, ad innocentes opprimendos, tum quidem nullum amplius ius habere videtur ad exquirendam veritatem. Et hac ratione obſtetrices Aegyptiacae, tyrannidem Pharaonis eludentes, *Exod.* I, 19. 20. non peccarunt. Nec peccauit Rahab exploratores occultans, idque diſſimulans, *Ioſ.* II, 4. eo quod rex Hierichuntinus, Israelitico populo ſe opponens, iure ſuo exciderat. conf. *verſ.* 11.

§. X.

Firmamentum ſermoni, praeſertim in pactis, & promiſſis, quandoque additur per *iusiurandum.* * De quo ſtatim quaeſtio oritur, an omnino chriſtianis ſit licitum? ** Enimuero, etſi non deſint, qui hocce negent, contrarium tamen vel inde patet, quod nec indoles ac natura iuriſiurandi quidquam inuoluat, quod legi diuinae repugnet, & nulla

nulla adferri ratio queat, cur chriſtianis iurare non liceat. Immo lege potius diuina iusiurandum legitime conceptum, ſancitum & adprobatum fuit. *Deut. VI, 13. X, 20.* Comprobant idem exempla ſanctorum, Abrahami, *Gen XIV, 22. XXIV, 3.* Moſis, *Ioſ. XIV, 8.* Dauidis, & ſociorum eius, *2 Sam. XXI, 7. 17.* Pauli, *2 Cor. I, 23* immo ipſius Dei, *Pſalm. CX, 4. Amos IV, 2.* Quamuis enim, iusiurandum Dei improprie ſaltem tale ſit, cum nemo iurare, niſi per ſuperiorem, queat, *Ebr. VI, 16.* non tamen ſibi hoc tribueret Deus, ſi iurare prorſus nefas eſſet.

* Quod iam alibi definiui, quod ſit aſſertio religioſa, qua poenam diuinam in nos depoſcimus, niſi verum dicamus; in *elem. philoſ. pract. part. 2. cap. 4. ſect. 6. §. 6.* Vnde & ſequitur, Deum hic non ſpectari vt teſtem, quaſi iusiurandum ſit teſtimonium Dei, aut quod Deus ipſe de veracitate iurantis teſtetur, quemadmodum ſentire videtur ROBERTVS SANDERSONVS, de *obligat. iuram. praelect. 1. §. 2.* ſed ut judex, poenam grauiſſimam, iurisiurandi religionem inſuper habentibus, inflicturus. Ceterum quo pacto a iuramento differat adiuratio, & quam vim adiurationes habeant, ex inſtituto docet IO. CONRADVS DVRRIVS, *compend. theol. moral. part. 3. ſect. 4. cap. 2. part. 2. §. 40. ſqq. p. 103. ſqq.*

** Anabaptiſtarum haec eſt ſententia, vt conſtat ex colloquio Franckenthalenſi *artic. 21. n. 1. 2.* aliisque eorum ſcriptis publicis. Nonnulli tamen, ſaltem ex recentioribus, ita mentem ſuam explicant, vt non omnem iuramentorum vſum damnare videantur. Qua de re a me dictum in *diſſertat. de concordia religionis chriſtianae ſtatusque ciuilis, cap. 6. §. 6.* Confutarunt hanc ſententiam operoſe IO. MVLLERVS, in *anabaptiſmo error. 20. pag. 366. ſeqq.* CLOPPENBVRGIVS in *gangraena anabaptiſt. part. 3. diſp. 9. §. 7.* add. EHREGOTT DANIEL COLBERGIVS, in *chriſtianiſmo Hermetico-Platonico, part. 2. cap. 10. §. 14.* Ad loca, quae vulgo in contrarium adferri ſolent, *Matth. v, 33. 37. Iacob. v, 12.* iidem auctores reſpondent, & facile reſponderi poteſt. Fundamento quoque omni deſtituitur ſententia HVGONIS GROTII, iuramenta quidem aſſertoria, non autem promiſſoria licita eſſe contendentis, *lib. 2. de iur. belli & pac. cap. 13. §. 21.* Quod pluribus oſtendit IO. ADAMVS OSIANDER, *ad Grotii l. c.*

§. XI.

Cum autem iusiurandum ſupponat, eum per quem iuratur, & omniſcium eſſe, & omnipotentem, vt intimos hominum receſſus habeat exploratos, & viribus polleat, profanos puniendi, ſequitur, per neminem iurari poſſe, niſi per verum Deum. Id quod & ſcriptura confirmat, *Eſ. XIX, 18, XLVIII, 1. Hoſ. IV, 15.* quae etiam damnat iuramenta, ſecus concepta, *Sophon. I, 5. Amos VIII, 14.* Quae per falſos deos concipiuntur iuramenta, non tantum impia ſunt, ſed & irrita, ſi iurans ipſe nullam illis tribuit diuinitatem. * Quod ſi tribuat, vim quidem ſuam habent, nec tamen temere aut deferre, aut acceptare eiusmodi iuramentum licet, ** niſi ſumma hoc exigat neceſſitas, nec alia ratio expediendi negotia ſuperſit. Secus qui ſe gerit, peccati, quod tali iureiurando committitur, ſeipſum reum reddet.

* Quod impia ſint, patet, quia rei creatae tribuitur honor, ſoli Deo debitus. Sed & quod irrita ſint, palam eſt, quia iusiurandum accommodandum eſt, ad perſuaſionem iurantis.

Si

Si enim aliquis per Deum iuret, quem Deum eſſe non credit, & a quo, ſi fallat, ſe puniendum non eſſe, ſibi perſuadeat, vi omni & efficacia deſtituerit iuramentum. Sic & ineptum erit, iuramentum exigere ab atheo, quippe cuius itidem nulla apud eum poterit eſſe efficacia, quodue ex parte athei pro mera illuſione habendum, cuius tamen grauiſſimas in foro diuino dabit poenas. Solet autem quaeri, an formulae iurandi per propriam, aut aliorum ſalutem, etiam vim iuramenti habeant? Negat id quidem PHILIPPVS REINHARDVS VITRIARIVS, *inſtit. iuris nat. & gent. lib. 2. cap.* 13. *qu.* 18. Sed recte adfirmat PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib.* 4. *cap.* 2. §. 3. De formula quidem, qua quis per animam ſuam iurat, poſitum hoc eſt extra controuerſiam. Senſus enim eſt, quod Deus animae noſtrae grauiſſimas immittere adflictiones debeat, niſi veritas dictis conſtet. Per aliorum autem ſalutem ſi iusiurandum concipiatur, ſupponitur, eam nobis chariſſimam, immo ipſa vita noſtra chariorem eſſe. Sic per ſalutem Pharaonis iurauit Ioſephus, *Gen.* XLII, 15. Quod ſi quis mentiatur, ſimulando aliorum ſibi ſalutem chariſſimam eſſe, quae tamen non tam chara eſt, vis iuramenti integra eſt, cuius eo ſenſus redit, ſe in re ſibi chariſſima Numinis vindictam experturum, ſi vera non ſint, quae profert. Sunt, qui ex hoc capite non illicita fuiſſe iuramenta contendunt, quae olim per *genium Caeſaris* concipiebantur. Verum, cum per eam formulam diuinitas quaedam principibus tribuebatur, chriſtiani adduci non poterant, vt ea vterentur. conf. DESIDERIVS HERALDVS, in *Tertull. Apolog. p.* 125. IO. A WOWERN, in *Octauium Minutii Felicis p.* 68. add. CASPAR ZIEGLERVS *ad Grot. lib.* 2. *cap.* 13. *p.* 362.

** Iuramentum per falſum Deum e. g. a gentili, praeſtitum, eſt idololatricum. Qui enim vero Deo debebatur, alii defertur honor. Qui ergo temere iuramentum eiusmodi defert aut acceptat, videtur in actus idololatrici ſocietatem venire, aut illi occaſionem praebere. Quia tamen interdum non alia ſupereſt ratio negotia expediendi, ſummaque adeo hoc requirit neceſſitas, tum eiusmodi aut deferre aut acceptare iuramentum licet. Nec deferenti tum aut acceptanti eiusmodi iuramentum, imputari poteſt, quod iurans ſua culpa in errore verſetur.* Idem de iuramentis, quae Iudaeis deferuntur, cenſendum, qui hoc ipſo, dum perſonarum trinitatem negant, verum Deum non adorant, add. IO. ADAMVS OSIANDER, *ad Grot. lib.* 2. *cap.* 13. §. 12.

§. XII.

Qui vſu rationis deſtituitur, iurare nequit. * Sed intentio quoque adeſſe debet. Quam ſi quis adhibere nolit, a periurii crimine non abſoluitur. Debebat namque eam adferre. ** Qui autem aliunde impediuntur, quo minus intelligant, vel adprobent, quod iurant, ſiue per errorem, ſiue per dolum, aliaque ratione id fiat, *** iurisiurandi religione non tenentur. * Non enim iusiurandum nouam obligationem producit, ſed antea exiſtentem confirmat. * Vbi ergo pacta & promiſſa non obligant, iuramenta quoque non obligant, ad eorum confirmationem addita.

* Ergo furioſi, mente capti, impuberes, qui rationis vſu deſtituuntur, iurare nequeunt.

** Si quis enim tacita ſua intentione impedire poſſet, ne effectus actum aliquem ſequeretur, cui producendo ille eſt inſtitutus, omnis ratio interuenientibus ſignis ſe obligandi, tolleretur. vid. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib.* 4. *cap.* 2. §. 5. & HVGO GROTIVS, de *iur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 13. §. 2. Inepte itaque Mediolanenſes Friderico I. imperatori reſponderunt: *iurauimus quidem, ſed iuramentum attendere non promiſimus*; apud RADEVICVM, *lib.* 2. *cap.* 25.

*** Eadem nimirum hic ratio eſt iuramentorum, ac pactorum, vt ex dicendis conſtabit.

ſtabit. Vbi ergo obligatio in pactis ceſſat, ceſſabit etiam in iuramentis. Illuſtre hic occurrit exemplum Gibeonitarum, dolo Ioſuae iuramentum elicientium, quod tamen hactenus ſeruandum eſſe cenſuit Ioſua, vt vita illis concederetur, ſeruitutis tamen impoſita conditione, *Ioſ.* IX, 21. *ſeqq.* Dolus enim, qui ſuberat, non eo tendebat, vt damnum darent Iſraelitis, ſed vt ſaluti ſuae conſulerent. Nec in ipſo pacto quidquam inerat, quod obſtabat, quo minus ſeruari poterat ac debebat. Legem enim diuinam de exſcindendis gentibus Cananaeis, *Deut.* VII, 2. *Exod.* XXIII, 32. 33. cum temperamento quodam, niſi ſe ſubmiſerint, legibusque Ebraeae gentis ſubiecerint, intelligendam eſſe, iampridem viri docti monuerunt, conf. *Deut.* XX, 10. add. HVGO GROTIVS, de *iur. bell. & pacis lib.* 2. *c.* 13. §. 4. IO. CLERICVS, *ad Ioſ.* IX, 18. & HOCHSTETTERVS, in *colleg. Puſendorf. exercit.* 7. § 28. Nec obſtant dubia, quae huic ſententiae opponi ſolent, quae legi poſſunt apud IO. BARBEYRACIVM, qui longe aliter hac de re ſentit, *ad Puſendorf. de iur. nat. & gent. lib.* 4. *cap.* 2. §. 7. *p.* 420. Non enim deſunt, quae ad ea regeri poſſunt. De iuramento per vim extorto, ſtatuendum itidem ex iis, quae de pactis metu initis, ſupra diximus. Nec aliter de iuramentis circa rem illicitam conceptis, ſentiendum. Non magis ea ſeruanda, qua pacta circa illicita inita, etſi grauiſſimo peccato ſe obſtringat, qui vel praecipitantia, vel alio animi vitio adductus, eiusmodi iuramento ſe obſtringit. Diſputari hic ſolet de iuramento Dauidis, 1 *Sam.* XXV, 22. & maledictione a Saule pronunciata, 1 *Sam.* XIV, 24. de quibus quid ſentiendum, itidem ex dictis liquet. Pertinet huc etiam omnino exemplum Iſraelitarum, qui iurarunt, ſeſe Beniaminitis filias ſuas non daturos in matrimonium, quod deinceps ipſi ita interpretati ſunt, ſe filias ſuas ipſis equidem non daturos in matrimonium, nec tamen impedituros, ſi Iſraelitae eas raperent, *Iudic.* XXI, 5. *ſqq.* Vnde nonnulli collegerunt, & regulam velut quandam conſtituerunt, iuramenta ſtricte quandoque interpretari, fas eſſe. vid. HVGO GROTIVS, *lib.* 2. *de iur. bell. & pac. cap.* 13. §. 5. Sed ſi dicendum, quod res eſt, cauillatoria haec & inepta erat interpretatio. Poterat Beniaminitis matrimoniorum libertas concedi, quia iuramentum, vtpote ſuper re illicita conceptum, nullum erat, & irritum. add. CHRISTIANVS THOMASIVS, *iuriſprudent. diu. lib.* 2. *cap.* 9. §. 51. *ſeqq.*

** HVGO GROTIVS, per iuramentum omnino nouam obligationem produci, autumat, ſemper quidem aduerſus Deum, aliquando etiam aduerſus alios homines, *lib.* 2. *de iure belli & pac. cap.* 13. §. 14. Sed merito ab eo diſſentiunt SAM. PVFENDORFIVS, & PHIL. REINHARDVS VITRIARIVS, ille quidem *lib.* 4. *de iur. nat. & gent. cap.* 2. §. 6. hic autem *inſtitut. iur. nat. & gent. lib.* 2. *cap.* 13. *quaeſt.* 12. Cum enim in iureiurando Deo nihil promittatur, non poteſt intelligi, quo pacto noua inde erga Deum oriatur obligatio. Interim vi imperii, quod Deo in omnes homines competit, non tantum vt legibus ſuis obtemperent, ſed & ne quisquam aliquid, quo omniſcientia aut omnipotentia eius laedatur, admittat, merito ab omnibus poſtulat, & ſecus ſe gerentes grauiſſime puniendi cauſam habet iuſtiſſimam. Sed nec erga alios homines iusiurandum nouam producit obligationem: cum nec illis noui quid promittat iurans, ſed, quae promiſit, ſancte ſe ſeruaturum, aſſeueret. Relinquitur ergo, quod iusiurandum obligationem ſaltem, antea iam exiſtentem, confirmet.

§. XIII.

Finis iuramentorum varius eſt. Praecipuus eſt, praecidere controuerſias, litibusque imponere finem, *Ebr.* VI, 16. Accedit, pactorum & promiſſorum confirmatio. Hinc alia iuramenta ſunt *promiſſoria*, alia *aſſertoria*, & ſic porro; qua de re alibi ex inſtituto; * vt & de *remiſſione iuramentorum*, quae interdum fit a ſummis imperantibus, **

* in *elem. philoſ. pract. part.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 6. §. 12. & prolixius PVFENDORFIVS, de *iur. nat & gent. lib.* 4. *cap.* 2. §. 20. *ſeqq.* add. & IO. CONRADVS DVRRIVS, in *compend. theol. moral. part.* 3. *ſect.* 4. *cap.* 2. §. 35. *p.* 102.

** Summi

** Summi imperantes iureiuranda per ſe valida irrita reddere nequeunt: in iis tamen actibus, qui ipſorum directioni ſubiacent, conſenſus illorum, ſi accedat, efficere poteſt, vt iuramentum ſit validum, irritum contra, ſi denegetur. Res enim eodem modo ſe habet, vt in votis, quae ſine ſuperiorum e. g. parentum, mariti, conſenſu, ab illis, qui ſub eorum poteſtate conſtituti erant, concepta, irrita erant, niſi conſenſus iſte acceſſiſſet. *Num.* XXX, 6. *ſeqq.* Nihil aliud ergo & princeps ſeu ſummus imperans hic agere poteſt, quam vt conſenſum ſuum declarando, vel denegando, vel effectum iuramenti alia ratione promouendo aut impediendo, in quantum hoc ab eius poteſtate dependet, efficiat, vt iuramentum aliquod aut validum ſit, aut inualidum atque irritum. Diſtinctius hoc explicat HVGO GROTIVS, dum duplicem ſuperiorum actum, circa id, quod iuratur, eſſe dicit, alterum directum in perſonam iurantis, alterum in perſonam, cui iuratur. In perſonam iurantis, irritum reddendo iuramentum, antequam iuretur, aut impediendo, ne impleatur poſtquam iuratum eſt, aut efficiendo vt non valeat, niſi certo reſpectu: in perſonam, cui iuratur, tollendo, ab ea ius ex iurata promiſſione partum, aut vetando, ne quid ex tali iuramento accipiat: *lib. 2. de iure belli & pacis cap.* 13. §. 20.

§. XIV.

Alterum inſtitutum vniuerſale eſt *dominium rerum*, de cuius origine, iuxta ſcripturae ſacrae ductum, rectiſſime ita ſtatuitur. Cum Deus primos humani generis parentes condidiſſet, facultatem quoque, rebus creatis ad ſui conſeruationem vtendi, * illis conceſſit. *Gen. I, 28. 29.* Quae conceſſio, in humani generis poſt diluuium reſtauratione, repetita fuit Noacho, eiusque poſteris. *Gen. IX, 2.* Et haec ipſa facultas, vtendi rebus creatis ad ſui conſeruationem, poteſt *dominium*, ſi vox ea in latiori ſignificatione accipiatur, vocari. ** Quod ſi vero quis vocem illam ſtrictius accipiat, prout denotat poſſeſſionem rerum cum excluſione aliorum, coniunctam, minus recte ita dicetur. Interim origo omnis dominii ex iſta conceſſione diuina repetenda.

* Num ad carnium eſum haec conceſſio extendenda ſit? nonnulli dubitant. Videtur enim hic Noacho demum permiſſus, *Gen.* IX, 3. IO. SELDENVS de *iur. nat. & gent. iuxta diſciplinam Ebraeor. lib. 7. cap. 1. p.* 829. & alibi, & SAM. PVFENDORFIVS de *iur. nat. & gent. lib. 4. cap.* 3. §. 4.

** Negauit SAM. PVFENDORFIVS, eam facultatem, quam Deus Adamo conceſſit, rebus creatis ad ſui conſeruationem vtendi, poſſe *dominium*, hoc eſt, poſſeſſionem cum aliorum excluſione coniunctam, dici: adeoque in rebus nec *proprietatem*, nec *communionem poſitiuam* fuiſſe, cum vtraque dominium ſupponat, ſed *communionem priuatiuam*, per quam omnibus, ſi plures adſint, liceat rebus quibuslibet pro lubitu ad ſui conſeruationem vti; de *iur. nat. & gent. lib.* 4. *cap.* 4. §. 3. & alibi. Diſplicuit autem haec ſententia pluribus, ſpeciatim & IO. GEORG. KVLPISIO, qui communionem eiusmodi a gentilibus effictam, a ſcholaſticis ſecurius receptam, ſeu negatiue, ſeu poſitiue, accipiatur, figmentum eſſe, nec fuiſſe vnquam, nec eſſe vllibi, nec poſſibilem fuiſſe, non ſolum poſtquam homo lapſus eſt, ſed & ſi in ſtatu integritatis perſtitiſſet, pronuntiat, in *colleg. Grot. ad l. 2. c. 2.* Quae an ita ſimpliciter pronuntiata, vbique recte ſe habeant, nunc non inquiram. Quidquid huius ſit, mihi omnis tandem in meram λογομαχίαν abire videtur quaeſtio. Certum hoc & exploratum, apud omnes etiam in confeſſio, Deum primis parentibus facultatem, rebus creatis ad ſui conſeruationem vtendi, dediſſe. Hoc ſaltem quaeritur, an haec facultas dici debeat dominium? Quod qui affirmant, aliter

hanc vocem accipiunt, quam qui negant. Illi, dominii eſſentiam in plena rei alicuius ad aliquem pertinentia, non vero in excluſione aliorum, quae ſaltem dominium ſequatur, collocant, hi vero in aliorum excluſione, formalem velut rationem dominii conſtituunt. Idem de voce *communionis & proprietatis*, cenſendum. Non male dixeris, facultati huic, rebus creatis vtendi, in rebus reſpondiſſe proprietatem generalem & vniuerſalem, quae fuerit fundamentum omnis proprietatis particularis. Ita IO. BARBEYRACIVS. ad *Puſendorf. lib. 4. cap. 4. §. 1. p. 444.* GOTTLIEB GERHARD TITIVS, Lipſienſium iureconſultus clariſſimus, rem omnem ita explicat, vt dicat, *ab initio res omnes fuiſſe nullius, id eſt, earum dominium hominibus a Deo quidem donatum, ſed ab his nondum acceptatum fuiſſe*, in *obſeruation. ad Puſend. de offic. hom. & ciuis, ad lib. 1. cap. 8. obſeruat.* 277. Quod haud dubie de dominio particulari intelligit. Et ita res bene ſe habet.

§. XV.

Poſita iſta facultate rebus creatis ad ſui conſeruationem vtendi, ſeu dominio, vt alii vocant, communi, & vniuerſali, cum genus humanum multiplicaretur, neceſſe erat, vt dominia particularia introducerentur. Quod quidem per diuiſionem & pacta, factum fuiſſe, nonnulli exiſtimant; aliis ſimplicius & indoli humani generis, prout tum eius ſtatus fuit, conuenientius eſſe putant, ſi per occupationem hoc factum fuiſſe dicamus. * Vtrobique autem vt conceſſio Numinis ſupponitur, ita particularia dominia ab eo adprobata, non eſt quod dubitemus.

* De particularium dominiorum introductione ita philoſophatur SAM. PVFENDORFIVS, vt per diuiſionem & pacta eam factam contendat, de *iur. nat. & gent. lib. 5. cap. 4. § 4.* Per humani enim ingenii prauitatem, in primaeua, quam ſupponit, communione, diu admodum ſubſiſtere homines non potuiſſe, aliis per auaritiam & voluptatis cupiditatem plura, quam quibus indigerent, ad ſe rapientibus, aegre id ferentibus, & contra nitentibus aliis, vnde contentionum ac litium nec modus, nec finis futura fuiſſet. Hisce ergo aliisque incommodis vt obuiam iretur, neceſſe fuiſſe, vt ſublata primaeua communione, factaue rerum diuiſione, dominia introducerentur, idque eo etiam ordine factum, veroſimile videri, vt primo fructus, deinde rerum ſubſtantias, diuiſerint, addito pacto, vt, quae non diuiſa eſſent, cederent illi, qui primus ea ſibi aſſeruiſſet. Et huc quidem ſententia PVFENDORFII redit: quae magna probabilitatis ſe commendat ſpecie, praeſertim, ſi abſtrahendo ab hiſtoria, non tam quo pacto dominia rerum introducta ſint, quam qua ratione introduci potuerint, ac debuerint? quaeras. Indoli enim & naturae humani ingenii, quocum rerum communio haud bene conuenit, haec prorſus ſunt conſentanea. Alii tamen, hiſtoriae ſacrae preſſius inſiſtentes, paulo aliter hac de re philoſophantur, ſimpliciusque eſſe putant, per occupationem dominia (particularia) introducta fuiſſe. Luculenter hoc explicat, quem antea laudauimus, GOTTLIEB GERHARD TITIVS, in *obſeruat. in Puſendorf. de offic. hom. & ciu. lib. 1. cap. 12. obſ 278. Origo ergo*, inquit, *dominii ſingularis a facto hominum repetenda eſt, & hoc quidem non aliud fuit, quam occupatio: haec ſane pro primo & antiquiſſimo merito habetur. Nam quando vniuerſitati, quae non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſiue, exiſtit, nec res communiter habere poteſt aut ſolet, (qualem vniuerſitatem genus humanum repraeſentat) aliquid indefinite donatur, tum ex voluntate donantis, primi homines ea vtique praerogatiua gaudent, vt occupando dominium, contra alios valiturum, ſibi acquirere queant, immo in vniuerſum ea vis occupationi voluntate donantis tribuitur, vt quiuis per eam rem nullius ſibi comparare poſſit, modo plus iuſto ſibi non aſſerat, ſed intra leges ſocialitatis ſubſiſtat, nec opus eſt ceterorum, qui excluduntur, conſenſu, nam ex ordinatione donantis vim excludendi occupatio ſortitur*

ſortitur. Poſita itaque ea humani generis origine, quam ſcriptura ſacra deſcribit, probabile porro putat, *primos homines ſtatim occupando ſibi aliquas res aſſeruiſſe: hinc*, inquit, *Adamo, Euae, eorumque liberis, ſub imperio paterno licet adhuc exiſtentibus, proprias res tribuere nihil vetat. vid. Gen.* IV. *Reliqua, quae primi homines non attigerunt, remanſere in ſtatu conceſſionis diuinae, ſeu res nullius, donec multiplicatis hominibus, ſucceſſiue occupata, dominium vel communionem ſingularem ſubirent.* Conueniunt, quae idem *obſeru.* 279. habet, item 280. vbi, inter alia, *nimis*, inquit, *ſcholaſticum videtur, rudioribus hominibus (quales poſt lapſum primos mortales fuiſſe, probabile eſt) tam profundam curam tribuere, vt aeterno pacto poſteritati poſt multa ſecula venturae quoad acquirenda rerum dominia, proſpexerint.* Eandem de origine dominii particularis per occupationem, ſententiam, etiam habuit IO. LOCKIVS, in tractatu de *regimine ciuili (du gouuernement ciuil)* quam prolixe refert, qui & eidem adſtipulatur, IO. BARBEYRACIVS, *ad Puſendorf. lib.* 4. *cap.* 4. §. 4. *p.* 449. quae & mihi, cum hiſtoriae ſacrae conformis ſit, non diſplicet, etſi ceteroquin PVFENDORFII opinio mihi olim ſe adprobauerit. Illorum autem ſententiam, qui particularis quoque dominii originem immediate a Deo deriuant, (de qua vid. VALENTINVS ALBERTI, *compend. iur. nat. &c. part.* 2. *cap.* 7. §. 14. *&* 29. & IO. HENRICVS BOECLERVS, ad *Hug. Grot. lib.* 2. *cap.* 2. *p.* 38.) haud immerito reiicit TITIVS *l. c. obſeruat.* 281. Nos addimus, incerta quoque eſſe, quae nonnulli hac occaſione de diviſione, per Adamum & Noachum inter filios facta, aſſerunt. Etſi enim Cainus fuerit agricola, & Abel paſtor ouium, *Gen.* IV, 2. inde tamen non ſequitur, Adamum bona ſua ita inter eos diſtribuiſſe, vt immobilia, ſcilicet agri, cederent Caino, mobilia autem Abeli. Nec certiora ſunt, quae de diuiſione orbis a Noacho inter filios facta, afferuntur. Etſi enim EPIPHANIVS, *haereſ.* 64. alibique, EVSEBIVS, in *chron. lib.* 1. eam memorent, etſi etiam PHILASTRIVS, *haereſ.* 7. eam adeo certam putet, vt in haereticorum numerum referat, qui eam negare auſint: haecce tamen omnia rem neutiquam extra omnem dubitationem ponunt. Vtcunque demum haecce ſe habeant, ſumma illorum, quae ceu certa & immota iuris diuini in hocce capite tenenda ſunt, huc redit, dominii rerum originem ab ipſo Deo eſſe repetendam, qui dominium generale, ſeu facultatem rebus creatis ad ſui conſeruationem vtendi, immediate hominibus conceſſit: particularia autem dominia, ſiue per diuiſionem, ſiue per occupationem introducta, comprobauit, quippe quae ex dominio vniuerſali & communi per neceſſariam velut conſequentiam fluxerunt. Vnde ſequitur, cum dominia rerum inter inſtituta humana, ſed a Deo confirmata & adprobata, refero, de particularibus dominiis hoc eſſe intelligendum. Dominium enim generale, ſeu facultas rebus creatis ad ſui conſeruationem vtendi, immediate a Deo hominibus conceſſa eſt.

§. XVI.

Hoc ſi recte expendamus, falli eos magnopere deprehendemus, qui chriſtianis, rerum dominia poſſidere, fas non eſſe, ſibi aliisque perſuadere conati ſunt. Conſtat namque ex dictis: quod ex conceſſione ſeu donatione diuina, dominia rerum originem habeant, & licet deinde aut diuiſio, aut occupatio acceſſerit, hoc tamen itidem volente & adprobante Numine factum, idque eo magis, quod ſumma neceſſitas, & humani generis felicitas, tranquillitasque, hoc poſtularet.

§. XVII.

Idem quoque ſcriptura ſacra teſtatur, quae paſſim dominia rerum adprobat, dum prohibet furta *Exod. XX, 15.* ſancit contractus,

 Prouerb.

Prouerb. X,15.16. 22. praecipit beneficentiam, *Eſ. LVIII.* 7. eleemoſynas, *1 Cor. XVI,* 2. vult nos edere ἴδιον ἄρτον. *2 Theſſal. III,* 12. Accedit, quod Deus ipſe terram ſanctam ſorte diuidi iuſſerit, legemque tulerit, de haereditatibus non transferendis, *Ioſ. XIII,* 7. it. *XIV. & ſeqq.* Ne quid nunc de viris ſanctitate vitae & integritate eminentibus, in veteri pariter ac nouo teſtamento, dicam, * qui licet magnas poſſiderent opes, Deo tamen grati eſſe, non deſierunt.

* Anabaptiſtarum olim haec ſententia fuit, dominium & proprietatem rerum inter chriſtianos locum habere non poſſe, omnia contra debere eſſe communia. Quem illorum errorem paſſim confutant theologi; conf. LVCAS OSIANDER in *enchirid. controuerſ. quas Aug. confeſſ theologis cum Anabaptiſtis intercedunt, cap. 7. pag. 137. ſeqq.* & EHREGOTT DANIEL COLBERGIVS, in *chriſtianiſmo Hermetico-Platonico, part. 2. cap. 17. p. 76.* Prouocare autem cumprimis ſolent ad exemplum eccleſiae primitiuae Hieroſolymitanae, in qua bonorum communionem viguiſſe, conſtat ex *Actor.* II, 44. 45. Apud Eſſenos eandem itidem fuiſſe receptam, conſtat ex PHILONE, in *lib. quod omnis probus liber, fol. 866. it. 876. 877.* Sed ex gentilibus quoque fuerunt, qui bona omnia communia eſſe voluerunt. quod optimae etiam, quam animo ſibi finxit, conuenire reipublicae, ſtatuit PLATO. Plura hac de re dabit LVCAS HOLSTENIVS, ad *vitam Pythagorae, p.* 82. add. IO. CLERICVS, ad *Hammondum, Actor.* IV, 35. & PHILIPPVS IACOBVS HARTMANNVS, de *geſtis chriſtianorum ſub apoſtolis, cap.* 11. *p.* 287. Verum ad philoſophos quod attinet, viderunt illi quidem, proprietatem & dominia rerum vitiis quibusdam hominum occaſionem & velut alimentum praebere, aliaque incommoda ſecum vehere: non tamen cogitarunt, longe maioribus incommodis obnoxiam eſſe communionem bonorum, immo in tanta hominum prauitate, durare diu non poſſe. Et ſi forte inter paucos quosdam, idem vitae genus ſectantes, quales Eſſeni & Pythagoraei fuerunt, ad tempus communio quaedam locum inuenerit, inde tamen non ſequitur, generatim omnes homines ad eam aptos eſſe. De Chriſtiania autem primitiuae & apoſtolicae eccleſiae obſeruandum, non vbique, ſed tantum in eccleſia Hieroſolymitana, communionem quandam obtinuiſſe. LVCIANVS equidem videtur innuere, ac ſi apud omnes chriſtianos bonorum communio in vſu fuerit, de *morte Peregrini, tom. 2. opp. p. m.* 567. *Deinde*, inquit, *primus quoque illorum legislator eorum perſuaſit animis, quemadmodum omnes inter ſe fratres eſſent. Proinde apud illos omnia ex aequo habentur contemptui, exiſtimanturque eſſe communia, quae citra fidem exacte exploratam, in communem vſum a quoquam deferente ſuſcipiunt.* At ſacris hic potius litteris, quam LVCIANO, adhibendam fidem, nemo dubitauerit. Ex illis vero conſtat, reliquas eccleſias ab apoſtolicis plantatas, Hieroſolymitanae exemplum non fuiſſe imitatas. Hinc Paulus Theſſalonicenſes adhortatur, vt quivis ſuis manibus ſibi ad victum neceſſaria paret, 1 *Theſſal.* IV, 11. 12. conf. & 2 *Theſſal.* III, 8. *ſeqq.* De eccleſia Antiochena idem conſtat ex *Actor.* XI, 29. 30. & de Corinthiaca ex 1 *Cor.* XI, 20 *ſeqq.* & 2 *Cor.* VIII, 12. 13. In Hieroſolymitana autem eccleſia ardentiſſimus primorum diſcipulorum amor hancce communionem ſuadebat, etſi non ſatis conſiderarent, eam ob vitia hominum, quibus nunquam ſatis renuntiant, & hypocritarum ad fideles acceſſionem, locum habere non poſſe. Apoſtolorum autem auctoritate communionem illam in eccleſia Hieroſolymitana introductam, non legitur, quos eam ſaltem non neceſſariam duxiſſe, vel inde conſtat, quod aliis eccleſiis eam non commendauerint. Nec contemnenda illorum coniectura, qui, praeter alias cauſſas, & hanc ipſam bonorum communionem, ad paupertatem chriſtianorum Hieroſolymitanorum plurimum contuliſſe, putant, quae tanta fuit, vt ad eam quadantenus ſubleuandam, ipſe Paulus apoſtolus ab aliis eccleſiis eleemoſynas collegerit. Non defuiſſe quoque in veteri eccleſia hypocritas & impoſtores, qui ſimplicitate aliorum, bona ſua conferentium, facile abvti potuerint, colligi poſſe videtur ex 2 *Theſſal.* III, 8. & *epiſt. Iudae verſ.* 12. Quod

LVCIA-

LVCIANVS innuit, cum *l. c.* addit: *Si igitur aliquis ad ipſos veniat praeſtigiator & verſutus homo, rerumque gerendis appoſitus, breui admodum diteſcit.* Grauiſſimas itaque cauſſas habebant eccleſiae reliquae, cur Hieroſolymitanae exemplum non imitarentur.

§. XVIII.

Modos acquirendi * vel ***originarios***, vel ***deriuatiuos*** eſſe; originarie vel *res ipſas*, vel *rerum acceſſiones*, & res quidem ipſas per *occupationem* acquiri, conſtat. ** Nec ſcripturae ſacrae repugnant, quae de hiſce acquirendi modis dicuntur. Exemplum occupationis praebet populus Iſraeliticus, iuſſu diuino occupans terram Canaan. *** Pertinet autem ad occupationem *inuentio*, * de qua extant leges diuinae, *Exod. XXIII, 4. 5. Deut. XXII, 1. 2. 3. 4.* De acquiſitionibus acceſſionum, ** tradi ſolet haecce regula: ***qui dominus eſt ſubſtantiae, ad eum etiam pertinent acceſſiones.***

* Quae de dominii diuerſitate, item de perſonis ad dominium rerum acquirendum aptis, itemque de iis, quae requiruntur, vt res propria fieri queat, dici poſſent, hic praetermittimus, aut ſupponimus, cum, qui ius naturae iuxta principia rationis tradunt, de his ex inſtituto agant. conf. quae in compeodio dixi in *elem. philoſ. pract. part. 2. cap. 4. §. 14. & 17.* add. HVGO GROTIVS de *iur. bell. & pac. lib. 2. cap. 2.* & commentatores ad *h. l.* SAM. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib. 4. cap. 4. §. 15. & cap. 5. per integr.* aliique. Huc pertinet celebris controuerſia de dominio maris, de cuius ſcriptoribus vid. praeter IO. HENRICVM BOECLERVM ad *Grot. lib. 2. cap. 2. §. 3.* IO. ANDREAS BOSIVS, de *comp. prud. ciu. §. 121.*

** Alii dicunt, res olim acquiſitas per diuiſionem, hodie acquiri per occupationem. Sed nituntur hypotheſi illa, de qua ad §. 16. dictum. Ceterum ad occupationem quod attinet, duo de ea obſeruari ſolent: primo, quaenam per eam acquirantur, deinde, quomodo acquirantur. Ad prius quod attinet, acquiri per occupationem poſſunt, res, quae nullius ſunt, ſiue nunquam vllius fuerint, ſiue ab aliis derelictae, quod tamen certo conſtare debet. HVGO GROTIVS, *duo eſſe occupabilia*, dicit *imperium, & dominium, quatenus ab imperio diſtinguitur: lib. 2. de iur. bell. & pac. cap. 2. §. 4.* Sed fallitur maximopere. Imperium enim in perſonas, occupatione non acquiritur, ſed conſenſu, excepto paterno, quod aequitate naturali nititur. Haud leuis eſt iſte GROTII error, quod ſubinde imperium & dominium confundat. De dominio etiam dici non poteſt, quod occupetur, ſed res occupantur, ex qua occupatione producitur domioium. Quod autem ad modum attinet, per actum aliquem externum, e. g. apprehenſionem corporalem, &c. occupationem fieri debere, manifeſtum eſt, vt alii intelligant, nos rem hancce nobis tribuiſſe. Reliqua vid. apud PVFENDORFIVM, *de iur. nat. & gent. lib. 4. cap. 6.* vbi ex inſtituto de occupatione egit. Quid de modis acquirendi originariis, qui vulgo iuris gentium dicuntur, cenſendum ſit, paucis expoſui, in *element. philoſ. pract. part. 2. cap. 4. ſect. 7. §. 3.*

*** Cananaei enim iure ſuo in terram Canaan per Numinis decretum exciderant, ob ſcelera ſua atque delicta grauiſſima inde eiiciendi. Terra itaque, quae reuera nullius erat, recte occupabatur ab Iſraelitis. Et in omni occupatione bellica ita ſe res habere debet, ſiquidem legitima cenſenda ſit, vt iure ſuo priſtini poſſeſſores prorſus exciderint. Ceterum paulo aliter doctores Ebraeorum poſſeſſionem terrae Canaan contra Canaitas defendunt, in *Gemara Babylonica* ad *tit. Sanhedrin. cap. 11.* & in *Breſchit Rabba, paraſch. 61. fol. 68.* apud IO. SELDENVM, *de iur. nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeor. lib. 7. cap. 8. p. 865.* quae legi merentur. Occupatio illa terrae Canaan fuit occupatio per vniuerſitatem, a qua occu-

pationem per fundos, nonnulli diſtinguere ſolent: qua de re vid. HVGO GROTIVS, *de iur. bell. & pac. cap.* 2. §. 4. & commentatores ad *h. l.*

* Solent enim occupationis tres ſpecies conſtitui; *venatio*, *inuentio*, & *acquiſitio bellica*. conf. quae dixi in *elem. philoſ. pract. part.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 7. §. 3. 5. Huc celebris pertinet quaeſtio de inuentione theſauri, de qua prae reliquis legendus B. CASPAR ZIEGLERVS, *de iurib. maieſtat. lib.* 2. *cap.* 20.

** Multa hic equidem obſeruanda venirent, ſed cuncta exhauſta ab iis ſunt. qui ius naturae ſecundum principia rationis tractant. conf. HVGO GROTIVS, *de iur. bell. & pac. lib* 2. *cap.* 8. §. 8. *ſeqq.* & commentatores ad *h. l.* & SAM. PVFENDORFIVS, *de iur. nat. & gent. lib.* 4. *cap.* 7. & IO. BARBEYRACIVS, ad *h. l.* add. quae in compendio dixi in *elem. pract. part.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 6. §. 22. *ſeqq.*

§. XIX.

Deriuatiue dominium transfertur, vel ex diſpoſitione legis,* vel facto domini prioris. ** Prius ſi fiat, oriuntur inde *ſucceſſiones ab inteſtato*. Poſterius, & quidem ſi translatio fiat in euentum mortis, oriuntur inde *teſtamenta*.

* Tum *ciuilis*, tum *naturalis*, ſeu *diuinae*: ſed hic de diuina, non de ciuili agitur.

** Eiusque conſenſu expreſſo: idque iterum aut inter viuos, aut in euentum mortis. Prius rurſus vel gratis fit, vnde *donationes*, vel interpoſita conuentione, vnde *contractus*, de quibus deinceps. Poſterius ſi fiat, *teſtamenta*, vt dixi, inde originem habent.

§. XX.

Succeſſiones ab inteſtato, vt euidenter aequitate naturali nituntur,* ita & chriſtianae religioni neutiquam repugnant. Hinc & apoſtolus ceu principium omnibus notum, ponit, quod liberi ſint haeredes, adplicatione tamen ad ſpiritualia facta, *Rom. VIII*, 17. Et in gente Ebraea, ſucceſſio ab inteſtato, lege etiam poſitiua confirmatur, *Num. XXVII.* 8. 9. *ſeqq.* ** vbi & idem ordo ſuccedendi *** inuenitur, quem & ratio alias commendat, niſi quod filii praeferantur filiabus; id enim legis mere poſitiuae eſt.*

* Conf. *elem. phil. pract. cap.* 4. *ſect.* 6. §. 25. add. SAM. PVFENDORFIVS, *de iur. nat. & gent. lib.* 4 *cap.* 9. §. 1. 2. Succeſſionis itaque ab inteſtato, in ipſa naturali aequitate fundatae, ea vis eſt, vt, ſi quis iniquo condito teſtamento liberos ſine iuſta cauſſa exhaeredet, nihilo ſecius ſucceſſio ab inteſtato valeat, praeferaturque teſtamento. add. PHIL. REINH. VITRIARIVS, *inſtit. iur. nat. & gent. lib.* 2. *cap.* 7. *quaeſt.* 7.

** Quam ex Ebraeorum commentariis erudite illuſtrat IO. SELDENVS, *de ſucceſſionibus in bona defuncti ad leges Ebraeorum.*

*** Scilicet, vt primum locum teneant *deſcendentes*, primi & vlterioris gradus, quia his debentur alimenta; ſecundum *aſcendentes* occupent, ob legem gratitudinis; tertium denique *collaterales*, ob ortus communionem & proximitatem ſanguinis. Licet autem aequitati naturali, in ordine amoris fundatae, haec ſuccedendi ratio prorſus conueniens, non tamen ſemper tam ſtricte obſeruanda eſt, vt non ab ea quandoque ex cauſſis grauiſſimis diſcedere liceat. Non ergo repudianda, aut pro iniquis ſtatim habenda teſtamenta, quae ob rationes praegnantiſſimas ab hocce ordine diſcedunt. Sic, ſi parentes plura bona habeant, quam ad alendos & ſuſtentandos liberos requiruntur, poſſunt quidem vni plus,

quam

Digitized by Google

quam alteri, ob cauſſas certas conferre, vt in matrimoniis ad morganaticam fieri ſolet. Quin & ſi ipſi parentes voluntatem ſuam ſuper ſucceſſione liberorum non declarauerint, poſſunt interdum graues cauſſae eſſe, quae inaequalem potius, quam aequalem, ſuccedendi rationem ſuadeant, vt in ſucceſſione primogenitorum, de qua deinceps. Interim, quantum ad neceſſariam liberorum ſuſtentationem pertinet, illis denegari nulla ratione poteſt; niſi enormi quodam crimine indignos ſe prorſus reddiderint, vt vllum in eos conferatur beneficium. Et tum quidem exhaeredatio locum habebit. Ceterum, quae de liberis diximus, de reliquis etiam cognatis pari ratione intelligenda, naturalem equidem aequitatem poſtulare; vt ſuo quiaque ſuccedat ordine, nec tamen iis fieri iniuriam, ſi quis indigentiae, aut aliarum cauſſarum habita ratione, condito teſtamento, alios eodem loco habeat, aut praeferat, aut omnino illos praetereat, ſi indigni prorſus fuerint, qui in bonorum, quae quis reliquit, participationem veniant. Sed de reliquis, quae de ſucceſſionibus ab inteſtato ſecundum principia iuris vniuerſalis diſputari ſolent, vid. HVGO GROTIVS, *lib. 2. de iur. bell. & pac. cap. 7.* & SAM. PVFENDORFIVS, *de iur. nat. & gent. lib. 4. cap. 11.*

* conf. IO. SELDENVS, *de ſucceſſionibus in bona defuncti &c. cap. 1.*

§. XXI.

Sic & *teſtamenta*, cum nihil habeant, quod aequitati naturali repugnet, * ſi rite inſtituantur, in ſcriptura quoque ſacra adprobantur. Docet hoc teſtamentum Abrahami, quo Iſaacum, haeredem bonorum ex aſſe inſtituit, filiis autem ex Kethura certa dona dedit, *Gen. XXV, 5. 6.* itemque Iacobi, *Gen. XLVIII, 5. 6.* Referas huc quodammodo, quod primogeniti duplicem portionem haereditatis acceperint, ** quod poſtea lege diuina ſancitum fuit. *Deuter. XXI, 17.*

* Non tantum itaque licet condere teſtamenta, ſed naturaliter quoque vim habent & efficaciam rerum dominium ad eos, qui in illis haeredes ſcripti ſunt, transferendi. Nulla enim profecto vis eſſet dominii, niſi domino liceret eiusmodi quid ſancire, quod etiam poſt mortem eius valeret. Et hoc ſenſu teſtamenta iuris ſunt naturalis, etſi a iure ciuili certi ritus ac ceremoniae, quibus obſeruatis, valorem demum ſuum conſequantur, addi poſſint, immo hoc, vt variis hominum improborum molitionibus obuiam eatur, conſultum ſit. Pluribus, &, ni fallor, luculenter, hoc a me demonſtratum eſt, in *differtat.* de *teſtamentis ſummorum imperantium, ſpeciatim Caroli II. Hiſpaniae regis*, quae extat in *ſelectis iuris nat. & gent. cap. 1. §. 3. ſeqq.* Valdeque mihi gratulor, quae ibi hac de re dixi, non diſplicuiſſe eruditiſſimo BARBEYRACIO, qui eandem ſententiam (quod teſtamenta ſint iuris naturalis) ſolide comprobat, ad *Puſendorf. lib. 4. cap. 10. §. 4. p. 512. ſeqq.* Sequitur vero ex dictis, teſtamenta etiam minus ſolennia obligare in conſcientia, adeo, vt ſalua quis conſcientia haereditatem, quae per teſtamentum minus ſolenne ſibi contigit, adire queat: quemadmodum contra haeres ab inteſtato grauiſſime peccat, ſi ab haereditate excludat eum, quem nouit teſtatorem ſibi ſuccedere voluiſſe, hac ſaltem προφάσει, quod ſolennitates in teſtamento non fuerint adhibitae. Teſtamentum enim omnem valorem & efficaciam accipit a conſenſu teſtatoris: ceremoniae & ſolennitates ciuiles eo ſaltem pertinent, ne fraus & impoſtura accedat. Hinc ſi de conſenſu conſtet, in foro conſcientiae rituum & ceremoniarum non amplius habenda ratio. Sed haec ſimiliaque pluribus ediſſerui, in *differtat. cit. §. 7. ſeqq.* Monenda interim talia ſunt, cum ea & ad theologos, in quantum conſcientiae habenda ratio, ſpectent.

** Naturaliter enim quoad ſucceſſionem ab inteſtato, omnes liberi eiusdem ſunt conditionis, eodemque haberi debebant loco. Eodem itaque iure, quo per teſtamenta inaequalitas

quaedam

Digitized by Google

quaedam introduci poteſt, nititur etiam praerogatiua, qua prae reliquis gaudent primogeniti. De origine autem & fundamento huius iuris pluribus & ex inſtituto a me dictum, in *diſſert. de ſucceſſionibus primogenitorum*, quae extat in *ſelectis iuris nat. & gent.* §. 7. *ſeqq.*

§. XXII.

Quod ſi ergo teſtamentum condatur, amoris vtique ratio poſtulat, * vt tum ille, qui teſtamentum condit, tum in quorum gratiam conditur, tum reliqui, qui in eo forte praeteriti ſunt, ſepoſitis omnibus prauis adfectibus, integre, ſancte, & iuſte, vbique ſe gerant, & ab omni fraudulentia, ac iniquitate ſibi caueant.

* Regulae huic generali ſi locus relinqueretur, controuerſiae omnes de teſtamentis mox ceſſaturae eſſent. Ad ſpecialia deſcendere, noſtri non fert inſtituti ratio.

§. XXIII.

Summa officiorum circa rerum dominium huc redit, ne alios rerum ſuarum dominio, * directe aut indirecte priuemus; adeoque, nec illicitis acquirendi modis vtendum, nec per vim aut fraudem, quae aliorum ſunt, illis aufferenda, *Exod. XX, 15. Epheſ. IV, 28.* Si res aliorum, bona fide ** ad nos peruenerint, eaeque adhuc in noſtra ſint poteſtate, quantum in nobis eſt efficiamus, vt ad dominum legitimum redeant. *** Quod ſi autem conſumptae ſint, vt tantum reddamus, par eſt, quantum facti ſumus locupletiores. * Quod non minus de *fructibus* ** quam de *rebus*, eſt intelligendum.

* Fruſtra enim ceteroquin introducta eſſent rerum dominia.

** Malae enim fidei poſſeſſor non tantum ad reſtitutionem, ſed & ad poenam tenetur.

*** Etiamſi dominus eam non repetat. De quaeſtione autem, ſi alius apud me rem alienam deponat, & verus dominus ſuperueniat, eamque repetat, cui res ſit reſtituenda, domino an deponenti? vid. HVGO GROTIVS, *de iur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 10. §. 2. *n.* 4. add. PHIL. REINH. VITRIARIVS, *inſtitut. iur. nat. & gent. lib.* 2. *cap.* 10. *qu.* 6.

* Hoc ipſa ratio dictitat. *Contra naturam* eſſe, ait CICERO, *lib.* 3. *de offic. cap.* 5. *ex hominis incommodo ſuum augere commodum.* Addendum tamen, modo res aliunde non ſit penſata. Si quis enim a fure rei ſibi ablatae aeſtimationem conſecutus eſt, ab eo, qui rem bona fide acquiſiuit, nihil amplius petere poteſt: vid. VITRIARIVS, *l. c. quaeſt.* 9.

** Si fructus adhuc extent, omnes, tum naturales, tum induſtriales, ſunt reddendi. Quidquid enim ex re mea eſt, meum eſt. Si conſumti fuerint fructus, tenetur itidem ad reſtitutionem, ſi modo alias quoque tantum conſumpturus fuiſſet. Nam in hoc locupletior cenſetur. De percipiendis non tenetur, quia nec rem habet, nec quidquam, quod rei loco ſuccedit. Sed de his omnibus, vt & quaeſtionibus ſpecialibus, quae hic moueri ſolent, vid. HVGO GROTIVS, *lib.* 2. *de iur. bell. & pac. cap.* 10. §. 2. *ſeqq.* add. PVFENDORFIVS, *de iur. nat. & gent. lib.* 4. *cap.* 13. *per integr.*

§. XXIV.

Tertium inſtitutum vniuerſale eſt *pretium rerum*, * quod introducen-

Digitized by Google

ducendum fuit, vt contractibus locus eſſet. Supponimus vero hic merito, quae de pretio, tum *communi*, ** tum *eminenti*, *** & vtriuſque origine, natura, ac indole, alibi dicta ſunt. Id ſaltem obſeruandum, etſi ab hominibus pretia rerum introducta ſint, non ſine Numinis adprobatione hoc factum, merito cenſeri. * Poſita enim dominiorum diſtinctione, neceſſario quoque admittendum eſt rerum pretium. Dominia autem a Deo adprobata eſſe, iam ſupra euictum eſt.

* Definiri ſolet pretium, quod ſit quantitas moralis rerum & actionum, quatenus aliquem vſum in vita communi habent, atque inuicem comparantur, quo in commercium venire aptae ſint; vid. *elem. philoſ. pract. part. 1. cap. 4. ſect. 4.* § 27.

** Commune ſeu vulgare pretium vocatur, quod rebus aut actionibus ipſis inhaeret. Fundamentum pretii vulgaris eſſe vtilitatem, quam res & actiones in vita hominum praebere poſſunt, PVFENDORFIVM ſecutus docui, *l. c.* §. 33. Sunt tamen, qui hoc non ſufficere contendunt, ſed, praeter vtilitatem, addendum putant, vt omnibus non ſufficiat, adeoque ſuo modo res rara ſit. Ita vir doctiſſimus GOTTLIEB GERHARD TITIVS, ad *Pufendorf. de offic. hom. & ciu. lib. 1. cap. 14. obſeru.* 331. *p.* 391. quem & ſequitur IO. BARBEYRACIVS, ad *Pufendorf. ad iur. nat. & gent. lib. 5. cap. 1.* §. 4. Si tamen de ſola aptitudine recipiendi pretium ſermo ſit, de qua PVFENDORFIVS loquitur, ſola vtilitas ſufficere videtur. Sed, vt pretium actu imponatur, accedere debet, vt non omnibus ſufficiat. Aqua ſi in tanta copia adſit, vt omnium vſibus ſufficiat, fundamentum pretii habet, vtilitatem. In eo aptitudo ad recipiendum pretium conſiſtit. Vt actu imponatur pretium, ob abundantiam neceſſe non eſt. Quod ſi vero rara fiat, pretium omnino actu imponitur. Ceterum, cum in vtilitate fundamentum pretii conſtituimus, hoc de vera non tantum, ſed & de apparente vtilitate eſt accipiendum. Immo plerumque rebus, apparentem vtilitatem habentibus, maius pretium mortales ſtatuunt, quam iis, quae veram vtilitatem habent. In latiſſima etiam vox *vtilitatis* accipitur ſignificatione, vt ea omnia, quae cupiditatibus mortalium grata ſunt, denotet, etiam ea, quae delectationem adferunt & iucunda ſunt, item, quae ad exiſtimationem facere videntur. Hisce enim omnibus pretium ſtatui, experientia docet. Intelligitur autem ex dictis, pretium omne reſpuere, primo quidem, res nullius vſus, ſeu quae nullam hominibus vtilitatem, ſiue reuera, ſiue ex illorum opinione adferunt; tum & quae dominium non admittunt, ſiue quod per ſe in commercium non veniant, ſiue quod omne pretium ſuperent. Ad priorem claſſem pertinent, e. g. omnes actiones, quae lege quadam diuina aut humana extra commercium poſitae ſunt, vt adeo pro mercede eas obire non liceat, vti ſunt rerum ſacrarum diſpenſatio & adminiſtratio iuſtitiae. Si quis ergo ſacrarum rerum diſpenſationem pro mercede ſuſcipere vellet, magno ſe obſtringeret crimine, quod *Simoniam* vocare ſolent, de quo deinceps. Ad poſteriorem claſſem actiones pertinent, quae nobiliores ſunt, quam vt aeſtimari queant, aut quibus ea praeſtantur, quae omne pretium ſuperant. Quod ſi vero his, qui talia nobis praeſtiterunt, iterum aliquid tribuatur, non rei pretium, ſed operae ſoluitur, & honorarium non meriti, ſed occupationis, ferunt. Pertinent huc labores praeceptorum & operae medicorum. vid. SENECA, de *beneſic. lib. 6. cap.* 15. De cauſſis, cur pretium vulgare intendatur, quas inter ſtultitia vanitasque hominum haud vltimum locum tenet, item quo pacto pretia rerum, tum in ſtatu naturali, tum in ſtatu ciuili definiantur, vid. SAM. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib. 5. cap. 1.* §. 6. & quae in compendio dixi, in *element. philoſ. pract. part. 2. cap. 4. ſect. 6.* §. 34. add. IO. HENRICVS BOECLERVS, in *diſſert. de menſura pretii, p. 59. ſeqq.*

*** Vt pretium eminens, ſiue nummus, introduceretur, commerciorum poſtulauit ratio, quae per ſolam permutationem difficulter procedebant. Commerciorum autem amplitudinem auxit luxuria hominum. Vnde viris doctis obſeruatum, apud antiquiſſimas gentes quae a luxuria fuere remotae, commercia permutatione abſoluta fuiſſe. Apud ipſos Germanos veteres vſitatiſſima olim erat permutatio, qui diutiſſime auri argentique vſum, velut omnium ſcelerum materiam, e republica ſua excluſere. Vnde de iis ſua aetate CORNELIVS TACITVS: *interiores ſimplicius & antiquius permutatione mercium vtuntur: de moribus German. cap.* 2. add. PAVLVS HACHENBERGIVS, in *German. med. differt.* 10. §. 2. Hodie tamen ea rerum humanarum eſt conditio, vt pretio eminenti, ſeu nummo, tam quam omnis pretii menſura, carere nequeamus. Et licet introductio eius incommoda quaedam poſt ſe traxerit, longe tamen maiora ſecutura eſſent, ſi abrogaretur. Vt adeo audiendi non ſint, qui ſuadent, vt abrogato nummo, priſtinus ſtatus reducatur. RENERVS BVDELIVS, de *moneta*, *lib.* 1. *cap.* 3. add. CASPAR ZIEGLERVS, de *iurib. maieſt. lib.* 1. *cap.* 49. §. 1. 2. *ſeqq.* Et licet nummi quibusdam vitiis mortalium fouendis & excitandis inſeruiant, parum tamen iuuabit, abrogaſſe nummum, ſi ipſa quoque vitia non eradicaueris, quae, ſi non hac, mox alia ſe exerent ratione. De reliquis, quae de pretio eminenti diſputari ſolent, vid. praeter PVFENDORFIVM & BOECLERVM, *locis citatis*, ZIEGLERVS, de *iurib. maieſt. lib.* 1. *cap.* 49. HERMANNVS CONRINGIVS, in *differt. de re nummaria in republ. recte conſtituenda*, aliique.

* Quod praecipue de pretio vulgari ſeu communi intelligendum. Hoc enim, poſita dominiorum diſtinctione, prorſus neceſſarium fuit. Certo modo tamen etiam de pretio eminenti poteſt intelligi, cuius pro hodierno ſaltem humani generis ſtatu, magna eſt neceſſitas. Conſtat vero, in gente Ebraea etiam eminens pretium in vſu fuiſſe, neutiquam id prohibente Deo. Immo ſunt, qui Tharah, Abrahami patrem, nummi inuentorem faciunt: ſed hoc incertum; nec hac de re inter ſe eruditi conueniunt: vid. POLYDORVS VIRGILIVS, de *inuentoribus rerum*, *lib.* 2. *cap.* 20.

§. XXV.

De *contractibus* * etiam generatim id ſaltem obſeruamus, quod chriſtianis eos inire neutiquam ſit prohibitum. ** Praeterquam enim, quod in ſe nihil contineant, quod iuri diuino repugnet, ſcriptura ſacra diſerte eos adprobat, *Prouerb. XI, 1. XVI, 11. Leuit. XIX, 35.* Ipſe quoque Deus, certas contractuum formulas, vt emtionis, venditionis, locationis, &c. in politia Moſaica praeſcripſit, *Leuit. XXV, 14. Deut. XV, 2. 12.* Nec in nouo teſtamento interdicti leguntur. Admonemur ſaltem, ne fraudi & impoſturae in illis locum concedamus. *Luc. III, 13. 1 Theſſal. IV, 6. Iacob. IV, 13.*

* Quid contractus ſit, & qua ratione a pacto differat, oſtenſum in *elem. philoſ. pract. part.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 6. §. 38.

** Veriſſima ſunt, quae *Eccleſiaſt. cap.* XXVII, 1. 2. leguntur: *propter bona fortunae multi peccant, & qui quaerit abundare, auertit oculum. Inter compages lapidum figitur palus, & inter venditionem & emptionem conteretur peccatum.* Nihil vero aliud inde ſequitur, quam caute admodum in contractibus verſandum. Quod a multis in peccandi occaſionem rapiantur, hominum rebus innocentiſſimis abutentium vitiis, non contractibus ipſis, imputandum eſt. Fuerunt tamen ex Anabaptiſtis, qui, vt rerum dominia, ita & contractus omnes damnaſſe ac reieciſſe dicuntur. Sed abunde his praeter alios ſatisfecit LVCAS OSIANDER, in *enchiridio controuerſ. Anabaptiſticarum*, *cap.* 10. *qu.* 9. add. MARTINVS

CHEMNI-

CHEMNITIVS in locis theolog. *loc. de paupertate cap.* 5. *p. m.* 155. vbi & oſtendit, quouſque contractus ſint conſiderationis theologicae.

§. XXVI.

Contractuum varias enarrare ſpecies, huius loci non eſt.* Interim non praetermittendum, quod ſicut in *contractibus oneroſis* ** iuxta iuſtitiae ſtricte ſic dictae leges cuncta exiguntur, ita in *beneficiis* *** charitati chriſtianae vel maxime campus ampliſſimus aperitur: qua tamen minime abuti debent, in quos eiusmodi beneficia conferuntur. Quod autem ad illos contractus attinet, qui *aliquid aleae* continent,* plerique ita comparati ſunt, vt lucri prauam cupidinem, aliosue adfectus inordinatos ſupponere videantur, vnde & pro illicitis merito habentur.** Nec enim vitae ſocialis ratio eiusmodi contractus requirit, cui potius ob incommoda, quae ſecum trahunt, plurima, prorſus repugnant. De *pactis acceſſoriis* *** aliter cenſendum, quorum quaedam diſerte in ſcriptura ſacra adprobantur, additis tamen monitis, quo pacto caute circa ea verſari debeamus. De *fideiuſſione* conf. *Prouerb. VI, 1. 2. 3. ſeqq. XI, 15. XXII, 26 27. Eccleſiaſt. VIII, 16. XXIX, 17. 18. ſeqq. De pignoribus & oppignoratione, Exod XXII, 26. 27. Deut. XXIV, 6. 10. ſeqq.*

* De diuiſionibus, & praecipuis ſpeciebus contractuum in compendio dixi, in *elem. philoſ. pract. part. 2. cap. 4. ſect. 6. §. 8.* add. HVGO GROTIVS, de *iur. bell. & pac. lib. 2. cap. 12. §. 2* & qui prae reliquis diligenter hac in re verſatur, GVIL. GROTIVS, in *enchiridio de princip. iur. nat. cap. 16. ſeqq.* ex theologis autem MARTINVS CHEMNITIVS, *loco antea citato.*

** vti ſunt, *emptio & venditio, locatio, & conductio, mutuum, ſocietas.*

*** quales ſunt, *mandatum, commodatum, depoſitum.*

* vt *ſors diuiſoria, ſponſio, ludorum varia genera, lotaria, olla fortunae, aſſecuratio, &c.*

** Hoc, ludorum, qui ſortem ſupponunt, exemplo declarari poteſt. Diuerſae equidem, tum generatim de ludis, tum ſpeciatim de iis, qui ſortem ſupponunt, theologorum aliorumque doctorum virorum, ſunt ſententiae. Nonnulli generatim omnes ludos damnant; alii eos, qui recreationis ſaltem cauſſa inſtituuntur, & induſtria potius, quam ſorte, nituntur, non illicitos eſſe, putant, at eos, qui ſorte conſtant, prorſus reiiciunt; alii denique, nec eos ludos, qui ſorte nituntur, prorſus damnandos, & tanquam per ſe illicitos, proſcribendos eſſe, ſed, ſi abuſus abſit, admitti poſſe, contendunt. Mediam ſententiam plurimi theologorum, tum noſtrae, tum reformatae eccleſiae defendunt, qui ſaltem in eo conſentiunt, ludos, qui ſorte nituntur, illicitos, eſſe. Legendus hac de re ex noſtratibus IO. CONRADVS DANHAVERVS, in *colleg. decalog. exercit. 7. p.* 892. ex reformatis GISBERTVS VOETIVS, in *diceptatione de luſu aleae a cenſuris vindicata*, & Vltraiecti anno MDCLX. edita, qua ſuam ſententiam contra THOMAM GATAKERVM defendit. Ex Pontificiis huc etiam referendus IO. BAPTISTA THIERS, in *tractatu de ludis & recreationibus* (*traité des jeux & des diuertiſſements*) Pariſiis anno MDCXXXVI, edito, vbi plurimis patrum, & tum ſuae, tum & reformatae eccleſiae doctorum teſtimoniis, hanc ſententiam confirmat. Vltimam vero ſententiam, quod nec omnes ludi, qui ſorte conſtant, ceu illiciti, ſi abuſus abſit, reiiciendi ſint, ex re-

centioribus cumprimis defendendam ſuſcepit IO. LA PLACETTE, reformatae eccleſiae theologus celeberrimus, in *tractatu de ludis, qui forte conſtant*, (*des jeux de hazard*) qui cum aliis eiusdem auctoris diſſertationibus, ad caſus conſcientiae ſpectantibus, Amſtelodami anno MDCXCVII prodiit. Laudat autem, tanquam ſecum hac in re conſentientes, ex noſtratibus quidem FRID. BALDVINVM, & IO. SCHMIDIVM, ex reformatis autem CALVINVM, PERKINSVM, GATAKERVM, BVRMANNVM, WITTICHIVM, aliosque: *cap.* 1. *pag.* 198. Eandem cauſſam tuendam haud ita pridem ſuſcepit vir eruditiſſimus & ſaepe nobis ex merito laudatus IO. BARBEYRACIVS, in *tract. de ludis* (*traité du jeu*) anno MDCCIX. edito, in quo praecipuas circa hocce argumentum quaeſtiones, iuxta principia iuris naturalis, doctrinaeque moralis, enodare aggreſſus eſt. Praecipua illorum fundamenta, qui quosdam ludos, etiam ex illorum genere, qui forte nituntur, ſi abuſus abſit, licitos eſſe contendunt, haec ſunt: 1) etſi homo eum in finem conditus ſit, non vt rebus ludicris, ſed ſeriis occupationibus, tempus tranſigat, cum tamen, quod alterna caret requie, durabile non ſit, tum ex ratione, tum ex ſcriptura manifeſtum eſſe, relaxare quandoque animum, & defatigatas corporis animique vires reficere, non eſſe nefas; 2) cum quilibet rerum ſuarum habeat dominium, licitum eſſe, bonorum quandam partem recreationibus ſuis impendere, ſiue ludendo hoc fiat, ſiue alia ratione; 3) ludos nuſpiam in ſcriptura ſacra eſſe prohibitos, ita quidem, vt ne nomen quidem ludorum in nouo teſtamento occurrat; 4) doctrinam euangelicam non aliter accipiendam, quam vt cum iure naturae conueniat, nec rigoroſe nimis, quae de mortificatione, & abnegatione ſui ipſius, in euangelio dicuntur, interpretanda; 5) vitia hominum ludis abutentium, non eſſe imputanda ipſis ludis, qui, ſi ſecundum rectae rationis ductum, legitimo tempore, & modo, inſtituantur, vitio careant. Qui contra ludos, ſpeciatim & eos, qui forte nituntur, ceu illicitos, & qui a moribus hominis chriſtiani procul abeſſe debent, reiiciunt, ſequentibus vtuntur rationibus: 1) quod illi, qui ſalutem ſuam cum *metu ac tremore operari debeant*, *Phil.* II, 12. non poſſint, nec debeant, cogitationes ſuas ad res ludicras, aut ludos, conuertere; 2) & licet corpus ac anima recreatione quadam opus habeant, hanc tamen longe rectius, & ſecurius, alia ratione poſſe obtineri, quam per ludos; 3) praeſertim, cum ludi variis peccandi occaſionibus homines exponant, quas euitare potius, quam ſectari, homines chriſtiani debeant: 4) tempus inaeſtimabile, quod *redimendum*, iuxta monitum Pauli, *Epheſ.* v, 16. non ita perdendum, vt in rebus inutilibus & ludicris ponatur, cum certum ſit, quod eius quoque aut recte aut male collocati, rationem Deo aliquando reddere teneamur: 5) bonorum quoque a Deo nobis concreditorum rationem Deo reddendam: non itaque in hominis poſitum eſt poteſtate, pro lubitu eorum abalienare partem, cum ea ad ſui & aliorum vti debeat conſeruationem; 6) incommoda ludos ſequi plurima; praeſertim in ludis, qui forte nituntur, ſaepius contingere, vt, ſi res ex voto quibusdam non ſuccedat, in voces impias, blaſphemas, & horrendas erumpant: atque hoc eo eſſe execrabilius, quod ipſam velut prouidentiam Numinis accuſare videantur, per quam contigerit, vt aliter, ac ipſi voluerint, res ceciderit; 7) vt ludi, qui lucri cauſſa inſtituuntur, auaritiam, vitium omnium peſſimum, pro fundamento habent, ita reliquos omnes prauos adfectus excitant atque aluat, cupiditatem, metum, iram, odium, &c. Chriſtiani autem hominis pariter ac viri ſapientis eſt compeſcere potius, quam excitare adfectus, eaque in re omne ſtudium, omnemque laborem ponere; 8) in ludis, qui lucri cauſſa inſtituuntur, contingere fere aliter non poteſt, quam vt quis bonorum, quae alter habet, partem acquirat, aut ſuorum partem amittat. Vtroque modo peccat grauiſſime. Si prius fit, alter bonis ſuis priuatur, quae aliquando ad ſui aut ſuorum ſuſtentationem illi neceſſaria eſſe poterant; ſin poſterius, ſe ipſum iis priuat, quibus longe rectius vti poterat, immo, quae & ipſi aliquando eiusque liberis neceſſaria eſſe poterant; 9) circa ludos, qui forte nituntur, ſpeciatim nonnulli addunt, quod ſors ſpecialem ſupponat prouidentiam diuinam. *Prouerb.* XVI, 33. Hominis itaque profani eſt atque impii, re tam ſacra ad ſuas adimplendas cupiditates abuti. Non equidem neſcio, quae tum IO. LA PLACETTE, tum IO. BARBEYRACIVS, *locis citatis*, prolixe ad hoc argumentum regeruat; nec effata iſta generalia de ſorte, ad ludos, ſpeciatim, qui forte nituntur,

Digitized by Google

tuntur, extendenda aſſeuerauerim, ita vt circa eos quoque ſpeciali quadam ratione diuina prouidentia verſetur: interim certiſſimum eſt, eos, qui res ſuas ludis committunt, ſubinde ſpecialiori quadam ratione ad diuinam prouidentiam reſpicere: quam *fortunam* vocare ſolent, illaque auſu plus quam impio ac profano, ad turpiſſimas ſuas cupiditates abuti; 10) eſto denique, poſſe ludos quoſdam innocenter a quibusdam inſtitui, ſcandalum tamen praebent, qui ſuo exemplo eos veluti adprobant. Nec ſufficit tegerere, ſe innocenti quadam ratione ludos inſtituere; ad hoc enim alii non attendunt, qui epidemico ludendi morbo correpti ſunt; parum illi curant, quacunque ratione alii ludos inſtituant, modo exempla habeant, ad quae prouocare queant, quod alii quoque, praeſertim viri honeſti, & in auctoritate conſtituti, ludant. Ita ergo tuo exemplo aliorum perdes animas. Nec iuuabit te excepiſſe, ita multis aliis rebus abſtinendum eſſe, quas itidem in peccandi occaſionem alii rapere queant. Diſtinguendum, enim inter ea, quae ad vitam ſuſtentandam ſunt neceſſaria, & quae non ſunt neceſſaria. Vt prioribus nos abdicemus, nemo a nobis exigere poterit: a poſterioribus, ſi aliorum hoc ſalus poſtulet, omnino abſtinendum. Non deſunt equidem, quae diſſentientes, contra hactenus allata regerant, ſed eiusmodi ea deprehendo, vt ab hacce me dimouere nequeant ſententia. Contra ad rationes, pro ſententia contraria ſupra allatas, reſpondere longe eſt facillimum. Nimirum 1) concedimus, quod non ſit nefas, relaxare quandoque animum, & labaſcentes vires reficere: ſed quod per ludos hoc fieri debeat, negamus. Aliae ſuppetunt rationes, longe honeſtiores, quibus corpus pariter ac animus refici queat. Ludis ad hoc non opus eſt, qui ad minimum peccandi occaſionem praebent, aliisque ſunt ſcandalo; 2) rerum equidem ſuarum quilibet habet dominium, ſed vt bonis ſuis ad ſui aliorumque neceſſariam conſeruationem vtatur: ſecus ſi fecerit, eorum, quae ſibi concredita ſunt, rationem ſe Deo redditurum, ſciat; 3) etſi ludorum diſerte in ſcriptura ſacra non iniiciatur mentio, ſufficit tamen, quod eiusmodi in ea contineantur principia, ex quibus euidenter, eos illicitos eſſe, colligi poteſt: apud Ebraeos, qui alea aut talis lucri aliquid ſibi feciſſet, furti reus erat, ex iure a maioribus ſuperinducto: aut ſi iudaeus cum gentili certaſſet, ad minimum interdictum de non incumbendo rebus Inanibus violaſſe, cenſebatur; conf. IO. SELDENVS, *de iur. nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeor. lib.6. cap.* 11. 4) doctrina euangelica nihil equidem continet, quod iuri naturali repugnet. Sed ius naturale dupliciter conſiderari poteſt, vt ex tota noſtra tractatione patet, aut ſecundum principia rationis, aut ſecundum principia reuelationis. Doctrina euangelica ius naturae, poſteriori modo conſideratum, ſupponit. Et ea quidem ratione ludi etiam iuri naturali, ſecundum reuelationem, repugnant. Quae vero de mortificatione & abnegatione ſui dicuntur, in molliorem non trahenda ſunt partem, quam res ipſa aut verba permittunt. Non tantum enim vna eademque formula idem ſaepius exprimitur, ſed de eadem re formulae diuerſae eodem collimantes, adhibentur. Praetera, qui vim impetumque prauarum cupiditatum nouit, ſeueriori coercitione, quam ſcriptura hiſce formulis innuit, opus eſſe, non dubitabit; 5) abuſum recte damnari, ſed hunc a legitimo vſu abeſſe poſſe ac debere, facile dicitur. Ad rem ipſam cum ventum fuerit, non tam facile hoc eſſe, intelligitur. Vix enim fieri poteſt, vt abuſus euitetur. Vnde rectius & ſapientius agunt, qui rem ipſam euitant. Ceterum quaeri hic etiam ſolet, an, qui per ludum aliquid acquiſiuit, ad reſtitutionem teneatur? Certum namque, eum, qui iſta ratione aliquid acquiſiuit, iniuſtum, eſſe poſſeſſorem, & non magis retinere illud poſſe, quam ſi furto abſtuliſſet. Cum vero is, qui eam bonorum ſuorum partem amiſit, in id conſenſit, non videtur illi fieri iniuria, ſi nihil illi reddatur. Conſultum ergo nonnulli putant, vt inter pauperes quis diſtribuat, quod hac ratione acquiſiuit: quod ita tamen capiendum, vt in certis caſibus ipſi potius, qui ſua per ludum amiſit, reſtitutio facienda ſit, vt recte monet, qui totam hanc quaeſtionem accurate tractat, B. PHIL. IACOB SPENERVS, *in reſponſ. theolog. Germ. part. 2. p. 342. ſeqq.* Quod de ludis diximus, id de aliis quoque nonnullis contractibus, qui aliquid aleae continent, e.g. ſponſionibus, olla fortunae, lotaria, aſſecurationibus, cenſendum videtur, eos omnes eſſe illicitos. Nihil namque aliud, quam inordinata, per compendium aliquid acquirendi, cupiditas, homines ad eos inducere videtur. Bona quoque & opes hunc in finem nobis conceſſae non ſunt, vt

eas caſui fortuito exponamus. Taceo incommoda, prauosque adfectus, quibus eiusmodi contractus non poſſunt non occaſionem praebere. Excipiendae tamen videntur lotariae, quae in vſum pauperum inſtituuntur. Ad eas enim qui aliquid confert, poteſt intentionem habere, pauperum commoda promouendi. Sed cum nonnulli etiam intentionem habere queant, etiam hic lucrum aliquod captandi, ſcrupulus remanet, an & hae quoque recte inſtituantur? cum prauis hominum cupiditatibus occaſionem ſuppeditare videantur. Sed hoc in medio relinquo.

*** De quibus dictum in *elem. philoſ. pract. part. 2. cap. 4. ſect. 6. §. 41.*

§. XXVIII.

Circa contractum mutui celebris occurrit quaeſtio de *vſuris*. De quibus rectiſſime pronuntiatur, cuncta ad regulam charitatis hic eſſe exigenda. Qui enim erga alios ita ſe gerit, prout charitas poſtulat, non peccat. Quae ergo ab hominibus opulentis, ex noſtra pecunia lucrum capientibus, moderate accipiuntur vſurae, non ſunt illicitae.* Nec enim cum charitate hoc pugnat. Cumque ex aliis rebus fructum percipere liceat, nulla adferri ratio poteſt, cur idem non liceat ex pecunia.

* Vt multis probemus, vſuras eſſe licitas, neceſſe non eſt. Non enim dicimus, eas eſſe praeceptas, (praecepto ſpeciali, ceteroquin enim in omnibus actionibus, quae non ſunt malae, generalem ſubeſſe obligationem, ſupra diximus,) ſed licitas. Vt autem conſtet, aliquid eſſe, licitum ſufficit, ſi nulla lex adferri queat, qua prohibeatur. In vſuris autem, ſi ita comparatae ſint, ne contra charitatem peccent, ita ſe res habet. Ex abundanti tamen eas licitas eſſe, nonnulli probant ex regula Chriſti, *Matth. VII, 12. omne, quod vultis, vt faciant vobis homines, vos etiam ipſis facite.* Aequum ergo eſt, vt in lucri, quod ex noſtra pecunia accipiunt, qui ea vtuntur, participationem nos admittant, cum & ipſi ad eam admitti vellent, ſi nos ex illorum pecunia, lucrum perciperemus. Probant idem ex regula apoſtoli, *2. Cor. VIII, 13.* cum beneficentiae hunc figit terminum, ne nobis ſit θλίψις, alteri ἄνεσις, ἀλλ' ἐξ ἰσότητος; item ex paritate contractuum aliorum, emphyteuſeos, antichreſeos, & reliquorum eiusdem generis. conf. B. IO. GERHARDVS, *loc. theolog. de mag. polit. p. 914. ſeqq.* MARTINVS CHEMNITIVS, *loc. theol. loc. de paupertate, cap. 6. p. 157. ſeqq.* & IO. CONRADVS DANHAVERVS, *colleg. decalog. diſp. 8. §. 6. p. 868. ſeqq.* qui & recte monet, ſermonem hic eſſe de vſura *compenſatoria*, & *negotiatoria*, lucri ceſſantis, damni emergentis, & officii indebiti, collati in homines lautioris fortunae, lucrum aliquod e noſtra pecunia captantes. Turpiter autem hic ſe traducunt Pontificiorum moraliſtae, qui, dum acriter contendunt, omnes vſuras eſſe illicitas, *adeo, vt haereſis ſit, ſi, foenus carere peccato, dicatur*, lepidiſſimis tamen commentis, aliisque rebus impoſitis nominibus, vſuris iniquiſſimis locum concedunt, quorum ſtultitiam merito ridet LVDOVICVS MONTALTIVS *epiſt. prouinc. epiſt. 8. p. m. 206. ſeqq.*

§. XXVIII.

Neque obſtant leges diuinae, quae vſuras prohibere videntur,* *Exod. XXII, 25. Leuit. XXV, 35. ſeqq. Deut. XXIII, 19. ſeqq.* Prohibitio enim *Exod, XXII, 25.* & *Leuit. XXV, 35.* reſtringitur ad pauperes, a quibus vſuras accipere, omnino charitati repugnat. Sic & *Deut. XXIII, 19.* Iſraeli-

Iſraelitae vſuras accipere prohibentur, ſed a fratribus. * Praeterea, cum iis permittatur a peregrinis vſuras accipere, manifeſtum eſt, cauſſam huius legis eſſe ſpecialem, ipſamque adeo legem inter particulares Ebraeorum, referendam.

* Ob terrae Canaan enim conditionem, aliasque rationes, Deo cauſſae iuſtiſſimae erant, cur Iſraelitis omnes cuiuscunque generis vſuras a fratribus accipere, prohiberet. Sed, quod generatim ad omnes homines hoc extendendum non ſit, patet, quod *Deut. XXIII*, 20. diſerte dicitur: *extraneum* תשיך *mordebis.* Quod tamen non de praecepto, ſed de permiſſione tantum, eſt intelligendum, ab alienigenis ſcilicet, illis licitum eſſe, vſuras accipere. Vſurae vero intelliguntur, quae charitati & aequitati naturali non repugnant, cum nec peregrinum opprimere fas ſit, ipſos Iſraelitas huius officii admonente Deo; *Exod.* XX*III*, 9. Sunt, qui ſpeciatim reſiduos Cananaeos intelligi putant, quorum bona ceteroquin Iudaeorum fuerint. Ita AEGIDIVS HVNNIVS ad 2. *Cor. VIII.* Sed ſi de licitis & aequitati naturali non repugnantibus vſuris hoc capiamus, non video, cur ſpeciatim ad Cananaeos permiſſio illa vſurarum ſit reſtringenda. conf. AVG. PFEIFFERVS, *dub. vexat. cent.* 2. *loc.* 15. *p.* 274. *ſeqq.* Praecipue equidem ſententiae illorum, qui vſuras quasdam licitas eſſe ſtatuunt, obſtare videtur generale illud ſeruatoris effatum: δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες. *Luc. VI*, 35. Hoc ipſo enim omnes ſimpliciter reiicere vſuras videtur. Nonnulli equidem verba haec ad ductum verſionis Syriacae reddunt: *nullius rei ſpem auferentes*, ſcilicet proximo, vt ſenſus ſit, nihil proximo, mutuo aliquid accipere cupienti, denegandum eſſe. Probatque pluribus LVDOVICVS DE DIEV, qui eandem ſententiam defendit, ἀπελπίζειν idem ſubinde eſſe, ac *deſperare facere*, *ſpem alicui auferre.* Sed receptam ſententiam confirmat ἀντίθεσις eorum, qui nihil mutuum dant, niſi ea ſpe, vt τὰ ἴσα recipiant, vt adeo ſenſus ſit: *nihil ab eo, cui mutuum dederitis, ſperantes.* Hanc interpretationem ſuo etiam calculo comprobant CLAVDIVS SALMASIVS, atque ISAACVS CASAVBONVS, apud CALOVIVM, ad *h. l.* Ad rem ipſam quod attinet, hic non de mutuo officioſo, ſed de eleemoſynis ſermonem eſſe, adeoque ad vſuras compenſatorias & negotiatorias haec verba minime trahenda eſſe, viris doctis iampridem obſeruatum eſt. Docere enim vult ſervator, vt totus ſermonis ſcopus oſtendit, quo pacto nos gerere debeamus, non erga diuites, qui ex pecunia noſtra lucrum capiunt, ſed erga pauperes, qui pecunia noſtra ad ſuas neceſſitates vtuntur, & his ita mutuo dandum docet, vt nihil iterum ab illis ſperemus. confer. ABRAH. CALOVIVS, ad *h. l.* & IO. CONRADVS DANHAVERVS, *loco* antea *citato.* Sed de his & reliquis, quae vulgo contra vſuras obiici ſolent, vid. IO. SELDENVS, de *iur. nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeorum*, *lib.* 6. *cap.* 9. & 10. IO. ADAMVS OSIANDER, ad *Grot. lib.* 2. *de iur. bell & pac. cap.* 12. §. 30. BALTHASAR MEISNERVS, *philoſ. ſobr. part.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 6. *quaeſt.* 30 LA PLACETTE, *dans les diuers traites ſur des matieres de conſcience*, *trait.* 2. *p.* 34 *ſeqq* item, qui ex inſtituto de vſuris & foenore Trapezitico ſcripſerunt, VT CAROLVS MOLINAEVS, CLAVDIVS SALMASIVS, aliique.

§. XXIX.

Quantum in vſuris accipere liceat, lege diuina vniuerſali definitum non eſt. Charitas iterum hic erit pro regula, ne tantum accipiatur, vt inde alteri damnum adferatur. Quod ſi lege ciuili determinatum ſit, quantum accipere liceat, peccant, qui plus aut accipiunt, aut exigunt, peccant tamen etiam, qui non plus, immo minus accipiunt, ſiquidem & hoc illi, a quo vſurae exiguntur, damnum adferat. Et hinc, quaenam vſurae illicitae ſint, conſtat, * quas qui aut exigunt, aut acci-

accipiunt, grauiſſimo ſe obſtringunt crimine. conf. *Pſalm. XV, 1. 5. Prouerb. XXVIII, 8. Ezechiel. XVII, 7. ſeqq.*

* De illicitis vſuris forte loquuntur plerique patrum, qui vſuras damnant. Namque aut hoc modo intelligendi ſunt, aut vltra, quam fas eſt, progreſſi ſunt, dum omnes prorſus ſine diſcrimine vſuras damnarunt. Quod & de canonibus conciliorum eſt intelligendum. Dicta iſta patrum & canones conciliorum, praeter alios collegit ANTONIVS THYSIVS, in tractatu poſthumo, de *vſura & foenore*, quem cum aliis ſuorum teſtimoniis, ediderunt theologi Vltraiectini anno MDCLVIII. Recte autem obſeruat HVGO GROTIVS, in antiquis canonibus nullum eſſe, qui foenua exercentes omnes promiſcue a communione ſubmoueat, quod factum eſt poſterioribus ſeculis. Solis his, qui in eccleſia munere aliquo conſpicui erant, eum quaeſtum interdici, canone apoſtolico, vt vocant, XLIV. Laodiceaeno IV. Nicaeno XVII. Africano V. & XVI. Cauſſam haud dubie fuiſſe, quod hi, qui in ſacro erant ordine, non tantum crimine omni, ſed & ſuſpicione auaritiae vacare deberent. Sed idem quoque ex HARMENOPVLO obſeruat, primum Leonem, imperatorem, exiſtimantem, omne foenus chriſtiano interdictum, lege id ipſum communi ſanxiſſe; ad *Luc. cap. VI, 35.*

§. XXX.

Quae regenitorum circa contractus ſint officia, ex dictis fere colligere licet. Charitatis ſcilicet pariter ac iuſtitiae ratio poſtulat, ne quid committamus, vnde damnum aliquod in alterum redundare queat. * Idque in contractibus, quos *beneficos* vocant, oſtenditur, ſi ita nos geramus, ne alterum, beneficium nobis exhibuiſſe, poenitere queat. In *oneroſis* idem demonſtratur, ſi leges contractus accurate obſeruemus: ſed tamen charitatis quoque eſt, ne erga illos, qui praeter culpam ſuam leges iſtas tam accurate obſeruare nequeunt, nimis rigoroſi ſimus. Hinc ſpecialia, circa ſingula contractuum genera, facile diiudicare licet. ** Quo pacto autem obligationes, ex pactis contractibusue ortae, ſoluantur, alibi exponitur. ***

* Summa ceteroquin officiorum in contractibus haec conſtitui ſolet; *ſeruandam eſſe in omnibus contractibus aequalitatem.* Quod quo pacto tum in oneroſis, tum beneficis, procedat, oſtendi *in elem. philoſ. pract. part. 2. cap. 4. ſect. 6.* §. 42. Interim cuncta ad amorem redeunt. Qui alterum amat, iuſtitiae quoque erga illum ſtudebit, cauebitque ſibi, ne illum vlla ratione laedat, nec ſua illi vnquam denegabit officia, operamque dabit, ne ex beneficiis, quae in ſe conferuntur, damnum redundet in alios.

** Quae paucis & in compendio indicaui, *in elem. philoſ. pract. part. 2. cap. 4.* §. 43. add. HVGO GROTIVS, *de iur. bell. & pac. lib. 2. cap. 12. §. 9. ſeqq.* & SAM. PVFENDORFIVS, *de iur. nat. & gent. lib. 5. cap. 3. & ſeqq.*

*** *in elem. philoſ. pract. l. c.* §. 44. add. PVFENDORFIVS, *l. c. lib. 5. cap. 11.*

§. XXXI.

Quod ad officia haecce hypothetica, hactenus expoſita, iure diuino obligati ſimus, probatur ex illo, quod ſupra poſuimus, principio, alios homines ſincere amandos. Atque hoc & vnionis cum Deo ratio requirit, vt & imaginis diuinae in nobis reſtauratio. Per mendacia vero

Digitized by Google

vero, charitatiſque defectum, & varia iniuſtitiae genera, diabolo potius, quam Deo, homines ſimiles redduntur. *Ioan. VIII, 44.* Hinc & talia ad veterem hominem referuntur, quae exuere iubemur, *Epheſ. IV, 22. 23. ſeqq.* Sed probatur idem ex praecepto decalogi tum octauo, tum ſeptimo. In illo enim, dum mendacia prohibentur, ſimul veritas & ſanctitas in ſermone praecipitur: in hoc autem, dum, vetantur furta, ſimul iuſtitia & integritas in adminiſtrando rerum dominio, & contractibus, omnibus ac ſingulis, iniungitur.

. XXXII.

Speciatim & ex iis ſcripturae ſacrae hoc patet oraculis, quibus veracitas, rectusque ſermonis vſus, commendatur, *Epheſ. IV, 25. Pſalm. XV, 1. 2. 3.* quibusue ſermonem ita dirigere iubemur, ne aut obtrectationibus, *Pſalm. L, 19. 20. Eccleſiaſt. XXVIII, 15. 23.* aut ſermonibus frivolis laedamus alios; *Epheſ. IV, 29. Prouerb. X, 19. Eccleſiaſt. XXVIII, 28. 29.* item, quibus furta prohibentur, & recta bonorum adminiſtratio iniungitur; *Epheſ. IV, 28. Ezechiel. XXXIII, 15. 16. Habac. III, 6. 1 Cor. VI, 10.* add. *1. Tim. VI. 17. 18.* & denique, quibus iuſtitia & aequitas in contractibus commendatur. *Leuit. XIX, 11. 13. 35. 36. Deut XXV, 14. Prou. XI, 1. XVI. 11. XX, 10. 23. Hoſ. XII, 8. Mich. VI, 10. ſeqq. 1 Theſſ. IV, 6.*

§. XXXIII.

Officiis hiſce, ſpeciatim circa ſermonem, repugnat, ***mendacium***;* quo nomine intelligitur diſcrepantia verborum aut ſignorum a noſtris cogitatis, quae alter ex nobis intelligendi ius aliquod habebat: quod ſi ius nullum habuerit, vocatur *falſiloquium.* Ad mendacia etiam pertinent omnes ***aequiuocationes & reſeruationes mentales***,** per quas ius alterius laeditur. Huc etiam merito refertur omnis ſermonis abuſus, per *ſuſurros & detractiones*, *Rom. I, 30.* *conuitia*, *1 Cor. V. 11.* *maledicta*, *1 Cor. VI, 10.* *adulationes*, *Actor. XII, 22.* *iactantiae*, *Rom, I, 30.* *deriſiones*, *2. Reg. II, 23.* omnes item *ſermones obſcoeni, & ioci*, qui chriſtianos non decent, *Epheſ. V, 4.*

* Omne itaque mendacium, ſi vocem ita capias, vt eam hic accipimus, inuoluit vitium, & peccatum eſt longe grauiſſimum. Falſiloquium pro diuerſitate circumſtanciarum, interdum vitio carere poteſt, interdum cum eo poteſt eſſe coniunctum. Nonnulli vocem *mendacii*, ad quaeuis falſiloquia extendentes, occaſionem diſputationi praebuerunt, dum alii hoc etiam ſenſu omnia mendacia damnarunt, omnemque veritatis diſſimulationem illicitam eſſe contenderunt; vt AVGVSTINVS, in libro de *mendacio ad Conſentium*, in quo dum contra Priſcillianiſtas, mendaciis ac periuriis ad fidem ſuam occultandam vtentes, eaque licita eſſe affirmantes, diſputat, eousque progreditur, vt omne falſiloquium, omnemque fictionem, & veritatis diſſimulationem, ceu peccaminoſam reiiciat. Eandem ſententiam confirmare & propugnare ex recentiſſimis aggreſſus eſt, IO. LA PLACETTE, *dans les diuers traites ſur des matieres de conſcience, tract. 1. cap. 3. p. 12. ſeqq.* Alii contra diſtin-

diſtinguunt inter mendacium iocoſum, officioſum, & iniurioſum: & hoc illicitum, illa autem licita eſſe contendunt. vid. praeter alios LAMBERTVS DANAEVS, *ethic. chriſt. lib. 2. cap.* 6. Verum cum perperam ſupponatur, iocoſum & officioſum mendacium licitum eſſe, merito haec ſententia reiicitur ab aliis. Recte cuncta procedent, ſi diſcrimen primo inter mendacium & falſiloquium, probe teneamus. Hoc enim poſito, omne omnino mendacium illicitum eſſe, aſſerimus. Hoc patet ex luculentis ſcripturae oraculis, quibus generatim omne mendacium damnatur, *Leuit XIX*, 11. *Prouerb. VI*, 16. 19. *XIII*, 5. *Ephef IV*, 25. *Coloſſ. III*, 9. De mendacio enim proprie ſic dicto ibi ſermonem eſſe, res ipſa, & coniuncta in hiſce locis cum mendacio vitia reliqua, docent. In hoc etiam ſenſu, diabolus auctor et inuentor mendacii dicitur, *Ioan. VIII*, 44. Quod autem ad falſiloquium attinet, licet alius per illud non laedatur, non tamen inde ſequitur, quod ſemper ſit licitum. Reſpiciendum enim ad intentionem, mentisque diſpoſitionem, & alias circumſtantias: & tum fieri poteſt, vt quandoque vitio careat, iuxta ea, quae ſupra de ſimulatione & diſſimulatione diximus, quandoque cum vitio grauiſſimo ſit coniunctum. Eundem in modum rem omnem recte expedit B FRIDEMANNVS BECHMANNVS, in *annotationib. ad. inſtit. catechet. Conrad. Dieterici, p.* 85. *Notandum*, inquit, *quod aliud ſit mentiri, aliud veritatem quandoque occultare; illud culpa non caret, ſed peccatum eſt, hoc vero non ſemper eſt peccaminoſum. Accidit enim interdum, vt quis non teneatur ex mente alterius reſpondere, vbi cum veritatem occultat, non peccat.*

** Cum aequiuocationum varia ſint genera, hic tamen talis intelligitur, quando aliquis data opera ſermone ambiguo vtitur, ita quidem, vt alter non poſſit non ſenſum a mente loquentis plane alienum, arripere. Reſtrictio autem, ſiue reſeruatio mentalis eſt, quando verbis quidem planis & perſpicuis vtimur, ſed aliquid, quod ad complendum ſenſum pertinet, in mente retinemus, vt adeo rurſus alterum in errorem coniici neceſſe ſit. Cum ergo aequiuocationes & reſeruationes mentales, ita acceptae, ſupponant intentionem fallendi alios, idque Ieſuitae inſuper, & recentiores quidam Romanae eccleſiae moraliſtae, quos vocant, eousque extendant, vt promiſcue, etiam vbi interrogans ius quaeſitum veritatem explorandi habet, aequiuocationes & reſtrictiones mentales locum inuenire, contendant, ſummae merito impietatis hanc doctrinam non tantum noſtrates, ſed nonnulli ex ipſis Pontificiis damnarunt. conf. LVDOVICVS MONTALTIVS, in *epiſt. prouincial. epiſt.* 9. *p.* 236. *ſeqq.* ANDREAS RIVETVS, in *explic. decalogi, p.* 347. BALTHASAR MEISNERVS, *philoſ ſobr. part.* 3. *ſect.* 1. *cap* 7. IO. LA PLACETTE, *dans les diuers traités ſur des matieres de conſcience, tract.* 1. *cap.* 8. vsque *ad.* 16. *p.* 35. *ſeqq.*

§. XXXIV.

Grauiſſima etiam circa ſermonem, peccati ſpecies eſt *falſum teſtimonium*, idque iudiciale, quod diuerſa ratione tum ab actore, tum a reo, tum ab aduocato, itemque a teſte & iudice, perhiberi poteſt; ſpecialiori tamen quadam ratione a teſte; vid. *Matth. XXVI*, 61. *Actor. VI*, 13. Idem de *periurio* cenſendum; omnique iuramentorum abuſu. Quae peccata eo grauiora ſunt, quia Deum immediate laedunt, & eius quandam abnegationem expreſſam inuoluunt. Ideoque & comminatio iſta, ſecundo decalogi praecepto addita, merito ſpecialiori quadam ratione ad ea refertur. *Exod. XX*, 7.

§. XXXV.

Contra officia circa rerum dominium peccatur per *furta*, ſiue craſſiori, ſiue ſubtiliori ratione, directe aut indirecte, commiſſa, *rapinas*,

pinas, *ſacrilegia*, *peculatus*, *plagiatus*, & alia crimina in vita humana frequentiſſima. * Referas huc & *plagium literarium*, ** dum viri docti quandoque aliorum labores ſibi vindicant, & inuitis auctoribus, pro ſuis venditant. Porro, quod ad contractus attinet, peccatur circa eos, per *fraudes*, *dolos*, *impoſturas* quasuis. Iniuſti contractus, & praeſtigiae ac corruptelae circa eos, *ſtellionatus* nomine venire ſolent. Pertinent huc etiam *vſurae* illicitae & immodicae. Haec enim omnia in ſeptimo decalogi praecepto prohibentur. *Exod. XX, 15.* add. *Eph. IV, 28.*

* Addenda hic ea peccata, cum pro pecunia venditantur res aut actiones, quae in commercium non veniunt, inter quae eminet crimen *Simoniae*. Nomen hocce habet a Simone iſto mago, qui facultatem dona extraordinaria Spiritus ſancti conferendi, a Petro pro pecunia impetrare volebat, grauiſſime ideo ab eo reprehenſus, *Actor. VIII, 19. ſeqq.* Obtinuit inde, vt, ſi quis res ſpirituales pro pecunia obtinere vellet, crimen hocce *Simonia* vocaretur. Succeſſu tamen temporis, aliter iſta vox accipi coepit, ita vt illis quoque, qui res ac reditus, vel commoda, functionibus ſpiritualibus dedicata, ſibi vindicare vellent, Simoniae turpis nota inureretur. Hoc enim e re ſua eſſe, exiſtimabant Romani pontifices, vt hac ratione opes ac diuitias per fraudem ac nequitiam acquiſitas eo rectius tueri poſſent. Cumque nonnulli intelligerent, non ſatis haec cum eo crimine, quod Petrus in Simone reprehendit, conuenire, vt vulneri huic medelam afferrent, duplicem Simoniam conſtituerunt, quarum altera iure diuino, altera iure eccleſiaſtico prohibita eſſet. conf. PETRVS DE MARCA, *de concordia ſacerdot. & imper. lib. 9. cap. 21.* & IO. SCHILTERVS, *de libert. eccleſ. German. lib 3. cap. 9. §. 13.* Sed clauem huius diſtinctionis nobis ſuppeditat vir cordatus & ingenuus, IO. LAVNOIVS, *in veneranda eccleſiae Romanae circa Simoniam traditione, obſeruat. 7. p. m. 279.* Cum enim probaſſet, hanc diſtinctionem olim ipſis Romanis pontificibus, conciliis, & eccleſiaſticis tractatoribus fuiſſe ignotam, quaeſtionem proponit, quo fine & conſilio iſta diſtinctio fuerit introducta? & reſpondet: *quaerenti mihi, & diu multumque cogitanti, alia cauſſa nulla occurrit, niſi ut Romanae curiae Simonia excuſaretur.* Quod pluribus deinceps comprobat, immo eousque Romanorum pontificum deinceps proceſſit impudentia, vt regibus & imperatoribus, iniuſte ſibi erepta vindicare iterum conantibus, aut iniquis iſtorum praeſulum auſibus reſiſtentibus, Simoniae inurere notam, non dubitarent. Sed falſae iſtae & ſpuriae Simoniae ſpecies, procul faceſſant. Nec tamen etiam, qui pro labore ſtipendium accipit, pro re ſpirituali accipere mercedem cenſendus, aut Simoniae arguendus eſt. *Dignum enim mercede operarium* pronuntiauit ipſe ſeruator, *Luc. X, 7.* conf. *1 Cor. IX, 6, ſeqq.* De honorario poſt confesſionem & impetratam abſolutionem, (nummum confesſionarium alii vocant) dubium ſuboriri poſſet; quod tamen mox ceſſabit, ſi quis finem & ſcopum conſuetudinis huius conſideret. Interim, quid multis, praeſertim rerum ignaris, ſpeciem Simoniae praebere poteſt, iam pridem viri cordati optarunt, vt ea conſuetudine abrogata, alia miniſtros eccleſiae ſuſtentandi iniretur ratio.

** Inter eruditorum peccata, *plagium* quoque *litterarium*, recte refertur. Siue autem pro furto, ſiue pro mendacio habeas, qua de re eruditi inter ſe diſputant, perinde eſt: ſufficit quod peccatum ſit grauisſimum. Cum vero non vnius generis ſit plagium, diuerſaque animi vitia in eo ſubinde concurrant, de eius quoque turpitudine diuerſimode pronuntiandum. conf. IACOBVS THOMASIVS, *de plagio litterar. theorem. 3. §. 37. ſeqq. p. 1*[illegible]*. ſeqq.* & IO. CONRADVS SCHWARZIVS, V. C. *de plagio litterario cap. 6.* vbi de varia plagii turpitudine agit, & *cap. 7.* in quo an plagium furto turpius ſit? disquirit.

§. XXXVI.

Cum denique & ad haecce officia rite praeſtanda, certis mediis excitandus homo ſit, ad ea non minus adhibenda, quam ad impedimenta remouenda, quilibet iure diuino eſt obſtrictus. Media cuncta ad ſincerum proximi amorem redeunt. Qui enim recte amat, is demum operam dabit, ne aut in ſermone, aut in dominii vſu, aut in contractibus, vllo modo, directe aut indirecte, alios laedat. Quae autem media ſint excitandi amorem, iam ex ſupra dictis conſtat. Nec tamen praetermittendae ſunt promiſſiones diuinae, illis factae, qui hiſce officiis ſatisfaciunt. *Pſalm. XV, 3 1 Pet. III, 10. 11.* aut comminationes, illos ferientes, qui haecce officia non obſeruant. *Prouerb. XII, 12. XX, 10. 23. 1 Cor. VI, 10.* Impedimenta, ex philautia praua oriuntur plurima, ſpeciatim *voluptas, & ambitio*, maxime autem *auaritia*, quae omnis iniuſtitiae in verbis & factis mater, recte dicitur. conf. *Prouerb. XXIII, 4. 5. Eccleſiaſt. XXVII, 1. 1 Tim. VI, 9. 10.* Accedunt praeiudicia, de peccatorum quorundam leuitate, impunitate facile in foro diuino obtinenda, neceſſitate ſe ſuosque, etiam cum aliorum damnis, conſeruandi, ſimiliaque.

CAPITIS TERTII
SECTIO VI.
DE
OFFICIIS CONIVGVM,
PARENTVM ET LIBERORVM,
DOMINORVM ET SERVORVM.

Σύνοψις.

EX certis hominum ſtatibus, itidem officia oriuntur hypothetica, §. I.

Quinam iſti ſtatus ſint? §. II.

Primo hinc de matrimonio agendum, cuius indoles ex prima inſtitutione, aeſtimanda, §. III.

quae paucis declaratur, §. IV.

An & quouis que in ſtatu poſt lapſum, matrimonium ad primam inſtitutionem exigendum? §. V.

Quae circa illud in ſtatu poſt lapſum ſpeciatim obſeruanda, §. VI.

Colligitur ex dictis, deliberato conſilio, eaque, qua decet, intentione, matrimonium ab iis ineundum, qui ad eius finem conſequendum, ſunt idonei, §. VII.

An & quiuisque ad matrimonium ineundum homines ſint obligati, § VIII.

Vnius tantum viri, & vnius foeminae, in matrimonio debet eſſe coniunctio, omnisque adeo illicita eſt polygamia ſimultanea, §. IX.

Perpetua quoque haec debet eſſe coniunctio: adeoque illicita ſunt diuortia, niſi cauſſae adſint, quibus vinculum matrimoniale prorſus diſſoluitur, §. X.

Euitandi quoque ſunt in matrimoniis gradus a Deo prohibiti, idque ob primam matrimonii inſtitutionem, §. XI.

Leges

Leges diuinae de gradibus prohibitis, non tantum de matrimoniali, ſed & de fornicaria coniunctione intelligendae ſunt, nec ad perſonas tantum in iis expreſſas, reſtringendae, §. XII.
Regulae de gradibus prohibitis, ex quibus cuncta diiudicari poſſunt, §. XIII.
Matrimonium non alias ob cauſſas ineundum eſt, quam ob quas Deus illud inſtituit §. XIV.
iuxta hactenus dicta, deſcribitur, §. XV.
Contrahitur per conſenſum, vnde ſponſalia, §. XVI.
Quo ſenſu ea in ſponſalia de praeſenti, & de futuro diuidantur, & quid de ſponſalibus conditionatis obſeruandum, §. XVII.
Quo pacto conſenſus comparatus eſſe debeat: variae hinc diiudicandae quaeſtiones, §. XVIII.
An, & quas ob cauſſas, ſponſalia diſſolui queant? §. XIX.
Matrimonium conſummatum, in quo differat a ſponſalibus? §. XX.
Per leges ciuiles & eccleſiaſticas, matrimonio certa requiſita addi poſſunt: de benedictione ſacerdotali eiusque neceſſitate, §. XXI.
Effectus ciuiles, qui benedictionem ſacerdotalem ſequuntur, §. XXII.
De matrimoniis ad morganaticam, §. XXIII.
Officia coniugum, tum generalia, tum ſpecialia, §. XXIV.
Status paternus, eiusque neceſſitas, §. XXV.
Fundamentum ſocietatis inter parentes & liberos, §. XXVI.
Ex fine ſocietatis huius intelligitur, quod parentibus imperium quoddam competat, a liberis obſequium requiratur, §. XXVII.
Imperium & patri & matri, & iis etiam, qui parentum vicibus funguntur, competit, §. XXVIII.
Imperii paterni limites, §. XXIX.
quamdiu duret? §. XXX.
officia parentum, §. XXXI.
liberorum, §. XXXII.
Status herilis, eiusque fundamentum, & quod aequitati naturali non repugnet, §. XXXIII.
a Deo ipſo adprobatus eſt, §. XXXIV.
Poteſtas dominorum, quousque ſe extendat, & quale a ſeruis requiratur obſequium, §. XXXV.
Obſeruatio circa varias de ſeruitute quaeſtiones: item quo pacto haec ſocietas diſſoluatur, §. XXXVI.
Officia tum dominorum, tum ſeruorum, §. XXXVII.
Quod ad officia in omnibus hisce ſtatibus iure diuino homines obligati ſint, demonſtratur, §. XXXVIII.
Peccata, quae iis ſunt oppoſita, §. XXXIX.
Ad media, quibus ad ea obſeruanda induci homines poſſunt, adhibenda, eos itidem obligatos eſſe, §. XL.
Vt & ad impedimenta, quae illorum obſeruationi obſtant, remouenda, §. XLI.

§. I.

PRaeter inſtituta hactenus enumerata, dantur etiam certi ſtatus hominum, a Deo ipſo aut introducti, aut adprobati, vnde itidem officia, quae circa eos verſantur, ſunt *hypothetica*, ad quae tamen iure diuino obligamur.

§. II.

Eiusmodi ſtatus quinque ſunt, *matrimonialis*, *paternus*, *herilis*, *ciuilis*, qui itidem varios ſtatus ſpeciales ſub ſe complectitur, & *eccleſiaſticus*. Quatuor priores, etiam ex ratione noti ſunt, vltimus ex reuelatione tantum conſtat, eamque adeo ſupponit. Alii, tres priores coniungentes, tres tantum ſtatus, quos *hierarchicos* vocant, ſtatuunt; *domeſticum*, *ciuilem* & *eccleſiaſticum*, quod eodem redit. De ſtatibus autem quid generatim obſeruandum ſit, iam alibi expoſitum eſt. *

* *in elem. philoſ. pract. part. 2. cap. 4. ſect. 10. §. 1. 2.*

§. III.

Ad *matrimonium* itaque quod attinet, vnde ſtatus matrimonialis, id primo loco merito conſideramus, cum ſit ſeminarium humani generis, & reliquorum velut fundamentum ſtatuum. Indoles eius ex prima inſtitutione rectiſſime intelligitur, docente ipſo ſeruatore *Matth. XIX, 4.* Quam quidem inſtitutionem luculenter deſcribit Moſes, *Gen. II, 20. ſeqq.*

§. IV.

Conſiderantibus eam inſtitutionem, patebit: coniunctionem primorum parentum non temerarie, ſed ab ipſo Deo, ſapientiſſimo conſilio ſactam; fuiſſe eam, vnius viri & vnius feminae; idque ea ratione, vt vir feminae adhaereret, nunquam ab ea ſeparandus, niſi fundamento matrimonii ſublato, iuxta interpretationem ipſius ſeruatoris, *Matth. XIX, 4. ſeqq.* & quidem vt eſſent *vna caro*, vt indicaretur, quae coniungi debent, ante coniunctionem non debere eſſe vnam carnem.* Praeterea, eum in finem facta eſt ea coniunctio, vt in ſumma ſanctitate & caſtitate, generatis liberis, genus hominum propagarent, *Gen. I, 28.* ſimulque, vt coniunctio illa coniugalis, imago eſſet ſanctiſſimae & arctiſſimae vnionis, qua Deus vnitur cum hominibus, interprete Paulo, *Epheſ. V, 31. 32. 1 Cor. VI, 17.*

* In primaeua matrimonii inſtitutione graduum conſanguinitatis prohibitionem contineri, iam pridem animaduerterunt Ebraeorum doctores, quanquam in quibusdam, more ſuo, nimis ſint ſubtiles. Lectu digna ſunt, quae hac de re habet IO. SELDENVS, de *iur. nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeorum, lib. 5. cap. 2. p. 561. ſeqq.*

§. V.

Licet autem matrimonium hoc modo in ſtatu integritatis inſtitutum ſit, cum tamen etiam poſt lapſum cauſſa & ratio inſtitutionis maneat, in ipſa quoque inſtitutione nihil mutatum, niſi quod mulier imperio mariti debeat eſſe ſubiecta,* quia peccandi initium fecit. *Gen. III, 16.* Vnde & Iudaeos ad primam inſtitutionem ablegat ipſe ſeruator, *Matth. XIX, 4.*

* Qui ergo a reuelatione diuina abſtrahunt, quae nos tantum hac de re certiores reddit, & matrimonium ſecundum rationem conſiderant, non poſſunt non in aliam de mariti in vxorem imperio, ire ſententiam. Etſi enim ex maſculini ſexus praeſtantia, aliisque cauſſis, colligi quodammodo poſſit, dignum eſſe maritum, vt potiores in matrimonio partes teneat, quod & ſi non omnium, certe plerarumque, ni fallor, gentium moribus comprobatur, inde tamen, quod actu eiusmodi illi imperium competat, nondum ſequitur. Nihil ergo aliud ſupereſt, quam vt dicatur, ſi matrimonium ſecundum rationem ſpectetur, imperium mariti in vxorem, a conſenſu ſeu pacto, oriri. Ad quod non ſatis attendit IO. FRIDERICVS HORNIVS, dum imperium mariti in vxorem tantum ab expreſſa Dei conſtitutione eſſe poſſe, docuit, in *polit. architectonica, lib. 1. cap. 1. §. 6.* Sed hisce non eſt, vt immoremur, cum rectiora certioraque nos ſcriptura ſacra hac

de re

de te condoceat. Quaeri equidem ſolet, an in ſtatu integritatis maritus imperium aliquod in vxorem habiturus fuiſſet? Nec abnuo, quandam haud dubio mariti ἐξοχὴν & ſuperioritatem in eo quoque ſtatu futuram fuiſſe, cum haud obſcure hoc apoſtolus innuat: *non enim eſt vir ex muliere, ſed ex viro mulier: cum non propter mulierem creatus ſit vir, ſed propter virum mulier*, 1 *Cor*. XI, 7. 8. Imperium tamen iſtud, quale hodie eſt, citra controuerſiam, a lapſu primorum parentum eſt deriuandum, cum diſerte hoc tradat Moſes, *Gen*. III, 16. Alii diſtinguunt inter ipſum imperium, & imperii modum, & hunc, non illud a peccato Euae deriuandum cenſent. Quorum a noſtra non multum diſcrepat ſententia, modo ſtatui integritatis nihil tribuatur, quod cum ſumma eius perfectione pugnat,

§. VI.

Interim ob inordinatos motus, prauasque hominum cupiditates, factum eſt, vt poſt lapſum matrimonium etiam interdum neceſſarium ſit, ad euitandam ſcortationem. 1 *Cor. VII*, 2. Quemadmodum & ob varia incommoda, quibusdam hominibus conducibilius eſt, ſi a matrimonio ſe abſtineant 1 *Cor. VII*, 1. 26. Ad reliqua quod attinet, apud chriſtianos, ad reſtaurationem imaginis diuinae magis magisque tendentes, eadem matrimonii ratio, quantum pro huius vitae conditione licet, eſſe debet, quae fuit in ſtatu integritatis.

§. VII.

Atque haec cum ita ſe habeant, ſua ſponte ſequitur, deliberato conſilio, rebusque omnibus probe circumſpectis, hic cuncta agenda, nec niſi ex cauſſis ſanctis, Deoque probatis, ad matrimonium ineundum, aliquem accedere debere. Circa inſtitutum enim, quod Deum auctorem habet, non aliter, vt verſemur, par eſt. Vnde & dispiciendum, an quis ratione aetatis, * mentis, ** corporis, *** ad matrimonium ineundum ſit idoneus.

* Quae pro gentium, aliarumque cauſſarum, diuerſitate, aeſtimanda. Vitio itaque non carere ſponſalia, quae nutu parentum, inter eos ineuntur, qui nec conſentire poſſunt, pleno quippe rationis vſu deſtituti, nec ad exequendum matrimonium, per corporis conſtitutionem idonei ſunt, hinc luculenter patet.

** Furioſi itaque & mente capti, a matrimonio excludendi ſunt. Cum enim ſibi ipſi praeeſſe nequeant, multo minus vxori, aut familiae praeeſſe poterunt.

*** Non ergo ad matrimonium admittendi ſunt eunuchi, ad ſobolem quippe procreandam inepti. Vbi enim finis principalis matrimonii ceſſat, procreatio ſcilicet ſobolis, nullum matrimonium licitum eſſe, exiſtimo. Obtenduntur equidem in eiusmodi matrimoniis plerumque alii fines, mutuum ſcilicet adiutorium, & quae alia ſunt eiusdem generis. Sed ſi quis πρόφασιν hic a vero fine & ſcopo caute diſcernat, hunc ſemper illicitum eſſe facile deprehendet. Eſto autem, verum hunc eſſe finem, quem eiusmodi homines obtendunt, ſufficit tamen, quod praecipuus matrimonii finis obtineri nequeat. Neceſſitatibus autem, quas prae ſe ferunt, alia etiam ratione, quam per matrimonium, conſuli poteſt. Conſentit F. FRIDEMANNVS BECHMANNVS, in *theologia conſcientiaria, loc. de coniugio, caſ.* 2. *p*. 301. vbi equidem quaeſtionem ad coniugium inter eunuchum & virginem octodecim vel viginti annorum, reſtringit, ſed rationes quas adfert, generatim contra coniugia cum eunuchis militant. Idem, quidquid etiam alii dicant, exiſtimo de *coniugiis ſenum*, quorum aut vtraque,

vtraque, aut alterutra pars ita comparata eſt, vt finis praecipuus matrimonii, procreatio ſobolis, obtineri nequeat, ea ſcilicet eſſe illicita. Immota enim ſemper perſiſtet haecce regula, verum & legitimum matrimonium non eſſe, vbi finis praecipuus & principalis obtineri nequit. Pono autem, certum eſſe & exploratum, aut vtramque aut alterutram partem ita comparatam eſſe, vt obtinere nequeat. Tum enim manifeſtiſſimum, aut vtramque aut alterutram partem aliquid intendere, quod eſt contra verum & legitimum matrimonii finem.

* Refero huc, quod, qui vxorem duxit, eius quoque conditionis eſſe debeat, vt eam cum liberis alere queat. Ceteroquin ſibi ipſi maxima attrahet incommoda, & ad officia vxori pariter ac liberis praeſtanda, ineptus erit. Quaeri hic etiam ſolet de aequalitate ſtatus & dignitatis, vbi tamen quid prudentiae potius ſit diſpiciendum, cum leges diuinae directe hic nullum obſtaculum ponant. Sed hac de re deinceps dicetur. Cumprimis autem de religionis diuerſitate quaeri ſolet: ſeu an matrimonium inter homines diuerſae religionis ſit licitum? Non plane illicitum eſſe, vel ex eo conſtat, quod ipſe Deus in veteri teſtamento iſtud permiſerit, *Deut.* XXI, 11. nec prorſus improbauerit Paulus apoſtolus, 1 *Cor.* VII, 12. Longe tamen conſultius eſt, thori conſortem, quae eiusdem ſit religionis, adſciſcere, cum perfecta animorum vnio, in qua ſumma matrimonii conſiſtit felicitas, cum religionis diuerſitate vix conſiſtère queat. Si quis ſincere coniugem amet, quam tamen in certiſſimo periculo aeternam ſubeundi damnationem, conſtitutam videt, huncce tranquillo poſſe animo eſſe putas? Nihil etiam mea opinione inconſultius, quam liberorum, qui ex tali matrimonio procreantur, hanc velle ſortem eſſe, vt, (quod communiter fieri ſolet) foeminini ſexus, matris, maſculini, patris religionem ſequantur. Perinde enim hoc eſt, ac in hoc conſentire, quod quidam ex liberis debeant aeternum ſaluari, reliqui, aeternis addici cruciatibus. Aliter ſane de liberis ſuis nemo in tali matrimonio conſtitutus ſtatuere poteſt, niſi ſublato religionum diſcrimine, omnes eodem loco habere velit, hoc eſt demonſtrare, quod ſerio nulli addictus ſit. Intelligendum autem hoc eſt de iis religionibus, quas inter diſcrimen aliquod verum, & ad fidei fundamentum pertinens, intercedit. Fruſtra vero obuertitur, poſſe tamen hac ratione contingere, vt altera pars, quae falſae religioni addicta eſt, ad veram traducatur. Non tantum enim hoc oppido incertum eſt, ſed contingere vice verſa etiam poteſt, vt ea pars, quae verae religioni addicta eſt, per alteram ad falſam amplectendam abripiatur. Quod vel regia ſapientiſſimi, Salomonis, exemplo patet, 1 *Reg.* XI, 3. conf. *Exod.* XXXIV, 16. *Deut.* VII, 4.

§. VIII.

Sequitur inde praeterea, omnes quidem homines ad matrimonium ineundum obligatos eſſe, * ſed tum demum, ſi per cauſſas naturales atque morales ad hoc idonei ſint, nec cauſſae quaedam grauiores obſtent. Prius inde patet, quod cauſſa huius inſtituti vniuerſalis ſit, ad omnes homines pertinens: accedit, quod iniquum eſſet, quae ad humani generis conſeruationem pertinent, in quosdam deuoluere, nec in ſe ſuſcipere velle. Poſterius, ex ipſa huius inſtituti natura & indole, intelligitur. **

* Ita & Ebraeorum doctores ſentiunt, qui praecepto hoc de propagando humano genere, maſculos omnes teneri, ſtatuunt, vt quicunque expleto vigeſimo aetatis anno vxorem non duxerit, eum in illud committere, ſcribant: niſi aut aſſiduo legis ſtudio incumbat, acriori libidinis ſtimulo immunis, aut partium, quibus viri ſumus, defectu, generationi impar ſit. Vbi neutrum horum in cauſſa, vxorem ducendam. conf. IO. SELDENVS, de *iur. nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeor. lib. 5. cap. 3. p. 5*[illegible]6.

** Addendum, quod leges affirmatiuae, ad ſui impletionem, occaſionem requirant.

§. IX.

§. IX.

Vlterius & id ex prima inſtitutione matrimonii colligere licet, vnius tantum viri, & vnius feminae in legitimo matrimonio debere eſſe coniunctionem, adeoque iure diuino prohibitam omnem polygamiam ſimultaneam. * Atque hoc luculenter confirmat ipſe ſeruator, *Matth. XIX, 9.* vbi eum, qui vxore per iniuſtum diuortium dimiſſa, aliam ducit, adulterii reum pronuntiat. Multo igitur magis adulterii reus erit, qui, durante adhuc cum priori, matrimonio, aliam ducit. Et ita quidem res habet, ſecundum primaeuam inſtitutionem, ad quam Chriſtus ipſe prouocat. Nec obſtant eidem exempla patriarcharum quorundam, ** aliorumque virorum ſanctorum, in veteri teſtamento. Quae enim ex cauſſis grauiſſimis in iis tolerauit Deus, cum animo puro ſanctoque illi ſeruirent, non ſtatim trahenda ſint ad imitationem, multo minus inde inferendum, haec iure diuino non fuiſſe prohibita.

* De polygamia ſucceſſiua enim, quod licita ſit, non eſt dubium, etſi nonnulli ex veteris eccleſiae doctoribus in iteratas nuptias paulo iniquiores fuerint, quae nec Graecis hodie ita prorſus probantur, vt omni eas vitio carere exiſtiment. conf. IO. ANDREAE BOSII *diſſertat. 3. de ſtatu. Europae*, §. 35. *p.* 328. Sed idonea non nituntur ratione. Cum enim per mortem alterutrius coniugis vinculum matrimoniale prorſus ſoluatur, nihil ſane obſtat, quo minus altera pars ad ſecunda tranſire vota queat. conf. *Rom.* VII, 3. Praeterea, cum de polygamia diſputatur, non tam de muliebri, quam virili quaeſtio eſt. Illam enim, qua vni mulieri plures iunguntur viri, illicitam eſſe, non temere negabunt ipſimet polygamiae defenſores. Et licet non deſint, qui ſaltem ſecundum rationem ex legibus naturalibus, abſtrahendo a poſitiuis, non magis hanc, quam illam prohibitam eſſe intelligi poſſe contendant, iidem tamen grauiſſimas ſuae ſententiae obſtare rationes, ſimul fateri neceſſe habent: ex quibus haud vltimum locum prolis obtinet incertitudo, vnde alia quoque incommoda quamplurima. Certe humani generis propagationem in eiusmodi matrimoniis nec intendi, nec obtineri commode poſſe, quorſum tamen matrimonia comparata eſſe, ex ipſa ratione quodammodo conſtat, res ipſa docet. conf. HIERONYMVS BRVCKNERVS, in *deciſionib. iuris matrimonialis, controuerſi, cap.* 14. §. 2. vbi eiusmodi polygamiam, ſeu polyandriam, vt vocat, omnes matrimonii fines euertere, recte oſtendit. De polygamia ergo virili, ſeu qua vir vnus plures ſibi iungit feminas, cum quaeſtio intelligenda ſit, plurimos ea nacta eſt defenſores. Ne quid enim de Anabaptiſtis illis antiquioribus ſeu Monaſterienſibus dicam, primo praecipuoque loco hic commemorari ſolet, BERNHARDINVS OCHINVS, qui & aliorum eorundemque grauiſſimorum in theologicis errorum, paſſim poſtulatur: quanquam non deſint, qui de eius ſententia in mitiorem partem pronuntient, ac ſi de caſu ſaltem neceſſitatis, ſi quis vxorem habeat ſterilem, vel valetudinariam, vel frigidam, nec dono continentiae polleat, locutus ſit: conf. quae vir quidam clariſſimus hac de re diſputat, in *obſeruat. Hallenſ. tom. 5. obſeruat. 1.* §. 16. *ſeqq.* Quidquid huius ſit, refutarunt OCHINVM, THEODORVS BEZA, in *tractat. de polygamia, in qua & Ochini apoſtatae pro polygamia, & Montaniſtarum ac aliorum aduerſus repetitas nuptias argumenta refutantur &c.* itemque B. IO. GERHARDVS noſter, *loc. de coniugio* §. 207. *ſeqq.* add. PETRVS BAELIVS, *diction. hiſt. & crit. voc. Ochinus.* Eandem deinceps ſcenam maiori adparatu & ſtrepitu inſtruxit IO. LYSERVS, qui mox ſub THEOPHILI ALE-

THAEI, mox ſub VINCENTII ATHANASII, mox ſub GOTTLIEB WAHREMVNDI, nomine latitans, varia in lucem protruſit, quibus hanc cauſſam agerer, inter quae eminet: *polygamia triumphatrix*, id eſt, *diſcurſus politicus de polygamia*; & lingua Germanica, *das Königliche Marck aller Landen*, &c. vid. VINCENTII PLACCII *theatrum pſeudonym. n. 97. 277. & 2867.* Sed praeter IO. BRVNSMANNVM, theologum Danum in *monogamia victrice*, ſophismata huius hominis accurate refutarunt, MVSAEVS, DIECMANNVS, FELTMANNVS, GESENIVS, aliique, quorum ſatis nota in hocce genere ſunt ſcripta. Legendus etiam hac de re IO. MEYERVS, in *uxore chriſtiana*, qui tamen THEOPHILVM ALETHAEVM, a VINCENTIO ATHANASIO diſtinguendo, duos ſibi aduerſarios fingit, contra quos pugnet, cum tamen ſub vtroque nomine vnus idemque auctor latitet, vid. VINCENTIVS PLACCIVS, de *pſeudonymis, num. 27.* Denique & DAPHNAEVS ARCVARIVS, hic commemorandus, in libro Germanico, de *rebus matrimonialibus* (*von-Ehe-Sachen*) ſcripto. Latitare autem ſub hocce nomine virum magnis ceteroquin in rempublicam litterariam meritis conſpicuum, LAVRENTIVM BEGERVM, conſtat, qui in gratiam Caroli Ludouici, Electoris Palatini, eiusque iuſſu, munus, in hocce argumento ingenii vires periclitandi, in ſe ſuſcepit. vid. VITVS LVDOVICVS SECKENDORFIVS, *hiſtor. Lutheran. lib. 3. ſect. 21. §. 79. p. 277.* add. PLACCIVS, *l. c. n. 227. & 277.* vbi & de auctoris huius refutatione agitur. Ipſe denique HIERONYMVS BRVCKNERVS, licet IO. LYSERI argumenta pro polygamia ceu futilia & mera ſophismata, merito explodat, in quibusdam tamen neceſſitatis caſibus, a ſummis imperantibus, polygamiam per diſpenſationem concedi poſſe, exiſtimat, in *deciſionib. iuris matrimon. controuerſi, cap 14. §. 61. ſeqq.* Sed ad rem ipſam quod attinet, nobis nunc nec de legibus humanis, nec de naturalibus, prout ſecundum rationem conſiderantur, ſed de iis iuxta reuelationem ſpectatis ſermonem eſſe monemus. De humanis enim legibus diſpicere, iureconſultorum eſt, etſi certum ſit, nihil ab illis aut ſanciri, aut valide permitti poſſe, quod iure diuino eſt prohibitum. Interim illud conſtat, & aliis iam obſeruatum eſt, ab initio chriſtianiſmi ad noſtra vsque tempora, in omnibus rebuspublicis chriſtianis, polygamiam ſimultaneam ſemper ſeueriſſimis poenis fuiſſe prohibitam; immo & ex gentilibus, qui reliquis prudentiores fuerunt, prohibita polygamia, monogamiam, legibus ſanciviſſe: quod ſpeciatim de Romanis conſtat. Et quamuis THEOPHILVS ALETHAEVS, ſeu IO. LYSERVS aſſerat, Iulium Caeſarem tuliſſe legem, vt liberorum quaerendorum cauſſa, quot vellet cuiqui vxores ducere, ſas foret, ex SVETONIO tamen in *vita Caeſaris, cap. 49. & ſeqq.* conſtat, Caeſarem eiusmodi quid in animo equidem habuiſſe, nunquam tamen id dediſſe executioni. Quanquam fieri etiam omnino potuerit, vt Cinna, qui apud SVETONIVM talia de Caſare refert, in odium eius id finxerit. De legibus naturalibus ſecundum rationem conſideratis, vt hic ſimus ſolliciti, itidem neceſſe non eſt. Nec mirum, ex ratione certo non conſtare, quod polygamia ſit prohibita, cum haec in ſe ſpectata diuinam matrimonii inſtitutionem ignoret. Et licet plurimae rationes afferri queant, quibus probetur, ſatius eſſe, & ad plurima incommoda, euitanda conuenientius, vt vna vxore contentus ſit maritus, inde tamen, quod diffitendum non eſt, nondum ſequitur, iure naturali polygamiam eſſe prohibitam. Interim id inde liquet, diuinam prohibitionem, quae ex inſtitutione matrimonii primaeua petitur, aequisſimis rationibus ſubnixam, ad hominum etiam ſpectare ſalutem. Et haec ipſa diuina inſtitutio eſt, de qua ſola ſcriptura ſacra nos certiores reddit, ex qua firmisſime ſolidisſimeque demonſtrari poteſt, illicitam eſſe omnem polygamiam ſimultaneam. Enimuero, quod omnis inſtitutio diuina ſit inſtar legis, immo quod ipſo iure naturali ad inſtitutiones diuinas obſeruandas obligati ſimus, conſtat, & ſupra luculenter euictum eſt. Fruſtra Chriſtus *Matth.* XIX, 4. ad primaeuam inſtitutionem prouocaſſet, niſi ad eam obſeruandam homines fuiſſent obligati. Quod vero polygamia ſimultanea contra primam inſtitutionem ſit, euidentiſſime inde colligitur, quod Deus non niſi vnam maſculam, & vnam feminam creauerit, & inter ſe iunxerit, vt indicaret, matrimonium inter vnum virum & vnam feminam eſſe debere. Quae hic polygamiae defenſores excipiunt, ſophismata ſunt, & nugae plus quam pueriles, & eo redeunt, ſi primaeua inſtitutio inſtar normae habenda, hodie quoque in

minime

Digitized by Google

minimis circumſtantiis matrimonialem coniunctionem primaeuae iſti inſtitutioni ſimilem eſſe debere. Ecquis enim eſt, qui non intelligat, de iis hoc capiendum, quae ad matrimonii eſſentiam pertinent? In his enim hodierna matrimonia primae inſtitutioni debent eſſe conformia, non autem in reliquis. Sed haecce iſtorum hominum ſophismata accurate profligauit, vir celeberrimus, CHRISTIANVS THOMASIVS de *crimine bigamiae*, §. 41. *ſeqq.* add. B. IO. MVSAEI, *diſſertat. contra Lyſerum*, §. 18. & IO. DIECMANNVS in *breui examine contra eundem*, ac in *vindiciis iteratis*, §. 28. *ſeqq.* Nec alterum, quod propoſui, contemnendum eſt argumentum, ex *Matth.* XIX. 9. quippe quod ſi recte capiatur, inuicto robore pollet, cum, ſi adulterii reus eſt, qui vxore priori per iniuſtum diuortium dimiſſa, aliam ducit, non poſſit non eiusdem criminis reus eſſe, qui ſtante matrimonio cum priori, aliam ducit.

** Quid ad exempla patriarcharum reſpondendum ſit, iam oſtendimus ſupra ad *cap.* 2. §. 14. Prolixe hae de re etiam diſputatur in libro, cui titulus: *Veſperae Groninganae colloqu.* 10. *p.* 159. *ſeqq.* Sed calculum non ferunt, quae in medium adferuntur: praeſertim quod dicitur, vt vni viro vna mulier iungatur, non tam ad eſſe, quam ad bene eſſe coniugii ſpectare, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, ad quae ex dictis fere reſponderi poteſt. Dubium autem alicui etiam mouere poſſet locus, 1 *Tim.* III, 2. vbi ab epiſcopo requiritur, quod debeat eſſe μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ. Videtur enim apoſtolus ſupponere, fuiſſe inter chriſtianos, qui plurium vxorum viri fuerint, ſeu polygami. Indeque nonnulli colligunt, cum eo tempore tum apud Iudaeos, tum apud ethnicos, polygamia adhuc in vſu fuerit, & haud dubio quidam ex vtrisque, qui polygami erant, ad chriſtianorum ſacra acceſſerint, quibus durum fuerit, reliquas praeter vnam, dimittere coniuges, polygamiam ſimultaneam in veteri & apoſtolica eccleſia fuiſſe toleratam. Nec conueniens ſatis videtur, ſi dicas, ad ipſam Iudaeorum & ethnicorum hic reſpici polygamiam; cum ſermo ſit de tali, qui conſtitui debeat epiſcopus, adeoque ſupponitur eſſe chriſtianus. Verum cum nec ex ſcriptura ſacra, nec antiquitate eccleſiaſtica, vllo idoneo documento comprobari queat, polygamiam ſimultaneam, in eccleſia primitiua chriſtiana fuiſſe toleratam, fruſtra id aſſeritur. Immo ſi fas eſſet hoc inde colligere, pari ratione ex eo, quod 1 *Tim.* V, 9. Paulus diaconiſſam vult eſſe ἑνὸς ἀνδρὸς γυναῖκα, colligere quis poſſet, toleratam olim apud chriſtianos fuiſſe polygamiam vnius feminae cum pluribus viris, quod nemo ſanae mentis dixerit. Alii itaque ad polygamiam ſucceſſiuam hic reſpici exiſtimant, ac ſi indignus epiſcopatu cenſeatur, qui ad ſecundas nuptias tranſierit. Sed merito hanc ſententiam profligauit ABR. CALOVIVS, ad *h. l.* perperamque ſupponitur, ac ſi ſucceſſiua, quam vocant, polygamia, vitium aliquod inuoluat, vt ob eam arceri quis ab epiſcopatu debeat, vt recte ad *h. l.* quoque obſeruat HENRICVS HAMMONDVS. Ipſe itaque HAMMONDVS in eam ingreditur ſententiam, μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα hic vocari, qui per diuortium aliam vxorem non dimiſerit. Cum enim diuortia eo tempore, apud Iudaeos fuerint frequentiſſima, facile fieri potuiſſe, vt ad chriſtianam religionem accederet, qui more recepto, dimiſſa priori vxore, alteram duxerat. Per iniuſtum autem diuortium cum prioris matrimonii vinculum non eſſet ſolutum, eum reuera non vnius, ſed duarum aut plurium feminarum fuiſſe virum. Et tales quidem ab epiſcopatu hic arceri ab apoſtolo. Variae pro vltima hac ſententia pariter ac pro priori, quae toleratam in primitiua eccleſia polygamiam ſupponit, rationes, in medium afferuntur in libro antea laudato cuique titulus: *Veſperae Groninganae, colloqu.* 9. *p.* 127. *ſeqq.* Vbi de hocce dicto in vtramque diſputatur partem. Sed difficultates hic finguntur ſine neceſſitate. Dum enim μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα epiſcopum eſſe vult apoſtolus, polygamiam ſane ſimultaneam excludit: num autem ſequitur inde, inter chriſtianos fuiſſe πολυγάμους? Minime. Remouet enim ab epiſcopo ea vitia, a quibus ut omnes chriſtiani, ita maxime epiſcopi debebant eſſe alieni. Senſus itaque eſt, vnius feminae virum eſſe decet epiſcopum, non plurium, ut apud Iudaeos & ethnicos nonnulli eſſe ſolent: hoc enim vti nullum chriſtianum, ita multo minus epiſcopum decet. Sic & *ſobrium* eſſe debere epiſcopum docet, & ἀνεπίληπτον; num vero & reliqui chriſtiani tales eſſe non debebant? Falleretur,

ſi quis inde inferret, ab epiſcopo quidem, non autem a reliquis eo tempore hoc fuiſſe poſtulatum. Aliter ſe rem habere, ipſe nos apoſtolus docet, *Epheſ.* 1, 4. v, 27. 1 *Theſſal.* v, 23. alibique. Exempla denique illorum, qui inter chriſtianos fuere polygami, noſtrae non obſtant ſententiae. De Valentiniano imperatore refert equidem SOCRATES, quod non tantum ipſe fuerit βίγαμος, ſed legem etiam tulerit, qua bigamiam virilem permiſerit, *hiſtor. eccleſ. lib.* 4. *cap.* 26. Sed multis hodie ſuſpecta eſt haecce SOCRATIS narratio, immo non deſunt, qui eam palam fabulis, inanibusque commentis, annumerant. De Philippo contra magnanimo, Landgrauio Haſſiae res certa eſt, nec ignotum, quantam facti huius adprobatione inuidiam ſibi conflauerit Lutherus. Tantum vero abeſt, vt hinc colligi queat, generatim & promiſcue polygamiam virum beatum adprobaſſe, ut maſcule & cordate HVLDERICVM illum NEOBVLVM, qui occaſione hinc arrepta, libellum pro defenſione bigamiae edidit, refutarit. Satius interim feciſſet, ſi Landgrauii hocce factum non adprobaſſet, etſi in eo ſingulares plane concurrerent circumſtantiae. conſ. VITVS LVDOVICVS SECKENDORFIVS, in *hiſtoria Lutheraniſmi*, *lib.* 3. *ſect.* 21. §. 79. *p.* 277. 278.

X.

Sed id quoque inde ſequitur, coniunctionem iſtam vnius viri & vnius feminae debere eſſe perpetuam, adeoque diuortia, quibus vinculum matrimonii plane ſoluitur, extra caſum adulterii, eſſe illicita. *Matth. XIX, 4. ſeqq.* * Idem tamen de nonnullis cenſendum, quae adulterio aequipollent, vti malitioſa deſertio, cum per hanc aeque ac illud, ipſum fundamentum matrimonii velut euertatur, vnde & per eam, ſi modo omnia malitioſae deſertionis requiſita adſint, vinculum iſtud plane ſolui, & diuortio locum concedi, manifeſtum eſt.

* Matrimonia ſecundum primaeuam inſtitutionem debere eſſe perpetua & indiſſolubilia, diſerte docet ſeruator, *Matth.* XIX, 4. *ſeqq.* Vnde nefas eſſe dimittere vxorem, idem concludit, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, *ibid. v.* 9. vel vt *Matth.* v. 32. loquitur, παρεκτὸς λόγου πορνείας. De quorum ſeruatoris verborum ſenſu, cum non leuis inter eruditos ſit diſſenſio, non male nonnulli obſeruant, fuiſſe iam tum inter Ebraeorum magiſtros de cauſſis diuortii magnas controuerſias, easque occaſionem dediſſe quaeſtioni, quae *Matth.* XIX, 1. *ſeqq.* ſeruatori proponitur. Schammaeana namque ſchola contendebat, diuortium non niſi in cauſſa adulterii eſſe licitum; ſchola contra Hilleliana, ob quamuis cauſſam, ob quam mulier viro diſplicere poterat, ſi e. g. non bene morata aut modeſta eſſet, ſi eſculenta mariti nimia ſalſedine aut nimia toſtione male conficeret, &c. diuortium fieri poſſe, aſſerebat. Immo R. Akibha eousque progreſſus eſt, vt diceret, ſi quis videret mulierem vxore ſua formoſiorem, diuortii locum eſſe. Cum vero Moſes, vir diuinus, cauſſam diuortii *Deut.* XXIV, 1. per ערות דבר expreſſiſſet, circa vocis huius interpretationem in diuerſas iidem abierunt ſententias. Schammaeana namque ſchola per ערות דבר intelligebat *libidinem*, *laſciuiam*, *impudicitiam*, quae in hominibus coniugii vinculo adſtrictis, plerumque adulterii votum innuit, vel cum iuſta eius ſuſpicione coniuncta eſt. Hilleliana contra ſchola verba ערות דבר diuiſim exponenda cenſebat, ac ſi dictum eſſet או ערוה או דבר *aut turpitudinem aliquam*, *aut rem aliam foedam*, quod deinceps de moribus quibusuis inconcinnis, aut parum decoris, explicabant. Legere haec omnia licet in *tractatu Miſchnico Gittim*, *cap.* 9. add. IO. BVXTORFIVS, de *ſponſalibus & diuor-*

diuortiis, *p.* 89. *ſeqq.* & IO. LIGHTFOOTVS, *hor. Ebraic.* in *Matth. cap. V*, 31. & *cap. XIX*, 3. Confirmat quoque eadem IO. SELDENVS, ſed hoc tamen addit, vocem ערות in vtriusque ſectae, tum Schammaeanae, tum Hillelianae, ſententiis, diffuſiori ſignificatione venire, vt multum diſcrepet ab ea turpitudinis notione, qua inceſtus, adulterium, ac cum vxore immunda coitus, in Leuitico deſignatur: quod pluribus demonſtrare ſatagit, in *vxore Ebraica*, *lib.* 3. *cap.* 21. *p.* 351. *ſeqq.* Nec prorſus abnuo, modo ſimul concedatur, quae, ſaltem ex Schammaeanae ſcholae ſententia, nomine ערות veniebant, animum laſciuum & libidinoſum indicare, nec procul a crimine adulterii abfuiſſe. Hoc enim ea ipſa, quae a SELDENO afferuntur, exempla, ſatis docent. Hic ergo cum controuerſiae iſtius de diuortiis, eorumque cauſſa, apud Iudaeos eo tempore fuerit ſtatus, haud difficile fuerit, de reſponſione Chriſti ad quaeſtionem propoſitam, iudicare. Sunt equidem, qui eum prorſus ad mentem ſententiamque ſcholae Schammaeanae, contra Hillelianam, pronunciaſſe, exiſtimant. Sed, niſi me omnia fallunt, deciſio Chriſti non prorſus cum ſententia ſcholae Schammaeanae conuenit. Hanc enim τὸ ערות דבר paulo latius accepiſſe, vt impudicitiam equidem & libidinem, ſed non praeciſe adulterium ſtricte ſic dictum denotaret, antea diximus. Nec aliter ſentire poterant, qui verbis Moſaicis ſtricte inhaerebant, quae rectius, quam Hillelianos, eos accepiſſe, nullum eſt dubium, etſi de adulterio ſtricte ſic dicto ea non interpretarentur, de quo etiam non capienda ſunt. Etenim, ſi de adulterio ſtricte ſic dicto verba Moſis capiantur, commoda ratio reddi nequit, quo pacto lex haecce de repudio, *Deut. XXIV*, 1. cum altera, de adulterio capitaliter puniendo, *Deut. XXII*, 22. conciliari queat. Non equidem me fugit, quae vulgo hic afferri ſolent, ſed, quod accuratius ea ſuſtinere examen nequeant, certus ſum. Seruator autem rem omnem ad primam reuocat inſtitutionem; atque oſtendit, omne matrimonium eſſe indiſſolubile, niſi ab alterutra parte aliquid committatur, quo vinculum eius prorſus diſſoluatur. Et ita vnico velut ictu tum Schammaeanae, tum Hillelianae ſcholae placita, proſternit. Sed cum Schammaeani pro ſe haberent auctoritatem Moſis, *Deut. XXIV*, 1. ex illorum omnino mente profecta videtur exceptio, *Matth. XIX*, 7. *cur ergo Moſes praecipit diuortii tabulam dari, vxoremque repudiari?* Quid ad haec Chriſtus? non dicit, eos verba Moſis non recte allegare, aut eorum non tenere ſenſum, ſed concedit potius quod obiiciebant, aſſeritque, ad primam rem omnem exigendam inſtitutionem. *Moſes vtique*, inquit, *propter veſtram pertinaciam vobis vxores veſtras repudiare permiſit*; *ἀπ' ἀρχῆς δὲ οὐ γέγονεν οὕτω.* Quae cum ita ſint, nullum eſt dubium, quin cauſſam diuortii arctius adhuc conſtrinxerit, quam ſchola Schammaeana, ſimulque palam eſt, vocem πορνείας non aliter, quam de adulterio, accipi poſſe, maximeque errare, qui eam aut latius extendunt, aut τῷ ערות דבר *Deut. XXIV*, 1. aequipollere putant. Neutrum enim horum admitti poteſt, vt ex dictis luculenter liquet. Et licet vox πορνεία ceteroquin generatim ſcortationem denotet, hic tamen ex argumenti, de quo ſermo eſt, conditione patet, eam ſpeciatim adulterium ſignificare, quam vocis ſignificationem & ceteroquin non adeo infrequentem eſſe, ipſe non diffitetur IO. SELDENVS, quin ceteroquin multos hic ſibi ipſe diſponit anfractus, in *vxore Ebraica*, *lib.* 3. *cap.* 23. *p.* 348. Ceterum rationem deciſionis ſuae haud obſcure in antecedentibus indicauerat ſeruator, ex integritate ſcilicet vinculi matrimonialis, deſumendam. Hinc ad verba *Gen. II*, 24. & *adhaerebit vxori ſuae, fietque ex duobus vnum corpus*, prouocauit, addiditque: *itaque non ſunt duo, ſed unum corpus &c.* Eum ſcilicet in finem, vt ordine a Deo praeſcripto, ſoboles procreetur. Vnde a fine vinculum hocce matrimoniale aeſtimandum. Per adulterium itaque cum hocce penitus diſſoluatur vinculum, tum diuortio locum concedi, manifeſtum eſt. Quod enim pontificii docent, per adulterium vinculum matrimoniale non ſolui, vt abſonum eſt, & huic loco palam repugnat, ita eum ſaltem in finem ab illis eſt excogitatum, vt notio ſacramenti, quam perperam matrimonio tribuunt, ſibi conſtaret. Fruſtraque omnino praeſidium in eo ponunt, quod verba: εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ non exceptiue, ſed negatiue accipienda contendunt, ac ſi mens ſeruatoris eſſet, vxorem, quae

non ſit adultera, hoc eſt, fidam & caſtam, non poſſe dimitti, de infida vero & adultera, nihil ſe velle dicere, ad vitandam inuidiam Phariſaeorum & populi. Palam enim eſt, nec ipſimet inficiari queunt, particulam εἰ μὴ eſſe exceptiuam, *Matth. XI*, 27. *XII*, 4. 39. *XIX*, 17 alibique. Omnem vero dubitandi rationem adimit locus parallelus, *Matth.V*,32. vbi vox παρεκτὸς aliter, quam exceptiue, accipi nequit. conf. ABRAH. CALOVIVS, & IOAN. GEORGIVS DORSCHAEVS, ad *h. l.* Quae vero in ipſo concilio Tridentino hac de re diſputata ſint, legi merentur apud PETRVM SVAVEM, in *hiſtor. concil. Trid. lib.* 8. *p.* 869. & 879. Atque haec cum ita ſe habeant, cauſſam, cur ob adulterium vnius partis diuortium locum inueniat, eſſe, quod per illud matrimoniale diſſoluatur vinculum, non eſt, quod dubitemus, per cauſſas adulterio aequipollentes matrimonium itidem diſſolvi, locumque tum inuenire diuortia. Vbi enim eadem cauſſa, non poteſt non idem ſequi effectus. Sed cauſſae eiusmodi esſe debent, per quas matrimoniale vinculum penitus, & quidem per alterutrius partis culpam, diſſoluatur. Eiusmodi eſt conſtans & pertinax debiti coniugalis denegatio, & deſertio malitioſa. Per vtramque enim id, quod ad eſſentiam matrimonii pertinet, aeque deſtruitur, ac per adulterium. Et hinc rectius colligitur, ob malitioſam deſertionem licitum eſſe matrimonium, quam ex 1 *Cor. VII*, 15. vbi apoſtolus nihil aliud dicit, quam, ſi vir infidelis coniugem fidelem ob religionis diſcrepantiam deſerat, vel dimittat, id impediri non poſſe. Quod ſi vero in coniugio alterutri parti aliquid praeter ipſius culpam obtingat, quo matrimonii finis impediatur, morbus, v. g. aut impotentia, vel ſimile quid, diuortium locum non habet, cum hoc non aequipolleat adulterio, ſed ceu infortunium patienti animo ſit ferendum. At ſi iam ante matrimonium contractum pars altera eiusmodi vitio laborauerit, idque alteri parti non innotuerit, diuortio quidem opus non eſt, cum nullum reuera fuerit matrimonium, declaratione tamen magiſtratus, eiusmodi matrimonium nullum eſſe, nec adeo conſiſtere poſſe. Praeterea, ſi alterutra pars delicto grauiori ſe obſtringat, eoque alteram grauiſſime laedat, itidem, quamdiu directe matrimonii vinculum non laeditur, diuortium concedi nequit, ſed ſufficit punire partem, quae peccauit, & laeſae partis ſecuritati pro viribus conſulere. Multo minus ob aſperos durosque mores ad diuortium ſtatim prouolandum, etſi hoc ſibi perſuaſerit IO. MILTONVS, in ſummam imperantium auctoritatem, & in ſequiorem ſexum aeque iniurius, ſed paſſim ideo refutatus ab aliis: de quo legi meretur PETRVS BAELIVS, in *dictionar. hiſt. & crit. voc. Miltonus.* Quae diximus hactenus, de totali, quod vocant, divortio intelligenda, a quo diſcernitur *diuortium quoad thorum & menſam*, quod ad concordiam inter coniuges reducendam, vel alterius partis malitiam coërcendam, recte interdum a magiſtratu conceditur, modo id ea fiat ratione, ne parti innocenti incommodum aut detrimentum attrahatur. Ad ſpecialia nunc non deſcendimus, cum ex hactenus dictis cuncta facile diiudicari queant. Interim conf. HIERONYMVS BRVCKNERVS, in *deciſionibus iuris matrimonialis, &c. cap.* 17. *ſeqq.*

§. XI.

Non minus & id ex prima inſtitutione intelligitur, euitandos eſſe gradus a Deo prohibitos. Namque, quod Deus in prima matrimonii inſtitutione generatim conſtituit, diuerſam eſſe debere carnem, quae deinceps vna fieri debeat per matrimonium, * id ſpeciatim & vberius deinceps declarauit, explicando leges matrimoniales genti Iſraeliticae, *Leuit. XVIII. & XX.* Quod autem ratio absque reuelatione ſpectata, hanc probationem ignoret, prohibitionisque graduum, ſaltem collateralium, aut nullas, aut vero-

ſimiles

Digitized by Google

ſimiles ſaltem cauſſas adferre valeat, inde eſt, quod inſtituti huius indoles non aliunde nobis hodie, quam ex ſcriptura, conſtat.** Olim autem, priusquam litteris quidquam conſignatum fuit, per oralem propagationem, vt reliquae leges, ita & inſtituta diuina, omnibus gentibus innoteſcere potuerunt.

* conſ. dicta ad §. 4.

** Vt de graduum, ratione conſanguinitatis & affinitatis, prohibitione, eo rectius conſtet, primo de lege ipſa, qua prohibitio iſta nititur, certi eſſe debemus. Fuerunt, qui lege naturali (abſoluta) prohibitionem iſtam inniti arbitrantes, ex ipſa naturae humanae conſideratione cauſſas inuenire voluerunt, cur eiusmodi coniunctiones pro illicitis habendae ſint. Sed recte hac de re pronunciauit HVGO GROTIVS: *cauſſas certas, & naturales, cur talia coniugia, ita, vt legibus aut moribus vetantur, illicita ſint, aſſignare qui voluerit, experiendo diſcet, quam id ſit difficile, immo praeſtari non poſſit*: de *iur. bell. & pac. lib.* 2. *cap* 5. §. 12. Cauſſam ſane, quam PLVTARCHVS attulit, *quaeſtion. Rom. qu.* 107. & AVGVSTINVS, de *ciu. Dei, lib.* 15. *cap.* 16. de latius ſpargendis amicitiis per diffuſas affinitates tanti ponderis non eſſe, idem GROTIVS *l. c.* iudicat, vt, quod contra fiat, irritum aut illicitum cenſeri debeat. Neque enim, inquit, quod minus vtile eſt, ſtatim & illicitum eſt. Alii itaque, vt ex omnibus facilius ſe expedirent difficultatibus, gradus aſcendentium & deſcendentium, a collateralibus, diſtinguendos exiſtimarunt. Concedunt itaque, gradus collateralium iuri naturae non repugnare, cui tamen omnino aduerſentur coniunctiones aſcendentium & deſcendentium. Vltimum vero vt probent, varias adferunt rationes. Nonnulli namque ipſos adfectus humanos a tali commixtione abhorrere, contendunt, ita quidem, vt omnes, qui per prauam educationem aut vitioſum habitum non ſunt corrupti, in ipſis ſenſibus deprehendant aliquid tali commixtioni repugnans; conf. GROTIVS, de *iur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 5. §. 12. *n.* 5. Alii ad pudorem prouocant, qui inſigniter intendatur aduerſus illas perſonas, quibus natura reuerentiam quandam debemus. vid. SAM. PVFENDORFIVS, de *iur. natur. & gent. lib.* 6. *cap.* 1. §. 32. Alii obligationum vrgent confuſionem, quia nec maritus, qui ſuperior eſt lege matrimoniali, eam reuerentiam poteſt praeſtare matri, quam natura exigit, nec patri filia. vid. GROTIVS, *l. c.* §. 12. *n.* 2. add. PHIL. REINHARDVS VITRIARIVS, *inſtit. iur. natur. & gent. lib.* 2. *cap.* 5. *qu.* 20. Non equidem deſunt, quae hiſce rationibus iterum opponantur ab aliis, vt videre licet apud CHRISTIANVM THOMASIVM, *iurisprud. diuin. lib.* 3. *cap.* 2. § 222. *ſeqq.* Sed rurſus non deſunt, quae hiſce iterum reponi poſſent. Vnde veroſimilior illorum eſt ſententia, qui, ipſam ab eiusmodi commixtionibus abhorrere naturam, contendunt, easque adeo illicitas eſſe, ratio inde quodammodo intelligit. conf. quae ex MAIMONIDIS *More Neuochim, lib.* 3. *cap.* 49. obſeruat IO. SELDENVS, de *iur. natur. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeor. lib.* 5. *cap.* 10. *p.* 618. Quidquid tandem huius ſit, de ratione vt multum ſimus ſolliciti, neceſſe non eſt, cum ſcriptura aperte tradat, quae fugere, quaeue adprobare debeamus. Ex ea conſtat, iuxta primaeuam matrimonii inſtitutionem, certos gradus eſſe prohibitos, & ne ignoraremus, quinam iſti ſint, diſerte explicantur, *Leuit.* XVIII. & XX. Inde etiam conſtat, leges iſtas de gradibus prohibitis eſſe vniuerſales, omnesque omnino homines obligare, Idque ex ipſa matrimonii inſtitutione, quae ad omnes homines pertinet, patet. Sed ex *Leuit.* quoque *cap.* XVIII. vbi iſtae leges indicantur, quoniam Deus gentilibus poenas grauiſſimas ob earum migrationem, comminatur. Quibus ergo legibus tum Iſraelitae, tum gentiles obligantur, illae ſunt vniuerſales. Nec audiendi ſunt, qui quasdam leges vniuerſales, quasdam particulares eſſe volunt. Obſtat enim inter alia, quod *verſ.* 27. dicatur, Cananaeos, ob omnium iſtarum legum violationem puniendos eſſe. Sunt porro, qui leges iſtas pro poſitiuis vniuerſalibus habent, cui & ego olim adſtipulatus ſum ſententiae, a qua tamen cur diſceſſe-

diſceſſerim, ſupra dictum, *cap.* 1. §. 10. 11. Supereſt igitur, vt concludamus, leges iſtas eſſe vniuerſales hypotheticas, quae inſtitutum aliquod diuinum ſcilicet matrimonium, ſupponunt. conf. quae ſupra diximus, *cap.* 2. §. 43. & 45. Vnde & ſequitur, etſi leges iſtae vniuerſales ſint, omnesque homines, nemine excepto, obligent, poſſe tamen Deum aliquando matrimonia his contraria, modo naturalem quandam trupitudinem non inuoluant, tolerare: quod & in veteri teſtamento ſubinde factum eſſe, exempla varia teſtantur. Lucem hic iterum dabunt, quae ſupra *cap.* 2. *ad* §. 14. diximus.

§. XII.

Vt autem, quae de gradibus prohibitis, *Leuit. XVIII. & XX.* dicuntur, recte intelligantur, obſeruandum, quod per coniunctionem in iſtis legibus, non tantum matrimonialis, ſed & fornicaria ſignificetur, vt vel ex phraſi, *reuelare turpitudinem*, patet.* Deinde, quod in iſtis legibus locum etiam habeat interpretatio extenſiua, ſi ratio a Deo addita hoc requirat.** Ratio autem, quam Deus addidit, eſt, *proximitas ſanguinis.**** Ergo ſequitur, quod leges iſtae ad gradus ibi non expreſſos, in quibus tamen eadem eſt ſanguinis proximitas, ac in iis, qui ibi expreſſi ſunt, omnino extendendae ſint.

* Patet idem quoque ex variis ſcripturae locis, *Gen. XXXV,* 22. collat. cum *cap. XLIX,* 4. 2 *Sam XIII,* 14. *Amos II,* 7. alibique.

** An in legibus matrimonialibus, *Leuit. XVIII. & XX.* commemoratis, tantum perſonae ibi expreſſae, an autem etiam reliquae iisdem gradibus a ſe inuicem diſtantes, prohibeantur? acriter inter ſe diſputant viri eruditi. Priori ſententiae praeter Iudaeos, & pontificios quosdam, nonnulli quoque ex noſtrae eccleſiae doctoribus adſtipulantur. Immo ipſius B. LVTHERI haec olim fuit ſententia, in libro, de *vita coniugali, tom.* 2. *Altenburg. p.* 210. *ſeqq.* vt & aliorum quorundam theologorum, illi coaetaneorum, quod pluribus euincit HIERONYMVS BRVCKNERVS, *in deciſionibus iur. matrimon. controuerſi, cap.* 5. §. 1. *ſeqq.* qui tamen ſimul obſeruat, contrariam ſententiam plerisque deinceps noſtrae eccleſiae theologis & iureconſultis arriſiſſe. Nec profecto immerito, cum rationibus euidentiſſimis euinci queat, de perſonis etiam ibi non expreſſis, ſed iisdem gradibus a ſe inuicem diſtantibus, haſce leges intelligendas eſſe. Primam praecipuamque iam indicaui, quae in *verſ. 6. cap. XVIII. Leuit.* aperte continetur. Verba haec ſunt: *Vir vir,* i. e. *nemo quisquam, ad carnem carnis ſuae,* id eſt, *ad propinquum vel propinquam carnis ſuae adpropinquet, ad retegendam nuditatem.* Vbi per *carnem carnis*, conſanguinitas deſcribitur. Neque tamen quaelibet conſanguinitas hac locutione denotatur, ſed conſanguinitas proxima, vt caro carnis meae ſit, & dicatur, qui vel quae conſanguinitate me proxime attingit, ſiue in linea recta, ſiue collaterali. Magnopere ergo errarunt (quod velut in tranſitu notamus) Romani pontifices, qui de quacunque conſanguinitate legem hanc acceperunt, & coniugia in ſeptimum vsque gradum conſanguinitatis, prohibuerunt. Quamuis autem hocce fundamentum generale vi verborum pertineat ad perſonas conſanguinitate ſibi coniunctas, idem tamen ad perſonas affinitate ſibi coniunctas, recte transferri, vel exempla ab ipſo Moſe ſubiuncta docent. Sic *v.* 8. prohibetur, ne priuignus cum nouerca ineat matrimonium, quod eodem affinitatis gradu hae ſibi inuicem coniunctae ſint, quo filius & mater, ratione conſanguinitatis. Quaecunque ergo perſonae, ſiue ratione conſanguinitatis, ſiue ratione affinitatis, ita coniunctae ſunt, vt altera ad alteram ſe habeat, vt caro ſuae carnis, eae iure diuino prohibitae cenſentur, ſiue exprimantur in legibus ſpecialibus, ſiue non expri-

Digitized by Google

exprimantur. Deinde, idem ex eo quoque probari poteſt, quod ipſa naturalis aequitas hoc poſtulet, vt, vbi eadem ratio, ibi eadem quoque ſit legis diſpoſitio. Aut enim rationem Deus habuit, cur certos gradus prohiberet, aut non habuit. Poſterius adſeri nequit, cum & ſapientiae diuinae hoc repugnet, & ex dictis contrarium conſtet. Prius ergo ſi adſumas, omnes perſonas in eodem gradu diſtantes prohiberi, neceſſe eſt, cum iniquum eſſet, quasdam perſonas prohibere, & alias, quarum quoad conſanguinitatem & affinitatem eadem prorſus eſt ratio, non prohibere. Denique, & ex abſurdo, quod ex ſententia contraria fluit, idem euinci poteſt. Si enim perſonae, quarum in legibus iſtis matrimonialibus expreſſe mentio iniicitur, tantum matrimonium inire prohibentur, non item reliquae, quae eadem ratione a ſe inuicem diſtant, ſequetur, quasdam nuptias licitas eſſe, quae tamen omnium fere conſenſu tanquam illicitae damnantur. Non enim nefas eſſet, ſi nepos in matrimonium duceret auiam, & auus proneptem. Harum enim perſonarum expreſſe mentio in iſtis legibus non iniicitur. Ad rationes, quae in contrarium adferri ſolent, ſolide & accurate more ſuo reſpondet IO. MVSAEVS, in *commentatione de conſanguinitate & affinitate, in cap. XVIII. Leuit.* a V. C. IMMANVELE PROELAEO edita, *p.* 55. *ſeqq.* conf. & MARTINVS CHEMNITIVS, *locor. theol. part.* 3. *loc. de coniugio*, *p.* 207. *ſeqq.* Cum ergo plana atque euidentia hic cuncta eſſe videantur, miror, quod vir ſubacti & conſummati iudicii, B. PHIL. IAC. SPENERVS, ſcrupulos hic ſibi formauerit, cur noſtram ſententiam, quae & apud pleroſque recepta eſt, non extra omnem dubitationis aleam poſitam eſſe, exiſtimauerit, in *reſponſis theologicis latinis*, *part.* 2. *cap.* 4. *p.* 105.

*** Praecipua haec eſt ratio, atque primaria, a Deo ipſo indicata, vti demonſtrauimus. Accedere tamen potuerunt aliae rationes: ad minimum ſingularem eiusmodi legum ad plurima euitanda incommoda eſſe vtilitatem, certum eſt. Huc illud refero, quod iam ab Ebraeis, ſpeciatim MOSE MAIMONIDE, in *More Neuochim*, *lib.* 3. *cap.* 49. aliisque, obſeruatum eſt, prohibitiones iſtas hocce quoque ſecum inter alia traxiſſe commodum, ne quarundam perſonarum conuictus quotidianus, & inobſeruatus, qualis conſanguinitate aut affinitate iunctarum haud raro eſſe ſolet, ſtupris & adulteriis occaſionem daret, ſi amores tales nuptiis poſſent conglutinari. add. IO. SELDENVS, de *iur. natur. & gent. iuxta diſciplin. Ebraeor. lib.* 5. *cap.* 10. *p.* 618.

§. XIII.

Reliqua expediri facili negotio poſſunt, ſi ſequentes obſeruemus regulas: in linea recta aſcendente, & deſcendente, coniugium iure diuino prohibetur in infinitum; * in linea collaterali aequali, nuptiae tantum ſunt prohibitae, inter fratres & ſorores; ** in linea collaterali inaequali nuptiae tantum ſunt prohibitae inter eas perſonas, quae ſibi parentum & liberorum loco ſunt, etiam ex vno latere in infinitum; *** quaecunque perſonae vni coniugum interdictae ſunt, ratione conſanguinitatis, illae etiam alteri interdictae ſunt, ratione affinitatis. *

* Verba legis diuinae aperta ſunt, *Leuit. XVIII, 7. nuditatem patris tui, & nuditatem matris tuae non reuelato &c.* Cum vero & alias patris nomine & auus, & proauus, & abauus veniat, ſicut & matris, auia, proauia, &c. res ipſa docet, quod ſimul prohibeantur nuptiae inter nepotem & auiam, item inter neptem & auum, proneptem & proauum, & ſic porro. Accedit, quod deinceps *verſ.* 10. diſerte nuptiae inter auum & neptem, ex filio aut filia, prohibeantur, idque ideo, quod facilius hicce caſus euenire poterat, quam reliqui: vnde, licet omnes coniunctiones inter aſcendentes & deſcendentes ſint illicitae, huncce tamen caſum ſpeciatim & determinate deſignare Deus voluit.

** Ita enim legiſlator loquitur v. 9. *Nuditatem ſororis tuae, filiae patris tui, aut filiae matris tuae, natae domi, aut natae foris, ne retegito nuditatem earum.* Vbi quidem nonnulli prohiberi putant, primo nuptias inter fratrem & ſororem germanam, hoc eſt, inter fratrem & ſororem ex eodem patre & eadem matre natam, deinde, inter fratrem & ſororem agnatam, id eſt, inter fratrem & ſororem, ex eodem quidem patre, ſed non & eadem matre, & denique inter fratrem & ſororem vterinam, hoc eſt, ex eadem matre quidem, ſed non eodem patre. Sed omni fundamento haec deſtituitur ſententia, & verbis textus aperte repugnat. Per ſororem enim, *filiam patris*, intelligitur, quae eundem cum fratre patrem, ſed non eandem matrem, agnoſcit: per ſororem autem, *filiam matris*, quae eandem matrem, ſed non eundem habet patrem, quamue *vterinam*, vocare ſolent. Cum vero additur: *natae domi aut natae foris*, ſenſus eſt, ſiue ſit *proles domeſtica*, filia, quae eſt nata ex muliere quapiam, poſtquam ea domum a filiae patre ducta eſt, ſiue *externa*, ante contractas nuptias nata, ſeu ſpuria. conf. IO. CLERICVS, ad *h. l.* Quod ſi regeras, ita matrimonia liberorum, qui eundem patrem & matrem habent, non prohiberi: reſponderi poteſt, hoc per conſequentiam recte ex hacce lege colligi. Si enim prohibitae ſunt coniunctiones liberorum, qui aut patrem ſaltem, aut matrem communem habent, multo magis illorum prohibitae cenſendae ſunt, qui eundem patrem, eandemque agnoſcunt matrem. Conſtat ergo, iure diuino in linea collaterali aequali, nuptias tantum prohiberi in gradu primo. Secundi aut vlterioris gradus exemplum hic non occurrit: vnde eodem iure extra controuerſiam licitae ſunt, *nuptiae conſobrinorum.* De *matrimonio compriuignorum.* diſputari ſolet. SAMVEL namque BOHLIVS, theologus Roſtochienſis, vir ob alia quoque ingenii monumenta haud obſcuri nominis, in *tractatu contra matrimonium comprìuignorum*, anno MDCXXXVII. edito, illicitas eſſe eiusmodi nuptias, contendit: cui anno ſequenti tractatum pro matrimonio comprìuignorum, oppoſuit IO. COTHMANNVS, eiusdem academiae theologus. Fuerunt deinceps & alii, ſed pauciores, qui BOHLII ſententiam adprobarent, quos inter etiam eſt vir illuſtris, CHRISTIANVS THOMASIVS, *iurisprud. diu. lib. 3. cap. 3. §. 151. ſeqq.* Exiſtimabat autem BOHLIVS, matrimonium inter comprìuignos, ſi nouus frater aut noua ſoror non ſuperueniat, locum habere, ſed ſi pater ex nouerca ſuſceperit prolem, tum comprìuignis nefas eſſe, inter ſe inire matrimonium. Cuius quidem ſententiae ſuae praeſidium maxime collocauit in *verſ. 11. cap. XVIII. Leuit.* quem ita interpretatur: *Nuditatem filiae vxoris patris tui*, id eſt, *nouercae tuae, parientis patri tuo, ne retegito.* Exiſtimauit namque, vocem מולדת actiue reddendam, *parientis*: & niſi hicce verſiculi huius ſenſus eſſet, non poſſe commodiorem inueniri, quia matrimonium inter fratrem & ſororem, tum germanam, tum conſanguineam, pariter, ac vterinam, iam *verſ. 9.* prohibitum fuerit. Verum, quod ad prius attinet, fruſtra aſſerit vocem מולדת actiue, & quidem per *parientis* reddendam. Repugnat enim vſus ſcripturae ſacrae. Repugnant interpretes vetuſtiſſimi. Namque 70. interpretes τὸ מולדת אביך reddunt: *ὁμοπατρία ἀδελφή*: vulgatus: *quam peperit patri tuo*: ONKELOS: דילידא מן אביך *quae eſt nata ex patre tuo.* add. IO. CLERICVS, ad *h. l.* Nec abſonum, legis prioris partem hic repeti, cum cauſſae grauiſſimae Deo eſſe potuerint, cur repetitione iſta Iſraelitis legis huius obſeruantiam eo magis iniungendam eſſe, exiſtimauerit. conf. B. IO. MVSAEVS, de *conſanguinitate & affinitate, p. 17. ſeqq.* & HIERONYMVS BRVCKNERVS, in *deciſionibus iuris matrimonialis controuerſi*, *cap. 9.*

*** Conſtat hoc ex *Leuit. XVIII*, 12. 13. 14. vbi nuptiae cum amita, matertera, & patruo, ſiue ſecundus conſanguinitatis gradus lineae collateralis inaequalis, diſerte prohibentur. Cumque nomen patris & matris hic generatim pro quibusuis aſcendentibus accipiatur, prohibitionem hanc in infinitum procedere, manifeſtum eſt. In errore itaque verſantur, qui nuptias nepotum aut neptum fratris, cum aui & auiae ſororibus & fratribus, minime prohibitas cenſent. Magis adhuc errant, qui nuptias inter auunculum & ſororis filiam, tanquam licitas, defendunt, quod in conſilio quodam fecit HERMANNVS CONRINGIVS, & theologi Helmſtadienſes, apud HIERONYMVM BRVCKNERVM, in *deciſionibus iuris matrimo-*

matrimonialis controuerſi, cap. 5. p. 290. ſeqq. Sed falſo nituntur fundamento, ac ſi in legibus matrimonialibus, *Leuit.* X*VIII.* non gradus, ſed tantum perſonae prohibitae eſſent, quem errorem ſupra prolixe profligauimus.

• Planiſſime hoc conſtat ex legibus illis, *Leuit. XVIII.* allatis, in quibus iidem gradus non tantum ratione conſanguinitatis, ſed & ratione affinitatis, prohibentur. Sic in linea recta affinitatis, nuptiae prohibentur in infinitum. Hinc *verſ.* 8. coniugium cum nouerca, & *verſ.* 15. cum nuru, & *verſ.* 17. cum priuigna, & priuigni aut priuignae filia, prohibetur. Eadem hic etiam adfertur prohibitionis ratio, quae in gradibus conſanguinitatis. Cumque ſupra demonſtratum ſit, in linea recta gradus prohibitos eſſe in infinitum, id de gradibus affinitatis pariter eſt intelligendum. Sequitur inde porro, in linea collaterali aequali iure diuino a nuptiis prohiberi affines in gradu primo. Idque diſerte innuit legiſlator *Leuit. cap.* X*VIII. v.* 16. vbi matrimonium cum defuncti fratris vidua diſerte prohibetur. Diſputatum quidem hac de re acriter fuit, cum Henricus VIII. Angliae rex, fratris ſui Arthuri mortui vxorem ſibi iungeret, ſed deinceps eam repudiaret, ac ſi conſcientiae ratio eiusmodi matrimonium diutius non perferret. Quemadmodum vero palam eſt, regem iſtum prauis & impuris ſuis cupiditatibus conſcientiam obtendiſſe, ita vanus & irritus, immo ludicrus illorum omnium labor fuit, qui conſcientiae eius adferre medelam voluerunt. Interim memoratu dignum, LVTHERVM, PHILIPPVM MELANCHTHONEM, aliosque, cum ſchola Louanienſi exiſtimaſſe, matrimonium cum fratris vidua non fuiſſe illicitum. Legi merentur, quae hac de re collegit HIERONYMVS BRVCKNERVS, in *deciſionibus iuris matrimon. controuerſi, cap. 5. p. 281. ſeqq.* Sed ſupponunt iſti, ac ſi leges iſtae matrimoniales non ſint vniuerſales: quod cum luculenter ſupra demonſtratum ſit, illorum nos non morabuntur pronuntiata. Celebrior adhuc eſt quaeſtio, de matrimonio cum defunctae vxoris ſorore. Saepius enim in noſtra quoque eccleſia acriter hac de re diſceptatum eſt. Primo quidem circa medium ſeculi decimi ſeptimi, inter CHRISTOPHORVM IOACHIMVM BVCHHOLZIVM, iureconſultum Rintelenſem, & MICHAELEM HAVEMANNVM, antiſtitem generalem in ducatu Bremenſi & Verdenſi quocum praeter alios AEGIDIVS STRAVCHIVS fecit, theologus ille noſtrae eccleſiae celeberrimus, qui eidem certamini implicatus fuit. Occaſionem certamini praebuit matrimonium Auguſti, Ducis Holſatiae, cum duabus ſororibus germanis ſucceſſiue initum. Renouata deinceps eadem eſt controuerſia in cauſſa Alberti Erneſti, Oettingenſis, & Eberhardinae Catharinae Würtenbergenſis principum, variisque theologorum ac iureconſultorum conſultationibus, informationibus, conſiliis, reſponſis, diſceptata fuit. Scripta tum in hoc, tum in priori caſu, vtrinque edita, recenſet HIERONYMVS BRVCKNERVS, in *deciſionib. iur. matrimon. controu. ca. 8. p. 345.* Sed noſtra quoque aetate eadem recruduit concertatio, cum theologus quidam duas ſucceſſiue in matrimonium duxiſſet ſorores, vt ex ſcripto deinceps allegando conſtabit. Et negandum non eſt, eſſe non tantum inter iureconſultos, ſed & theologos magni nominis viros, qui eiusmodi nuptias illicitas non eſſe autumant, quibus quodammodo accedit B. PHIL. IACOBVS SPENERVS, ſed ita, vt, ſi de matrimonio contrahendo agatur, id neutiquam admittendum cenſeat, quod ſi vero de illis, qui iſtud iam contraxerunt, in eccleſiam recipiendis, adeoque de tali matrimonio tolerando, hoc illis non poſſe denegari, exiſtimet, in *reſponſis theolog. latinis part. 2. cap. 4. p. 101. ſeqq.* Potuitque eo facilius vir beatus in mitiorem hic quodammodo concedere partem, quod ſententiam illorum, qui *Leuit. XVIII.* non perſonas tantum, ſed gradus prohiberi cenſent, non omni prorſus carere dubio exiſtimet, vt ſupra indicauimus. At nobis cum hoc exploratum ſit, & rationibus luculentiſſimis ſupra euictum, gradus etiam, non tantum perſonas, ibi prohiberi, ſentire aliter non poſſumus, quam iure diuino illicitum eſſe eiusmodi matrimonium. Obſtare quidem videtur *verſ.* 18. in quo, dum prohibetur, ne quis vxore viua ſororem eius ſuperinducat, tacite ſimul concedi videtur, poſſe hoc fieri ea mortua. Hinc in varias circa horum verborum interpretationem viri docti iuere ſententias. Cumque vox *ſoror* ſit ambigua, adeo vt ea etiam quaeuis conſanguinea, affinis, aut popularis ſignificetur, fuerunt, qui polygamiam hic prohiberi, cenſuerunt, ſine vlla ratione a propria & genuina vocis ſignificatione diſcedentes, nec ſatis ſecum

reputantes, quod conſtans & perpetua Ebraeorum conſuetudo huic interpretationi repugnet. conf. IO. CLERICVS, ad *h. l.* Alii aliter haſce difficultates ſoluunt: legique cumprimis merentur, quae hac de re adſert B. IO. MVSAEVS, de *conſanguinit. & affinit. p. 29. ſeqq.* Mihi omnia ſatis plana eſſe videntur, ſi hancce legem non pro prohibitiua, ſed pro conceſſiua habeamus. Matrimonium cum duabus ſororibus, etiam ſucceſſiue ducendis, ceu primae inſtitutioni diuinae, & fundamento legum matrimonialium, antea indicato, aduerſum, omnino prohibendum erat. Quia vero Deus videbat, tum ob conſuetudinem receptam, tum ob exemplum Iacobi patriarchae, difficulter adduci poſſe Iſraelitas, vt prorſus ab eiusmodi matrimoniis ſe abſtinerent, διὰ τὴν σκληροκαρδίαν αὐτῶν illis hoc equidem conceſſit, ſed ea conditione, ne ſimul duas ſorores ducerent. Inde vero non magis ſequitur, hodie quoque eiusmodi matrimonium eſſe licitum, quam ſi quis ex eo, quod polygamiam in gente Iſraelitica tolerauit, concludere velit, hanc quoque hodie eſſe licitam, aut licita eſſe diuortia ob easdem cauſſas, ob quas Ebraeis Deus ea conceſſit. Et eodem modo in gente Iſraelitica ſe habebat ius leuiratus. Sane, vt vxor duobus ſucceſſiue fratribus nuberet, erat contra fundamentum legum matrimonialium, & diſerte prohibetur, *Leuit. XVIII,* 16. Interim ſi prior frater ſine prole diſceſſiſſet, non tantum Deus permiſit, ſed lege lata confirmauit eiusmodi matrimonium, *Deut. XXV,* 9. Scilicet, ob inueteratam conſuetudinem, hoc indulgendum erat genti Iſraeliticae. Sed rem omnem accuratiſſime diſcuſſit, & quod matrimonium cum defunctae vxoris ſorore iure diuino illicitum ſit, ſolidiſſime comprobauit, refutatis etiam diſſentientium argumentis, FRIDERICVS ERNESTVS KETTNERVS, vir clariſſimus, in ſcripto Germanico, de hacce controuerſia, MDCCVII. edito. Denique & hocce ex noſtris fundamentis ſequitur, in linea collaterali inaequali, iure diuino coniugia affinium prohiberi in gradu ſecundo. Sic *Leuit. XVIII,* 14. XX, 20. coniugium cum vxore patrui, vel auunculi, prohibetur. Prohibita itaque ſunt matrimonia, quae eundem reſpectum habent. Quae & hic in contrarium adferuntur, ex dictis diiudicari poſſunt.

§. XIV.

Sed vt reliqua perſequamur, ex prima inſtitutione matrimonii eiusque fine etiam fluit, non alias ob cauſſas, quam ob quas Deus matrimonium inſtituit, illud quoque ineundum eſſe, non voluptatis cauſſa, * aut ad acquirendas opes, ſed ut in vitae ſanctitate permaneamus, & iuxta ordinem diuinum, procreatis liberis, genus hominum propagemus; conf. *Tob. VIII, 5. 9.*

* Hoc ſi obſeruarent homines, pleriſque quaeſtionibus & controuerſiis matrimonialibus ſuperſedere poſſemus. Sic, qui in gradibus prohibitis matrimonia inire cupiunt, vix alia cauſſa ad hoc inducuntur, quam vt cupiditatibus ſuis prauis ſatisfaciant. Si quis in coniuge nihil aliud, quam virtutem, ſpectaret, extra familiam ſuam, aut cognationem, facile inueniret, quam ſibi iungeret. Et ita in reliquis ſe res habet.

§. XV.

Iuxta hactenus dicta matrimonium definiri poteſt, quod ſit legitima, * & indiſſolubilis, ** ſed inaequalis *** coniunctio vnius viri & vnius feminae, * mandato & praeſcripto Numinis facta, ** ad procreandam ſobolem, vt ſimul imago arctiſſimae vnionis inter Deum & hominem in ea reluceat, & vita ſancte & caſte tranſigatur. ***

* Hoc

* hoc eſt, illorum, quibus gradus prohibiti non obſtant, §. 11. 12. 13.
** §. 10.
*** §. 6.
* §. 9.
** §. 3. 4. 8.
*** §. 4. 6.

§. XVI.

Ceterum coniunctio iſta matrimonialis fit per vtriusque partis conſenſum. Vnde conſenſum, non concubitum matrimonium facere, vulgo dicitur. * Eſtque executio matrimonii, vel pacti matrimonialis, ab ipſo matrimonio, diſtinguenda. Atque hinc facile intelligitur, quid de ſponſalibus ſit ſentiendum.

* Intelligenda haec ſunt de matrimonio ſecundum leges diuinas vniuerſales ſpectato. Secundum leges enim eccleſiaſticas alia adhuc, vt matrimonium abſoluatur, requiruntur: adeo vt ſecundum eas per ſponſalia matrimonium inchoetur, per nuptias autem conſummetur. Vnde & alii nuptiarum ſunt effectus, quam ſponſalium, vt deinceps §. 21. 22. dicetur. add. B. SAMVEL STRYKIVS ad *Brunnem. ius eccleſ. ad lib. 2. cap. 16. §. 2. p. 574.*

§. XVII.

Solent ea diuidi, *in ſponſalia de praeſenti, & ſponſalia de futuro.* Poſteriora ita a nonnullis intelliguntur, quod ſint promisſiones matrimoniales, quae vel expresſis verbis, vel ex natura perſonarum, continent conditionem. * Circa ſponſalia autem conditionata eadem fere locum habent, quae alias de pactis conditionatis prolixe moneri ſolent.**

* Ita hanc diſtinctionem explicat IO. BRVNNEMANNVS, in *iure eccleſiaſt. lib. 2. cap.* 16. §. 2. Perita ceteroquin eſt ex iure canonico, vbi ſponſalia de praeſenti vocantur, quae fiunt per verba de praeſenti, e. g. *ego te accipio in meam,* ſcilicet vxorem; ſponſalia autem de futuro, quae fiunt per verba futuri temporis, e. g. *ego te accipiam in meam.* Diſcrimen praeterea inter ſponſalia de praeſenti, & de futuro, hocce conſtituunt Romanenſes, quod in his, non vero in illis, poenitentiae locus ſit. Sed merito hanc diſtinctionem, hoc ſaltem ſenſu acceptam, ceu vanam, & inutilem, explodit HIERONYMVS BRVCKNERVS, in *deciſionibus iur. matrimon. controuerſi, cap. 1. §. 2. ſeqq.*

** Scilicet, firma ſunt, & obligant, ſi conditio fuerit adimpleta. Hoc autem de conditione, quae nec turpis, nec impoſſibilis ſit, intelligendum. Quanquam, quod ad conditionem turpem attinet, diſpiciendum, an aliquid, quod naturae & fini matrimonii repugnet, inuoluat. Si enim hoc ſit, obligatio ceſſat; quod ſi vero non ſit, ſponſalia omnino valida ſunt, etſi peccato ſe obſtrinxerit, qui eiusmodi conditionem adiecit, aut in eam conſenſit, aut omnino adimpleuit. vid. B. FRIDEMANNVS BECHMANNVS, in *theologia conſcientiaria, loc. de coniug. caſ. 6. p. 307. ſeqq.*

§. XVIII.

Habent ſponſalia cum aliis pactis hoc commune, quod conſenſus liber eſſe debeat; nec qua intellectum, aut qua voluntatem, impeditus. Vnde facile diiudicari poteſt, quid de ſponſalibus, ab ebriis, aut per

 errorem,

errorem, aut coactionem, initis, cenſendum. Eodem enim fere modo hic res ſe habet, ac in pactis aliis. * Patet etiam ſponſalia, ab iis, qui nondum ſunt ſui iuris, inita, irrita eſſe. Vnde & quousque conſenſus parentum, ad ſponſalia neceſſarius ſit, intelligitur. **

* conf. quae hac de re ſupra dicta, ad *ſect. 4. huius capitis* §. 12. Sic, ſi error fuerit in iis, quae ad ipſam matrimonii eſſentiam, ex fine eius primario aeſtimandam, pertinent, irrita ſunt ſponſalia. Pari ratione metus talis, qui libertatem conſentiendi adimit, eadem irrita reddit. Nec valida ſunt, quae ab hominibus, ob ebrietatem, aliasue cauſſas, rationis vſu deſtitutis ineuntur. Nullus enim ibi eſt conſenſus. Poſſunt hinc & aliae quaeſtiones diiudicari. Sic, ſi quis ſucceſſiue bina contraxerit ſponſalia, quaeritur, quaenam ſint praeferenda? Priora, ſi vtraque eiusdem ſint conditionis, praeferenda, res ipſa & natura pactorum docet. Qui enim per priora ſponſalia ſe obſtrinxit, non amplius habet poteſtatem paciſcendi ſuper matrimonium cum alia. Quod ſi vero priora fuerint clandeſtina, poſteriora publica, aut priora alio quodam defectu, ad matrimonii eſſentiam ſpectante, laborent, tum poſteriora erunt praeferenda. Idem dicendum, ſi poſteriora per nuptias ſint conſummata. Matrimonium enim perfectum & conſummatum praeferendum eſt ſponſalibus. Si copula carnalis ad poſteriora absque benedictione ſacerdotali acceſſerit, priora adhuc valida ſunt, ſi ceteroquin rite ſe habeant. Per eiusmodi delictum enim vinculum ſponſalium non dirimitur, ſi pars innocens id integrum eſſe velit, aeque ac in matrimonio conſummato ſe res habet.

** Dicetur hac de re infra, ad §. 30.

§. XIX.

In eo vero ſponſalia a pactis reliquis differunt, quod mutuo diſſenſu, nulla accedente cauſſa alia, diſſolui nequeant. Voluit enim Deus coniunctionem matrimonialem eſſe indiſſolubilem. * Cauſſae autem; ob quas ſponſalia diſſolui poſſunt, ita comparatae eſſe debent, vt ipſa matrimonii eſſentia per eas quodammodo euertatur. Quorſum cum primis referimus, ſi ſponſa cum altero concumbat, quippe quo ipſo adulterii rea ** redditur. Quod identidem de ſponſo eſt intelligendum.

* Iuxta ea, quae dicta ſunt ſupra, §. 10.

** Saltem grauius eſt delictum, quam ſimplex ſcortatio, cum fides matrimonialis, per ſponſalia data, per illud violetur. Quidquid huius ſit, quod ſponſalia tum diſſolui queant, ſi pars innocens velit, res ipſa docet, omnique prorſus caret dubio.

§. XX.

Etſi autem conſenſus faciat matrimonium, concubitus tamen, ceu executio conſenſus, id efficit, vt de matrimonio conſummato, in quibusdam aliter pronuntiandum ſit, quam de matrimonio per ſponſalia inchoato. Tum enim iam facti ſunt caro vna. Hinc ob eas cauſſas, ob quas reſcindere licet ſponſalia, non aeque licet reſcindere matrimonium conſummatum; ſaltem durum multisque hoc obnoxium eſt difficultatibus. * Sic & affinitatis reſpectus, & hinc orta graduum prohibitio, ante matrimonium conſummatum, locum non habet. **

* Quae inter perſonas, quarum ob conſanguinitatem aut affinitatem prohibita ſunt matrimonia, ineuntur ſponſalia, irrita ſunt, adeoque recte diſſoluuntur. At ſi iam matrimonium ſit conſummatum, maior oritur difficultas. Plerique hic gradus diſtinguendos cenſent, ita quidem, vt diſſoluenda ſint matrimonia, etiam conſummata, cum Deus ipſe poenam peculiarem ſtatuit in eos, qui contra leges matrimoniales, hunc aut illum gradum prohibentes, nuptias iniuerunt: at matrimonia ea, quae Deus ipſe tolerauit, etſi in certis gradibus prohibitis contracta, ſi conſummata fuerint, non eſſe diſſoluenda. vid. BECHMANNI, *theolog. conſcient. loc. de coniug. caſ.* 23 *p.*321. *ſeqq.* Sic & ſponſalia, deficiente conſenſu parentum, ab iis, qui ſub patria poteſtate conſtituti ſunt, inita, citra omnem controuerſiam ſunt irrita. At ſi matrimonium conſummatum fuerit, ob parentum diſſenſum illud diſſoluere durum nimis multis videtur. Fateor tamen, haec omnia ita comparata eſſe, vt non deſint iuſtae dubitandi rationes, ſpeciatim, annon fauor, vt loquuntur, matrimonii, hic interdum vltra, quam par eſt, extendatur. Pontificiorum hic, non eſt, vt nos morentur placita, qui, fundamenti loco ponentes, matrimonium eſſe ſacramentum, non poſſunt non in eiusmodi abire ſententias, quae apud eos, qui rectiora edocti ſunt, locum non inueniunt.

** Nondum enim reuera ſponſus & ſponſa ſunt vna caro. Atque hinc itidem ad varias reſpondere licet quaeſtiones, ſpeciatim ad illam: an ſponſae ante matrimonium conſummatum defunctae, ſororem, in matrimonium ducere liceat? Licet enim omnino, cum ſponſus & ſponſa nondum facti ſint vna caro, adeoque & ratio prohibitionis, ipſaque lex, ceſſet. Interim lubentes fatemur, ſatius eſſe, ſi ob honeſtatem publicam, & ad euitandum ſcandalum, eiusmodi matrimonia intermittantur.

§. XXI.

Eſt etiam matrimonii, vt & aliorum pactorum, haec indoles, vt per leges ciuiles, quorſum & eccleſiaſticae pertinent, certa requiſita illis addi poſſint, quae ſi obſeruata non fuerint, in foro ciuili pro validis non habentur. Huc pertinet praeter alia, * quae paſſim obſeruari ſolent, *benedictio ſacerdotalis.* Etſi enim ritus hicce in eccleſia chriſtiana ſit longe antiquiſſimus, ** idemque ex lege generali, qua omnia ordine & decenter fieri debent, deriuari queat, lege tamen diuina ſpeciali, non eſt praeceptus. Interim cum hodie a magiſtratu adprobatus atque praeceptus ſit, indolem quoque habet legis ciuilis, quam migrare nemini fas eſt.

* vt, proclamatio publica, aliique ritus nuptiales.

** Legi hac de re merentur, quae attulit IO. SELDENVS, in *vxore Ebraea, l.* 2. *c.* 28. & 29.

§. XXII.

Intelligere inde licet, cur & hunc ritum certi effectus ciuiles ſequantur, qui nuda ſponſalia non ſequuntur. Hinc enim & inter alia ſequitur, quod ſponſalia nondum dent ius in corpus, & bona. Nec eodem loco habentur liberi, qui nati ſunt ex parentibus absque benedictione ſacerdotali conſueſcentibus, cum iis, qui parentes agnoſcunt, rite per benedictionem ſacerdotalem coniunctos inter ſe, atque copulatos.

§. XXIII.

Poteſt etiam euenire, vt matrimonium inter perſonas diuerſae dignitatis atque conditionis, ineatur, ea quidem lege, vt qui ex tali matrimo-

matrimonio naſcuntur liberi, inferioris conditionis eſſe cenſeantur, quam pater eſt. Vocari ſolent eiusmodi matrimonia ad *morganaticam*,* & in ſe ſpectata nihil continent, quod legi diuinae repugnat. Matrimonia autem clandeſtina, dum ſpeciem concubinatus habent, ſcandalumque praebent aliis, minime ſunt probanda.

* De origine vocis *Morganatica*, vid. PAVLVS HACHENBERGIVS, in *German. med. diſſert.* 5. §. 7. Ad rem ipſam quod attinet, nulla ratio obſtat, quo minus eiusmodi matrimonium, pro vero & legitimo habeatur, etſi ob rationes ciuiles vxor & liberi minoris ſint conditionis. vid. HVGO GROTIVS, de *iur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 7. §. 8. *n.* 3. & commentatores ad *h. l.* Immo ex ſcriptura ſacra huc referri ſolet exemplum Abrahami, qui cum Hagare, & deinceps cum Kethura matrimonium iniit ea lege, vt liberi ex hiſce vxoribus nati dona acciperent, integra hereditate Iſaaco relicta. Solent plerumque vxores in eiusmodi matrimonio ad ſiniſtram manum copulari: ſed hoc nihil matrimonio ipſi derogat. conf. IO. BRVNNEMANNVS, in *iur. eccleſ. lib.* 2. *cap.* 16. §. 6. & SAM. STRYKIVS, ad *h. l.*

§. XXIV.

Officia coniugum generalia ſunt, vt mutuo eoque ſincero ſe inuicem proſequantur amore, *Epheſ. V, 28. 29. 1 Cor. VII, 10. 33. 34.* vt fides in matrimonio data, ſancte ſeruetur, *Ebr. XIII, 4.* & denique debita coniugalia vtrinque praeſtentur, *1 Cor. VII, 5. ſeqq.* ſed ita, vt coniunctio iſta corporum fiat ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ, *1 Theſſal. IV, 4.* Speciatim mariti officium eſt, protegere ac defendere vxorem, conſiliis ac monitis regere, & neceſſaria huius vitae ſuppeditare. *Epheſ. V, 28. 29.* Vxoris autem eſt, in rebus ad familiam ſpectantibus obtemperare marito, eum honore debito proſequi, eodem cum illo vti domicilio, mutuum auxilium tum in educanda ſobole, tum in curanda re familiari, praeſtare, *Epheſ. V, 22. 24. Coloſſ. III, 18. 1 Petr. III, 5. 6.*

§. XXV.

Ex ſtatu matrimoniali reſultat *paternus*, qui fundatur in ſocietate inter parentes & liberos. De neceſſitate huius ſtatus nemo dubitauerit, cum longe miſerrima & ſingulorum hominum, & humani quoque generis vniuerſi, conditio foret, niſi parentes liberorum curam gererent, & vt vtilia humanae ſocietatis membra euaderent, legitima educatione efficerent.

§. XXVI.

Fundamentum huius ſocietatis ex lege naturae, quae praecipit, vt aliis humanitatis officia exhibeamus, petendum eſſe, alibi luculenter demonſtrauimus. * Atque hoc quidem cum ratio doceat, ſcriptura quoque idem confirmat, ſtatum hunc a Deo adprobatum diſerte innuens, *Exod. XX, 12. Deut. V, 16. Matth. XV, 4.* Dum enim Deus iubet, vt liberi parentibus obediant, ſimul poteſtatem parentum confirmat, & totam hancce

hancce ſocietatem adprobat. Cum etiam Deus, *pater omnium*, *Epheſ. III, 15.* alibique, dicitur, parentes eius velut vicarios eſſe, partemque imperii diuini cum illis communicatam, indicatur.

* in *element. philoſoph. pract. part. 2. cap. 4. ſect. 9. §. 2. 3.* Generatio namque, quam HVGO GROTIVS, pro fundamento huius ſocietatis habet, *lib. 2. de iur. bell. & pac. cap. 5. §. 1.* eidem ſaltem occaſionem praebet. Nec conſenſus pro eius fundamento haberi poteſt. Expreſſus enim non adeſt. Tacitus, facultatem conſentiendi ſupponit, quam itidem infantes, rationis vſu deſtituti, non habent. Praeſumptus, improprie conſenſus eſt. Pluribus haec omnia euincit CHRISTIANVS THOMASIVS, *iuriſprud. diu. lib. 3. cap. 4. §. 1. ſeqq.*

§. XXVII.

Ad poteſtatem parentum, quod attinet, cum ipſa ſcriptura ſacra finem huius ſocietatis conſtituat, educationem liberorum *ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου*, *Epheſ. VI, 4.* ſequitur, eam parentibus concedi, quae ad hunc finem obtinendum eſt neceſſaria. Saltem monentur parentes, ne hac ſua poteſtate abutantur, *Col. III, 21.* Vt itaque parentibus *imperium* competit, ita a liberis requiritur *obſequium*.

§. XXVIII.

Imperium iſtud praecipue quidem penes patrem, ſimul tamen penes matrem eſt, cum matri non minus, quam patri, obedire iubeamur, praecepto decalogi quarto. *Exod. XX, 12.* Sed idem intelligendum de iis, qui parentum nobis loco ſunt, vt vitrici, tutores, praecipue & praeceptores, qui, ſi ſuo rite fungantur munere, ipſis fere aequiparandi ſunt parentibus. * Nec enim prorſus nefas, partem educationis in praeceptores deuoluere, modo id non fiat ſine neceſſitate, nec parentes ipſi ea hoc faciant ratione, vt eorum, quae ſui ſunt officii, prorſus obliuiſcantur. Quae vero ratio nos obſtringit, vt parentibus obediamus, eadem nos obligat, vt iis obſequamur, qui eorum funguntur vicibus.

* Non tamen praeferendi, etſi interdum maiora a praeceptoribus in nos proficiſcantur beneficia, quam a parentibus. Namque parentibus, praeter innumera alia, ipſam quodammodo vitam debemus. Hinc illud DIONYSII ſophiſtae: *παιδευτὰς ἀμείνων ἄρα εἶναι πατρὸς*, *praeceptores videntur adhuc meliores eſſe ipſo parente*, aliorumque effata, cum grano ſalis accipienda ſunt. Vt vero praeceptorum non vna eſt ratio, cum nonnullis non tantum cura erudiendi diſcipulos, ſed totius vitae quaedam directio concredita ſit, quod in aliis ſecus ſe habet, alii quoque officio ſuo recte fungantur, quod alii negligunt, de poteſtate quoque, quae illis competit, diuerſimode pronunciandum. Illis enim, quibus tantum cura erudiendi, & quidem adultiores, competit, imperium nullum tribui poteſt. Erudire enim alios ſine imperio poſſunt, adeoque & ab auditoribus, vt dictis ſuis ſimpliciter obediant, exigere nequeunt. Obſequium autem, quod veritati agnitae praeſtare debemus, probe diſtinguendum ab obſequio, quod praeceptores, ceu ſibi debitum, exigunt. Sed haecce omnia prolixius ediſſerui, in *diſſert. de comparatione obligat. quae ex diuerſis hominum ſtatibus oriuntur*, §. 23. *in ſelectis iuris nat. & gent. p. 702. ſeqq.*

Digitized by Google

§. XXIX.

Limites imperii paterni, ex fine ſocietatis huius ſunt metiendi. Tantum itaque parentibus in liberos licet, quantum educationis honeſtae ratio requirit. Non itaque neceſſe eſt, ad ius vitae ac necis poteſtatem patriam extendere. Enimuero, ſi in ciuitate vixerint, ſummus imperans merito ſibi reſeruat poteſtatem grauiores poenas liberis immorigeris infligendi; * ſin in ſtatu naturali, maior quidem patrumfamilias eſt poteſtas, non tamen tanta, vt ius vitae & necis illis tribuendum ſit, niſi hoc fiat, per modum defenſionis. ** Cetera, quae eiusdem commatis ſunt, hinc facile diiudicari poſſunt.

* Apud quasdam gentes, parentes ius vitae & necis in liberos habuiſſe, conſtat. De Romanis id tradit DIONYSIVS HALICARNASSENSIS, *antiquit. Rom. lib.* 2. & VALERIVS MAXIMVS, *lib.* 5. *cap.* 8. add. SENECA, de *clementia*, *lib.* 1. *cap.* 15. Apud Ebraeos eodem modo ſe rem habuiſſe, auctor eſt, IO. BODINVS, *lib.* 1. *de republ. cap.* 4. Sed fallitur. Contrarium enim conſtat ex *Deut.* XXI, 18. 19. 20. ad quem locum conferendus IO. CLERICVS. Vbicunque vero parentes ius vitae & necis in liberos habuerunt, id velut ex conſenſu magiſtratus obtinuerunt, vt eius velut vicem ſuſtinuerint. Facileque nonnullae gentes in hoc conſentire potuerunt, quod exiſtimarent, parentes non temere hac poteſtate abuſuros, ob naturalem erga liberos amorem. Qua in re tamen illas opinio fallere potuit, cum tanta quorundam parentum ſit *ἀστοργία*, vt ſatius ſit, poteſtatem, ſeuerioribus poenis filios immorigeros coercendi, magiſtratui relinquere. Patet autem ex dictis, falli etiam IO. FRIDERICVM HORNIVM, dum in *polit. architect. lib.* 1. *cap.* 2. §. 4. naturaliter parentibus ius vitae & necis in liberos competere, aſſerit.

** Tum enim filium non punit, ſed tanquam hoſtem occidit. Qui ſecus ſentiunt, & patribus, in ſtatu naturali, prout opponitur ciuili, conſtitutis, ius vitae & necis tribuunt, falſa nituntur hypotheſi, ac ſi ſtatus familiarum, in ſtatu naturali viuentium, non differat a ſtatu ciuili, & quod in illo patribus, ceu capitibus familiarum, ſummum aliquod imperium competat. Quam ſententiam poſt THOMAM HOBBESIVM, defendendam ſumpſit ROBERTVS FILMER, Anglus, in libro, cui titulum fecit: *Patriarcha*, quem ex inſtituto refutarunt ALGERNON SIDNEY, & IO. LOCKIVS, vterque in eiusdem argumenti libro, de *regimine ciuili*, conf. IO. BARBEYRACIVS ad *Pufendorf. de iur. natur. & gent. lib.* 6. *cap.* 2. §. 10. *p.* 169 *ſeqq.*

§. XXX.

Imperium paternum durat, quamdiu ſocietas paterna ſubſiſtit. * Hac ſublata, imperium patris, & obſequium filii ceſſat, vt hic tamen ad animum gratum demonſtrandum, ** & reuerentiam parentibus exhibendam, adhuc ſit obligatus. Durante ſocietate, omnes actiones liberorum imperio paterno ſubſunt, vt ſine parentum conſenſu nihil valide agere ac paciſci queant, etſi in actionibus, quae ad ſocietatem iſtam non pertinent, maior libertas rationis vſu pollentibus concedi ſoleat, quam illis, qui eo adhuc deſtituuntur. Variae hinc expediri quaeſtiones poſſunt, *** praeſertim & illa, quousque parentum conſenſus, ad matrimonia liberorum ſit neceſſarius. * Quo pacto ſocietas paterna diſſoluatur, explicatum eſt alibi. **

* In

* Ita breuius cuncta expediri poſſunt, quam ſi cum HVGONE GROTIO tria interualla, tempus ſcilicet imperfecti iudicii, tempus perfecti iudicii, ſed dum filius pars manet familiae parentum, & denique poſtquam ex familia exceſſit, ſtatuamus; de *iur. bell. & pac. lib. 2. cap. 5. §. 2. ſeqq.*

** Idque non tantum verbis, ſed etiam factis. Fruſtra enim aliquis verbis declarat, aliquem magni a ſe fieri, ſi factis contrarium teſtetur. Hinc apud Ebraeos ad honorem parentibus exhibendum, hoc etiam referebatur, vt filii parentes inopes alerent. Vim tamen huius legis valde imminuerunt, dum, fas eſſe, contendebant, votis omnes liberorum opes ad vſus ſacros ita transferri, vt in parentes, quantumuis pauperes, nullum inde redundaret emolumentum. Id quod iure redarguit ſeruator, *Marc. VII, 9. 10. ſeqq.* add. IO. SELDENVS, de *iure nat. & gent. iuxt. diſc. Ebr. lib. 7. cap. 2.*

*** Exemplum vide in *philoſ. pract. part. 2. cap. 4. ſect.* 11. §. 12.

* Si enim filius adhuc ſub poteſtate patria ſit conſtitutus, cum omnes eius actiones ab imperio paterno pendeant, non tantum iniuſte aget, ſi contra parentum conſenſum matrimonium contrahat, ſed irritum quoque erit matrimonium. Non enim habet facultatem in matrimonium conſentiendi, quia non eſt ſui iuris. Quod ſi, ſublata poteſtate patria, iam ſui iuris ſit, contra reuerentiam parentibus debitam aget, ſi, illis diſſentientibus, coniugem ſibi iungat, non tamen irritum erit matrimonium. Sunt equidem, qui exiſtimant, etiam in priori caſu matrimonium non eſſe irritum, ſi iam conſummatum ſit. Sponſalia enim eiusmodi, quin diſſolui queant, nullum eſt dubium, vt ſupra obſeruauimus. Eſtque haec recepta fere apud pleroſque ſententia. Sed dubito, an accuratius ſuſtinere examen queat, & an firmo ſatis fundamento nitantur, quae vulgo in honorem matrimonii fieri dicuntur, & annon hisce aliisque eiusdem generis effatis, aliquid ex opinione apud Romanenſes receptа, quod matrimonium ſit ſacramentum, ſubſit.

** in *element. philoſ. pract. part. 2. cap. 4. ſect.* 11. §. 13.

§. XXXI.

Officia parentum ſunt, educare liberos ad pietatem & timorem Numinis. *Epheſ. VI, 4.* Praeterea de victu & amictu illis proſpicere debent, quamdiu ipſi, quae neceſſaria ſunt, ſibi comparare nequeunt. Vt vero ipſi ſibi aliquando proſpicere queant, operam dare debent, vt mente ac corpore valeant, & in artibus ac ſcientiis vtilibus, pro cuiuscunque captu & ingenio, & ſtatus conditione, erudiantur. conf. *1 Tim. V, 8. Prouerb. XXIX, 17.*

§. XXXII.

Officia liberorum ſunt, amore & honore parentes proſequi, *Exod. XX, 12. Epheſ. VI, 2. 3.* illis obſequi, in rebus licitis, praeſertim, quamdiu ſocietas paterna durat, *Epheſ. VI, 1. Coloſſ. III, 20.* gratum quouis modo erga eos demonſtrare animum, adeoque & eos alere, ſi hoc neceſſitas iubeat, *1 Tim. V, 4. Matth. XV, 4. 5. 6.* nec contemnere ſeneſcentes, *Prouerb. XXIII, 22. Eccleſ. III, 14.*

§. XXXIII.

Tertius ſtatus, qui hic in cenſum venit, eſt *herilis*, qui innititur ſocietati inter dominum & ſeruum initae, vi cuius hic illi ſeruire tenetur. Fundamentum itaque huius ſocietatis ex pacto inter dominum

atque ſeruum, repetendum. Cumque hac ratione ſerui pariter ac domini commodis conſulatur, illicitum non eſt, pacta eiusmodi inire, nec ſtatus ipſe iuri naturali repugnat. Nec obſtat, quod aequalitas naturalis per hunc ſtatum tollatur, aut quod vitia hominum ei occaſionem praebuiſſe videantur. Si quis enim ipſemet in inaequalitatem conſentiat, nulla fit ei iniuria.* Vitia autem hominum ipſis ſtatibus imputari non debent.

* Accedit, quod omnes quidem aequales ſimus, ratione humanitatis: ſed vt ratione poteſtatis aequales ſimus, neceſſe non eſt, quia humani generis conditio hoc non permittit. Atque hoc tum de perfecta, tum de imperfecta ſeruitute intelligendum: cum nec perfecta iuri diuino per ſe repugnet. conf. *element. philoſ. pract. part. 2. cap. 4. ſect. 12.* §. 7.

§. XXXIV.

Hinc & ipſi Deo probatus eſt hicce ſtatus, quod non tantum exemplo Abrahami, aliorumque ſanctorum, ſeruos habentium, patet, ſed ex iis etiam, quae apoſtoli hac de re in nouo teſtamento, diſerte docent. Non enim ſublatum huncce ſtatum cupiunt, ſed eum confirmant potius, dum ſeruis pariter ac dominis, quo pacto ſe gerere debeant, praeſcribunt, *Epheſ. VI, 5. ſeqq. Coloſſ. III, 22. 23. 24. Philem. 16.* add. *1 Cor. VII, 20. ſeqq.* Accedunt leges diuinae de ſtatu ſeruili, *Exod. XXI, 1. ſeqq*

§. XXXV.

Poteſtatem dominorum, pariter ac ſeruorum obſequium, ex fine huius ſocietatis aeſtimare licet. Finis autem in eo conſiſtit, vt res familiaris domini* conſeruetur, & promoueatur, & ſeruus ſimul ſuſtentetur. Eum in finem caſtigare ſeruum modice licet, ſi quae ſui ſunt officii, non faciat: ſaeuire in eum, aut omnino vitam eripere, non fas eſt. Amor autem chriſtianus, pietasque iubet, vt dominus moderate poteſtate ſua vtatur, & ſalutem quoque ſerui aeternam promouere ſtudeat.

* Ius itaque vitae & necis domino in ſeruum non competit. Nec obſtant populorum quorundam mores. Namque hi aut palam iniuſti ſunt, & limites a recta ratione imperio herili conſtitutos, contra ius atque fas migrant, aut domini poteſtate, a ciuitate in delictis ſeruorum puniendis ſibi conceſſa, vtuntur, adeoque ſummi imperantis vicem ſuſtinent. vid. HVGO GROTIVS, de *iur. bell. & pac. lib. 2. cap.* 5. §. 28. Aliter equidem ſentit IO. FRID. HORNIVS, domino, qua tali, ius vitae & necis in ſeruum tribuens, in *polit. archiſect. lib.* 1. *cap.* 4. *p.* 129. Sed falſa, de natura & origine imperii, itemque de origine ſtatus ſeruilis, nititur hypotheſi. Poterat etiam nonnullis ſcrupulum mouere lex Moſaica, *Exod.* XXI, 20. *Cum quispiam ſeruum ſuum, aut ſeruam baculo ferierit, & ſub manu eius interierint, vltio ſumatur. Si tamen per diem* (vnum) *aut biduum ſuperſtes fuerit, nulla fit vltio, nam* (ſeruus) *ille argentum eius erat.* Poteſt namque per biduum etiam viuere, cui vulnus lethale eſt inflictum. Vnde in hocce caſu apud Iſraelitas poena ordinaria homicidii, ex ipſa Numinis conſtitutione, non videbatur locum habere. Verum cum dicatur: *argentum eius erat*, doctores Ebraei hinc colligunt, agi hic de ſeruo Cananaeo, quod hi ſoli poſſunt *argentum*

heroru

herorum dici, quippe in perpetuum empti. Cum ergo ſeruus ſub ictibus animam non efflarat, hinc colligebatur, herum eum noluiſſe interficere. Satis itaque poenae luere videbatur, iactura pecuniae, quam emendo ſeruo expenderat, aut vtilis eius operae. conf. IO. CLERICVS, ad *h. l.*

§. XXXVI.

Quae ceteroquin circa ſeruitutem agitari ſolent quaeſtiones, ſolui facili negotio poſſunt, ſi cogitemus, ſeruos homines eſſe, non bruta, adeoque & imperium in eos non alia ratione, quam per conſenſum, acquiri.* Vnde ſequitur, vendi ſeruos non poſſe, nec alia ratione in commercium venire.** Qui obſtant mores gentium, palam iniqui ſunt. Quo minus tamen perpetua ſeruitus ſit, ſi ſeruus conſentiat, nihil obſtat.*** Tollitur autem haec ſocietas, ſi aut vtriusque partis conſenſu diſſoluatur, aut ab alterutra parte quidquam, quod naturae & indoli eius repugnat, admittatur.* Atque haec cum ratio ipſa dictitet, multo magis ex chriſtianae religionis principiis fluunt.

* Non aliud enim fundamentum ſocietatis, quae inter dominum & ſeruum intercedit, eſt, quam conſenſus. Citra conſenſum ſi quis alterius ſubiiciatur imperio, ſumma illi fit iniuria. Nec aliter de ſeruis bello captis exiſtimandum. Qua de re vt recte ſtatuatur, a cauſſa & fundamento ſeruitutis diſtinguenda eſt occaſio. Praeter indigentiam quorundam hominum, bellum occaſionem ſeruituti praebere potuit: ſed cauſſa tamen vnica legitimae ſeruitutis eſt conſenſus, vti iam a me obſeruatum, in *element. philoſ. pract. part.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 12. §. 4. Errores, quos THOMAS HOBBESIVS, *lib. de ciue, cap.* 8. in hoc capite admiſit, ex dictis facile refelli poſſunt, & iam abunde profligati ſunt ab aliis. Ex eodem etiam a me fundamento *l. c.* §. 5. & *cap.* 5. *ſect.* 6. §. 12. demonſtratum, liberos, qui ex ſeruis bello captis naſcuntur, dominorum non eſſe, quamdiu in ſeruitutem non conſentiant, etſi non ignorem, HVG. GROTIVM, *lib.* 2. *de iur. bell. & pac. cap.* 5. §. 29. & SAM. PVFENDORFIVM, de *iur. natur. & gent. lib.* 6. *cap.* 3. §. 9. ſecus hic ſentire. Hanc vero meam ſententiam arbitrio lectoris permittit eruditiſſimus BARBEYRACIVS *ad Puſendorf. l. c. p.* 82. Exiſtimo autem, quamdiu firmo ſtat talo, quod fundamenti loco poſui, ſeruitutem tantum ex conſenſu oriri, tamdiu neminem, quod momentum trahat, contra eam in medium allaturum.

** Mos equidem vendendi & emendi ſeruos, antiquiſſimus fuit. conf. *Gen. XVII*, 12. 13 27. Sed ideo non probandus, etſi Deus eum in gente ſua tolerauerit. Contra namque dignitatem & naturam hominis eſt, vt in cenſum earum rerum referatur, quae in commercium veniunt, aut vt brutis & rebus inanimatis aequiparetur. Vnde & ſequitur, ſeruos aeque ac alios homines, ſub imperio, non autem in dominio, eſſe. Secus vero qui ſentiunt, imperii & dominii notiones diuerſiſſimas inter ſe confundunt. Quae confuſio multorum errorum & quaeſtionum inutilium fuit genetrix. Ceterum, dum nego, ſeruum vendi poſſe, non ſtatim nego dominum ius ſuum, quod habet in ſeruum, abalienare poſſe. Hoc enim cum imperio conſiſtere poteſt, venditio autem in eas tantum res cadit, quae ſunt in dominio, quaeue in commercium veniunt.

*** Quae adeo & apud Ebraeos non tantum in vſu fuit, ſed a Deo etiam adprobata, *Exod. XXI*, 5. 6.

* Hinc & non eſt nefas, ſi ſeruus nimiae dominorum ſaeuitiae fuga ſe ſubducat. Non enim hac conditione in ſeruitutem conſenſit. conf. HVGO GROTIVS, de *iur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 5. §. 29.

§. XXXVII.

Officia dominorum erga ſeruos ſunt: aequum laborem illis imponere, *Exod XX,10. Deut. V,14.* neceſſaria ad vitae huius conſeruationem illis ſuppeditare, mercedemque accurate ſoluere, *Deut. XXIV, 14. 15. Matth. X, 10 Iacob. V, 4.* animae non minus, quam corporis illorum curam gerere, adeoque & efficere, vt in illis, quae ad ſalutem aeternam conſequendam ſcitu neceſſaria ſunt, rite erudiantur. Hoc ſane amor, quo omnes homines diligere iubemur, etiam exigit add. *Matth. VIII, 6.* Seruorum contra erga dominos officia ſunt, honore & obſequio illos proſequi, fidem, induſtriam, patientiam vbique demonſtrare. Quae omnia tum recte fiunt, ſi pietati & ſanctitati chriſtianae ſtudeant, & cuncta ita agant, vt conſcientiae ſemper rationem habeant. conf. *Ephеſ. VI, 5. 6. ſeqq. Coloſſ. III, 22. Tit. II, 9. 10. 1 Petr. II, 18.*

§. XXXVIII.

Quod ad officia hactenus expoſita, in ſtatu tum matrimoniali, tum paterno, tum denique herili, iure diuino obligati ſint, qui in hiſce ſtatibus verſantur, & res ipſa docet, & rationibus quamplurimis euidentiſſime comprobari poteſt. Statuum a Deo introductorum, aut approbatorum, eadem eſt indoles, ac aliorum inſtitutorum diuinorum, quae ſecundum vniuerſale iuris diuini principium, ſupra expoſitum, accurate ab omnibus ſunt obſeruanda. Accedit, quod omnes illi ſtatus, quorum indolem explicauimus ad vnionem cum Deo nos ducant, & ad eam promouendam comparati ſint. Sic matrimonium imaginem nobis exhibet, arctiſſimae vnionis, quae eſt inter Chriſtum & eccleſiam. *Epheſ. V, 31. 32.* Status paternus eo comparatus eſt, vt liberi in timore Domini educati, ad vnionem hancce perducantur, *Epheſ. VI, 4.* Status ſeruilis nos admonet, nos omnes eſſe ſeruos Dei, adeoque & obedientiam a nobis requiri ex ſimplici corde, *Epheſ. VI, 5.* ſiquidem in coniunctione cum Deo manere cupiamus; immo, quod ſoli Deo, ceu domino noſtro adhaerere debeamus. *Matth. VI, 24.* Conſtat idem ex decalogi praecepto ſexto & quarto: cum in illo officia coniugum, in hoc autem, parentum aut qui eorum vicibus funguntur, ac liberorum, dominorum item ac ſeruorum, contineantur. Ne quid de aliis ſcripturae dictis, quae hactenus iam allata ſunt, dicam.

§. XXXIX.

Officiis, ad quae in hiſce ſtatibus obligamur, quoad ſtatum matrimonialem, opponuntur: *peruerſus & illicitus* in matrimonio ineundo, *ſcopus, adulterium & perfidia*; imperii maritalis per ſaeuitiam *abuſus*, aut eiusdem *neglectus* ex parte mariti; *reluctantia* autem & *obſequii denega-*

denegatio, ex parte vxoris, & alia. Quoad ſtatum paternum, in vitio ponuntur, *inobedientia*, *renitentia*, *ingrati animi crimen*, *irreuerentia*, ex parte liberorum; *durities*, *ſaeuitia*, *moroſitas*, *ἀϛοργία*, *educationis debitae intermiſſio*, ex parte parentum. In ſtatu herili, ex parte dominorum peccatur per *ſaeuitiam*, *crudelitatem*, *mercedis aut alimentorum denegationem*; ex parte autem ſeruorum, per *ignauiam*, *perfidiam*, *hypocriticam officiorum praeſtationem*, aliaue ratione.

§. XL.

Medium praecipuum, quo ad haecce officia adduci homines poſſunt, eſt, ordinis itemque ſapientiae, benignitatis, iuſtitiaeque diuinae, in omnibus hiſce ſtatibus euidentiſſime eluceſcentis, conſideratio. Praecipue cogitandum, ad noſtram ſalutem, & commoda temporalia & ſpiritualia, eos eſſe comparatos, immo ſine illis, nec nos, nec vllum alium hominem ſaluum ac incolumem eſſe poſſe. Nec praetermittendae ſunt promiſſiones, comminationesque diuinae, legibus, quae ad haec officia nos obſtringunt, additae. conf. *Ebr. XIII, 4. 1 Cor. VI, 9. Gal. V, 21.* item, *Epheſ. VI, 3. Deut. XXVII, 16. Exod. XXI, 15. Leuit. XX, 9.*

§. XLI.

Impedimenta, quae officiis hiſce obſtant, & quae remouere ſedulo tenemur, ſunt: naturalis omnis ordinis, ex philautia orta, auerſio: inconſultus libertatis amor, vel potius libertatis ad repagula, quae cupiditatibus noſtris obſtare videbantur, remouenda, praetextus; praeiudicia varia de polygamia, diuortio, incommodis hoſce ſtatus concomitantibus, & via illicita ea euitandis, & quae reliqua ſunt eiusdem generis.

CAPITIS TERTII
SECTIO VII.
DE
OFFICIIS SVMMORVM
IMPERANTIVM ET CIVIVM.

Σύνοψις.

Ciuitates ſeu reſpublicae ordine imperantium & parentium conſtant, de quorum adeo erga ſe inuicem officiis hic agendum, §. I.

Quae de origine ciuitatum, ethnici ſcriptores tradunt, incerta ſunt; certiora, quae de eadem etiam ante diluuium, ſcriptura ſacra docet, §. II.

Origo ciuitatum poſt diluuium, §. III.

Etſi ciuitates per pacta hominum conſtituantur, adeſt tamen adprobatio Numinis, §. IV.

Poteſtas

Poteſtas imperantium in ciuitate ex fine metienda: quid ſit ſummum imperium, §. V.

Summam hancce imperantium poteſtatem eſſe independentem, §. VI.

ab obligatione etiam legum humanarum immunem, §. VII.

per eam ſancti & inuiolabiles ſunt ſummi imperantes, §. VIII.

quamdiu ſcilicet in tyrannos non degenerant, limitesque ſuae poteſtatis non transgrediuntur, §. IX.

non temere tamen, nec ſine apertis indiciis aliquis pro tyranno habendus, §. X.

Quae de ſummis imperantibus dicta ſunt, de illis, qui reuera ſummum imperium habent, intelligenda ſunt, §. XI.

Illorum poteſtati omnia, quae ſunt in ciuitate, ſunt ſubiecta, §. XII.

Formae rerumpublicarum accidentales, quaenam? §. XIII.

Modi acquirendi ſummum imperium, §. XIV.

Colligitur inde, maieſtatem ſeu ſummum imperium a Deo, ordinarie non immediate, ſed mediate conferri, §. XV.

Iura maieſtatica quaenam: eminet inter ea ius circa ſacra, §. XVI.

Multum intereſt reipublicae, vt ſummi imperantes religionis curam gerant, §. XVII.

in qua ad aeternam etiam ciuium ſalutem reſpicere debent, §. XVIII.

Intereſt reipublicae & omnium ciuium, vt vera religio floreat, §. XIX.

Quid circa verae religionis promotionem, eiusque quoad externa directionem, obſeruandum, §. XX.

Quaenam hic euitanda extrema: competit poteſtas circa ſacra ſummis imperantibus vi ſummi imperii, & minus accurate ius epiſcopale dicitur, §. XXI.

Ad ius circa ſacra pertinet ſpeciatim ius conſtituendi eccleſiae miniſtros, quod ſummis imperantibus, ſaluo eccleſiae iure, competit, §. XXII.

ius conſtituendi doctores & praeceptores in ſcholis, §. XXIII.

ius condendi leges eccleſiaſticas, §. XXIV.

ius viſitandi ſcholas & eccleſias, §. XXV.

ius reformandi eccleſiam, §. XXVI.

ius coercendi haereticos, illorumque conatus impediendi, §. XXVII.

ius conſeruandi diſciplinam eccleſiaſticam, §. XXVIII.

ius conuocandi & dirigendi concilia, §. XXIX.

ius diſputationibus theologicis certos limites praeſcribendi, §. XXX.

ius praeſcribendi ceremonias eccleſiaſticas, §. XXXI.

ius diſpenſandi bona eccleſiaſtica, §. XXXII.

& denique, ius conſtituendi forum eccleſiaſticum, §. XXXIII.

Quinam ſubditorum nomine veniant: ſub eo & clericos comprehendi, §. XXXIV.

Officia imperantium, §. XXXV.

ſubditorum generalia, §. XXXVI.

ſpecialia, pro officiorum diuerſitate, §. XXXVII.

Quod ad haecce officia, tum imperantes, tum ciues, iure diuino obligati ſint, probatur, §. XXXVIII.

Quotuplici ratione contra ea peccetur, §. XXXIX.

Ad media, quibus ad officia haec praeſtanda induci poſſumus, vt & ad impedimenta, remouenda, nos itidem obligatos eſſe, §. XL.

§. I.

CVm ea hominum poſt lapſum eſſet conditio, vt per familias diſperſi, ab aliorum inſultibus aut inſidiis tuti non eſſent, neceſſe erat, vt in maiores ſocietates coirent, quas *ciuitates*, ſeu *reſpublicas*, vocare, moris eſt. Quae cum conſiſtere nequeant ſine imperio, in duplici, qui in iis degunt, conſtituti ſunt diſcrimine, aliique *imperantium*, alii *ciuium* nomine veniunt, quorum certa erga ſe inuicem ſunt officia, iure quoque diuino praeſcripta, quae adeo diſtincte conſiderare, huius loci eſt.

§. II.

Quae ethnici ſcriptores, de origine ciuitatum, ſeu rerumpubli-

carum

carum tradunt, incerta ſunt, & lubrico ſuperſtructa fundamento.* Certiora ſunt, quae ſcriptura ſacra nos hac de re condocet, multiplicato poſt primam rerum originem, hominum genere, Cainum primam condidiſſe ciuitatem, eique a filio Hanocho nomen impoſuiſſe, *Gen. IV, 17.* de cuius, in condenda hacce ciuitate conſilio, licet nihil certi affirmare liceat, valde tamen veroſimile, dominandi cupidine abreptum Cainum, eiusmodi quid ſuſcepiſſe. An vero & Sethi poſteri ſuae ſecuritatis cauſſa in maiores ſocietates coiuerint, quod veroſimile videri poterat, an vero per familias diſperſi vixerint?** incertum, & ob monumentorum defectum, definiri nequit. Qui vero ante diluuium nullas prorſus fuiſſe respublicas contendunt, rationibus iuſtis, quibus hoc euincere queant, deſtituuntur.***

* Io eo plerique conſentiunt, ante imperia conſtituta *ἀναρχίαν* fuiſſe; quamuis ſtatum hominum, qualis eo tempore fuerit, diuerſimode deſcribant. Nonnulli enim vt longe feliciſſimum nobis ſiſtunt, vt OVIDIVS *metamorphoſ. lib.* 1. alii, vt miſerrimum & corruptiſſimum, vt SALLVSTIVS, de *bello Catilin. cap.* 6. & LVCRETIVS, *lib.* 5. vel qui initio fuerit felix, mox corruptus, vt inde neceſſitas respublicas condendi hominibus fuerit impoſita, Ita TACITVS: *vetuſtiſſimi mortalium, nulla adbuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine poena aut coercitionibus agebant: neque praemiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur, & vbi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At poſtquam exui aequalitas, & pro modeſtia ac pudore ambitio & vis incedebat, prouenere dominationes, multosque apud populos aeternum manſere; annal. lib* 3. *cap.* 26. Quae quidem ex fama de ſtatu hominum feliciſſimo ante lapſum, eodemque poſt lapſum, praeſertim ante diluuium, corruptiſſimo, ethnici ſcriptores hauſiſſe videntur.

** AVGVSTINVS, vt imperiorum originem ad Cainitas refert, ita Sethi poſteros in maiores ſocietates ſeu ciuitates coaluiſſe, abnuit, per familias ſub regimine parentum eos vixiſſe, contendens, *de ciu. Dei, lib.* 15. *cap.* 20. Regum antediluuianorum ex ABYDENO, ſcriptore Aſſyriaco, meminerunt CYRILLVS, *lib.* 1. *ad Iulianum*, EVSEBIVS, *lib.* 9. *praepar. euangel. cap.* 12. aliique,

*** Sic putant nonnulli, ſi fuiſſent ante diluuium respublicae, fieri vix potuiſſe, adeo vt corrumperentur hominum mores, vt rebus perditis non alia, quam per humani generis deletionem, excepto Noacho cum ſuis, medicina adferri poterit. Sed ſi poſt diluuium, hominum in ciuitatibus degentium adeo corrumpi & deprauari mores potuerunt, vt, integras exſcindi ciuitates, diuinae iuſtitiae ratio poſtulauerit, quod vel Sodomorum & Gomorrhae exemplo patet, cur hoc ante diluuium, quoad vniuerſum hominum genus, fieri non potuiſſe, etiamſi tum quoque respublicae fuerint, exiſtimemus?

§. III.

Poſt diluuium, hominum genus per familias diſperſum, iterum aliquandiu vixit. At cum numero eorum aucto, humani ingenii prauitas iterum ſe proderet, aliis imperium in alios adfectantibus, aliis ne libertate ſua priuarentur, aut aliorum inſultibus expoſiti eſſent, annitentibus, ortae hinc iterum ſunt ciuitates, minores initio,* vt credere par eſt, tandem ex minoribus varias ob cauſſas inter ſe coniunctis, maiores.

* Quae enim de magnitudine & amplitudine imperii Aſſyriaci ex fide & auctoritate CTESIAE, qui reuera nullam meretur fidem, vulgo traduntur, hodie merito exploſa ſunt, & prorſus reiecta a viris doctis. Aſſyriacum quidem imperium condidit Nimrod, *Gen.* X, 8. 9 cuius haud dubio magna fuit inter turris Babelicae extructores auctoritas; ſed ſtatim hoc tam amplum fuiſſe, tamque potens, vt vulgo creditur, falſum eſt. Plures alias vero mox enatas reſpublicas, quibus qui praeerant, regum nomine veniunt, diſcimus ex *Gen. XIV*, 1. 2. Interim vel Nimrodi exemplum docet, homines improbos, ambitione & imperandi cupiditate ductos, in condendis & amplificandis imperiis, ſtudium operamque collocaſſe. Horum vero qui reſiſtere conatibus cupiebant, vix aliter hoc facere poterant, quam vt & ipſi in maiores ſocietates coirent.

§. IV.

Coniunctio iſta hominum, in vnam ſocietatem coaleſcentium, fieri aliter non potuit, quam per pacta, ſiue explicite ſiue implicite, inita, quibus non tantum ad commoda mutua promouenda ſe obſtrinxerunt, ſed ſummo alicui imperanti, ſine quo eiusmodi ſocietas ſubſiſtere nequit, ſe ſubmiſerunt. * Vnde hactenus quidem, rerumpublicarum introductio, & ſummi imperii conſtitutio ab hominibus originem habet, quo pacto & Petrus *1 epiſt. II. 13.* eam *ἀνθρωπίνην κτίσιν* vocat. Cum tamen, humani generis conſeruatio, atque ſalus, eiusmodi ſtatum requireret, rectiſſime inde colligitur, factum hoc eſſe dirigente, conſentiente, & adprobante ſupremo Numine. Quod & ſcriptura diſerte teſtatur, *Rom. XIII, 1. ſeqq. Ioan. XIX, 11. Tit. III, 1.*

* Hinc ſtructura illa rerumpublicarum, quam pluribus explicat SAM. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib. 7. cap.* 2. & nos in compendio in *element. philoſ. pract. part.* 2. *ſect.* 13. §. 4.

** Cum ergo ad rerumpublicarum introductionem, ſummique adeo imperii conſtitutionem, & homines & Deus concurrant, patet, quod haec ordinatio certo modo *humana*, & certo modo *diuina*, dici queat. Homines quidem id fecerunt, ſed non ſine nutu, conſenſu, & adprobatione Numinis, vnde illi quodammodo rationem cauſſae inſtrumentalis, Deus autem cauſſae principalis, habet. Et hoc ſenſu a Petro magiſtratum ἀνθρωπίνην κτίσιν vocari, docet B. IO. GERHARDVS, in *locis theolog. loc. de magiſtratu, p. m.* 250. *Vocatur*, inquit, *humana ordinatio, non reſpectu primae originis & principalis cauſſae efficientis, ſed reſpectu cauſſae inſtrumentalis, quia per homines ſaepius conſtituitur magiſtratus.* Immo per homines primum reſpublicae ſunt introductae, ſummumque imperium conſtitutum. Obſeruat deinde idem auctor, OECVMENIVM humanam κτίσιν exponere per θέσιν, quod *conſtitutus & poſitus ſit magiſtratus ab hominibus, Deo tamen ſic iubente & ſanciente.* Quod prorſus ad rem noſtram facit. Verba OECVMENII haec ſunt; κτίσιν ἀνθρωπίνην τὰς ἀρχὰς λέγει χειροτονητὰς ὑπὸ τῶν βασιλέων, ἢ καὶ αὐτοὺς τοὺς βασιλεῖς, καθότι καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἐτάχθησαν ἤτοι ἐτέθησαν, οἶδε γὰρ ἡ γραφὴ καὶ τὴν θέσιν κτίσιν καλεῖν. Docet deinceps GERHARDVS, magiſtratum etiam ἀνθρωπίνην κτίσιν vocari poſſe, tum reſpectu ſubiecti recipientis, ſiue materiae in qua, tum reſpectu finis cui, ſed haec primae explicationi non derogant, quam praeter alios etiam calculo ſuo comprobat ABRAHAMVS CALOVIVS, *ad h. l. Humana ergo*, inquit, *creatura dicitur, propter cauſſam inſtrumentalem, quia per homines inſtituitur, diuina ordinatio ob cauſſam principalem, quae eſt Deus.* Atque ita ſe res olim habuit, cum primum reſpublicae inſtituerentur, vt id fieret per homines: & hodie, poſtquam reſpublicae conſtitutae ſunt, vbi ſummi imperii collatio itidem a Deo quidem fit, ſed per homines, vt deinceps §. 15. pluribus demonſtrabitur.

§. V.

Quae imperantium in ciuitate ſit poteſtas, ex fine, propter quem conſtitutae ſunt, quam rectiſſime intelligitur. Hic vero cum ſit, ciuitatis conſeruatio, * manifeſtum eſt, ad ea omnia, quae ad ciuitatis conſeruationem pertinent, hancce ſe extendere poteſtatem. Proinde & recte ſummum imperium, ſeu maieſtas, a quibusdam definitur, quod ſit ſumma vbique in ciuitate poteſtas.

* Cum ciuitates ſeu respublicae plurima hominibus praeſtent commoda, variis quoque induci potuerunt cauſſis, vt in eas coaleſcerent. Quas inter tamen praecipua merito cenſetur, ſecuritas ab inſultibus aliorum, cum inter commoda, quae vita ciuilis praeſtat, haec primum facile locum teneat. Interim ſi conſideremus, quem reuera finem habuerint primi rerumpublicarum conditores, non aliud ſaepius, quam vt ambitioni vel imperandi cupiditati ſatisfacerent, eos ſpectaſſe, deprehendemus. Vnde rurſus aliis neceſſitas ſecuritati ſuae conſulendi, impoſita eſt. Sententiam illorum, qui, hominem per naturam ad vitam ciuilem rapi, autumant, impugnat SAM. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib. 7. cap.* 1. §. 7. qui & §. 5 philoſophiam IO. FRIDERICI HORNII, ciuitatem opus naturae vocantis, cum naturali ordine & conſecutione producatur, *polit. architect. lib.* 1. *cap.* 4. §. 6. profligat. Quae ipſe PVFENDORFIVS hac de re diſſerit, exigenda ad ea, quae erudite monet IO. BARBEYRACIVS, ad *l. c.* §. 7. *p.* 192. Ego ſaltem addo, a fine ſocietatis conſtituendae, diſtinguendum quodammodo finem ciuitatis conſtitutae, qui eſt eius conſeruatio, hoc eſt, vt in eo ſtatu permaneat, vt, quae extrinſecus vel intrinſecus eam deſtruere, & felicitatem ciuium imminuere poſſunt, repellere queat. Hoc enim vt fiat, omnium ac ſingulorum ciuium maximopere intereſt

§. VI.

Dum *ſumma* dicitur haec poteſtas, ſequitur, eandem eſſe independentem, adeo, vt qui ea gaudent, nemini niſi Deo actionum ſuarum rationem reddere teneantur. Talem namque finis & ſcopus reipublicae, eiusdem ſcilicet conſeruatio, omnino requirit. Ideoque nec populi iudicio ſubmittendi ſunt, vt nonnulli perperam ſibi perſuadent. * Etſi enim populus ſummis imperantibus eam poteſtatem conferat, ea tamen id fit ratione, vt hoc ipſo poteſtate illa ſe abdicet, & ſummis imperantibus plane, in omnibus quae ad ciuitatis ſalutem pertinent, ſe ſubmittat. ** Vnde & diſtinctio inter maieſtatem *realem* & *perſonalem*, qua nonnulli ad imminuendam ſummorum imperantium poteſtatem, vtuntur, omni fundamento deſtituitur. *** Populo enim nulla competit maieſtas, multo minus realis, & ſummorum imperantium maieſtas non eſſet maieſtas, ſi ab alia poteſtate humana dependeret.

* Hi *Monarchomachorum* nomine venire ſolent, quibus nonnulli *Machiavelliſtas* opponunt. Quemadmodum enim hi ſummis imperantibus eousque fauent, vt, illis ad commodum proprium cuncta referre, fas eſſe, contendant, etſi hoc cum maximo ſubditorum damno coniunctum ſit, ita illi ſummos imperantes populi arbitrio iudicioque ſubiiciunt.

Praecipuos auctores, qui pro Monarchomachis habentur, eorumque ſcripta, recenſui in *hiſtoria iuris nat.* quae *in ſelectis iur. nat. & gent.* extat, §. 52. *p.* 77. *ſeqq.* Addenda tamen *hiſtoria ſectae Machiauelliſtarum & Monarchomachorum*, quae ex manuſcriptis B. IACOBI THOMASII exhibetur, in *obſeruationibus Hallenſibus*, *tom.* 6. *obſ.* 1. ubi varia lectu digna occurrunt. De STEPHANO IVNIO BRVTO, cuius in hoc genere eminent *vindiciae contra tyrannos, ſiue de principis in populum, populique in principem legitima poteſtate*, & quisnam ſub hocce nomine lateat? vid. PETRVS BAELIVS, in peculiari diſſertatione, *lexico* eius *hiſtorico critico* ſubnexa, *p.* 3087. *ſeqq.*

** Hoc eſt, quod alii dicunt, populum conferre ſummum imperium non *cumulatiue*, ſed *priuatiue*, vid. CHRISTOPH. BECMANNVS, *meditat. polit. cap.* 12. §. 6. Et hinc reſponderi poteſt ad Monarchomachorum argumentum, dum ex eo, quod populus ſummum imperium confert, penes illum ſummum quoque imperium eſſe, colligunt. Reliqua illorum ſophismata, quae contra poteſtatem ſummorum imperantium independentem proferre ſolent, accurate refellit HVGO GROTIVS, de *iur. bell. & pac. lib.* 1. *cap.* 3. §. 8. & 9.

*** Solennis haec apud Monarchomachos eſt diſtinctio. conf. IO. ALTHVSIVS, *polit. cap.* 9. *p.* 179. vbi eodem plane ſenſu inter maieſtatem *regni* & *regis*, diſtinguit. Falluntur autem, qui fundamentum eius in hypotheſi illorum, qui, maieſtatem immediate a Deo eſſe, negant, quaerunt. Poteſt enim, vt antea demonſtrauimus, populus ſummum imperium conferre, vt tamen nihil ſummi imperii ſiue maieſtatis, retineat.

§. VII.

Sequitur etiam inde, ſummos imperantes, legibus humanis non teneri. Diuinis enim quod ſubiecti ſint, per ſe patet, cum ſint homines. Humanis autem legibus nemo obligatur, niſi qui poteſtati humanae eſt ſubiectus, quod de ſummis imperantibus dici nequit. * Interim prudentiae eſt, vt leges, quas accurate obſeruari a ciuibus volunt, obſeruent ipſimet, cum ad mouendos animos, & ad obſequium legibus praeſtandum inducendos, nihil ſit aeque efficax, ac exemplum ſuperiorum. ** Immo ad hoc per leges etiam diuinas obligati ſunt, quae a ſummis imperantibus requirunt, vt omnia ea diligenter faciant, quae ad ciuitatis ſalutem & conſeruationem pertinent. Leges autem fundamentales, cum non tam leges proprie ſic dictae, quam pacta atque conventa ſint, *** eas accurate obſeruare iure diuino tenentur, cum iuris naturalis ſcitum vniuerſaliſſimum ſit, pacta eſſe ſeruanda.

* Ex inſtituto hoc a me demonſtratum in diſſertatione, de *principe legibus humanis, ſed non diuinis, ſoluto*, vbi & diſtinctionem, quam nonnulli fingunt, inter vim legis directiuam, & coactiuam, exploſimus.

** Recte PLINIVS: *vita principis cenſura eſt, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur, nec tam imperio nobis opus eſt, quam exemplo. Quippe infidelis recti magiſter eſt metus. Melius homines exemplis docentur, quae imprimis hoc in ſe boni habent, quod adprobant, quae praecipiunt, fieri poſſe*; in *panegyr. cap.* 56 *p. m.* 55. Nec male LIVIVS: *ſi quid iniungere inferiori velis, id prius in te ac tuos ſi ipſe iuris ſtatueris, facilius omnes obedientes habeas, lib.* 26. *cap.* 30.

*** Hoc itidem *diſſertat. cit. prop.* 4. euictum.

§. VIII.

Ex indole quoque atque natura ſummi imperii fluit, *ſanctos & inuiola-*

Digitized by Google

inuiolabiles eſſe ſummos imperantes. Hoc rerumpublicarum iterum ſalus & conſeruatio requirit. Petulantium enim hominum inſultibus cum nunquam non expoſiti ſint, cum in optima etiam regiminis ratione, non deſint temere, qui ſtatum reipublicae aut imperii mutatum vellent, ſecuritati illorum quouis modo vt conſulatur, par eſt. Sanctitas itaque iſta requirit, vt non tantum nulla ratione laedantur, ſed ne quis etiam iis violenter reſiſtat, etſi quae minus recta ſunt, agere nobis videantur. *

* Sublimius enim quid illa ſummorum imperantium inuiolabilitas inuoluit, quam ea, qua generatim neminem mortalium laedere licet. Et recte quoque hinc colligitur, de omnibus ac ſingulis illorum factis ſumma cum reuerentia ac modeſtia loquendum eſſe.

§. IX.

Non tamen hoc eousque extendendum, ac ſi imperantibus peſſundare plane ac euertere rempublicam liceat. Cum enim imperans hoſtilem erga rempublicam induit animum, atque in tyrannum degenerat, omnino vt illi reſiſtatur, par eſt. * Hoc natura & finis ſocietatis ciuilis poſtulat, in quam homines coiuerunt, non vt perderentur, ſed vt conſeruarentur. Multo magis hoc tum licet, ſi imperantis limitata ſit poteſtas, atque ſtatus aut ordines regni, in conſortium ſummi imperii quodammodo veniunt.

* HVGO GROTIVS plures refert caſus, in quibus licitum putat, ſummo imperanti reſiſtere, *lib.* 1. *de iur. bell. & pac. cap.* 4. §. 8. *ad* 15. Sed in omnibus ei ſuffragari nequeo. Nonnulli quoque huc non pertinent, cum in iis ſermo ſit de principibus, qui actu ſummum imperium non habent. In eo quoque citra controuerſiam fallitur, & grauiſſime errat, dum populo ius puniendi principem ſeu ſummum imperantem, tribuit. Cum enim populus ſummo imperanti reſiſtere poteſt, hoc fit per modum belli, non per modum iudicii & poenae, quae ſuperiorem ſupponit. Populus autem non eſt ſuperior ſummo imperante. Interim etiam quoad facultatem reſiſtendi, quam populo tribuimus, certi obſeruandi ſunt gradus. Primo enim, cum ſummi imperantes aliquid iubent, quod legibus diuinis aduerſatur, fas eſt non obedire, *Actor. IV*, 9 Sed non ſtatim vim vſurpare licet. Deinde, ſi ipſe imperans vim addat, incipiatque ſaeuire in innocentes, ſed, vt haſtenus directe rempublicam non peſſundet, quiduis potius, praeſertim religionis cauſſa, tolerandum, quam violenter reſiſtendum eſt, exemplo chriſtianorum primitiuae eccleſiae. Denique, ſi non tantum in innocentes ſaeuiat, ſed leges etiam fundamentales violet, & cuncta conturbet, tum demum ei vt hoſti reſiſtere licet.

§. X.

Non tamen temere quis pro tyranno habendus, ſed tum demum, ſi imperans aperte hoſtilem erga rempublicam animum prodat. Hoc vero minime ex ſententia ciuium quorundam, praeſentem rerum ſtatum aegro forte animo intuentium, diiudicandum, ſed manifeſtis documentis conſtare debet, vt nulla ratione hac de re dubitari queat. * Quare & ſi vitiis aliis indulgeat imperans, ſtatum tamen ciuitatis non

 laedat,

laedat, neutiquam habendus eſt pro tyranno. Nec ſummus imperans eſſe deſinit, aut in tyrannum degenerat, ſi vnum forte aut aliquot ciues laedat. Etſi enim hoc ipſo grauiſſime peccet, Deo aliquando omnium actionum ſuarum rationem redditurus, ſtatus tamen reipublicae aut imperii, hoc ipſo non ſtatim euertitur.

* Ceſſat hinc quaeſtio, quis iudicare debeat, an ſummus imperans hoſtis ſit, adeoque talis, cui ciues vim opponere queant? Populi namque arbitrio hoc ſimpliciter non eſt committendum, cui nec iudicium in imperantes competit, & qui facile etiam regem pro hoſte declarabit, ſi rerum praeſentium ſit pertaeſus. Apertis, vti dictum, hoc indiciis conſtare debet. Recte autem nonnulli monent, perſonae principis etiam tum, quantum fieri poteſt, parcendum, quando ei, ceu hoſti, violenter reſiſtere licet.

§. XI.

Quae hactenus diximus, intelligenda ſunt de illis, qui reuera ſummum imperium habent. Solent enim interdum per leges fundamentales, aut federa inaequalia, aut nexum feudalem, aliaue ratione ita circumſcribi, vt externam ſaltem habeant imperii ſpeciem, reuera inter ſubditos, intuitu illorum, a quibus dependent, referendi, aut coimperantium loco, reſpectu illorum, qui itidem in ſummi imperii conſortium veniunt, itidem habendi. * Multo autem minus, *inuaſores*, & *vſurpatores*, quamdiu tales ſunt, ea ſibi vindicare poſſunt, quae ſummis imperantibus conueniunt.

* conf. quae dixi in *element. philoſ. pract. part. 2. cap. 4. ſect. 13. §. 14.*

§. XII.

Ceterum, vt ſumma haecce imperantium poteſtas, ſe extra ciuitatis limites non extendit, ita contra omnia, quae in ciuitate ſunt, homines ipſi, eorumque & actiones & bona, eousque imperio huic ſubiacent, quousque finis reipublicae hoc exigit. Neque ſub religionis praetextu, aut quacunque alia de cauſſa aliquem hinc eximere licet, * cum reipublicae conſeruatio, poteſtatem eiusmodi, quae ad omnia ſe extendit, requirat.

* Obſeruandum hoc contra pontificios, qui, clericos ſummorum imperantium poteſtati ſubiectos eſſe, negant: quam illorum ſententiam prae ceteris propugnandam ſibi ſumpſit ROBERTVS BELLARMINVS, *de clericis, cap.* 29. *ſeqq.* His ſe merito oppoſuerunt noſtrates, contendentes, clericos non ſolum quoad res, ſed & perſonas ſuas, etiam in cauſſis criminalibus, poteſtati & iuriſdictioni magiſtratus ſecularis iure diuino obnoxios eſſe. Et ſane res ipſa hoc docet, cum in religione chriſtiana nihil deprehendamus, quod obſtet, quo minus, qui eam docent, eiusque ſacra adminiſtrant, ſummorum imperantium poteſtati obnoxii eſſe queant. Immo ſeruator ipſe, & apoſtoli ſe poteſtati imperantium ſubiecerunt, *Matth. XVII*, 27. *Ioan. XIX*, 11. *Actor. IV*, 19. Cur ergo illorum ſucceſſores, aut, qui tales videri volunt, a poteſtate imperantium liberi eſſe deberent? Diſerte praeterea Paulus: *omnis anima* (id eſt, omnes homines, nemine excepto) *magiſtratibus ſubiecta eſto, Rom. XIII*, 1. Omnes ergo homines ſi magiſtratibus ſubiecti ſunt, ſequitur, & clericos, quos vocant, eidem ſubiectos eſſe, quod ex antiquis eccleſiae doctoribus CHRYSOSTOMVS, THEO-

THEOPHYLACTVS, aliique fatentur, adprobante illorum ſententiam ex ipſis pontificiis CLAVDIO ESPENCAEO, ad *Tit. 3. digreſſ.* 10. *p.* 572. *ſeqq.* Sic & Petrus 1. *epiſt.* 11. 13. 14. magiſtratibus, ſpeciatim regi, vt poteſtate pollenti, & praetoribus, vt ab eo, tum ad maleficorum vltionem, tum ad beneficorum laudationem miſſis, parere omnes iubet; omnibus ſcilicet, quibus iniungit, *timere Deum*, & *fraternitatem diligere*, iniungit etiam, *timere regem*, *v.* 17. quod cum ad presbyteros & clericos non minus, quam ad reliquos, pertineat, hos quoque pariter poteſtati imperantium obnoxios eſſe, aperte innuit. Quae contra huncce locum ſatis inepte excipit INNOCENTIVS III. pontifex, accurate diluit B. IO. ADAMVS SCHERZERVS, in *breuiar. Hulſeman. extenſo, cap.* 19 *p.* 1516. *ſeqq.* Conſtat vero, inter ipſos pontificios hac de re diſputatum fuiſſe. Inter capita enim controuerſiarum, quae Paulo V. pontifici, cum republica Veneta intercedebant, erat quoque iurisdictio, quam reſpublica Veneta in eccleſiaſticos ſibi vindicabat, renitente quidem & indignante pontifice. Variis quoque ſcriptis haecce cauſſa tum agitata fuit, pro Venetis quidem IO. MARSILIO, NICOLAO CRASSO, PAVLO SERVITA, HIERONYMO VENDRAMENO, ANTONIO QVIRINO, pro Romano contra pontifice BARONIO, BELLARMINO, aliisque pugnantibus, calamosque ſtringentibus; conf. THVANVS, *hiſtor. lib.* 137. *ad annum MDCVI.* ROHANIVS, dux, in *trutina ſtatuum Europae, part.* 2. *dicurſ.* 3. & quae *ad h. l.* notauit IOSVA ARNDIVS, *p.* 98. *ſeqq.* IO. HENRICVS HEIDEGGERVS, *hiſtor. papatus per.* 7. §. 220. *p.* 322. *ſeqq.*

§. XIII.

Subiectum ſummi imperii proprium, non ſemper vno eodemque ſe habet modo; vnde *formae* iſtae rerum publicarum, quas *accidentales* vocant, originem habent. Interdum enim ſummum imperium penes vnum eſt hominem, vnde *monarchia*; interdum penes concilium ex ſelectis ciuibus conſtans, vnde *ariſtocratia*; aliquando penes concilium ex vniuerſis patribus familias compoſitum, vnde *politia*, ſiue *democratia*. Rurſus interdum contingit, vt diuerſae perſonae, non coniunctim, ſed ſeorſim ſimul, ſubiectum proprium ſummi imperii conſtituant, idque iterum diuerſa ratione. Atque inde, formae rerumpublicarum *irregulares* oriuntur, quas alii *mixtas* vocant. Quod ſi plures ciuitates arctiſſimo quodam federe inter ſe colligentur, vt vnum corpus conſtituere videantur, *ſyſtemata ciuitatum* vocari ſolent.* Plane autem ſingularis fuit ea regiminis ratio, quae in gente Iſraelitica olim obtinuit, quam nonnulli *theocratiam*, adpellitant.** Qui enim ſemper in hac gente monarchiam obtinuiſſe, ſibi perſuadent, prorſus falluntur.*** Vtcunque autem ſummum imperium, quoad ſubiectum proprium ſe habeat, eſt tamen atque manet ſummum imperium, a Deo adprobatum, adeoque ea omnia vbique locum habent, quae generatim de eo, hucusque in medium attulimus.

* Haec omnia prolixius philoſophi explicant, apud quos variae etiam de hiſce formis rerumpublicarum accidentalibus, controuerſiae occurrunt, quae huius loci non ſunt. conf. *elem. philoſ. pract. part.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 13. §. 34. 35.

** Idque praeeunte FL. IOSEPHO, qui iam pridem hoc obſeruauit, tum alibi, tum & *lib.* 2. *contra Apionem*, *p.* 1071. Verba eius ſunt: *innumerae ſunt particulatim gentium & morum*

morum apud omnes homines differentias: alii ſiquidem monarchiis, alii obligarchiis, alii vero democratiis, reipublicae poteſtatem commiſerunt: ὁ δὲ ἡμέτερος νομοθέτης εἰς μὲν τούτων οὐδετέρων ἀπεῖδεν, ὡς δὲ ἄν τις εἴποι βιασάμενος τὸν λόγον, Θεοκρατίαν ἀπέδειξε τὸ πολίτευμα, Θεῷ μᾶλλον μόνῳ τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ κράτος ἀναθείς, *noſter autem legislator, nihil horum intendens, politiam noſtram theocratiam declarauit, Deo praecipue principatum aſſignans & potentiam.* Vtique ita ſe res habet. Siue enim primam reipublicae huius inſtitutionem, ſiue eius adminiſtrationem, ſiue iurium, quae vocant, maieſtaticorum exercitium ſpectes, quae omnia Ipſi Deo tribuuntur, iure meritoque hanc regiminis formam θεοκρατίαν dici, deprehendes, idque praeter alios pluribus euicere HERMANNVS WITSIVS, & IOAN. HENRICVS HOTTINGERVS, vir doctiſſimus vterque in peculiari de hocce argumento diſſertatione, THOMAE GOODWINI libello, cui titulus: *Moſes & Aaron* &c. ſed diuerſis eius editionibus, praemiſſa. Iungendi, qui ex inſtituto de republica Ebraeorum ſcripſerunt, ſpeciatim MELCHIOR LEIDEKKERVS, vir celeberrimus, de *republ. Ebr. lib. 5. cap. 1. p. 268. ſeqq.* it. IO. SPENCERVS, in *diſſert. de theocratia Iudaica*, quae extat in opere eius *de legibus Ebraeorum ritualibus, & earum rationibus. lib. 1. p. 300. & ſeqq.* vbi cumprimis in rationes inquirit, cur Deus eiusmodi regiminis formam in gente ſua eſſe voluerit.

** Quam ſententiam propugnauit ADRIANVS HOVTVYN, iureconſultus Batauus, in libello, cui titulus: *Monarchia Ebraeorum, quae eſt de imperio monarchico in populum Ebraeum probatio, ab Abrahamo ad diſperſam gentem*, cui ideo peculiarem diſſertationem, de *ficta Ebraeorum monarchia ante Saulum*, oppoſuit ADAMVS RECHENBERGIVS, Lipſienſis academiae theologus longe celeberrimus, quae inter *diſſertationes eius hiſtorico-politicas*, iunctim editas, extat, *part. 1. p. 334. ſeqq.*

§. XIV.

Acquiritur ſummum imperium, & quidem, monarchicum, ordinarie, aut per *ſucceſſionem*, aut per *electionem*. Vtrobique ad conſenſum populi res cuncta redit. Si enim conſentiente populo imperium ſummum in integram conferatur familiam, oritur inde *ſucceſſio:** quod ſi in vnum hominem conferatur, vocatur *electio*. Extraordinarie imperium acquiritur per bellum, de quo tamen obſeruandum, quod, vti hicce acquirendi modus, iam cauſſam iuſtam, cur imperium nobis vindicare queamus, ſupponit, ita tum demum vim ſuam exerit, ſi conſenſus tacitus aut expreſſus, populi deuicti acceſſerit. ** In ariſtocratia per electionem fere optimates in ſummi imperii conſortium adſciſcuntur, vti in democratia, hoc ipſo, quo aliquis ciuis fit, illis etiam, qui coniunctim imperium habent, aſſociatur.

*Quae tamen aliter in regno patrimoniali, aliter in regno legitimo ſe habet, cum in illo ordo eius a voluntate anteceſſoris, in hoc a voluntate populi dependeat, vt tamen vtrobique ſi voluntas expreſſa non adſit, is obſeruetur ſuccedendi ordo & modus, qui conſeruationi regni quam maxime eſt conueniens. Pluribus haec ediſſerui in *element. philoſ. pract. part. 2. cap. 4. ſect. 13. §. 38. ſeqq.* vbi & indicatum, quibus fundamentis innitatur ſucceſſio primogenitorum, de qua & ex inſtituto dictum, in *diſſertat. de ſucceſſionibus primogenitorum.*

** Et hac de re dictum, in *element. philoſ. pract. part. 2. cap. 4. ſect. 13. §. 37. & cap. 5. ſect. 6. §. 20. & ſeqq.*

§. XV.

Quae cum ita ſe habeant, & experientia quotidiana conſtent, non immediate, ſed mediate a Deo ſummum imperium hodie conferri manifeſtum eſt.* Enimuero, licet tum in electione, tum in ſucceſſione, res omnis ad voluntatem atque conſenſum populi vltimato redeat, ſpecialiori tamen Deus ſemper & vbique concurrit ratione, voluntates ciuium mouendo, dirigendo, flectendo, vt in huncce hominem, ſi regnum fuerit electiuum, aut in hancce familiam, ſi fuerit ſucceſſiuum, ſummam rerum conferant. Subinde & ex ſingularibus, quae hic concurrunt circumſtantiis, diuinam directionem euidentiſſime intelligere licet. conf. *Prouerb. VIII, 15. Dan. IV, 32. Sap. VI. 4.* In veteri teſtamento quibusdam immediate collatum eſſe imperium, legimus, vt Moſi, *Exod. III, 10.* Ioſuae, *Num. XXVII, 18. Deut. III, 28.* Immo & Saulis ac Dauidis exempla huc pertinent, *1 Sam. IX, 15. ſeqq. XVI, 12.* Sed haec extraordinaria fuerunt, nec in cenſum heic loci veniunt.

* Pluribus hoc & ex inſtituto demonſtraui in *diſſertatione* de *concordia religionis chriſtianae, ſtatusque ciuilis, cap. 4. §. 5. & ſeqq.* Et licet nonnullis ea, quam ibi propugnaui, ſententia diſpliceat, nihil tamen contra eam, quod momentum trahat, in medium hactenus allatum eſt, nec adferri poteſt. Quod & vlterius oſtendi in *disquiſit, theolog. de moderam. inculpatae tutelae in controuerſiis theologicis, p. 12. & ſeqq.*

§. XVI.

Cum diuerſa etiam ſint ſummae poteſtatis obiecta, circa quae verſatur, diuerſas etiam ſortitur denominationes. Hinc & a nonnullis vt totum aliquod poteſtatiuum conſideratur, cuius partes *iura maieſtatica*, itemque *regalia* vocari ſolent. De numero & partitione iurium iſtorum maieſtaticorum, cum alii, quorum hoc proprium eſt, ex inſtituto agant, qui & ſigillatim, quae de ſingulis obſeruanda ſint, condocent,* nobis quidem de iure ſummorum imperantium circa ſacra tantum quaedam delibanda, duximus, cum vt iuſti poteſtatis huius, & legitimi conſtituantur limites, ipſius religionis chriſtianae vel maxime interſit.

* Quos inter prae reliquis commendandus B. CASPAR ZIEGLERVS, in praeclaro opere, de *iuribus maieſtaticis.* Praecipua etiam, quae notatu digna ſunt, exhibuimus, in *element. philoſ. pract. part. 2. cap. 4. ſect. 13. §. 16. ſeqq.*

§. XVII.

Id primo igitur extra controuerſiam poſitum puto, multum intereſſe reipublicae, vt religionis cura ea, qua decet, ratione ab imperantibus geratur. Etſi enim tranquillitas & conſeruatio rerumpublicarum, neutiquam praecipuus religionis verae ſcopus ſit,* qui po-

Digitized by Google

potius in ſalute aeterna hominum conſiſtit, plurimum tamen ad ſecuritatem, tranquillitatemque rerumpublicarum, religionem, ſi recte adminiſtretur, conferre, palam eſt. ** Vnde & quam neceſſaria ſit legitima religionis directio, patet. Idque eo magis, quo ſaepius contigit, vt perditiſſimi mortalium, religionem cupiditatibus ſuis obtendentes, motibus grauiſſimis, atque turbis, rerumque publicarum euerſionibus, occaſionem praebuerint. ***

* Multo autem minus vnicus religionis ſcopus eſt, vt perperam ſibi perſuadent, qui cum NICOLAO MACHIAVELLO, aliisque, religionem pro dominandi ſaltem inſtrumento habent.

** Quod ſpeciatim de chriſtiana religione, quae ſola vera eſt religio, intelligendum. Eam vero ad felicitatem & conſeruationem rerumpublicarum conferre plurimum, deinceps §. 19. demonſtratur.

*** Quod de regibus Hiſpaniae, ſpeciem ſacrorum conſiliis olim praetexentibus, IOAN. BARCLAIVS pronuntiauit: *maxime ſolenne eſt ad parandam reuerentiam, nomine coelitum vti, ſpecieque ſacrorum ſubducere ambitum oculis vulgi. Numini ſuas cupiditates imputant, & veluti pro illo depugnantes, ſolertiſſime ſibi vincunt. Illa veluti praefatione in omnium rerum coepta, tanquam in ſcenam & tragoediam, intrant &c. in icone animorum, cap.* 7 id de omnibus illis dici poteſt, qui, religionem cupiditatibus obtendentes, res nouas moliuntur, aut reipublicae ſtatum turbant. Quae pericula prudenti religionis directione, ſi vera religio non niſi legitimis mediis conſeruetur & propagetur, diſſenſiones, quantum fieri poteſt, imminuantur & conſopiantur, & omnis adeo occaſio, religionem cupiditatibus ſuis obtendendi, eiusmodi hominibus praeſcindatur, euitari poſſunt.

§. XVIII.

Non tantum autem imperans, vt felicitas externa & tranquillitas reipublicae conſtet, curare debet, ſed idem etiam, ſaltem prout chriſtianae religioni ſe addictum profitetur, obſtrictus eſt, aeternam ciuium ſuorum ſalutem, ea, qua poteſt & debet, ratione, promouere. Hoc vel chriſtianae charitatis poſtulat ratio. Si enim quilibet mortalium, vt non de ſua modo, ſed aliorum quoque ſollicitus ſit ſalute, & huc ea omnia, quae in ſua poſita ſunt poteſtate, conferat, obligatus eſt, multo magis a ſummis hoc requiri imperantibus, exiſtimandum, quos profecto non fruſtra tanta pollere auctoritate Deus voluit, & qui conferre plurimum, vt coeleſtis veritatis cognitione homines imbuantur, poſſunt. *

* Etſi enim imperans, vt imperans ſpectatus, ad externam ciuium & ſubditorum felicitatem praecipue reſpiciat, ad quam ipſae respublicae comparatae ſunt, vt ſupra docuimus, idem tamen, vt chriſtianus conſideratus, omnino ad aeternam quoque ſubditorum felicitatem promouendam, obligatus eſt. *Neque* enim *pro ſe quisque tantum, ſed & pro mandata ſibi poteſtate, Chriſto ſeruire debet*; vt recte pronuntiat HVGO GROTIVS, *lib. 2. de iur. bell. & pac. cap.* 15. §. 12. Referri huc ſolet illud Eſaiae, *cap. XLIX.* 23. *& erunt reges nutritii tui, & reginae nutrices tuae &c.* Indicat enim hiſce verbis diuinus vates, regum quoque atque principum ſtudio operaque alendam, fouendam, propagandam eſſe eccleſiam noui teſtamenti. Quod dum ceu inſigne & praeſtans quid Deus pollicetur, recte omnino & laudabiliter agunt imperantes, qui curas ſuas & conſilia eo conuertunt. Nec metuendum, ne eadem ratione principes, ſuperſtitioni aut falſae religioni addicti, induci queant

ad vexan-

ad vexandos & opprimendos eos, qui verae religioni ſunt addicti, & tyrannidem in illos exercendam. Supponimus enim, quod promotio & propagatio verae religionis, fieri debeat absque vi & coactione, modo naturæ & indoli religionis chriſtianae conuenienti, vt deinceps docebitur.

§. XIX.

Sed nihil magis etiam ad veram rerumpublicarum felicitatem, tranquillitatemque confert, quam ſi vera religio floreat. Cum enim mala pleraque, quibuscum rebus publicis ſocietatibusque ciuilibus, confligandum eſt, a prauis adfectibus, vitiisque aut imperantium aut ciuium, ſpeciatim ab ambitione, auaritia, ac voluptate eorum proueniant, tutior ea euitandi, aut auertendi, non eſt ratio, quam ſi cupiditatibus imponere modum, prauosque exuere adfectus condoceantur homines. Id vero religio chriſtiana egregie praeſtat, quippe quae, ſi doctrinae ſacrae ſua vbique puritas conſtet, non tantum nihil quod tranquillitati rerumpublicarum aduerſetur, continet, ſed eiusmodi praeſcribit mores, quibus imperantes pariter ac ciues, ad felicitatem reipublicae conſeruandam apti fiunt, neque praeſcribit modo, ſed media etiam, quibus compeſci exorbitantes cupiditates, & improbi coerceri adfectus queant, ſuppeditat. *

* Prolixe & ex inſtituto hoc a me demonſtratum, in *diſſertatione, de concordia religionis chriſtianae ſtatusque ciuilis*, *cap.* 1. Quam inique olim chriſtianis a gentilibus obiectum ſit, eorum doctrinam reipublicae rationibus non conuenire, euici ibidem, *cap.* 2. Sed religionis quoque chriſtianae in hocce genere prae gentili & Mahumedana praerogatiuam luculenter demonſtraui, *cap.* 3. Cum vero in varias partes ſciſſi ſint chriſtiani, puram illam ſanamque, quam in noſtris eccleſiis profitemur, euangelii doctrinam, hancce cum primis ἐξοχὴν ſibi vindicare, quod per eam ſaluti quoque & incolumitati externae rerumpublicarum vel maxime conſulatur, euictum & comprobatum, *cap.* 4. *&* 5.

§. XX.

Eſt praeterea chriſtianae religionis haecce indoles, vt & per externa promoueri quodammodo queat, & directionem quoque quandam admittat, immo eadem opus habeat. Sed vtrobique, quid religionis, ſpeciatim quid chriſtianae religionis indoles permittat, diſpiciendum. Per vim itaque externam ad eam nemo eſt cogendus, cum eiusmodi coactio non poſſit non in meram tandem deſinere hypocriſin. Fides vera in Chriſtum, quae omnis religionis ſumma eſt, tantum per verbum diuinum, & legitimum ſacramentorum vſum, accenditur & conſeruatur. Hinc & Paulus Apoſtolus, *arma*, inquit, *militiae noſtrae non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad demolitionem munitionum, quibus conſilia demolimur, & omnem celſitudinem, quae extollitur aduerſus cogitationem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Chriſto*, *2 Cor. X. 4. 5.* add. *2 Cor. VI, 4. ſeqq. Coloſſ. I, 23. 25. 2 Theſſal. III, 13. 14. 15.* Quare ſi ſummus imperans curet, vt verbum diuinum recte praedicetur, & ſacramenta legitime

Eee e 2 admini-

adminiſtrentur, ſi impedimenta, quae verbi & ſacramentorum vim & efficaciam ſufflaminant, quantum fieri poteſt, remoueat, ſi externa reliqua ita dirigat, vt cuncta ordine & decenter fiant, ſuo omnino hac in parte merito ſatisfeciſſe creditur officio.

§. XXI.

Ita ergo ſi poteſtas imperantium circa ſacra explicetur, & ſuis limitibus circumſcribatur, recta incedimus via, nec imperantibus, quod illis competit, denegamus, nec dominatum tamen in conſcientias illis tribuimus,* quem nemo etiam ſine ſumma ſibi vindicabit impietate. Atque haecce poteſtas circa ſacra, vi ſummi imperii, imperantibus competit, cuius quippe partem eximiam conſtituit. ** Immo ſine ea mancum foret ac mutilum ſummum, imperium, vt non ſine ratione dubitatum ſit, an ſummum plene habeant imperium, qui ius circa ſacra Romano pontifici concedunt. *** Qui vero hancce circa ſacra poteſtatem, *ius epiſcopale* vocant, minus accurate loquuntur, & ſecundum erroneas pontificiorum de epiſcopis notiones, poteſtatem docendi, quae tantum epiſcopis competit, cum poteſtate imperandi confundunt.*

* Fuerunt plurimi, qui tolerantiam religionum adſererent atque defenderent, quod recentiori quoque aetate praeter alios fecere IO. LOCKIVS, in epiſtola de *tolerantia*, & GERHARDVS NOODT, iureconſultus celeberrimus, in *diſſertatione de religione ab imperio iure gentium libera*, quam cum alia eiusdem auctoris oratione, de *poteſtate ſummorum imperantium*, ex latina in gallicanam linguam transtulit, IO. BARBEYRACIVS Et ipſa ſane indoles & natura, tum religionis generatim ſpectatae, tum ſpeciatim chriſtianae, hoc ſatis ſuperque docet, vim omnem hic abeſſe debere Vnde ſententia illorum, qui per vim & arma religionem propagare & diſſentientes quoslibet gladio & igne perſequi non dubitant, quod Romanenſium fere proprium eſt, ceu repugnans & rationi & religioni, ſaniorum iudicio, merito damnatur. Nec tamen tolerantiae limites vltra, quam par eſt, extendendi. Tolerandi ſunt diſſentientes, ita tamen, vt veritati nullum inde creetur periculum, & qui noſtrae curae concrediti ſunt, in diſcrimen amittendae ſalutis aeternae coniiciantur; tolerandi ſunt, non tamen ſtatim facultas, impune & pro lubitu errores diſſeminandi & alios ſeducendi, illis eſt concedenda: tolerandi ſunt, ſimul tamen in viam veritatis, ea, qua decet ratione, reuocandi. Paucis: tolerantia non debet excludere curam conſeruandi, propagandique veram religionem. Quibus limitibus ſi poteſtas ſummorum imperantium circa ſacra circumſcribatur, cuncta ſibi recte conſtabunt. Legi interim atque expendi merentur, quae hac de re habet ELIAS SAVRINVS, *dans ſes reflexions ſur les droits la conſcience*, vbi inter auctorem libri: *commentaire philoſophique ſur les paroles: contrains les d'entrer*, quem PETRVM BAELIVM eſſe ferunt, qui ne tolerantiam vltra, quam par eſt, extendit, & inter auctorem libri: *droits des deux ſouverains* &c. quem PETRVM IVRIVM eſſe conſtat, qui nimis arctis limitibus eam circumſcribit, media velut via incedit, & vtrumque refellit.

** Renituntur hic pontificii, papalis auctoritatis defenſores, & Romano pontifici ſupremum ius circa ſacra vindicant. Prae ceteris hoc omnibus viribus agunt THEOPHILVS RAYNAVDVS, de *corona aurea pontificis p. 233 ſeqq.* CAESAR BARONIVS, in *annalib. ad annum Chriſti DCCLII.* ROBERTVS BELLARMINVS, de *Roman pontifice, cap 7.* aliique. Sed quam lubrico illorum aſſerta nitantur fundamento, oſtendi facile poteſt.

Primo enim non expendunt quod officium epiſcopi non ſit imperare, ſed docere, 1 *Petr. V*, 2. 3. Ius autem circa ſacra adminiſtrare, imperantium eſt, non docentium, quales eſſe debebant epiſcopi, tum ceteri, tum & Romani. Nullibi quoque in ſcriptura ſacra aut Romano, aut aliis epiſcopis, iurisdictio quaedam, aut ius circa ſacra tribuitur. Dum enim Petrus, *Ioan. XXI.* 15. *ſeqq.* paſcere oues Chriſti iubetur, hoc non de imperio quodam, aut iurisdictione, ſed de doctrina itidem eſt intelligendum. Praeterea, nec religionis chriſtianae, nec eccleſiae indoles requirit, vt ius circa ſacra penes alium ſit, quam ſummum imperantem. Non illius, quia nihil obſtat, quo minus verbum diuinum rite docere & ſacramenta, vt decet, adminiſtrare queant verbi diuini miniſtri, etſi directio eccleſiae a ſummo imperante pendeat. Nec huius, quia eccleſiae non alia debet eſſe ratio, quoad externa, quam aliarum ſocietatum, quae ciuili ſubordinatae ſunt, & a ſummo imperante diriguntur. Idem exemplis quoque, & perpetua veteris eccleſiae praxi, ex quo ſummi imperantes chriſtianae religionis ſacra amplexi ſunt, comprobari poſſet, niſi iam ab aliis hoc factum eſſet conf. HVGO GROTIVS de *imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra*, NICOLAVS VEDELIVS, de *epiſcopatu Conſtantini magni*, aliique. Ideoque cum Romani pontifices hanc ſibi circa ſacra poteſtatem, praeſertim quoad inueſtituram epiſcoporum, vindicare vellent, acriter illis tum imperatores Germanici, tum Galliae reges, ſe oppoſuerunt, vt praeter alios pluribus euicit IO. SCHILTERVS, magni quondam nominis iureconſultus, in praeclaro opere, de *libertate eccleſiarum Germaniae*. Idque cum NATALIS ALEXANDER in Galliae regibus laudaſſet, non ſatis ſibi conſtat, dum in eadem cauſſa vituperat imperatores Germanicos, merito ideo notatus ELIAE VEIELIO, in *diſſertatione iſagogica in ſelecta hiſtoriae eccleſiaſticae capita Natalis Alexandri*, p. 279. *ſeqq.* Romanenſibus interim, qui ſummam imperantium circa ſacra poteſtatem cum ea, quam ſibi Romanus pontifex vindicat, conciliare annituntur, plurimae ſe offerunt difficultates, ex quibus ſe vix expediunt, vt non alterutram partem offendant, vt vel ex PETRI DE MARCA opere, de *concordia ſacerdotii & imperii*, liquet. Nos iſta non morantur, qui citra ambages, epiſcopis, nullum iure diuino competere imperium, pronuntiamus. Quod ſi autem in ſpiritualibus, epiſcopis ſpeciatim Romano, imperium nullum aut iurisdictio competit, multo minus in temporalia regum principumque poteſtatem quandam habebunt. Quod ſolide ex ipſis pontificiis probat LVDOVICVS ELIAS DV PIN, de *antiqua eccleſiae diſciplina diſſertat.* 7. *p.* 433. *ſeqq.* conf. & quae hac de re dixi, in *diſſert. de concordia religionis chriſtianae ſtatusque ciuilis. cap.* 4. §. 16.

*** Dubitat ſane, nec ſine ratione, hac de re, ALBERICVS GENTILIS, de *legat. lib.* I. *cap.* 2.

* Epiſcopos enim iurisdictione gaudentes, & poteſtate imperandi inſtructos, ſcriptura ignorat. Dicetur hac de re ex inſtituto capite ſequenti. Poteſtas circa ſacra eſt pars ſummi imperii, ſeu ſuperioritatis territorialis, quam a Romanae eccleſiae epiſcopis ſibi ereptam, iure meritoque iterum ſibi vindicarunt principes proteſtantium. Par itaque etiam erat, vt rem ipſam vero nomine exprimerent, ne vmbra illa ſuperſtitionis papalis, variis abuſibus tegendis inſeruiens, remaneret.

§. XXII.

Quaenam ſigillatim ad ius hocce circa ſacra pertineant, ex dictis fere intelligere licet. Iuuabit tamen nonnullas iuris huius indicare partes. Imperantis itaque ſummi eſt, diſpicere, vt eiusmodi eccleſiis praeficiantur paſtores, qui verbum Dei rite docent, & ſacramenta recte adminiſtrent, non minus & exemplum auditoribus praebeant, quod imitentur. Praecipuum hocce medium eſt, religionem chriſtianam propagandi, & conſeruandi, hominesque ad vitae pietatem, ſanctitatemque traducendi. Hoc tamen ita intelligendum, ne,

 ecclе-

eccleſiae, cui ius eligendi paſtores competit, * quidquam derogetur. Poteſtque, omnino ac debet cuilibet hoc relinqui eccleſiae, modo imperans ſummus diſpiciat, nec hocce iure abutatur. Quod ſi enim per malitiam aut alias cauſſas ſibi ipſi quis conſulere nequit, iuſtum & aequum eſt, vt illi conſulant, quorum ſubeſt imperio.

* Explicabitur hoc vlterius *ſect. ſequenti* §. 1. 4. add. DAVIDIS BLONDELLI diſſertatio, de *iure plebis in regimine eccleſiaſtico*. Praecipuum itaque, quod [illegible] ſummis imperantibus conuenit ius, in eo conſiſtit, vt diſpiciat, vt cuncta ordine & decenter fiant, neue eccleſia iure ſuo abutatur; hinc dirigere electionem, & poſtquam facta eſt, confirmare poteſt, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Quod vero ſummis imperantibus eiusmodi poteſtas competat, res ipſa & ſummi imperii ratio docet. Hinc & reges principesque chriſtianos hocce ius olim exercuiſſe, annales eccleſiaſtici teſtantur. In quo tamen annon quandoque poteſtatis ſuae limites cum imminutione iuris, quod eccleſiae competit, exceſſerint, nunc non disquiram. Interim conſ. PETRVS DE MARCA, de *concordia ſacerdotii & imperii*, *lib.* 8. *cap.* 9. & B. CASPAR ZIEGLERVS, de *iuribus maieſtat. lib.* 1. *cap.* 18. Immo ipſos Romanos pontifices ab imperatoribus quandoque conſtitutos fuiſſe, conſtat. vid MARCVS ANTONIVS DE DOMINIS, de *republ. eccleſiaſt. lib.* 6. *cap.* 7. & ONVPHRIVS PANVINIVS, in *vita Gregorii VII.* Sequitur vero ex dictis, quod imperantibus quoque poteſtas, eos, qui officio ſuo non recte funguntur, ab eodem remouendi, competat.

§. XXIIII.

Quod de eccleſiis diximus, id pariter & de *ſcholis*, intelligendum. Praeceptorum enim vnice a magiſtratu ſupremo, aut illis, qui eius vicibus funguntur, dependet conſtitutio. * Idque rectiſſime, cum reipublicae vel maxime interſit, bene conſtitutas habere ſcholas, in quibus bonis litteris imbuantur, ſimulque ad ſapientiam pariter ac pietatem erudiantur, qui eccleſiae ac reipublicae praeeſſe debent. ** Vnde & ſeminaria reipublicae & eccleſiae, merito dicuntur. Hoc autem tum de minoribus ſcholis, tum de maioribus, gymnaſiis ac academiis, eſt intelligendum.

* Non tantum ius conſtituendi praeceptores & profeſſores, ſed ius quoque erigendi ſcholas & academias, ob eandem, quam deinceps aſſerimus, rationem, illis competit. Hoc vero in eccleſia Romana perperam, nec ſine ſummi imperii imminutione, pontifices ſibi vindicant. vid. ZIEGLERVS, de *iurib. maieſtat. lib.* 1. *cap.* 23.

** Magna citra controuerſiam ſcholarum eſt vtilitas, & pro praeſenti humani generis conditione, neceſſitas, quam contra THOMAM HOBBESIVM, *Leuiath. cap.* 46. peculiari diſſertatione euicit ADAMVS RECHENBERGIVS, de *origine & vſu ſcholarum*. Prolixe etiam pro vtilitate & neceſſitate ſcholarum diſputat GISBERTVS VOETIVS, *polit. eccleſiaſt. part.* 2. *lib.* 3. *tractat.* 4. *cap.* 3. *p.* 738. *ſeqq.* Interim diffitendum non eſt, varios ſcholarum hinc inde eſſe naeuos, nec id vbique ea, qua decebat, ratione agi, vt finis, propter quem inſtitutae ſunt, obtineri queat. Legi merentur, quae ſua aetate de ſcholae Carthaginienſis corruptelis grauiter conqueſtus eſt AVGVSTINVS, *confeſſionum lib.* 5. Sed noſtra quoque aetate viri cordati animaduerterunt, pietatis vitaeque ſanctae, ad quam tamen non minus, quam ad multarum rerum ſcientiam, iuuentus erudienda erat, in ſcholis & academiis non eam ſemper, quae debebat, rationem haberi; conſ. VITVS LVDOVICVS SECKENDORFIVS, de *ſtatu chriſtianorum*, *lib.* 3. *cap.* 9. §. 3. Nec tamen ob naeuos atque vitia docentium & diſcentium, ipſae ſtatim damnandae & reiiciendae ſunt ſcholae, quod

VALEN-

VALENTINVM WEIGELIVM, CHRISTIANVM HOBVRGIVM, aliosque feciſſe memorant, quorum duriora quaedam & aſpera in ſcholas & academias effata, paſſim referuntur, & refutantur. conf. EHREGOTT DANIEL COLBERGIVS, in *chriſtianiſmo Hermetico-Platonico. part.* 1. *cap.* 15. §. 7. *p.* 702. *ſeqq.* Rectius agunt, qui in eo potius operam collocant, vt corrigantur & emendentur, quae minus recte fiunt, vt morbis his medela adferatur. Huc variae virorum eruditorum de ſcholis inſtituendis & emendandis ſpectant conſultationes, de quibus vid. DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS, *polyhiſt. litterar. lib.* 2. *cap.* 2. Addendus omnino GOTHOFREDVS VOCKERODT, in *conſultationibus de litterarum ſtudiis recte & religioſe inſtituendis*, nec non de *publicarum ſcholarum vſu, pretio, & diſciplina ſanctiori.*

§. XXIV.

Praeſcribere etiam ſummus imperans certam regulam atque normam poteſt, iuxta quam in ſcholis & eccleſiis, cuncta ſunt peragenda. Nec enim alia ratio, dirigendi actiones hominum, ſuppetit. Atque hoc eſt, quod alii dicunt, competere ſummis imperantibus poteſtatem condendi *leges eccleſiaſticas.* Leges vero eccleſiaſticas reuera ciuiles eſſe, & ab obiecto ſaltem eccleſiaſticas vocari, ſupra iam dictum eſt. Eo minus itaque dubitandum, quin grauiſſime errent, qui aut Romano pontifici, aut conciliis hanc poteſtatem tribuunt. * Hoc ipſo enim ſe non ſatis quid lex ſit, aut cui poteſtas legislatoria competat, perſpicere, aperte indicant. Reges populi Iudaici olim leges circa ſacra tuliſſe, conſtat ex *1. Chron. XXIV, 2. ſeqq.* & *2. Chron. XIX, 8.*

* conf. quae ſupra dicta ſunt, *cap.* 1. huius partis, §. 17. 18.

§. XXV.

Non ſufficit, praeſcribere leges circa ſacra, ſed intereſt etiam reipublicae, vt accurate obſeruentur. Vnde fluit *ius viſitandi*, quod vocant, ſcholas & eccleſias, quod itidem ſummo imperanti competit. Cuius enim eſt, leges ferre, eius etiam eſt, diſpicere, an leges obſeruentur, conf. *2. Corinth. XVII, 7. ſeqq.* & *XXIX, 4.*

§. XXVI.

Quod ſi in viſitationibus illis, aut alias, innoteſcat, corruptum eſſe eccleſiae ſtatum, erroresque gliſcere qua doctrinam, aut mores inualeſcere prauos, res ipſa & eccleſiae pariter ac reipublicae ſalus poſtulat, tempeſtiue vt hiſce morbis adhibeatur medela. Idque ſi publica auctoritate agendum ſit, ſummis iterum hocce ius competit imperantibus, immo officii, quo funguntur ratio, hocce efflagitat. * Docent id quoque exempla regum veteris teſtamenti, Aſae, *1 Reg. XV, 12,* Ioſaphati, *2 Chron. XVII, 6.* Ezechiae, *2 Reg. XVIII, 4.* & *2 Chron. XXIX, 5. ſeqq.* Joſiae, *2 Reg. XXIII 4. ſqq. 2 Chron. XXXIV, 3. ſqq.* Vocare hoc ſolent, *ius reformandi eccleſiam.*

*Modus

* Modus tamen non ſit violentus, aut cum coactione conſcientiarum coniunctus. Hoc enim naturae & indoli religionis repugnant, iuxta ea, quae ſupra dicta ſunt. Nec ſub praetextu reformandi aut emendandi eccleſiam, vexandi vel expellendi ſunt, qui ceteroquin, etſi circa religionis quaedam capita diſſentientes, aut per aequitatem naturalem, aut omnino per pacta, vel alias rationes, tolerandi erant.

§. XXVII.

Cumque hocce ius corrigendi & emendandi eccleſiae corruptelas, tum ad doctrinam, tum ad mores hominum ſpectet, de doctrina quidem porro obſeruandum, non omnes, qui errores quosdam fouent, eodem habendos loco. Nonnulli ex imbecillitate intellectus in errores incidunt, alii errori addunt malitiam. Sunt ſeducti alii, alii ſeductores, quos & ſi errores capitales foueant, eosque pertinaciter defendant, haereticos vocare ſolent. Vt vero ſeducti, & per imbecillitatem errantes, diligenti informatione, omnique manſuetudine in viam rectam ſunt reuocandi: * ita haeretici & ſeductores, coërceri a ſummis imperantibus poſſunt, ne errores ſuos diſſeminent, & ſi alia hoc fieri ratione nequeat, e republica ſunt eiiciendi, ** niſi forte pacta quaedam publica obſtent. Multo autem minus ferendi, ſed pro re nata poenis quandoque ob malitiam afficiendi ſunt, qui talia docent, quae omnis vitae honeſtae pariter ac pietatis fundamenta labefactant, vt athei, aut quae directe tranquillitati ac ſecuritati reipublicae, repugnant.

* Magnopere ergo falluntur Romanenſes, dum, in quosuis errantes ac diſſentientes igne atque ferro ſaeuire, fas eſſe, arbitrantur. conf DIDACVS COVARRVVIAS, *tom.* 2. *reſol. lib.* 2. *cap.* 12. aliique. Perperam nimirum ſupponunt, haereticos eſſe latrones, homicidas, aut his peiores, poenasque ciuiles ad ea etiam peccata extendendas, quibus directe reipublicae ſalus non laeditur. Sed cuncta, quae pro ſententia tam immani atque crudeli adferri in medium poſſunt, ſolide diſcuſſit ELIAS SAVRINVS, *dans ſes reflexions ſur les droits de la conſcience, part.* 4. *ſect.* 3. *per integr.*

** Luculenter haec omnia ediſſerit SAM. PVFENDORFIVS, de *habitu religionis chriſtianae ad vitam ciuilem*, §. 49. *p. m.* 231. *ſeqq.*

§. XXVIII.

Corruptelis quoad mores, obuiam iri poteſt, ſi diſciplina eccleſiaſtica rite adminiſtretur.* Non autem confundenda eſt diſciplina eccleſiaſtica, cum poena ciuili. Vt enim haec tantum ſummis imperantibus competit, ita illa eccleſiae eſt propria. Summorum tamen imperantium eſt diſpicere, vt rite adminiſtretur, eosque excitare aut corrigere, qui hac in re negligunt, quae ſuarum erant partium.**

* Per diſciplinam eccleſiaſticam hic ſpeciatim intelligimus rationem emendandi illos, qui vitae morumque prauitate, ſe vera & genuina eccleſiae membra non eſſe, demonſtrant, id quod fit per admonitiones, increpationes, tandemque per excommunicationem. Iſta vero emendandi homines ratio, vt a poena ciuili multum diſtat, ita eccleſiae propria eſt, etſi imperanti ſummo cura incumbat, diſpiciendi, vt rite adminiſtretur. Dicentur hac de re plura, *parte tertia*, *cap.* 3. §. 63. *ſeqq.*

** Immo

** Immo diſpicere etiam debet ſummus imperans, ne eccleſiaſticae emendationes in poenas ciuiles degenerent, quo ipſo contingere poteſt, vt ordo eccleſiaſticus inſtrumentum dominandi accipiat, quo aliquando aduerſus ipſos imperantes vtatur. Sic excommunicationum iſtarum abuſum, ad imperii pontificii incrementum plurimum contuliſſe, conſtat.

§. XXIX.

Ad controuerſias in eccleſia ortas conſopiendas, optimum olim medium viſum fuit conuocatio conciliorum, in quibus viri pii & prudentes, inuocato rite Numine, collatis ſuffragiis, ad ductum ſcripturae ſacrae diſpicerent, quid veritati eſſet conueniens, & ita litem dirimerent. * Eiusmodi concilia conuocandi, eaque dirigendi poteſtas, itidem ſummis merito tribuitur imperantibus. Pertinet enim & hoc ad externam eccleſiae directionem, quae imperantibus, hoc ipſo, quod imperantes ſunt, conuenit. Summi enim ceteroquin imperii ſibi non conſtaret ratio. Accedit exemplum & praxis veteris eccleſiae, in qua poſtquam imperatores chriſtianae religionis ſacris imbuti ſunt, hanc poteſtatem conuocandi & dirigendi concilia ſemper ſibi vindicarunt.**

* Cuiusmodi fuit concilium illud Hieroſolymitanum, ab ipſis apoſtolis ad obortas in eccleſia Antiochena controuerſias conſopiendas, habitum, *Act. c. XV.* quod adeo primum eſſe, merito cenſetur. BARONIVM namque, primum concilium a Chriſto atque apoſtolis habitum, contendentem, & huc hiſtoriam *Matth XVI, 13. ſeqq.* trahentem, iam pridem refutauit ISAACVS CASAVBONVS, & RICHARDVS MONTACVTIVS, ille *exercit. 16. contra Baronium, n. 8.* hic in *origin. eccleſiaſt. part. 2. p. 159.* add. B. ZIEGLERVS, de *iurib. maieſtat. lib. 1. cap. 15. §. 3.*

** Eundo per omnia veterum conciliorum exempla hoc comprobare poſſemus, ſed ingenue pariter ac erudite ex ipſis pontificiis hoc praeſtitit EDMVNDVS RICHERIVS, in *hiſtoria conciliorum generalium.* Immo hoc adeo certum eſt, vt ſeculo adhuc octauo, quo tamen iam magna erat Romanorum epiſcoporum auctoritas, concilia ab imperatoribus fuerint conuocata, atque directa. Quod vel Francofurtenſis ſynodi a Carolo M. imperatore conuocatae, exemplo, patet. conf. IO. GEORGIVS DORSCHAEVS, in *collat. ad concil. Francofurt. ſect. 2. cap. 1. p. 93.* add. MARCVS ANTONIVS DE DOMINIS, de *republ. eccleſ. lib. 6. cap. 5.*

§. XXX.

Cum vero eiusmodi eccleſiae ſtatus in hac vita ſperandus non ſit, in quo non ſint controuerſiae & certamina inter doctores, imperans quidem prohibere nequit, quo minus quis eam ſententiam, quam veram putat, propugnet, & quae ei opponuntur, refellat: ** immo ſi illi, a quorum partibus ſtat veritas, in ea propugnanda & defendenda, aut erroribus diſſentientium, qui eccleſiae periculum adferre poſſunt, refellendis, ſegnes ſint, ſummus imperans doctores ſui admonere officii poteſt. Quoniam tamen ſaepe contingit, vt qui de rebus ſacris inter ſe diſputant, nimio feruore abrepti, modum excedant, lites non neceſſa-

neceſſarias excitent, aut foueant, ad λογομαχίας deflectant, contumeliis potius & conuitiis, quam rationum momentis, certent, & hoc ipſo veritatem diuinam omnium ludibrio exponant, vnde religio ipſa, ſimulque eccleſiae & reipublicae ſalus in periculum adducitur, imperantibus competit poteſtas, diſputationibus eiusmodi & concertationibus, modum, limites, & formam praeſcribendi, ** & eos, qui officii ſui ſunt immemores, poenis promeritis coërcendi.

* Pertinet enim hoc ad officium elenchticum, omnibus eccleſiae paſtoribus, ſerio a Chriſto & apoſtolis commendatum, *Ioan. X*, 12. 13. *Actor. XX*, 28. 29. 2 *Tim. II*, 25. *Tit. I*, 9. Cuius adeo plena libertas verbi diuini miniſtris merito conceditur, ſed, ne eadem ad turbandam eccleſiam pariter ac rempublicam abutantur, diſpicere omnino ſummorum eſt imperantium.

** Quod & iam olim aliquando ab imperatoribus factum fuit: extatque in codice Theodoſiano integer titulus; *de his, qui ſuper religionem contendunt.* Et ſane, vt ſcriptura ſacra elenchticum officium grauiſſime commendat, ita eadem non minus controuerſias inutiles & ſuperuacaneas fugere iubet, & contendendi pruritum in epiſcopis & eccleſiae doctoribus diſerte damnat, 1 *Tim. VI*, 3. 4. 5. 2 *Tim. II*, 23. *Tit. III*, 19. alibique. Ceterum de naeuis & abuſu theologiae polemicae; & peruerſa ratione controuerſias theologicas tractandi, plurimae extant cordatorum virorum querelae: qua de re alibi. conf. *profeſſio* noſtra *academica, de ſtudio theologiae polemicae recte atque ſobrie inſtituendo.*

§. XXXI.

Requirit praeterea indoles, ac natura religionis chriſtianae, vt qui eidem ſe addictos profitentur, aliquando, certo loco & tempore, ad audiendum verbum diuinum, aut adminiſtranda ſacramenta, conueniant. In quibus conuentibus, vt & alias in omnibus actibus publicis ad cultum ſacrum ſpectantibus, vt omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, iuxta monitum Pauli, *1 Cor. XIV*, 40. peragantur, ritibus certis & ceremoniis opus eſt. Hoſce ritus & ceremonias praeſcribere, * abrogare, ſi vitium inuoluant, aut ad ſuperſtitionem ducant, mutare denique ac emendare, ſummorum eſt imperantium. Namque & hoc ad externam eccleſiae directionem pertinet. Diſpiciendum tamen hic ſedulo, ne quid temere, quod noxium ſit, aut cum libertate chriſtiana pugnet, vel omnino verbo diuino aduerſetur, eccleſiae obtrudatur. Tum enim ſuae poteſtatis tranſilirent limites. Multo minus ergo & in ea, quae iure diuino conſtituta ſunt, & ad ipſam religionem chriſtianam pertinent, quidquam iuris illis competit. Nec temere mutanda, quae a veteri eccleſia accepimus, ** modo vitium non adſit, & quae olim ſalubriter conſtituta fuerunt, in apertam ſuperſtitionem degenerauerint.

* Loquitur de ritibus humanis, non diuinis, ſeu a Deo ipſo praeſcriptis, quanquam, quod & ad hos attinet, etſi circa rem ipſam nihil libertatis hominibus relictum ſit, circumſtantiae tamen excipiendae ſunt, vt locus, tempusque agendi, quippe quae humana ſanctione

determinari

determinati poſſunt. Sic, vt euangelium doceatur, & ſacramenta adminiſtrentur, Deus ipſe praecepit. Quibus vero diebus, & quota diei hora hoc publice fieri debeat, ab humano pendet arbitrio, & a ſummo imperante rectiſſime determinatur. Humanorum autem rituum, qui imperantium diſpoſitioni ſubiacent, magna eſt varietas. Poſſunt namque imperantes ferias, diesque poenitentiales indicere, quo ordine in conuentibus publicis cuncta agenda ſint, quibus vtendum ſit cantilenis, quinam textus explicandi, conſtituere, publicarum precum formulas praeſcribere, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Haec enim omnia ad externam ſaltem eccleſiae directionem ſpectant.

* Huc feſta chriſtianorum ſolenniora, vt natiuitatis Chriſti, paſchatos, pentecſtes, & reliqua, pertinent, quae, etſi non ſint iuris diuini, recte tamen, vtpote a veteri eccleſia accepta, retinemus. conf. MARTINVS CHEMNITIVS, in *exam. concil. Trident. part. 4. p. m. 807. ſeqq.*

§. XXXII.

Bonorum quoque eccleſiaſticorum diſpenſatio ſummis imperantibus competit. Sunt enim bona eccleſiaſtica, reuera publica, ad certos ſaltem vſus deſtinata, ſpeciatim ad ſuſtentationem illorum, qui ſcholis & eccleſiis praeſunt. * Vt ergo eccleſiae & reipublicae intereſt, vt ad hosce uſus certa, & ſufficientia bona deſtinentur, & quae deſtinata ſunt, rite adminiſtrentur, ita ſummus imperans, ſi eccleſiae & reipublicae ſalus aut ſumma neceſſitas hoc poſtulauerit, haecce bona abalienare, aut ad vſus alios, ex quibus forte maior ad eccleſiam & rempublicam vtilitas redundet, conuertere poteſt. ** Qui vero bona eccleſiae miniſtris, aut qui ſcholis praeſunt, ſuſtentandis neceſſaria, illis ſubtrahunt, aut quae eccleſiae dicata fuerunt, in vſus profanos, idque ſine neceſſitate, conuertunt, ſacrilegii crimine, adeoque peccato grauiſſimo, ſe obſtringunt.

* Vt Romanae eccleſiae morem merito improbamus, inter cuius arcana haud vltimum illud locum obtinet, quo immenſas opes congerunt, & ampliſſimas poſſeſſiones, iuſtis dominis ereptas, eccleſiae vindicant, adeo, vt iam ſuo tempore Hildericus, rex Francorum, conqueſtus ſit: *ecce pauper remanſit fiſcus noſter, ecce diuitiae noſtrae ad eccleſias ſunt translatae: nulli penitus, niſi ſoli epiſcopi, regnant: periit honor noſter, & translatus eſt ad epiſcopos ciuitatum*, apud GREGORIVM TVRONENSEM, *lib. 6. hiſtor. Franc. cap. vlt.* ita curſus non eſſe nefas putamus, ſi certa conſtituantur bona, ex quibus alantur, qui ſcholis & eccleſiae praeſunt. Dignus enim eſt operarius mercede ſua, &, qui altari inſeruiunt, vt de altari victum ſumant, par eſt, 1 *Cor. IX*, 13. In veteri eccleſia ad bona eiusmodi adminiſtranda & conſeruanda, conſtituti fuerunt certi oeconomi, defenſores & aduocati, quos quidem omnes nonnulli pro iisdem habent, ſed diſtinguendos eſſe, docet B. ZIEGLERVS, de *iurib. maieſt. lib. 1. cap. 20. §. 7.* Interim factum inde, vt nonnulli *ius aduocatiae* ſpeciatim de adminiſtratione bonorum eccleſiaſticorum intelligant, quod tamen latius patet, & ius defendendi & protegendi eccleſiam, denotat. Sed, quidquid huius ſit, ſuprema horum bonorum diſpenſatio ad ſummum citra controuerſiam ſpectat imperantem. Et ſane, vt eccleſia neutiquam eſt ſtatus aliquis a ſtatu ciuili independens, ita nec bona eccleſiae independentia ſunt, ſed directioni ſtatus ciuilis ſeu ſummorum imperantium, ſubiacent. Errant itaque, qui Romano pontifici, aut eccleſiae ea ratione horum bonorum dominium tribuunt, vt ſummis imperantibus nihil in ea iuris relinquatur. Nec Deo ipſi horum bonorum poſſeſſio tribui poteſt, vt ſatis inepte fit a quibusdam, cum ille ſit dominus totius orbis, nec ſpeciali rerum quarundam dominio indigeat.

Ffff 2 ** Diiudi-

** Diiudicari hinc poſſunt, quae de *ſecularifatione*, quam vocant *bonorum eccleſiaſticorum*, vulgo diſputari ſolent. Quod ſi bona eccleſiaſtica ad alium, ſed itidem ſacrum & meliorem, transferantur vſum, minus recte dicitur ſecularifatio, eaque translatio & iuſta eſt & laudabilis. Nihil ergo, quod reprehendi debeat, egerunt principes proteſtantes, qui bona, ſuſtentandis monachis otioſis deſtinata, ad erigendas & conſeruandas ſcholas tranſtulerunt. Quod ſi autem translatio fiat ad alios vſus, quam ſacros, tum, quid neceſſitatis ratio, aliaeue circumſtantiae requirant, diſpiciendum, conf. IO. CHRISTOPHORVS BECMANNVS, in *meditat. polit. cap.* 17. §. 13. 14. & in *polit. parallela*, *cap.* 17. §. 15.

§. XXXIII.

Denique, cum imperans ſummus ipſe omnibus, quae quotidie occurrunt, negotiis, etiam quoad ſacra, expediendis, non ſufficiat, res ipſa poſtulat, vt *forum* aliquod *eccleſiaſticum*, quod *conſiſtorium* vocare ſolemus, conſtituatur. Cuiusmodi quidem forum eccleſiaſticum, vt ſolus imperans ſummus conſtituere poteſt, ita ab eo ſolo pendet, omnemque ab eo nanciſcitur auctoritatem. * Cumque in eo eiusmodi diiudicandae ſint cauſſae, in quibus religionis quoque chriſtianae habenda eſt ratio, viros pios, vitaeque integritate eminentes, peritiſſimosque, in illud adſciſcere oportet. Nec inconſultum, quod & hactenus moribus receptum eſt, theologos adiungere iurisperitis, ** cum illos diuinarum rerum notitia accuratiori prae ceteris inſtructos eſſe, credere par ſit.

* Fluit hoc ſua ſponte ex iis, quae ſupra generatim de poteſtate ſummorum imperantium circa ſacra, diſputauimus. conf. B. IO. BRVNNEMANNVS, in *iure eccleſiaſt. lib.* 4. *cap.* 1. §. 3. qui ſimul docet, finem, cur conſiſtoria conſtituantur, eſſe, vt religio fidei pura & integra conſeruetur, diuinus cultus cum aedificatione populi inſtituatur, vitae puritas morumque ſanctitas, conſeruetur, & denique matrimonii caſtimonia & dignitas defendatur, & ſcandala amoueantur. Paucis dici poſſet, curam conſeruandi & propagandi religionem veram & genuinam, conſiſtoriis incumbere. Ex ſingulari tamen ſummorum imperantium erga ſacrum ordinem fauore accedere ſolet, vt conſiſtorium eiusmodi forum miniſtrorum eccleſiae proprium, in perſonalibus, ut loqui ſolent, cenſeatur, coram quo actionum ſuarum reddere rationem, teneantur. Vnde neutiquam inferendum, ac ſi poteſtati ciuili non ſint obnoxii, ſed honori ſaltem illorum & exiſtimationi, in quantum merentur, hac ratione conſultum volunt principes, ſummique imperantes.

** Non equidem hoc prorſus neceſſarium eſt, cum etiam per iureconſultos pios, rerumque ad religionem chriſtianam ſpectantium peritos, expediri ea queant, quae ad cauſſas eccleſiaſticas, vt vocari ſolent, pertinent. Non tamen temere a more recepto hic eſt diſcedendum, praeſertim ſi ex theologorum ordine non deſint, qui eiusmodi muneribus admoueri queant. vid. BRVNNEMANNVS, in *iure eccleſiaſt. lib.* 3. *cap.* 1. §. 5. qui & in ſequentibus alia huc ſpectantia ſuppeditat.

§. XXXVI.

Vt vero illi, penes quos ſummum eſt imperium, quod hactenus, & generatim, & quoad partes praecipuas, quae hic in cenſum veniunt, delineauimus, *magiſtratus* ſupremi, nomine veniunt; ita reliqui omnes, *ſubditorum*, nomine adpellantur: quod quidem nomen, vt alibi * obſeruatum, latius patet, quam nomen *ciuium*, etſi hi quoque ex numero ſint ſubditorum. Ordine enim imperantium, ac parentium,

tota

Digitized by Google

tota conſtat reſpublica. Inferiores magiſtratus, cum ſupremi ſaltem vicem gerant, eius intuitu itidem in ſubditorum numero habendi. Nec differentia eſt inter clericos & laicos, prout vtrique tanquam membra reipublicae ſpectantur. Namque & clericos, poteſtati magiſtratus ſubiectos, ſupra iam docuimus,**

* *in element. philoſ. pract. part. 2. cap. 3. ſect. 13. §. 45.*
** §. 12. huius ſectionis.

§. XXXV.

Officia imperantium ſunt, vt ad ciuitatis & ciuium ſalutem, cuncta referant; ciuium commoda, qua ſpiritualia pariter ac temporalia, quauis ratione promoueant, eos defendant, ac tueantur; poteſtate ſua, adeoque omnibus iuribus maieſtaticis legitime, hoc eſt, ad ciuium ſuorum ſalutem ac felicitatem, vtantur. Paucis: cogitare eos oportet, ſe eſſe ὑπηρέτας τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, adeoque ſupremo regum omnium regi, ſuarum actionum, rationem reddere debere. *Sap. VI, 5. Rom. XIII, 4.* Cumprimis ad regnum Chriſti, hoc eſt eccleſiam veram, conſeruandam, tuendam, propagandam, conſilia omnia & cogitationes conferant, cum maxima hinc demum in ipſos pariter ac ciues eorum redundare queat felicitas, & Deus etiam ad regnum Chriſti amplificandum, omnia referri velit. Caueant tamen, ne conſcientiis imperare in animum inducant ſuum, quippe quod ſoli Deo eſt proprium, *Actor. V, 29.*

§. XXXVI.

Officia ſubditorum, aut *generalia* ſunt, aut *ſpecialia*. Generalia ſunt, vt magiſtratus eo, quo par eſt, honore ac veneratione proſequantur, *Rom. XIII, 7. 1. Petr. II, 17.* obedientiam illis praeſtent, idque ſincere, ex conſcientia, *Rom. XIII, 5.* ſed in rebus licitis, *Actor. VI, 19. V, 29.* tributa illis ſoluant, *Rom. XIII, 6. 7.* preces pro iis fundant, *1. Tim. II, 2.* Quae omnia impiis quoque magiſtratibus praeſtanda, *Rom. XIII, 1.*

§. XXXVII.

Specialia officia vocantur, quae ab illis, qui in certo quodam ſtatu conſtituti ſunt, exiguntur. Huc officia miniſtrorum reipublicae, qua *ſacra*, qua *ciuilia*, qua *militaria* ſpectant. Immo, quot ſunt in republica quadam ordines, quot ſocietates, quot collegia, quorum infinitus fere eſt numerus, tot inde oriuntur officia ſpecialia, quorum ab illis haberi ratio debet, qui in iſtis ſocietatibus, ordinibus, collegiis, ſunt conſtituti. Haec omnia diſtincte enumerare ſuperuacaneum foret, cum omnia tandem huc redeant: ne quis vllum in republica munus

affectet, aut negotium aliquod ſuſcipiat, ad quod ſe parum idoneum deprehendit, item, vt quisque munere ſuo, ſumma fide & induſtria fungatur, idque non ex metu poenae, aut commodi cuiusdam intuitu, ſed ex conſcientiae ductu, vt ſupremo Numini ſuarum rerum, actionumque aliquando reddere rationem queat.

§. XXXVIII.

Quod tum imperantes, tum parentes, ad haecce officia obligati ſint, patet ex principio, ex quo & reliqua officia hypothetica fluunt: inſtitutis, & ſtatibus a Deo conſtitutis, ſecundum Numinis praeſcriptum ita vtendum, prout vnionis noſtrae cum Deo ratio, hoc requirit. * Quod vero praeter reliquos ſtatus, & ciuilis ad vnionem noſtram cum Deo aliquid faciat, vel inde conſtat, quod per eum & plurima obſtacula remoueri, & per eccleſiae ac ſcholarum conſeruationem, media quamplurima, huc facientia, ſuppeditari queant. Conſtat denique idem ex praecepto quarto, vbi parentum & liberorum nomine & imperantes ac ſubditi merito intelliguntur, itemque ex aliis ſcripturae oraculis, vt, *Sap. VI, 2. 3. 4. Rom. XIII, 1. 2. ſeqq. 1 Petr. II, 17.* & reliquis.

* iuxta ea, quae ſupra diximus, *cap.* 2. huius, partis, §. 52.

§. XXXIX.

Contra officia haecce diuerſimode peccatur, tum ab imperantibus, tum a ſubditis. Ab imperantibus quidem, per ignauiam & negligentiam in adminiſtratione imperii; per iniuſtitiam tum erga alios, tum maxime erga ſubditos; per ſtudium, ſuum potius, quam reipublicae aut eccleſiae commodum promouendi; per nimias exactiones; per exceſſum in ſeueritate, aut nimiam indulgentiam ac lenitatem, & quae alia ſunt eorum vitia, quotidie inter mortales obuia. A ſubditis peccatur, per inobedientiam, irreuerentiam, legum ac magiſtratuum contemptum, iuſtorum tributorum denegationem, murmurationes, ſeditiones, tumultus, aliaue ratione.

§. XL.

Media, quae vt officia haecce obſeruemus, nos inducere poſſunt, ſunt: ſapientiae & benignitatis diuinae, in ſtatu quoque ciuili eluceſcentis, diligens meditatio; itemque finis, ob quem inſtitutus eſt, conſideratio, quippe qui neutiquam in eo conſiſtit, vt ſuis ſaltem quilibet conſulat commodis, ſed vt vtilitati ſecuritatique omnium, totiusque ſocietatis, proſpiciatur; tum & quam exacte ſui muneris quilibet reddere rationem aliquando debeat, cogitandum, cum, in

quocun-

Digitized by Google

quocunque ſtatu collocatus ſit, pro diſpenſatore tamen ſaltem bonorum a Deo ſibi concreditorum, ſit habendus. Impedimenta, quae remouenda ſunt, ex prauis praecipue oriuntur adfectibus, auaritia, ambitione, voluptatiſque cupiditate. Quidquid aut ab imperantibus, aut a ciuibus peccatur, hinc originem ducit. Accedunt praeiudicia, de poteſtate imperantium ipſis quoque legibus diuinis exempta, de ſtatibus idealibus, de vitiis hominum ipſis ſtatibus imputatis, & quae reliqua ſunt eiusdem generis.

CAPITIS TERTII
SECTIO VIII.
DE
OFFICIIS MINISTRORVM
VERBI DIVINI ET AVDITORVM.

Σύνοψις.

SVpereſt ſtatus eccleſiaſticus, in quo docentes, miniſterii eccleſiaſtici nomine, prout ad nouum teſtamentum pertinet, veniunt, §. I.
Miniſterii eccleſiaſtici origo, & inſtitutio, §. II.
Vocantur verbi diuini miniſtri, a Deo ipſo, ſed hodie mediate per eccleſiam, §. III.
Hinc quaelibet eccleſia particularis ius habet eos vocandi, §. IV.
Qua ratione, & quo ordine cuncta circa vocationem peragantur, §. V.
Quaenam magiſtratus ciuilis, & miniſterii eccleſiaſtici hic partes ſint, §. VI.
Quinam patroni eccleſiae dicantur, & in quo conſiſtat ius patronatus, §. VII.
Vocationem miniſtrorum verbi diuini excipit ordinatio, quae ab aliis verbi diuini miniſtris rite peragitur, §. VIII.
Muneris eccleſiaſtici limites ex fine eius ſunt aeſtimandi §. IX.
Huc ergo pertinet poteſtas publice docendi, §. X.
errantes conuincendi, reluctantes redarguendi, ad vitam & mores ſingulorum attendendi, §. XI.
adminiſtrandi ſacramenta, & remittendi pariter ac retinendi peccata, §. XII.
Quantum poteſtatis circa externam eccleſiae directionem verbi diuini miniſtris competat, §. XIII.
Ex dictis colligitur, poteſtatem miniſtrorum eccleſiae non eſſe temporalem, ſed ſpiritualem, illis quoque tantum poteſtatem, quam vocant, ordinis, non autem poteſtatem iurisdictionis, competere, §. XIV.
Iure diuino omnes verbi diuini miniſtri ſunt aequales: iure tamen humano, aut conſuetudine eccleſiae, inaequalitas quaedam locum habere poteſt, §. XV.
Officia miniſtrorum eccleſiae circa ſacri muneris ſuſceptionem, §. XVI.
circa eius adminiſtrationem, qua verbi diuini praedicationem, ſacramentorum adminiſtrationem, & vſum clauis ligantis atque ſoluentis, §. XVII.
qua elenchum, epanorthoſin, paediam, & conſolationem, §. XVIII.
qua vitae integritatem, cuius exemplum praeire auditoribus debent, §. XIX.
Officia auditorum, §. XX.
Quod tum verbi diuini miniſtri, tum eorum auditores ad haec officia iure diuino obligati ſint, probatur, §. XXI.
Quotuplici ratione contra haec officia peccetur ab ipſis verbi diuini miniſtris, §. XXII.
& ab eorum auditoribus, §. XXIII.
Ad media, quae vtroſque ad haecce officia rite praeſtanda inducere poſſunt, adhibenda, & impedimenta remouenda, eos itidem iure diuino obligatos eſſe, §. XXIV.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

SVpereſt vltimus ſtatus, eccleſiaſticus ſcilicet, in quo tum docentium, tum auditorum habenda eſt ratio. Quod ad docentes attinet, munus illud, quo funguntur, *miniſterium eccleſiaſticum* vocatur, * intelligiturque illud, quod Deus in nouo teſtamento inſtituit. Quod enim in veteri teſtamento fuit ſacerdotium, itidem a Deo ipſo inſtitutum, cum iam pridem deſierit, nunc ad nos non pertinet.

* Quemadmodum & apoſtolatus officium διακονία vocatur, *Actor. I,* 17. *VI,* 4. alibique. Vnde & Paulus ſe atque alios vocat ὑπηρέτας Χριστοῦ καὶ οἰκονόμους μυστηρίων Θεοῦ, 1. *Cor. IV,* 1. Haec vero appellatio omnes verbi diuini miniſtros, eleganter ſui admonere poteſt officii. Ceterum cum fides, per quam aeternam ſalutem conſequimur, per verbi praedicationem, & legitimam ſacramentorum adminiſtrationem, in hominibus producatur, augeatur, confirmetur, verbi autem praedicatio & legitima ſacramentorum adminiſtratio rite procedere nequeat, niſi certi homines ad hoc ſint conſtituti, qui iſto munere fungantur, miniſterii eccleſiaſtici neceſſitas inde intelligitur.

§. II.

Origo itaque miniſterii ab inſtitutione diuina eſt repetenda, & quidem ipſius Chriſti ſeruatoris, *Ioan. XX, 21. ſeqq. Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15.* conf. *Epheſ. IV, 11.* Neque Chriſtus tantum, immediate miniſterium inſtituit, ſed ſimul doctrinam praeſcripſit, *Gal. I, 8. 9. 12.* & rationem adminiſtrandi rite ſacramenta, miniſtros edocuit, *1. Cor. XI, 23.* & facultatem remittendi ac retinendi peccata iis conceſſit, *Ioan. XX. 23.*

§. III.

Praeterea & ipſe Deus verbi diuini miniſtros vocat, * quod olim quidem aliquando fecit immediate, quo pacto Moſes, & plurimi prophetae veteris teſtamenti, & in nouo, apoſtoli, vocati ſunt. Hodie autem mediate id facit, ** per eccleſiam, cui Deus ipſe hanc facultatem conceſſit. Idque ex natura etiam & indole eccleſiae patet, quippe cui, ceu, ſponſae, bonorum ſpiritualium adminiſtratio, adeoque & conſtitutio eorum, qui eiusmodi bonorum diſpenſatores eſſe debent, merito concredita cenſetur. conf. *Matth. XVIII, 17. 1. Cor. IV, 1.* Accedit praxis veteris eccleſiae, *Actor. I, 15. VI, 2.*

* Supponimus nunc vocationis, ad miniſterium ſacrum rite obeundum, neceſſitatem, quam contra Photinianos, Anabaptiſtas, Weigelianos, ſpeciatim & Arminianos, aliosque defendere noſtrates ſolent; conf. ABRAHAMVS CALOVIVS, in *conſiderat. Arminianiſmi, cap.* 21. *p.* 472. *ſeqq.* De quaeſtione autem: annon aliquis in coetu chriſtianorum, vbi nulli amplius ſuperſunt eccleſiae miniſtri, miniſterio eccleſiaſtico ſine vocatione fungi, verbum praedicare, ſacramenta adminiſtrare, aliosque actus miniſteriales exercere poſſit? vid B. FRIDEMANNVS BECHMANNVS, *theolog. conſcient. de miniſterio eccleſ ſect.* 1. *cap.* 2 *pag.* 14.

** Falluntur enim, qui & hodie immediatam vocationem requirunt, quae Weigelianis tribui ſententia ſolet. Nec neceſſe fuiſſet, vt apoſtoli docuiſſent, quinam & quomodo vocandi & conſtituendi eſſent ab eccleſia verbi diuini miniſtri, ſi immediata vocatio

ſemper

ſemper obtinere debuiſſet. Factum autem hoc ab apoſtolis, conſtat ex 2. *Tim. II*, 2. *Tit. I*, 5 *ſeqq.* Ceterum immediata vocatio non ea tantum vocatur, quae fit a Deo, nemine interueniente, ſed & quae interuenientibus quidem aliis, at ita peragitur, vt Deus αὐτοπροσώπως vel conceptis verbis, vel ſigno externo, aliquem ſacro officio a ſe deſtinatum declaret. Quo pacto & Matthias immediate recte ad apoſtolatum vocatus dicitur, etſi hoc factum ſit intercedente ſorte, *Actor. I*, 24.

§. IV.

Quod de eccleſia dictum, penes eam eſſe facultatem conſtituendi verbi diuini miniſtros, id non de vniuerſali tantum, ſed de particulari quauis eccleſia etiam intelligendum. Nulla enim obſtat ratio, quo minus haecce facultas in omnibus & ſingulis eccleſiis locum inueniat. * Nec enim deteriori conditione, vt eccleſia particularis ſit, par eſt, quam aliae ſocietates aut collegia, quibus integrum eſt, communi ſuffragio, qui rebus ſuis praeſint, eligere. Qui noſtris autem eccleſiis ius conſtituendi paſtores denegant, probare prius debent, quod non ſint verae eccleſiae, aut quod illis, dum iuſtiſſimis de cauſſis a Romana diſceſſerunt, aut potius ab ea expulſae ſunt, recte ſchiſmatis nota inuratur. **

* Ita quidem, vt omnia quoque atque ſingula eccleſiae iſtius particularis membra, tam clerici, quam laici. ad vocationem concurrant. Quanquam enim ſinguli actus non competant ſingulis in ſolidum, vt ex dicendis ad §. 6. conſtabit, ſingulis tamen competit facultas cognoſcendi & iudicandi de doctrina, itemque de vita & moribus vocandi, praeterea ius ſuffragii, idque tum adprobationis, ſi eum ad munus iſtud idoneum iudicauerint, tum reprobationis, ſi quid habeant, quod in vita aut doctrina deſiderent. Idque vel inde conſtat, quod omnibus atque ſingulis iniunctum ſit, vt ſibi caueant a pſeudoprophetis, *Matth. VII*, 15. vt probent ſpiritus, num a Deo ſint? 1. *Ioan. IV*, 1. Inde enim ſequitur, omnibus atque ſingulis iniunctum eſſe, curare, ne eccleſiae pro paſtore lupus, pro doctore ſeductor, praeficiatur. Accedit exemplum primae atque apoſtolicae eccleſiae, *Actor.* I, 15 *ſeqq. VI*, 3. Atque haec cum ita ſe habeant, manifeſtum eſt, errare, qui ius vocandi verbi diuini miniſtros aut ſoli magiſtratui, aut cum Anabaptiſtis ſoli populo, aut cum pontificiis epiſcopis ſolis, aut cum quibusdam ex reformatae eccleſiae doctoribus, ſolis clericis tribuunt. Competit enim hocce ius toti eccleſiae, conf. IO. ADAMVS SCHERZERVS, in *breuiar. Hülſemann. extenſo, cap.* 19. *theſ.* 6. *p.* 1446. *ſeqq.*

** Quod contra pontificios notandum, qui, noſtras eccleſias ius vocandi & conſtituendi legitimos paſtores habere, negant, falſis prorſus & erroneis innixi hypotheſibus. conf. B. IO. MVSAEVS, *tract. de eccleſia, part.* 2. *diſp.* 4. §. 35.

§. V.

Vt autem rite vocetur verbi diuini miniſter, res ipſa & ordinis ratio poſtulat, vt eccleſiae noti quodammodo ſint, ex quibus vnus eligatur, cui gregis cura committenda. * Tum vt ipſa ſequatur *electio*, & *vocatio*, ſpeciatim ſic dicta. Hinc, vt de eius eruditione & aptitudine, ad munus demandatum obeundum, eccleſia eo certior reddatur, mitti ſolet ad epiſcopum vel conſiſtorium, vt eius profectus ibi explorentur, quod *praeſentationem* vocant. Tum ſequitur *ordinatio*, qua quis in nume-

in numerum miniſtrorum verbi diuini recipitur, quam vltimo loco excipit *inueſtitura.*

* Recepti tamen moris eſt, vt, qui facultatem nominandi habet, aliquem eccleſiae ſiſtat, vt de eo, an ad miniſterium obeundum idoneus ſit, iudicet. Solent itaque adeo actus ſequentes in verbi diuini miniſtro legitime conſtituendo, iuxta noſtrae eccleſiae conſuetudinem, obſeruari, *nominatio*, *electio*, *vocatio*, ſpeciatim ſicdicta, *praeſentatio*, *ordinatio*, & *inueſtitura.* vid. CARPZOVII *iurisprud. conſiſtor. lib.* 1. *tit.* 3. *def.* 22.

§. VI.

Patet hinc, quaenam ſingulorum, quos vocant ſtatuum hierarchicorum, circa miniſtrorum verbi diuini conſtitutionem, partes ſint. * Magiſtratui incumbit, curare, vt cuncta ordine & decenter fiant, neue eccleſia quaedam particularis iure ſuo abutatur. Vnde ſuprema electionis directio & confirmatio eidem competit, eo tendens, vt homines idonei eligantur, qui ſuo rite fungi munere, queant. Vtque intelligatur, num idonei ſint, ſacri ordinis recte in conſilium adhibentur viri, qui in profectus illorum inquirant, & vitae ſtudiorumque rationem explorent, deque ea magiſtratum & eccleſiam certiorem reddant, & rite vocatum in ordinem ſacrum recipiant.

* Qui ad miniſtri eccleſiae vocationem & conſtitutionem concurrunt, duplici ratione ſpectari poſſunt: primo, vt membra eccleſiae, tum, vt in certo quodam ſtatu ſunt conſtituti. Priori modo ſpectati, omnes ac ſinguli, qui eccleſiae membra ſunt, concurrunt ea ratione, qua ſupra §. 4. dictum. Poſteriori modo conſiderati, non eadem ratione concurrunt, cum aliae hic ſint partes magiſtratus, aliae clericorum, qui forte in eadem ſunt eccleſia. Magiſtratui ſpeciatim inſpectio, totius negotii directio, confirmatio, inueſtitura, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, conueniunt. Id ſua ſponte fluit ex iure circa ſacra, quod ſummis imperantibus ſupra vindicauimus. Verbi autem diuini miniſtris reliquis, facultas in profectus illorum, qui muneri ſacro deſtinantur, inquirendi, & eos iuſſu magiſtratus ordinandi, merito relinquitur. B. IO. GERHARDVS noſter, quae ſingulis ſtatibus circa miniſtrorum verbi diuini conſtitutionem conueniunt, ita exprimit: *Presbyterio competit examen, ordinatio*, & *inauguratio*, iuſſu ſcilicet & auctoritate magiſtratus: *magiſtratui chriſtiano, nominatio, praeſentatio, confirmatio*, (niſi patrono eccleſiae partem iuris ſui ceſſerit, qua de re deinceps) *populo, conſenſus, ſuffragium, adprobatio, vel etiam pro ratione circumſtantiarum poſtulatio; loc. theol. de miniſtr. eccleſ.* §. 85. *p.* 45. Deprehenditur tamen in his omnibus, ſpeciatim quoad actus quosdam ſpeciales, quaedam hinc inde varietas, pactis, conceſſionibus, conſuetudine firmata. Vbi quidem, quae ſemel recepta ſunt, merito tolerantur, modo id, quod in hoc negotio praeceptum eſt, ea ratione non euertatur, vt pars quaedam ſua poteſtate, quam iure diuino habet, ſpolietur.

§. VII.

Qui eccleſias olim fundarunt, aut dotarunt, aut in illorum ſucceſſerunt locum, *patroni eccleſiae*, vocari ſolent. * Quorum, vt in conſtitutione miniſtrorum eccleſiae praecipue habeatur ratio, par eſt, modo non ea ſibi vindicent, quae eccleſiae competunt, aut huius iura labefactant. Solet illis plerumque ius *nominandi & praeſentandi* tribui, ita tamen, vt conſenſus quoque eccleſiae adſit, & nemo inuitis obtrudatur.

Sed

Sed liberum tamen etiam eccleſiae eſſe debet reiiciendi omnes, ſi nemo ex illis iis inſtructus fuerit dotibus, quae ad ſacri muneris legitimam adminiſtrationem, requiruntur. Cuncta ſane ita temperanda ſunt, ne, quae eccleſiae competunt, ei eripiantur, aut id, quod praecipuum eſſe debet in miniſtrorum eccleſiae conſtitutione, ſalus hominum, per cautam & prudentem rerum diuinarum diſpenſationem, promouenda, inſuperhabeatur.

* Origo iuris patronatus vulgo ad IVSTINIANVN imperatorem referri ſolet, nec ſine ratione. Poſt Conſtantini M. enim demum tempora, templa ſplendida & magnifica in vſum cultus publici extrui coeperunt: cumque ea aetate priuatae ſortis homines imperatorum liberalitatem, in extruendis templis, fundandisque, & dotandis eccleſiis, aemularentur, IVSTINIANVS demum, vt zeli ſui praemium ferrent, ius illud iis conceſſit, quod deinceps patronatus dici coepit. conf. *nouell.* 57. *c.* 12. *&* *nouell* 123. *c.* 8. Fundamenta tamen huius iuris antea iam iacta ſunt, mentioque eius iniicitur in concilio Toletano I. in cuius *canone* 10. ſancitum legimus: *clericos non eſſe ordinandos, niſi probatae vitae fuerint, & patroni conſenſus acceſſerit.* Cum vero in iure canonico *canon. decernimus, cap.* 16. *q.* 7. orgio huius iuris itidem ad concilium Toletanum, refertur, non primum, ſed nonum intelligitur, vt viris eruditis obſeruatum eſt, vnde & hoc non obſtare autumant, quo minus prima origo huius iuris ad IVSTINIANVM imperatorem referatur. conf. FRANCISCVS DVARENVS, de *ſacr. eccleſ. miniſt. lib.* 5. *cap.* 5. & B. IO. GERHARDVS, *loc. de miniſter. eccleſ.* §. 113. Diſputatum vero poſt eccleſiae reformationem fuit, an ius hocce patronatus in eccleſiis euangelicis tolerandum ſit? Negauit id prae reliquis GISBERTVS VOETIVS, in *diſput.* de *iure patronatus*, & in *polit. eccleſ. part.* 2. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 3. cui ſe oppoſuit MARTINVS SCHOOCKIVS, in *diſput.* de *iure patronatus*, quae inter diſputationes eius eſt 18. SCHOOCKII veſtigiis inſiſtens prolixe etiam contra VOETIVM diſputat IO. ADAMVS SCHERZERVS, in *breuiar. Hülſemann. ext. cap.* 19. *theſ.* 9. *p.* 1458. *ſeqq.* Et ſane, ſi iuſtis limitibus hocce ius circumſcribatur, nihil iniqui inuoluit, modo abuſus omnis euitetur, per quem ex vna parte iura principum circa ſacra, quae epiſcopalia vocari ſolent, ex altera parte iura eccleſiae, quae circa miniſtrorum verbi diuini conſtitutionem merito ſibi vindicat, labefactentur. conf. IO. BRVNNEMANNVS, in *iure eccleſ. lib.* 2. *cap.* 7. praeſertim §. 30. & quae ad *h. l.* notauit B. SAMVEL STRYKIVS, De quaeſtionibus: an acceptanda vocatio a patrono falſae religioni addicto? item, quid factu opus ſit, ſi patroni inter ſe diſſentiant? vid. B. FRIDEMANNVS BECHMANNVS, *theolog. caſuiſt. de miniſt. eccleſ. ſect.* 1. *caſ.* 4. *&* 7. *p.* 18. *ſeqq.*

§. VIII.

Miniſter eccleſiae rite electus, atque vocatus, impoſitione manuum, iunctis precibus ardentiſſimis, & praemiſſa admonitione, in ordinem ſacrum recipiendus eſt. Ritum enim huncce antiquiſſimum, in eccleſia apoſtolica iam receptum, * pium etiam atque ſalutarem, merito retinent noſtrae eccleſiae, etſi per eum characterem indelebilem imprimi non credant, nec phyſicam quandam efficaciam, aut ſimile quid, quod ſuperſtitio Romana ſibi finxit, eidem tribuant. ** Quod autem ordinatio ab epiſcopis, qui iuſta ſucceſſione hanc poteſtatem ab apoſtolis acceperint, & quales ſibi Romanenſes fingunt, fieri debeat, perperam aſſeritur, & omni ſcripturae deſtituitur funda-

 mento.

mento. *** Haec enim vt diſcrimen inter epiſcopos & presbyteros ignorat, ita noſtri paſtores & miniſtri verbi diuini, reuera tales epiſcopi ſunt, quales vetus eccleſia apoſtolica habuit. Preces etiam efficaces ſunt, & a Deo exaudiuntur, a quibuscunque fundantur, modo recte & ea ratione fundantur, vt Deo placere queant.

* Vt patet ex *Actor. VI, 6. XIII,* 2. 3. 1. *Tim. IV,* 14. *V,* 22. Ritum vero, impoſitione manuum, diuinam benedictionem alicui adprecandi, & ad certum officium hac ratione aliquem conſecrandi, ab Ebraeis petitum, & iam in veteri teſtamento vſitatum fuiſſe, notum eſt, pluribusque comprobatum, ab HENRICO HAMMONDO, ad 1. *Tim. V,* 22. qui tamen ſine vlla neceſſitate locum iſtum non de receptione in ordinem ſacrum, ſed de abſolutione a peccatis, quae itidem per manuum impoſitionem fieri ſolebat, accipit. Nec obſtat, quod Paulus addat: *neque communicaueris peccatis alienis.* Namque & illi, qui homines indignos & inidoneos in ordinem ſacrum recipiunt, ſe hoc ipſo alienorum peccatorum participes reddunt.

** Ineptiae iſtae Romanenſium ſatis exploſae ſunt a noſtratibus. Legi autem iſtae poſſunt apud ROBERTVM BELLARMINVM, de *ordin. cap.* 10. *& lib. 2. de effect. ſacrament. cap.* 19. add. RICHARDVS MONTACVTIVS, *origin. eccleſ. tom.* 2. *fol.* 471. Hodie ſane, vbi rerum mortalium indoles accuratiſſime perueſtigata eſt, eo minus talia hominibus, niſi mentis inopes fuerint, perſuadebuntur. Quod autem ritum ordinationis nec nos repetendum ſtatuamus, ideo fit, quod nullam videamus rationem, cur reiterari debeat, neutiquam autem, quod character quidam indelebilis, qui reuera non ens eſt, & merum figmentum, animo ordinati imprimatur.

*** Solenne hoc eſt Romanenſium, ſed ſimul miſerum, ſophiſma, quo ſe probare poſſe putant, noſtrae eccleſiae paſtores non eſſe rite ordinatos. Sed iam pridem illud profligauit B. IO. HVLSEMANNVS, in ſolidiſſima commentatione, de *Miniſtro ordinationis;* conf. & quae de hac re diximus, in *differt. de origine & poteſtate epiſcoporum, contra Henricum Dodwellum,* §. 31.

§. IX.

Poteſtas miniſtrorum eccleſiae ex fine miniſterii, qui eſt reconciliatio hominum cum Deo, *2. Cor. V, 19.* & incrementum in fide & ſanctitate, *Epheſ. IV, 12. ſeqq.* immo ex ipſa miniſterii inſtitutione, eſt aeſtimanda. Quae enim ad huncce finem in auditoribus obtinendum ſunt neceſſaria, ea quoque verbi diuini miniſtris, a Deo conceſſa eſſe, palam eſt. Qui enim vult finem, media quoque, quibus obtineri finis poteſt, velle cenſendus eſt.

§. X.

Pertinet autem ad huncce finem obtinendum, poteſtas docendi, & quidem publice, * *Matth. XXVIII, 19.* Priuatim enim quibusuis fidelibus, vi ſacerdotii ſpiritualis, alios erudire, informare, commonefacere, licet, *Actor. XVIII, 26. Epheſ. VI, 4. Coloſſ. III, 16.* Sed cum eccleſiae ſalus requirat, vt omnes & ſinguli publice in conuentibus hunc in finem inſtitutis erudiantur, res ipſa poſtulat, vt certis perſonis

hoc

hoc demandetur, qui iis inſtructi ſint dotibus, vt docere & erudire totam eccleſiam queant. conf. *Ierem. XXIII, 1. Rom. X, 15. Epheſ. IV, 11. 1. Tim. III, 1. Tit. I, 5.*

* De hiſce omnibus, quae ad poteſtatem miniſtrorum eccleſiae ſpectant, & quo pacto prudenter circa ea verſari debeant, dicetur ex inſtituto *parte* 3. huius operis.

§. XI.

Sed idem finis quoque miniſterii requirit, vt non tantum rudes cognitione ſufficiente inſtruantur, ſed vt errantes conuincantur, & in rectam viam reducantur, vt reluctantes redarguantur, languidi excitentur, & qui recto itinere ad ſalutis arcem contendunt, commoneſiant, ne ab eo deflectant, ſed ſtrenue pergant, donec voti compotes reddantur. Vnde miniſtris verbi diuini poteſtas, publice & priuatim, prout aut eccleſiae, aut cuiusque ſalus poſtulauerit, conuincendi errantes, redarguendi omnes & ſingulos, competit: quem in finem etiam ipſa ſcriptura ſacra nobis data eſt, *2. Tim. III, 16.* Hinc vero & ſequitur, quod ad vitam, moresque auditorum, diligenter attendere debeant, vt hacce poteſtate ſua recte & prudenter vti queant, *Ezechiel. III, 17. 21. Actor. XX, 31.* Quod & ipſum nomen ἐπισκοπὸς, quod omnibus olim eccleſiae doctoribus competebat, vnumquemque condocere poteſt.

§. XII.

Praeterea cum inter media ſalutis ſacramenta quoque locum obtineant, poteſtas haecce adminiſtrandi, verbi diuini miniſtris competit, *Matth. XXVIII, 19. 1. Cor. XI, 23.* Id quod & de poteſtate remittendi & retinendi peccata cenſendum, quae itidem miniſtris verbi diuini, ceu rerum diuinarum diſpenſatoribus, conceſſa, vt erigerent adflictos, qui corde contrito & poenitenti gratiam diuinam quaerunt, immorigeris autem & improbis oſtenderent, diuinae gratiae ad eos non pertinere promiſſiones, quamdiu non reſipiſcant, *Matth. XVI, 19. Ioan. XX, 23.*

§. XIII.

Quod vero ad externam eccleſiae directionem attinet, quorſum & ius praeſcribendi, abrogandi, & mutandi ritus eccleſiaſticos pertinet, cum ea ſummo imperanti competat, miniſtris quidem verbi diuini, nihil aliud hic relictum, quam vt conſilia ſuppeditent, quo pacto ad ſalutem eccleſiae & aedificationem cuncta inſtituenda ſint, vt ſuaſionibus & hortationibus, quae vtilia ſunt, & profutura promoueant, noxia autem, aut vitium inuoluentia, aut ad ſuperſtitionem ducentia,

 indicenti

Digitized by Google

indicent, precibusque & commonefactionibus eos, in quorum hoc poſitum eſt poteſtate, vt ea abrogent, aut emendent, inducant.

§. XIV.

Ex hactenus dictis ſequitur, poteſtatem miniſtrorum eccleſiae non eſſe *temporalem*, ſed *ſpiritualem*, quippe quae ſummatim in poteſtate docendi, adminiſtrandi ſacramenta, itemque remittendi & retinendi peccata, conſiſtit. Nec aliam ſcriptura iis poteſtatem tribuit, quae potius ab imperio aut dominatione quam longiſſime eos vult abeſſe. *Gentium reges*, inquit Chriſtus ipſe, *in eas dominantur, quique imperant, gubernatores adpellantur: at vos non ita. Luc. XXII, 25. 26.* conf. & *1 Petr. V, 2. 3.* Patet hinc ſimul, & eos non recte ſentire, ſaltem non accurate loqui, qui poteſtatem epiſcoporum, in *poteſtatem ordinis, & poteſtatem iuriſdictionis eccleſiaſticae*, diuidunt. Sola namque proprie & accurate loquendo illis competit poteſtas ordinis, ea quidem ratione, qua hactenus illam explicauimus. Iuriſdictionem ſiue ciuilis, ſiue eccleſiaſtica ſit, nuſpiam ſcriptura verbi diuini miniſtris tribuit, quae eos non dominos, aut imperantes, ſed ſeruos, rerumque diuinarum diſpenſatores eſſe, aperte docet.

* Admittitur equidem haec diſtinctio in *apologia Auguſt. confeſſ. artic. vlt. abuſuum*, *p. m.* 294. Sed longe alio ſenſu, ac vulgo vſurpari ſolet, & ſpeciatim a pontificiis vſurpatur. *Et placet nobis*, inquiunt ibidem pii confeſſores, *vetus partitio poteſtatis, in poteſtatem ordinis, & poteſtatem iuriſdictionis. Habet igitur epiſcopus poteſtatem ordinis, hoc eſt, miniſterium verbi & ſacramentorum, habet & poteſtatem iuriſdictionis, hoc eſt, auctoritatem excommunicandi obnoxios publicis criminibus, & rurſus abſoluendi, ſi conuerſi petant abſolutionem.* Vbi palam eſt, quod per *poteſtatem ordinis* poteſtatem intelligant docendi & adminiſtrandi ſacramenta, per *poteſtatem* autem *iuriſdictionis* poteſtatem retinendi & ſoluendi peccata. Quo quidem ſenſu admitti hanc diſtinctionem poſſe, lubentes concedimus. Simul tamen fatendum, quod & iampridem a noſtratibus eſt obſeruatum, tum vocem *iuriſdictionis* admodum improprie ſumi, quae imperium aliquod alias denotat, quod tamen epiſcopis ſeu verbi diuini miniſtris non competit, vt praeter alios recte inculcat IO. BENEDICTVS CARPZOVIVS, in *iſagoge ad libros ſymbolicos*, ſpeciatim in *Aug. confeſſ. eiusque apologiam*, *p. m.* 745. Ex inſtituto etiam de hac diſtinctione dixi, in *diſſertat. de origine & poteſtate epiſcoporum* &c. §. 30.

§. XV.

Sed nec ſibi inuicem imperare debent miniſtri verbi diuini. Hinc iure diuino eatenus omnes inter ſe ſunt aequales, diſcrimenque, quod inter epiſcopos & presbyteros deinceps interceſſit, plane ignorat ſcriptura, tantum abeſt, vt epiſcopis imperium aliquod in reliquos aut tribuat, aut concedat. * Poteſt ſane miniſtrorum eccleſiae quaedam eſſe diuerſitas, & inaequalitas, pro diuerſitate functionum aut donorum, *1. Cor. XII, 28. ſeqq. Epheſ. IV, 11.* ſed inde non ſequitur talis inaequalitas, per quam vni ἐξοχὴ quaedam ciuilis, aut omnino imperium

imperium in reliquos concedatur. Poſſunt etiam pro diuerſo eccleſiae ſtatu functiones quaedam illis demandari, quae ceteroquin in eo, quo ordinarie funguntur, munere, non continentur: *** ſed hic iterum diſpiciendum, ne quid iis vindicetur, quod cum muneris praecipui, quo funguntur, indole pugnat: * neue ſtatim iure diuino conſtituta credantur, quae ab eccleſia ſunt introducta: ** denique, ne cum ordinariis extraordinaria, *** cum eſſentialibus accidentalia * confundantur. Cauendum denique, ne falſas de ipſa eccleſia nobis formemus notiones, eamque pro ſtatu quodam ciuili, ** qui eadem, qua reſpublicae, gubernari debeat ratione, habeamus, quippe ex quo fonte plerique de poteſtate miniſtrorum eccleſiae, eorundemque inaequalitate, aut a ſe inuicem dependentia, oriuntur errores.

* Qui ab apoſtolis eccleſiis a ſe plantatis praeficiebantur, voce a Iudaeis accepta, *presbyteri* adpellitabantur; quod non ſemper aetatis, ſed quandoque etiam dignitatis, erat nomen, iidemque, quod ad mores vitamque ceterorum, qui Chriſto nomen dederunt, attendere debebant, *epiſcopi* dicebantur. Nullum itaque inter presbyteros atque epiſcopos erat diſcrimen. Sic, quos Paulus Epheſo euocari curauerat presbyteros, *Actor. XX*, 17. epiſcopi dicuntur *ibid. v.* 28 Vtrisque etiam commune ibidem tribuitur officium, regere eccleſiam. Pari ratione Petrus, *presbyteros*, inquit, *obſecro ego compresbyter*, (*συμπρεσβύτερος*) *paſcite gregem, qui in vobis eſt*, 1. *epiſt. V*, 1. 2. Quod ſi ſupponamus cum pontificiis, quibus haec maxime oppoſita ſunt, Petrum fuiſſe epiſcopum, etiam presbyteros, quos adloquitur, epiſcopos fuiſſe, neceſſe eſt, cum ſe illorum, *συμπρεσβύτερον* adpellitet. Diſerte vero & ſine ambagibus, quod epiſcoporum munus eſt, paſcere gregem, presbyteris tribuit. Et rurſus Paulus, cum iuſſiſſet Titum, oppidatim conſtituere presbyteros idoneos, qui eſſent inculpati, tanquam diſpenſatores rerum diuinarum, non luxu infames aut contumaces, *Tit. I*, 5. 6. ſtarim rationis loco ſubiicit, quod tales deceat eſſe epiſcopos. Mitto reliqua, ab aliis iampridem in medium allata, ſpeciatim a WALONE MESSALINO, ſub quo nomine CLAVDIVM SALMASIVM latitare, conſtat, in *tract. de epiſcopis & presbyteris*; add. DAVID BLONDELLVS, in *apolog pro Hieronymi ſententia, ſect.* 3. *p* 89. *ſeqq.* MARCVS ANTONIVS DE DOMINIS, *de republ. eccleſiaſt. lib.* c. *cap.* 12. B. IO. GERHARDVS, *loc de miniſtr. eccleſ.* §. 224. aliique. Quo pacto vero, cum plures in vna eccleſia eſſent presbyteri, & vnius, qui aetate & prudentia reliquis praeſtabat, ſingularis quaedam eſſet auctoritas, epiſcopalis dignitas orta, & ſenſim aucta ſit, vt tandem inter epiſcopos & presbyteros diſcrimen intercederet, pluribus a me expoſitum, in *diſſertatione de origine & poteſtate epiſcoporum contra Henricum Dodwellum.* §. 15.

** Conſtat ſatis ex locis allegatis, quaenam regiminis eccleſiaſtici in veteri & apoſtolica eccleſia fuerit ratio. In priori namque ad Corinthios epiſtola, *cap. XII*, 28. *ſeqq.* apoſtolus tres velut claſſes eorum, quorum opera in eccleſia conſpicua erat, conſtituit, quarum prima eſt *docentium*, altera *miracula patrantium*, tertia *alia munia adminiſtrantium*. Docentium ideo primo loco meminit, non, quod illorum aliquod in reliquos velut ſit imperium, aut ciuilis quaedam ἐξοχὴ, ſed quia ipſa illa functio praeſtantiſſima eſt ob vtilitatem. Docentes autem in veteri eccleſia vel *extraordinarii* erant, certo tantum tempore a Deo excitati & conſtituti, vel *ordinarii*. Extraordinarii erant *apoſtoli*, atque *prophetae*: de quorum vt quidquam dicamus munere, neceſſe non eſt, cum inſtituti noſtri hoc non poſtulet ratio. Ordinarios doctores voce διδάσκαλοι, deſignat apoſtolus, qui & alias *paſtores, epiſcopi* & *presbyteri* adpellitabantur, quorum praecipuum munus erat, docere alios & erudire ad

metateip

pietatem, ſimulque ad vitam & mores illorum, qui curae ſuae commiſſi erant, attendere. Altera claſſis ab apoſtolo deſignata illorum erat, qui miracula patrabant, virtutes inſignes edere apti, donoque ſanationum pollentes. Quorum vt ad plantandam eccleſiam opera erat neceſſaria, ita cum iam plantata eſſet, dona haecce ceſſarunt. Interim doctoribus poſtponuntur, cum donum quantumuis excellens minoris merito fiat, doctrinae comparatum, quae ſola fidem excitare, fouere, atque alere apta eſt, per quam aeternam demum ſalutem homines conſequuntur. Vltimam denique claſſem occupant ἀντιλήψεις, qua voce illorum indicatur opera, qui aegrotis opitulabantur, itemque κυβερνήσεις, *gubernationes*, ſeu adminiſtrationes & diſpenſationes rerum temporalium, quae vt pauperum quoque haberetur ratio, in eccleſia neceſſariae erant. Vt adeo munera diaconis fere propria apoſtolus hiſce verbis inſinuet, niſi quod & γένη γλωσσῶν adhuc adiungat extraordinarium equidem itidem donum, idem tamen non aeque, ac priora, neceſſarium ad eccleſiae aedificationem, adeoque vltimo loco poſitum. Conſentiunt plane, quae de eadem re tradit apoſtolus, *Epheſ. IV*, 11. etſi docentium tantum, ceu primarii in eccleſia ordinis, mentionem faciat. Namque & *apoſtolos* & *prophetas* ibi commemorat, ceu doctores extraordinarios, quibus tamen *euangeliſtas* addit, quo nomine apoſtolorum intelligebantur comites, quos ſibi, ad leuandos labores adiungebant: & *paſtores*, ſeu epiſcopos, quos etiam *doctores* adpellitat. Qui enim διδασκάλους ſeu doctores ibi a paſtoribus diſcernunt, nullo idoneo nituntur fundamento. Interim illud ex dictis luculenter patet, fuiſſe in veteri eccleſia eorum, qui eccleſiae praefuerunt, quandam diuerſitatem, non tantum ratione donorum atque functionum, ſed & ratione dignitatis, quae ex functionum nobilitate aut ignobilitate oriebatur: quod & ex aliis ſcripturae locis patet, in quibus diſerte ab epiſcopis ſeu presbyteris diſtinguuntur diaconi, *1. Tim. III*, 2. 8. *Philipp. I*, 1. Inde tamen, vt dixi, non talis ſequitur inaequalitas, quae cum imperio quorundam in alios coniuncta ſit, quam potius diſerte damnat Petrus, *1. epiſt. V*, 3. Veteris autem, ſeu apoſtolicae, eccleſiae exemplum merito imitatur & hodie eccleſia, modo obſeruentur, quae deinceps monuimus. Prolixius de his omnibus a me actum in *diſſertat.* de *origine & poteſtate epiſcoporum contra Henricum Dodwellum*, §. 10. *ſeqq.* De Hierarchia autem eccleſiae Romanae, qua praeter epiſcopos, & presbyteros, quos iure diuino diſtinctos credunt, itemque diaconos, ſubdiaconos etiam, acoluthos, exorciſtas, lectores ſeu pſalmiſtas, & oſtiarios in ordinem ſacrum referunt, vid. prae reliquis B. CASPAR ZIEGLERVS, de *diaconis & diaconiſſis*, *cap.* 1. §. 4. *ſeqq.*

*** Nihil ergo obſtat, quo minus vni inſpectio quaedam in alios paſtores & presbyteros conferatur. Qua ratione epiſcopos a veteri eccleſia conſtitutos non improbamus, nec in noſtra eccleſia epiſcopatus prorſus abrogatus, ſed ſuis ſaltem limitibus, iuxta verbi diuini praeſcriptum, circumſcriptus eſt, vt contra virum clariſſimum HENRICVM DODWELLVM pluribus euici, in *diſſert. cit.* §. 42.

* Imperium aliquod temporale, quo omnino a docendi munere, quod tamen praecipuum eſt, abſtrahantur, quod in eccleſia Romana eſt frequentiſſimum. Nihil quoque illis vindicandum, quod cum imminutione iurium, quae aliis competunt, coniunctum ſit, quorſum pertinet independentia a poteſtate magiſtratus, quam praeter alios illis quoque aſſerit HENRICVS DODWELLVS, ſed perperam, vti oſtenſum, *l. c.* §. 45.

** Quod cum pontificiis iterum faciunt hierarchiae ſacrae defenſores in Anglia, poteſtatem, quam epiſcopis tribuunt, eorumque ἐξοχὴν prae presbyteris, iuris diuini eſſe, acriter contendentes. Qua de re plurima illorum proſtant ſcripta, quae alibi indicantur.

*** Sic munera prophetarum, apoſtolorum, & reliqua, quae dona extraordinaria ſupponebant, hodie in eccleſia ceſſant.

* Sic apoſtoli initio & docendi munere, & diſpenſandi eleemoſynas, fungebantur: cum autem ob auctum credentium numerum, vtrumque amplius non commode adminiſtrare poſſent, diaconos conſtituerunt, quibus pauperum curam demandarunt, *Actor. VI*, 1. *ſeqq.* Hoc ipſo exemplum reliquerunt, poſſe in accidentalibus circa eccleſiae regimen nonnulla mutari, aut aliter conſtitui, ſi forte eccleſiae id ita poſtulauerit neceſſitas, modo in eſſentialibus ſaluus

maneat

maneat docentium ordo, nec is in iis, quae ad eccleſiae aedificationem hominumque ſalutem faciunt, impediatur. conf. *citata diſſertat.* §. 12.

** Errorem hunc, ceu aliorum circa hierarchiam eccleſiaſticam errorum fontem foecundiſſimum, recte detexit, & profligauit SAM. PVFENDORFIVS, de *habitu chriſtianae religionis ad vitam ciuilem.*

§. XVI.

Iam, quaenam docentium, ſeu miniſtrorum eccleſiae, officia ſint, facile intelligere licet. * Primo quidem, vt nemo tam graue officium ſuſcipiat, niſi viribus probe exploratis, an ad illud recte adminiſtrandum ſit idoneus, iisque donis inſtructus, vt aliis rite viam monſtrare ſalutis queat, *Luc. VI, 39. 1 Tim. IV, 16.* Et licet ſacrum expetere munus non ſit nefas, ſi quis cauſſis ſanctis, cupiditateque aliorum ſalutem promouendi, ad hoc inducatur, *Eſ. VI, 8. 1 Tim. III, 1.* nemo tamen ſeipſum obtrudere aliis debet, ſed expectare, donec rite vocetur. Multo autem minus ambire munus eiusmodi fas eſt, vt conſequamur ea, quae ad vitam ſuſtentandam ſunt neceſſaria, vel omnino vt opes ac diuitias acquiramus, & qui alii hominum, *πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν* exiſtimantium, *1 Tim. VI, 5.* peruerſi ſtolidique fines eſſe ſolent.

* Lucem his, quae hic in compendio de miniſtrorum verbi diuini officiis traduntur, affundent, quae *parte* 3. de prudentia paſtorali, in ſingulis hiſce officiis adhibenda, adferentur in medium.

§. XIII.

Praeterea, docentium eſt officium, ſummam in demandato munere recte adminiſtrando, demonſtrare fidem; omnesque corporis & animi eo conferre vires, vt eidem accurate ſatisfaciant, *1 Cor. IV, 1. 2. Tit. I, 9.* Operam itaque dare debent, vt gregem rite paſcant, *Ioan. XXI, 15. 16. 1 Petr. V, 2.* idque diligenti verbi diuini praedicatione, *1 Tim. IV, 13. Actor. XX, 27.* & prudenti ſacramentorum adminiſtratione, vt & cauto clauis ſoluentis pariter ac ligantis vſu, obſeruato probe diſcrimine inter regenitos & irregenitos, inter infirmos & robuſtos &c. *1 Tim. IV, 13. 2 Tim. II, 15. IV, 2. Tit. I, 13. 1 Cor. III, 1. 2. Ebr. V, 12. Ioan. XVI, 12.* Eumque in finem gregis ſui accuratam ſibi acquirere notitiam debent, vt quis cuiusque ſtatus animi ſit, pernoſcant. conf. *Ioan. X, 3. 14. Ezechiel. XXXIV, 16. 17.*

§. XVIII.

Cumque etiam mox elenchtico, mox epanorthotico, aut paedeutico, aut conſolatorio officio verbi diuini miniſtris vtendum ſit, res ipſa poſtulat, vt vbique prudenter, cordate, manſuete ſe gerant, reque ipſa demonſtrent, non carnali quodam zelo, ſed ſpirituali, non commodi cuiusdam intuitu, ſed amore ſincero ſe impelli, & ad ſalutem

ſuorum auditorum quauis ratione quaerendam induci, vt cum Paulo dicere queant: ἡ ἀγάπη τοῦ χριστοῦ συνέχει ἡμᾶς, *2 Cor. V, 14.* conf. *Eſ. LVI, 10. LVIII, 1. 2 Tim. II, 24. IV, 2.*

§. XIX.

Requiritur etiam ab iis, qui docentium munere funguntur, vt exemplo non minus, quam voce auditores erudiant, eamque vitae ineant rationem, vt ad ſui eos adhortari imitationem, & cum Paulo dicere queant: μιμηταί μου γίνεσθε, καθὼς κἀγὼ χριστοῦ, *1 Cor. XI, 1.* conf. *1 Cor. IV, 16. Phil. III, 17. 1 Tim. IV, 12. 2 Tim. III, 10. Tit II, 7. 8. 1 Petr. V, 3.* Quorſum & pertinet, vt quisque ſuae rite praeſit familiae, *1 Tim. III, 4. 5. Tit. I, 6.* itemque, vt pro auditoribus ſuis diligenter oret, *1 Sam. XII, 23. Pſalm. CXXVII, 1. 2. 1 Cor. III, 7.*

§. XX.

Auditorum officia ſunt: Deum orare, vt fideles doctores mittat, *Matth. XI, 36. 38.* falſos doctores a veris diſcernere, *Ezech. XXXIV, 2. 4. Matth. VII, 15. ſeqq. XXIII, 3. 1 Ioan. IV, 1. 6. Actor. XVII, 11.* illosque euitare, *Matth. VII, 15. XV, 14. XXIII, 3. Ioan. X, 5.* hos vero, pro diſpenſatoribus myſteriorum diuinorum habere, & verbum illorum, cum omni manſuetudine & obedientia recipere, *1 Cor. IV, 1. 2 Cor. V, 20. 1 Theſſ. II, 13. Iacob. I, 21. Rom. VI, 17.* exemplum eorum ſequi, & virtutes imitari, *Phil. III, 17. Ioan. X, 4.* Spiritus ſancti dona, in omnibus ex aequo admirari, partium ſtudio procul faceſſere iuſſo, *1 Cor. I, 12. 13. III, 4. 7. IV, 6 7.* eos alere, & quae ad vitam honeſte ducendam ſunt neceſſaria, illis ſuppeditare, *Matth. X, 10. Luc. X, 7. 1 Cor. IX, 4. 14. 1 Tim. VI, 17. 18.* denique & diligenter pro illis orare, *Rom. XV, 30. Ebr. XIII, 18. Epheſ. VI, 18. 19. Actor. IV, 24 ſeqq.*

§. XXI.

Quod tum docentes, tum auditores, ad haecce officia iure diuino obligati ſint, ipſa miniſterii eccleſiaſtici indoles & natura, omnes condocet. Patetque idem ex iſto, quod poſuimus, officiorum hypotheticorum principio, inſtitutis diuinis iuxta praeſcriptum Numinis vtendum eſſe, vt hac ratione vnio noſtra cum Deo promoueatur. Cumque huc omnia comparata ſint, de miniſterio eccleſiaſtico eo minus dubitandum, quia pro ſcopo habet, vt homines cum Deo reconciliati, per fidem in Chriſtum, in vnione eius proficiant; vnde & διακονία τῆς καταλλαγῆς vocatur, *2 Cor. V, 18.* Accedit & praeceptum decalogi quartum, vbi, quae de parentum & liberorum officiis dicuntur, ad officia etiam docentium in eccleſia & auditorum, pertinent: ſunt enim docentes, patres ſpirituales, *1 Cor. IV, 15. Gal. IV, 19.*

§. XXII

§. XXII.

Contra haecce officia diuerſimode, tum a docentibus, tum ab auditoribus, peccatur. A docentibus quidem, defectu amoris, & legitimae vocationis, tum internae, tum externae, ignauia, auaritia, ſuperbia, dum non paſcunt gregem, ſed ei dominantur, & pro paſtoribus fiunt mercenarii *Ioan. X, 12.* immo lupi, *Actor. XX, 29.* praeſertim ſi & peruerſa inſuper ac erronea doceant, a regula verbi diuini diſcedentes. Peccant iidem, ſi commodi potius ſui, quam gregis rationem habeant, ſi temporalium magis quam ſpiritualium rerum cura tangantur, item timiditate, in redarguendis hominum vitiis, nimiaque lenitate, aut rurſus inconſulto & intempeſtiuo zelo. Si res ſpirituales velut vendant, certo accepto pretio, *ſimonia* vocatur, quod, vt longe grauiſſimum, ita & ſubinde frequentiſſimum eſt crimen. *.

* Dictum de eo ſupra, ad *ſect.* 9. huius capitis, §. 35.

§. XXIII.

Sic & auditores multiplici ratione hic peccant, dum verbum diuinum eiusque miniſtros contemnunt, immo odio proſequuntur, & contumeliis afficiunt, & ſpiritui ſancto reſiſtunt, *Actor. VII, 51.* item, dum verbum diuinum per ignauiam non audiunt, nec repetunt, nec meditantur, aut impedimenta remouent, quae obſtant, quo minus verbum vim ſuam exerere queat; porro, dum exemplum & virtutes docentium non imitantur, commonefactiones contra reſpuunt, & quouis modo reluctantur; denique, dum laborem docentium grato non agnoſcunt animo, alimenta, & quae ad vitae ſuſtentationem neceſſaria ſunt, denegant, aliisue modis quampluribus.

§. XXIV.

Media, quae impellere nos poſſunt, vt officia, quae nobis incumbunt, & hic praeſtemus, eadem fere ſunt, quae in reliquis ſtatibus eundem in finem ſunt comparata. Cumprimis cogitandum, quanta miniſterii eccleſiaſtici ſit neceſſitas, quanta dignitas, quanta ſacrorum munerum grauitas, quanta Numinis in his omnibus eluceſcat benignitas & ſapientia, quae nos conſequamur commoda, ſi quae noſtrarum hic ſunt partium, agamus ſtrenue, quae contra, ſi hoc intermittamus, ſequantur incommoda. Impedimenta maxima ex naturali omnis ordinis odio oriuntur, quod hic augetur, cum per huncce ſtatum vitiis mortalium, quibus indulgent, quam maxime obuiam eatur. Accedunt praeiudicia varia; ex parte docentium, poteſtatem ſibi conceſſam non eſſe mere ſpiritualem, habere eam indolem imperii;

Digitized by Google

ex parte auditorum, hunc ſtatum non adeo neceſſarium eſſe, cum quilibet verbi diuini lectione ſibi ipſi conſulere queat, item, dum vitia hominum ipſis ſtatibus imputant, & ob prauos quorundam verbi diuini miniſtrorum, mores, ipſum miniſterium contemnunt, aut dum omnem zelum pro carnali habent, & prauis ſuſpicionibus abrepti, commodi cuiusdam temporalis cauſſa ſtatim ſuſcipi credunt, quae pro gloria nominis diuini ſuſcipiuntur, & quae reliqua ſunt; quibus ſibi ipſis flexus & anfractus diſponunt miſeri mortales, ex quibus deinceps emergere nequeant.

CAPVT QVARTVM
DE
MEDIIS LEGALIBVS QVIBVS AD LEGES DIVINAS OBSERVANDAS HOMINES COMPELLVNTVR.

Σύνοψις.

LEx proprie ſic dicta ſemper cum vi coactiua coniuncta eſt, §. I.

Media haecce coactiua ſunt legalia, a quibus diſtinguuntur euangelica, §. II.

Mediorum legalium, ſeu poenarum, vſus, §. III.

Deus tum immediate, tum mediate punit, & aliis quoque facultatem per vim exigendi, quae illis debentur, concedit, §. IV.

Poenae definitio, §. V.

Quis puniendi poteſtatem habeat? §. VI.

Vna gens alteram, quae ab ea non dependet, punire nequit? §. VII.

Imperantes ad puniendum certo modo obſtricti ſunt, §. VIII.

De fine poenarum, tum interno, tum externo, §. IX.

Quinam puniri poſſint? §. X.

An & quousque aliquis ob delictum alterius puniri queat? §. XI.

Obſeruationes quaedam, per quas ad difficultates hic occurrentes, commode reſponderi poteſt, §. XII.

An omnes hominum actus poenae ſubiaceant? §. XIII.

De proportione inter poenam & delictum obſeruanda, §. XIV.

De poenarum exaſperatione & mitigatione, item de earum remiſſione, §. XV.

De poenarum humanarum impedimentis, vbi & de aſylis, §. XVI.

Poenae, ratione cauſſae efficientis, vel diuinae ſunt, vel humanae, §. XVII.

illae, ratione durationis, vel temporales ſunt, vel aeternae; & temporales quidem iterum vel determinatae ſunt, quae rurſus non ſunt vnius generis, §. XVIII.

vel indeterminatae, haeque iterum vel naturales; vel poſitiuae, item vel internae, vel externae, §. XIX.

De poenis aeternis, earumque varietate, §. XX.

Mediate Deus homines ad legum ſuarum obſeruantiam compellit per magiſtratus, §. XXI.

idque per poenas, ſi iis cum ſubditis ſuis res ſit, §. XXII.

quae ad ſupplicia capitalia quoque ſe extendunt, §. XXIII.

ex vſu & neceſſitate reipublicae, non tantum conſtitutione legum Moſaicarum definienda, §. XXIV.

Quod ſi magiſtratui cum aliis imperantibus, aut gentibus independentibus res ſit, oriuntur inde bella, quae in ſe ſpectata, non ſunt illicita, §. XXV.

Quaenam ad bellum legitimum, tum ratione cauſſae, tum ratione modi, requirantur, §. XXVI.

§. I.

§. I.

LEgum proprie ſic dictarum, haec natura eſt & indoles, vt ſemper coniunctae ſint cum vi quadam coactiua. * Fruſtra enim leges ferrentur, niſi illi, quibus feruntur, ad eas obſeruandas compelli poſſent. Id quod & de legibus diuinis intelligendum, quas non conſilia, ſed leges proprie ac ſtricte ſic dictas eſſe, ſupra obſeruauimus. ** Nec admittenda eſt diſtinctio legis in *perfectam* ac *imperfectam*, eo quidem ſenſu, ac ſi lex imperfecta ſit, quam, ſi migretur, nulla ſequitur poena. Hoc enim modo plane lex non eſſet, vt alibi demonſtratum. ***

* Quod probatum eſt ad *cap.* 1. huius partis, §. 7.
** itidem *cap.* 1. §. 4. *ſeqq.*
*** vid. *element. philoſ. pract. part.* 2. *cap.* 2. §. 11.

§. II.

Media haecce, dicere fas fuerit *legalia*, a quibus *euangelica* diſtinguimus, quae eo comparata ſunt, vt gratiam Numinis, & per eam maiores indies vires ad ſeruandam legem a Deo homines impetrent, vt ſunt legitima verbi diuini tractatio, ſpeciatim promiſſionum euangelicarum conſideratio, preces, & reliqua, quibus fides augetur, & corroboratur, & per fidem amor Numinis, vnde ad obſequium Deo in omnibus praeſtandum homo promptior, alacriorque, redditur. De his cum alibi dictum, nunc de legalibus nobis ſermo eſt.

§. III.

Enimuero & in his ſumma Numinis conſpicitur benignitas & ſapientia. Etſi enim illud demum obſequium, quod libere, non ex poenae metu, ſed ex filiali ſpiritu fluit, Deo gratum ſit, poenae tamen conſideratio apud incredulos manuductio quaedam ad vitam meliorem eſſe poteſt, apud credentes hoc efficit, vt eo cautius incedant, & maiori diligentia a peccatis ſibi caueant, ſecuritatemque omnem ex animo eiiciant. Quod ſi etiam per metum poenae in externo ſaltem officio homines contineantur, ad ſocietatis tamen conſeruationem, tranquillitatemque publicam hoc plurimum facit, quam ſaluam itidem atque intemeratam vult ſupremum Numen. *

* conf. dicta in *prolegom.* huius partis, §. 8.

§. IV.

Neque tantum Deus ipſe legis transgreſſores punit, ſed hominibus etiam quandoque hanc facultatem concedit, vt alios, ſi leges ad humani generis tranquillitatem comparatas migrent, punire, aut alia ratione ad ea praeſtanda, quae ſocietatis cuſtodia requirit, illos com-

 pellere

Digitized by Google

pellere queant. Quae omnia vt eo rectius intelligantur, primo de poena generatim quaedam praemittenda ſunt.

§. V.

Poenam alibi iam definiuimus, * per malum paſſionis, quod a ſuperiori ſeu imperante alicui ob malum actionis infligitur. Vbi per *malum paſſionis* intelliguntur etiam actiones, prout *moleſtae* ſunt. ** At infligi debet ob *malum actionis,* *** ſeu delictum aliquod, quo quis poenam promeruit. Quae enim non inuitis, aut ſine iuſſu imperantis, aut ſine antegreſſo delicto, * alicui infliguntur, poenae rationem non habent.

* In *element. philoſ. pract. part.* 2. *cap.* 5. *ſect.* 1. §. 5. Eodem fere modo HVGO GROTIVS, poenam definit, *lib.* 2. *de iur. bell & nat. cap.* 20. §. 1. Sed omittit, quod poena infligi debeat a ſuperiori, idque ex falſa hypotheſi, quam mox notabimus.

** Si enim ſpectentur, quatenus debitae ſunt, rationem poenae non habent, & a ſummis imperantibus aliis etiam, qui non deliquerunt, iniungi poſſunt. vid. PHIL. REINHARDVS VITRIARIVS, *inſtit iur. nat. & gent. lib.* 2. *cap.* 2. *qu.* 3.

*** Actionis vox latiſſime accipienda, prout etiam omiſſiones denotat. Quod ſi obſeruetur, corruunt ea, quae B. CASPAR ZIEGLERVS diſputat ad *Grot. lib* 2. *cap.* 20. §. 1. add. IO. GEORGIVS KVLPISIVS *colleg. Grot. exercit.* 9. §. 1. Immo ſi poenae diuinae habeatur ratio, non de externis tantum, ſed & internis actionibus, hoc eſt intelligendum.

* Hinc, quae chriſtiani, tum veteres, tum recentiores, pro veritatis diuinae confeſſione perpeſſi ſunt, poenae rationem non habent, nec ſupplicia, ſed *martyria* dici ſolent. Diiudicari hinc etiam poteſt quaeſtio: an incommoda & varia morborum genera, quibus nonnulli per corporis conſtitutionem obnoxii ſunt, poenae rationem habeant? Etenim ſi homines fuerint improbi, omnino habent rationem poenae, cum haec veluti conſequentia peccatorum quae ex iuſto Dei iudicio illis contingunt, merito ſpectentur. Quod ſi poenitentiam egerint, & per fidem veram in Chriſtum cum Deo reconciliati ſint, poenae non amplius locus eſt, ob pleniſſimam ſatisfactionem Chriſti, ſed talia, vt incommoda quaedam & calamitates, ferenda ſunt. Eadem ratio eſt mortis temporalis, quae hominibus etiam piis ex neceſſitate naturae ſubeünda eſt. Etſi enim ea ceteroquin poena peccati ſit, *Gen. II,* 17. *Rom. VI,* 23. ſublata tamen apud credentes per ſatisfactionem Chriſti culpa, ceſſat quoque poena. Hinc Chriſtus ipſe dicit, *eos non venire in iudicium, ſed a morte ad vitam tranſiiſſe, Ioan. V,* 24. *eos non viſuros mortem in aeternum, Ioan. VIII,* 51. conf. hac de quaeſtione CAMPEGIVS VITRINGA *obſeruation. ſacrar. lib.* 2, *cap.* 7. & 8. *p.* 329. *ſeqq.*

§. VI.

Nemo habet poteſtatem poenam aliis infligendi, niſi ſit ſuperior, ſeu imperans, ſiue is Deus, ſiue homo ſit. * Is enim habet poteſtatem puniendi, qui habet poteſtatem leges ferendi, & ſecundum leges illas iudicandi, rationemque a nobis exigendi, cur leges iſtas violauerimus. Quae ſane poteſtas ſuperioritatem, ſeu ſummum imperium, ſupponit Facultas autem verbis quandoque, ſeu admonitionibus corrigendi alios, quae inter aequales locum habet, non eſt poena: ** quemadmodum nec caſtigationes parentum, & praeceptorum, aut dominorum, quibus liberos, aut diſcipulos, aut ſeruos, emendare ſtudent, pro poena, proprie loquendo, haberi poſſunt. ***

* Inter reliquos errores, quibus nobiliſſimum illud de iure belli & pacis opus, commaculauit HVGO GROTIVS, & hic eſt, quod facultatem puniendi ſecundum ius naturae omnibus, qui paria non deliquerunt, competere, docet: quae ſolennis eius eſt hypotheſis, *lib.* 2 *cap.* 20. §. 3. inculcata, & tum in eodem capite, tum alibi ſaepius repetita, ſed ſubinde etiam a CASP. ZIEGLERO, IO. ADAMO OSIANDRO, aliisque, refutata. Nec profecto qualiſcunque prae aliis ἐξοχὰ ſtatum dat ius alterius actiones dirigendi, multo minus autem ius puniendi. Et licet quodlibet delictum inferat reatum poenae, inde tamen non ſequitur, quod puniri poſſit a quolibet, ſed ab eo, cuius leges migrauit, quiue in illum habet imperium. Nec exemplis, probari poteſt, ius illud olim fuiſſe ſingulis conceſſum, & deinceps ad ſolos magiſtratus reſtrictum. Namque quod ad *ius*, quod vocant *zelotarum*, in gente Ebraea, attinet, perperam quidem illud huc aduocatur. Phineae factum *Numer. XXV, 7. ſeqq.* prorſus ſingulare fuit, & ex inſtinctu diuino extraordinario profectum, adeoque in exemplum, quod imitari fas ſit, trahi nequit. Illis enim, qui eum non vt priuatae ſortis hominem, ſed publica quadam auctoritate pollentem, ſpectandum eſſe ſtatuunt, ſuffragari nequeo. Quod in ſequenti aetate in gente Ebraea in vſu fuit ius zelotarum, corruptae reipublicae indicium fuit, adeoque minime laudandum. Quanquam ſi imperans in certis caſibus eiusmodi quid permittat, tum non priuata, ſed publica hoc fit auctoritate, adeo, vt, qui alterum hac ratione punit, pro miniſtro ſaltem ſummi imperantis ſit habendus. Pluribus hoc ediſſerui in *diſſertat. de iure zelotarum in gente Ebraea*, §. 34. *ſeqq.* Locus *Deut. XIII*, 9. huic iuri non patrocinatur, cum, quod res ipſa docet, de proceſſu iudiciali ibi ſermo ſit. Sed errant etiam, qui Chriſtum ſeruatorem hoc iure vſum putant, dum negotiatores ac nummularios ex templo Hieroſolymitano eiecit. *Matth. XXI*, 12. *Marc. XI*, 15. Diuina enim potius ſeruatoris maieſtas in hocce facinore eluxit. Diſputat ea de re GVIL. SALDENVS, *exercit. de iure zelotarum*, in *otiis* eius *theolog. lib.* 4. *pag.* 604. *ſeqq.* Reliqua huc ſpectantia legi poſſunt in diſſertatione noſtra antea citata. Ad HVGONIS GROTII ſententiam comprobandam afferri etiam ſolet, quod de *vindice ſanguinis* paſſim legitur, ſeu proximo hominis occiſi cognato, cui ius homicidam interficiendi, competebat. Sed iterum, priuata hoc eum feciſſe auctoritate, perperam ſupponitur. Concedebat hoc magiſtratus, vt ſanctioni diuinae, de homicidio capitaliter puniendo, *Gen. IX*, 6. eo certius ſatisfieret. Magiſtratus ergo vicem velut gerebat vindex ſanguinis. Saltem in gente Ebraea ipſa lege diuina illi haec facultas competebat, *Num. XXXV*, 27. Ad reliqua, quae obiici ſolent, eadem fere ratione reſponderi poteſt.

** Hinc & admonitiones iſtae *fraternae correptiones* vocari ſolent, quippe quae, ex amore fraterno fluunt, & ſtudio aliorum ſalutem promouendi, vti ſupra dictum. add. IOAN. HVLSEMANNVS, de *iure & moderatione correptionis fraternae*, &c.

*** Interim tamen & hae caſtigationes ſuperioritatem quandam ſupponunt, ſed ſuis limitibus pro fine & ſcopo cuiusuis ſocietatis, circumſcriptam. Hinc & ad mortem vsque aut alias duriores corporis adflictiones non procedunt, vt ex iis, quae ſupra de hiſce ſocietatibus diximus, conſtat.

§. VII.

Nec adeo vna gens alteram, quae ab ea non dependet, punire poteſt, cum nullum in eam habeat imperium, etſi vna gens erga alteram ſe defendere, aut ſi laeſa fuerit, ad ſatisfactionem, & cautionem, quod inpoſterum amplius laedere nolit, illam cogere poſſit. Vnde & bellum punitiuum fruſtra a nonnullis fingitur. * Qua de re deinceps. Neque hoc licet in delictis, quibus Deus immediate laeditur, cum Deus hominum opera in eiusmodi delictis puniendis

non

Digitized by Google

non indigeat, nec fas ſit hominibus ea ſibi vindicare, quae Deus, vt bonitatem, longanimitatem, ſapientiam, iuſtitiam ſuam demonſtraret, ſibi reſeruauit.

* Ab HVGONE ſcilicet GROTIO, *lib. 2. de iure belli & pacis, cap. 1. §. 2.* alibique, quem & ideo iam notaui, in *element. philoſ. pract. part. 2. cap 5. ſect. 2. §. 5.* IO. HENRICVS BOECLERVS, etſi concedat, inter eos, qui ſummis vtrinque poteſtate praediti ſunt, non eſſe bellum poenarium, accuratè loquendo, eſſe tamen aliquid *poenae comparabile*, putat, ad *Grotii l. c.* Sed, cum explicari nequeat, quid illud poenae comparabile ſit, fruſtra hoc dicitur. Fuerunt ceteroquin, qui ex hoc capite iniuſtiſſima Hiſpanorum erga Americanos bella, quibus eos ſibi ſubiecerunt, defendere conati ſunt. Sed, quam friuolum hocce ſit, vel me non monente, quilibet intelligit. Nec meliora tamen ſunt, quae ab aliis pro hiſce bellis defendendis ſunt excogitata. vid. IO. CHRISTOPH. BECMANNI *hiſtoria orbis terrarum geographica & ciuilis, part. 2. cap. 1. §. 2. p. 439. ſeqq.*

§. VIII.

Imperantes autem, ſeu ſuperiores, neceſſario puniunt. Homines quidem, quia ad hoc legi naturali ſunt obligati. * Deus autem, quia diuinae iuſtitiae repugnat, non punire peccantes. Etſi enim Deum eſſe longe benigniſſimum, & ratio & reuelatio oſtendat, eundem tamen & longe iuſtiſſimum eſſe, utrumque lumen docet. Iuſtiſſimus autem non eſſet, niſi delicta puniret. ** Pertinetque adeo poena ad iuſtitiam *rectoriam*, cuius haud ignobilis ſpecies eſt *vindicatiua*. ***

* Poſita ſcilicet ſocietate ciuili, quae ſine poenis, in hoc quidem generis humani ſtatu conſeruari nequit. Cum ergo imperantes ad conſeruandum ſtatum reipublicae obligati ſint, ſequitur, eos etiam iure diuino obligatos eſſe ad puniendа delicta, quae conſeruationi ſtatus ciuilis repugnant. Neque tamen ideo ad omnia delicta punienda obligati ſunt. Cum enim fundamentum huius obligationis ſit ſalus ciuitatis, palam eſt, ſi haec requirat, vt delicto venia concedatur, imperantem hoc facere poſſe, atque ad puniendum neutiquam obligari. Quod ſi obſeruetur, facile dilui poterunt, quae LAMBERTVS VELTHVSIVS, contra hanc ſententiam adfert, in *tract. de iuſtit. diu. & hum. part. 2. p. 64.*

** Cum Deus ſit ſanctiſſimus, vt a ſe remoueat omne, quod cum ſumma eius perfectione pugnat, non poteſt quoque non eſſe iuſtiſſimus, vt deteſtetur & puniat in rebus creatis, quae ſummae eius ſanctitati aduerſantur. conf. *Pſalm. V, 5.* Immo, ſi contra ſuam iuſtitiam ageret, ſeipſum abnegaret, *2 Tim. II, 13.* quod eſt ἀδύνατον. Hinc & diſerte Moſes: *Deus non poteſt* (ſalua ſua iuſtitia vindicatiua) *peccatorem habere inſontem*, (vt citra ſati-ſfactionem pro culpa ipſi remittat poenam) *ſed omnino vindicabit & puniet eius peccatum, Exod. XX, 7.* Quod enim ibi de abuſu nominis diuini dicitur, de omnibus peccatis, quorum quoad reatum poenae, in genere ſpectatae, eadem eſt ratio, merito intelligitur. Moſi ſuffragatur Iobus, *cap. X, 14.* *ſi pecco, parcis mihi quidem* (differendo poenam ad horam) *ſed tandem non pateris, me eſſe immundum ad iniquitate*, ſcilicet, vt eam mihi citra ſatisfactionem non imputes. Immo Deo abominationi eſſe, iuſtificare impium, pronuntiat Salomoh, *Prouerb. XVII, 15.* Idque ipſa etiam ratio, iuſtitiae diuinae indolem expendens, quemlibet condocet. Hinc & Paulus, τὸ δικαίωμα Θεοῦ, *quod mala facientes digni ſint morte*, ipſis gentilibus cognitum fuiſſe, aſſerit, *Rom. I, 32. II, 15.* Eiusque rei luculentum veſtigium conſpicitur in iudicio Melitenſium, de *nemeſi diuina, Actor. XXVIII, 4.* Haec vero obſeruanda ſunt contra Socinianos, ſecus ſentientes, vt ſatisfactionis Chriſti neceſſitatem labefactent, quibus frigidam ſuffundit HVGO GROTIVS, de *ſatisfactione, cap. 3.* add. IO. ADAMVS SCHERZERVS, in *colleg. anti-Sociniano, fol. 58. ſeqq.* & quae diximus, in *animaduerſionibus in Petri Chauuini librum, de relig. natur. cap. 1. §. 13.*

*** Multum

*** Multum acriterque diſputari ſolet, num poena ad iuſtitiam commutatiuam, an diſtributiuam, pertineat? Sed vt inutilis fere ac ſuperuacua eſt tota haec diſceptatio, ita & reiecta vulgari, aliam iuſtitiae partitionem iam tradidimus, in *elem. philoſ. pract. part.* 2. *cap.* 2. §. 46. Paucis cuncta expediri poſſunt, ſi dicamus, ſpectare poenam ad iuſtitiam rectoriam, quae tria in ſe complectitur: primo, ius ſiue facultatem recte aliquid & licite agendi, quod imperantibus quidem ita competat, vt non competat inferioribus: tum obligationem, vt imperantes obligati ſint, non ſingulis ſubditis, ſed toti ciuitati, ad aliquid faciendum vel omittendum; denique, ratione ſubditorum, itidem obligationem quandam ad aliquid patiendum. Quae tria in poenae exactione prorſus concurrunt. Et ita recte affirmari poteſt, delinquentes ad poenam teneri, ſiue obligari, non ex conſenſu in poenam, ſed ex ratione perſonae moralis, quam ſuſtinent, dum ciues, ſiue inferiores ſunt. Hinc & ratio patet, cur ex carcere iniuſte elapſi, & iterum deprehenſi, grauius puniri queant.

§. IX.

Finis poenae * vel *internus* eſt, vel *externus*. Internus eſt ſatisfactio iuſtitiae, quem Deus praecipue intendit. ** Quod tamen eo, quo Deo hoc conuenit, modo, intelligendum, ne quid eo indignum admittamus. Externus vtilitatem reſpicit, aut integrae alicuius ſocietatis, aut ſingulorum hominum: & ad hos quidem quod attinet, aut eius qui peccauit, vt emendetur, aut eius, qui laeſus eſt, vt ſecuritati eius conſulatur, vel aliorum quorumlibet, ne ſimile quid aut faciant, aut patiantur. *** Qui quidem finis externus vt obtineatur, neceſſe quandoque eſt, vt delinquens plane e medio tollatur, * ſaltem vt voluntas aut vires nocendi ei adimantur.

* Legitimus enim omnino adeſſe debet finis, ſi poena recte ſe habere debeat. Inhumanum eſſet, punire aliquem, ſaltem, ut puniatur, aut vindictae cupiditati ſatisfiat. Quae crudelitas, vt in Deum non cadit, ita in hominibus non eſt ferenda.

** Immo non poteſt non intendere iuxta ea, quae ad §. *praecedentem* diximus, add. ANDREAS ADAMVS HOCHSTETTERVS, in commentatione de *iure poenarum* §. 4. *ſeqq.* vbi diligenter hac de re diſſerit.

*** Ex finibus iſtis, quos enumerauimus, omiſſo primo & ſecundo, vltimos tantum commemorat HVGO GROTIVS, de *iure belli & pacis, lib.* 2. *cap.* 20. §. 6. ſed rectius priores quoque addit IO. GEORGIVS KVLPISIVS, in *colleg. Grot. exercit.* 9. §. 4.

* Si vtilitas eius, qui punitur, tantum quaeratur, puniendi genus, ad huncce finem comparatum, ad mortem pertingere nequit. At, cum in poenis humanis ad aliorum quoque vtilitatem, praeſertim ad conſeruationem & ſecuritatem totius reipublicae, reſpiciendum ſit, ſupplicia quoque capitalia quandoque locum habent. Idque tum ex fine ciuilis ſocietatis recte intelligitur, tum exemplo poenarum capitalium, quas in gente Iſraelitica Deus ipſe ſanciuit, comprobatur, & ſupra quoque, ubi ſummis imperantibus hanc facultatem vindicauimus, oſtenſum eſt. Legendus tamen hac de re, quem iam laudauimus, HOCHSTETTERVS, *l. c. ſect.* 3. §. 5. *p.* 29.

§. X.

Puniuntur, qui peccarunt. Qui ergo non peccarunt, aut quibus peccata imputari non poſſunt, illi puniri quoque nequeunt. Nefas itaque, punire innocentes. Nec infantes, aut furioſi, aut rationis vſu deſtituti, puniri poſſunt. Quae enim ab inſciis, aut inuitis,

contra legem committuntur, illis imputari nequeunt. Quod vero in foro diuino peccatum tum originale, tum actualia etiam infantibus, omnibusque adeo hominibus, nemine excepto, imputentur, inde prouenit, quod primi parentes, totum hominum genus repraeſentauerint, adeoque dum illi lapſi ſunt, * ſimul in & cum illis omnes illorum poſteri lapſi ſint, vnde & poenam non poſſunt non ſubire, niſi per media a Deo praeſcripta veniam peccatorum impetrent. Bruta vero, quod puniri nequeant, per ſe patet, cum illis nullae datae ſint leges.

* Diſerte hoc teſtatur Paulus *Rom.* v, 12. *propterea quemadmodum per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors, & ſic ad omnes homines mors pertranſiit,* ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. Cauſſam enim, cur mors ad omnes pertranſierit, ſeu cur morti omnes ſint obnoxii, hanc reddit apoſtolus, quod in Adamo omnes peccarint. Particulam ἐφ' ᾧ diuerſimode quidem reddunt interpretes. Nonnulli namque eam vertunt *in quo*, cum omnes homines, in Adami lumbis exiſtentes, in eo tanquam communi ſtipite peccarint. Variis rationibus hanc interpretationem confirmat IO. HVLSEMANNVS apud CALOVIVM ad *h. l.* qui & ipſe eandem calculo ſuo adprobat. IO COCCEIVS autem, licet ſenſum verum ſaluum eſſe fateatur, ſi τὸ ἐφ' ᾧ reddatur, *in quo*, qui tamen eum potius particulam ἐν, quam ἐπὶ adhibendam fuiſſe cenſet, hinc τὸ ἐφ' ᾧ explicare mauult, *cum quo*, hoc eſt, quo peccante, peccauerunt omnes. HVGO GROTIVS, τὸ ἐφ' ᾧ vertit: *per quem*, eamque explicationem variis ſcripturae locis, in quibus particula ἐπὶ hanc ſignificationem obtineat, confirmare annititur: quanquam, quod iam aliis obſeruatum, non in omnibus, quae adfert, locis cauſſae ſuae praeſidium inueniat. Diſſentit ab his omnibus SCHOMERVS, τὸ ἐφ' ᾧ reddens, *eo quod*, rationemque huius explicationis adferens, quod *Phil.* III, 12. haec particula eandem habeat ſignificationem, tum &, quod nullo hactenus idoneo exemplo probari potuerit, τὸ ἐπὶ quandam denotare inexiſtentiam, in *exegeſi epiſt. ad Rom. pag.* 22. Perinde tandem eſt, quamcunque ex allatis amplectaris explicationem, modo firmum ratumque ſit, poſteros Adami delicti ab eo perpetrati reuera fuiſſe participes, quia poena huius transgreſſionis ad omnes pertinet. Quod enim HVGO GROTIVS vocem ἡμαρτήκεναι metonymice de poenae peccato promeritae perpeſſione explicat, eosque per metalepſin peccati reos dici poſſe aſſerit, qui malum aliquod ſine culpa ferunt, haud immerito ceu abſonum reiicitur ab ABRAHAMO CALOVIO. Diſtincte enim apoſtolus de peccato & morte, de culpa & poena, loquitur, quae adeo non ſunt confundenda. Ne dicam, quod a iuſtitia diuina proſus alienum ſit, infligere poenam iis, qui in delicti cuiusdam conſortium non veniunt. De modo, quo poſteri Adami participes delicti ab eo perpetrati ſint, vt curioſius diſputemus, neceſſe non eſt. Sufficit, quod de re ipſa ſcriptura nos dubitare non ſinat. Interim ex doctrina de federibus res haud incommode explicari pariter ac illuſtrari poteſt. Quemadmodum enim in federe operum totum genus humanum repraeſentauit Adamus, adeo vt & promiſſiones, ſi illud ſeruaturus eſſet, non eum ſolum, ſed & omnes eius poſteros, ſpectarent, quod & de comminationibus pariter eſt intelligendum, ita &, poſtquam hocce fedus transgreſſus eſt, & violauit, omnes ſimul poſteri eius hoc violaſſe cenſendi ſunt, poenamque adeo in federis illius transgreſſores conſtitutam, merito incurrunt. Caute tamen & circumſpecte hic quoque procedendum eſſe, alibi iam monui. Non inepte rem omnem illuſtrat SAM. PVFENDORFIVS, in *iure feciali diuino*, §. 26. *p.* 115. *ſeqq.* Ceterum vt haecce omnia eo ſpectant, vt conſtet, Deum innocentes non punire: ita ad reliqua, quae hic dubium adhuc mouere poſſent, facili negotio reſponderi poteſt, ſi obſeruemus, aut eos, qui puniri dicuntur, non prorſus fuiſſe innocentes, ſed in delicti veniſſe participationem, aut adflictiones, quae illis obtigerunt, non

tam

tam poenae, quam incommodi cuiusdam aut calamitatis, habuiſſe rationem. Hinc diiudicanda, quae de familia Achanis, ob patris delictum exciſa, de Saulis, Ierobeami, Achabi poſteris, diuinatum comminationum veritatem expertis, & reliquis, vulgo obuertuntur. Immo patet hinc, quid reſpondendum ſit ad verba ipſius Dei, quibus, ſe peccata parentum vindicaturum in tertiam & quartam generationem, commiuatur, *Exod.* xx, 7. Sed de his deinceps adhuc quaedam monebuntur.

§. XI.

Ob delictum alterius proprie loquendo nemo puniri poteſt, niſi, ceu cauſſa moralis, vel ea ratione ad illud concurrerit, vt illi imputari quoque queat. * Hinc quousque ſinguli ob delictum vniverſitatis, ** communitas ob delicta ſingulorum, imperantes ob delicta ſubditorum, & vice verſa teneantur, patet. Interim ab vniverſitate, non ſemper exigi poena poteſt. Licet enim pereuntibus indiuiduis, ſemper perſiſtat vniverſitas, merita tamen ex eorum genere ſunt, quae vniuerſitati non primo & per ſe, ſed quatenus inſunt ſingulis, competunt. ***

* Ex inſtituto hoc argumentum tractat HVGO GROTIVS, *lib. 2. de iur. bell. & pac. cap* 21. Fundamentum autem petendum eſt ex doctrina de imputatione.

** Si ſcilicet conſenſerunt. Ad eos enim, qui non conſenſerunt, aut qui aliorum ſententiis victi ſunt, nec culpa, nec poena pertinet. Quae ad eos, qui non conſenſerunt, inde redundant incommoda, non poenae, ſed infortunii rationem habent, ſaltem in foro humano: ſi enim ceteroquin improbi fuerint, quoad forum diuinum, quaecunque illis obtingunt adverſa, pro poena peccatorum ſuorum merito reputant.

*** Hoc jam obſeruatum a me in *elem. philoſoph. pract. part. 2. cap. 5. ſect.* 1. §. 17. add. HVGO GROTIVS, *de iur. bell. & pac. lib. 2. cap.* 21. §. 8.

§. XII.

Recte vero nonnulli monent, & alibi quoque a nobis inculcatum eſt, * a poena proprie ſic dicta diſtinguendum eſſe damnum, aut incommodum, quod occaſione delicti ab altero perpetrati, nobis ſubeundum eſt: ** deinde, damnum aliquando dari occaſione peccati alterius, ſed ex cauſſa propria. *** Hinc enim variae expediri difficultates poſſunt; ſpeciatim intelligitur, quo pacto Deus poſteros ob peccata maiorum punire dicatur, ſi vel maxime propria illorum non acceſſerint delicta, * vt adeo dominium aliquod Dei abſolutum hic fingere neceſſe non ſit. **

* in *elem. philoſ. pract. l. c.* §. 18.

** Namque per modum poenae ea tantum alicui auferri poſſunt, ad quae ius proprium habuit: per modum damni etiam ea aliquis amittit, quae ſub certa ſaltem conditione habiturus fuerat. Sic filii ob delicta parentum puniri nequeunt, nec talia illis eripi poſſunt, ad quae ius proprium habent; incommoda tamen quaedam ex poena parentum in illos redundare poſſunt, nec iniquum eſt, iis eos ſpoliari bonis, quae nonniſi ſub certa conditione illis competebant.

*** Sic, qui occaſione alieni debiti aliquid promiſit, malum patitur, non propter debitum alienum, ſed propter ſuam promiſſionem, quae cauſſa proxima obligationis eſt. conf. HVGO GROTIVS, *l. c.* §. 11.

* In primo ſcilicet decalogi praecepto Deus minitatur, ſe peccata parentum vindicaturum in tertiam & quartam generationem. *Exod.* XX, 5 quod non tantum iuſtitiae diuinae repugnare videtur, ſed loco quoque *Ezech.* XVIII, 20. vbi dicitur: Deum nolle, vt filii ob delicta parentum teneantur. Sed conciliari haec facile inter ſe poſſunt. Aut enim filii parentum impietatem imitantur, aut non imitantur. Si imitantur, ob propria quoque delicta, quae illis obueniunt, aduerſa, patiuntur. Si non imitantur, gratiae ſingularis, & commodorum quorundam, quorum ceteroquin participes fieri potuiſſent, ſi in pietate perſtitiſſent parentes, ſubtractionem, merito pro incommodo reputant, non autem pro poena. De iſta autem ſubtractione, vel non conceſſione gratiae ſingularis, loquitur Moſes, de poena autem proprie ſic dicta Ezechiel.

** Quod facit HVGO GROTIVS, de *iure belli & pacis*, *lib.* 2. *cap.* 21. §. 14. Tale autem dominium abſolutum cum iuſtitia & bonitate diuina pugnat.

§. XIII.

Puniri poſſunt omnes actus, qui legi conformes non ſunt. Et in foro quidem diuino interni pariter & externi, immo omnes iſti actus & motus, qui ob deprauatae naturae conditionem hodie euitari nequeunt, recte puniuntur: cum lex diuina in his omnibus perfectam ſanctitatem a nobis requirat. * At in foro humano externi ſaltem puniuntur actus, non interni, & quidem ex externis illi tantum, qui ſecuritati & tranquillitati reipublicae, ac vitae ſociali vel maxime aduerſantur. Vt omnia ac ſingula peccata etiam externa puniantur, non videtur praeſentis vitae ſtatus permittere. ** Interdum tamen & ea rerum conditio eſſe poteſt, vt actus interni, ſi innoteſcant, puniri queant, *** ſaltem ſi externa facta acceſſerint, ad poenam aut intendendam, aut remittendam plurimum conferunt: quod & generatim de animi certis diſpoſitionibus eſt intelligendum.

* Nec obſtat, quod hodie nemo mortalium legem diuinam perfecte ſeruare queat. Per hominum enim culpam factum, vt in hocce ſtatu verſentur, vt iam alibi dictum.

** Hinc minutiſſimi lapſus, qui per naturae humanae conditionem difficulter euitantur, itemque vitia animi ex corruptione mortalium communi reſultantia, in foro ciuili non puniuntur. Optandum equidem eſſet, vt ab his quoque homines eſſent immunes, & ſaluti quoque atque conſeruationi reipublicae rectius ea ratione conſuleretur. Sed haec omnia ſi poenis ciuilibus ſubiacerent, imperantibus nihil aliud agendum eſſet, quam vt punirent. De reliquis, quae hic diſputari ſolent, vid. HOCHSTETTERVS, de *iure poenarum*, *ſect.* 5. *p.* 44. *ſeqq.*

*** Sic, nonnullos ob ſolam conſcientiam caedis, ſuperioribus intentandae, capitali adfectos fuiſſe ſupplicio, conſtat. Vbi tamen conſenſus & adprobatio ſupponitur, & id ſpectatur, vt alii eo magis ab eiuſmodi delictis perpetrandis deterreantur, quae tacito conſenſu adprobare, periculo non caret. vid. IO. CHRISTOPH. BECKMANNVS, *polit. parall. cap.* 15. §. 4. Et hinc etiam liquet, quid de *poena conatus* cenſendum.

§. XIV.

Accurate quoque obſeruanda eſt proportio, inter poenam & delictum. * Quod vt rite fiat, tum ad delicti grauitatem, tum ad

conditionem patientis, attendendum eſt. Delicti grauitas, quae poenam intendit, aeſtimanda ex adfectu, ex propoſiti prauitate, ex cauſſa, quae peccantem impulit aut retrahere debuit, ** ex agentis ad euitandum delictum aptitudine, vitio animi acceſſorio, ſimilibusue. Quod ad conditionem patientis attinet, cogitandum, quod pro diuerſitate ſtatus, fortunarum, corporis, aliarumque circumſtantiarum, vna eademque poena alios magis, alios minus adficiat. Quae omnia vt in poenis humanis rite procedunt, ita, quousque in diuinis quaedam ex his locum habeant, res ipſa quemlibet facile condocere poteſt. Speciatim, quod in diuinis quoque poenis certi dentur gradus, conſtat ex *Matth. X, 15. XI, 22. 24. Luc. X, 12.*

* Non tamen talio ſimplex, quae in multis delictis locum habere nequit, & aliquando cum iniquitate quadam eſſet coniuncta. Obſtare equidem videtur lex forenſis Moſis, *Exod.* XXI, 23. 24. 25. *Leuit.* XXIV, 18. 19. 20. *Deut.* XIX, 21. Nec ipſi circa eius interpretationem inter ſe conſentiunt Iudaei, aliis quidem litterae inhaerentibus, aliis autem de aeſtimatione damni dati verba Moſis capientibus. Et horum quidem omnino praeferenda eſt ſententia, cum ſecundum legem Moſaicam & alia eiusdem fere generis crimina, vt excuſſi vtero foetus, & hominis vulnerati, pecuniariis mulctis fuerint expiata. Hinc & IONATHAN pariter ac Hieroſolymitanus paraphraſtes vertunt: *pretium oculi pro oculo, pretium dentis pro dente, pretium manus pro manu &c.* add. IO. CLERICVS ad *h. l. De origine talionis ad mentem gentilium, Iudaeorum & Chriſtianorum*, extat erudita diſſertatio, ſub praeſidio IO. ANDREAE DANZII, viri celeberrimi, in hac academia, habita.

** Ad cauſſam, quae retrahere aliquem debuit, ſpectat etiam iniuſtitia, quae eo maior eſt, quo maius alteri damnum infertur. Hinc primum locum obtinent delicta conſummata, poſtremum non conſummata. In vtrouis genere tanto grauius delictum eſt, quo plures per illud laeduntur, id quod ordine, qui a Deo inter decalogi praecepta ſeruatus eſt, illuſtrat HVGO GROTIVS, *lib. 2. de iure belli & pacis cap. 20. §. 28. ſeqq.* apud quem & reliqua huc ſpectantia legi poſſunt. add. SAM. PVFENDORFIVS, de *iur. nat. & gent. lib. 8. cap. 3. §. 18. ſeqq.*

§. XV.

In poenis humanis etiam contingit, quod pro diuerſo reipublicae ſtatu aliquando aut exaſperari, aut mitigari debeant. Interdum etiam omnino delictorum quorundam concedi venia poteſt, * ſi ſalus ac conſeruatio reipublicae hoc permittat, aut omnino exigat. At Deus, niſi ſatisfactio intercedat, delictorum concedere veniam, ſalua iuſtitia ſua, nequit. ** Accedit, quod cauſſae, cur in poenis humanis hoc quandoque licitum, aut omnino neceſſarium ſit, in diuinis ceſſent.

* Stoici quidem negabant, viri ſapientis eſſe, ignoſcere delictis, aut illorum dare veniam. Sed vt lubrico plane atque infirmo fundamento haec illorum ſententia innitebatur, ita in puerilem verborum luſum omnis tandem controuerſia exibat, dum, virum ſapientem *parcere* quidem, non autem *ignoſcere* aut *dare veniam*, contendebant. Ita enim hac de re philoſophatur SENECA, *lib. 2. de clem. cap. 7.* Sed ex inſtituto hunc Stoicorum errorem diſcuſſi, *diſſert. 2. de praecipuis Stoicorum in philoſ. morali erroribus*, §. 13.

** iuxta ea, quae ſupra ad §. 8. diximus.

§. XVI.

§. XVI.

Homines etiam quandoque impediri poſſunt, quo minus delicta punire queant, quae tamen punire vellent ac deberent: quod itidem in poenis diuinis ſecus ſe habet. Interim grauiſſime peccant, qui quacunque ratione poenas iuſtas impediunt, aut homines, qui eas promeruere, iis ſubtrahunt. * Vnde & patet, quid de *aſylis* ſentiendum. ** Licet enim forte aliquis eorum vſus eſſe poſſit, prout tamen per ea magiſtratus impeditur, quo minus delinquentes punire queat, minime ſunt ferenda.

* Sequitur igitur, quod, qui deliquit, & fuga poenae ſe ſubtraxit, non ſit ab aliis imperantibus recipiendus, vel, ſi receptus ſit, quod aut puniendus aut dedendus ſit, ſi magiſtratus, cuius imperio ſe ſubduxit, hoc exigat. Ad alterutrum, non praeciſe ad dedendum, ipſo iure diuino is ad quem ſe recepit, obligatus eſt, niſi pacta forte deditionem requirant. Sufficit enim, ſi re ipſa demonſtret, a ſe delictum non probari, nec poenam eius ſe impediturum, ſed inflicturum potius.

** In rebuspublicis bene conſtitutis, & vbi iuſtitia recte adminiſtratur, aſyla ſunt prorſus ſuperuacanea. Qui enim eo ſe recipit, aut nocens eſt, aut innocens. Si nocens ſit, nulla loci ſanctitas eum poenae ſubtrahere poteſt ac debet. Sin innocens, tutus erit, & poenae immunis, etiamſi ad nullum aſylum confugiat. Idque tum de ſubditis, tum de exteris, eſt intelligendum. Hi enim ſi nocentes ſint, ex aſylo etiam extrahendi, & aut puniendi aut dedendi ſunt. Si innocentes ſint, poteſt imperans illorum patrocinium in ſe ſuſcipere, etiamſi nullum adſit aſylum. Nec obſtant exempla, ex gente Iſraelitica petita. Longe alia enim in ea rerum fuit conditio, ac hodie eſt in plerisque rebuspublicis. Homicidas enim perſequebatur vindex ſanguinis, ſeu proximus cognatus eius, qui occiſus erat. Qua quidem ratione etiam illi, qui per caſum fortuitum & praeter culpam ſuam homicidium commiſerant, in periculo vitam iterum amittendi verſabantur. Horum ergo vt per certa aſyla conſuleretur ſecuritati, par erat. Nec templorum aediumque ſacrarum ea eſt ſanctitas, vt nefas ſit, ex iis extrahere, qui poenam iuſtam promeriti ſunt. De aſylis Ebraeorum legendus IO. SELDENVS, de *iure nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebraeor. lib. 4. cap.* 2. de Graecorum, SAMVEL PETITVS, *comment. ad leges Attic. f.* 13. add. CONRADVS RITTERSHVSIVS, de *iure aſylorum*, IO. ADAMVS OSIANDER, *diſſert. de aſylis*, aliique.

§. XVII.

Poenae, ſi cauſſam efficientem ſpectes, ſunt vel *diuinae*, vel *humanae*. Et ad diuinas quidem quod attinet, conſtat, quod Deus omnino delicta puniat, vid. *Exod. XX, 5. 6. Deut. V, 9. 10.* & quidem poena poſitiua ac proprie ſic dicta, *Eſ. XXX, 33. Rom. II, 8. 9. 2 Theſſal. I, 6. 7. 8. 9. Apoc XIX, 20,* * idque ob iuſtitiam diuinam, quae neceſſario requirit, ut Deus peccata puniat, nec niſi intercedente ſatisfactione, condonet, *Ebr. IX, 22. Exod. XX, 7. Iob. X, 14. Prouerb. XVII, 11.* ** Neque obſtat, quod Deus ſit benignisſimus, immo ipſe amor. *1 Ioan. IV, 8.* Non minus enim ſanctus eſt, atque iuſtus, vt iam antea obſeruauimus. conf. *Pſalm. V, 5. 6. 7, XLIX, 8. CXLV, 17. 2 Theſſal. I, 6. 7.*

* Sunt

* Sunt enim leges diuinae leges proprie ſic dictae, vt demonſtrauimus ſupra, *cap.* 1. §. 4. *ſeqq.* ideoque & poenas poſitiuas & ſtricte ſic dictas ſecum coniunctas habent.

** Quod pluribus euictum ad §. 8. huius capitis

§. XVIII.

Poenae diuinae, ſi durationem ſpectes, ſunt vel *temporales*, vel *aeternae*. Temporales ſunt, quae in hac vita infliguntur, & finem habent; aeternae, quae poſt hanc vitam ſequuntur, & ſemper durant, Et temporales quidem, itidem non ſunt vnius generis. Quaedam enim determinatae ſunt, & ab ipſo Deo lege quadam expreſſae, quaedam indeterminatae; illae vel ad *omnes homines* pertinent, vt poena capitalis homicidii, * *Gen. IX, ſ. 6.* vel ſpeciatim ad *gentem Iſraeliticam*, quae a Moſe deſcribuntur, & pro varietate delictorum, in varias itidem ſpecies abeunt: praecipue tamen in *ordinarias*, & *extraordinarias* diſpeſci poſſunt: ordinariae erant, quae per magiſtratum iuxta praeſcriptum Numinis infligebantur; extraordinariae, quae immediate a Deo originem habebant, vt *poena excidii.* **

* Qui enim, verbis *Gen.* IX, 6. *quisquis effuderit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis eius effundatur*, non praeceptum de homicidio capitaliter puniendo, ſed euentus futuri ſignificationem, contineri, autumant, prorſus falluntur. Nec obſtat, quod in textu ebraeo extet tempus futurum ישפך *effundetur.* Solenne enim eſt Ebraeis, & eorum linguae fere proprium, vt per tempus futurum leges exprimantur, vt vel ſigula decalogi praecepta oſtendunt. Praeterea, vt praecepta, quae hoc de non effundendo ſanguine innocente, & ſi effuſus fuerit, vindicando, aut antecedunt, aut ſequuntur, vim imperandi habent, ita ratio nulla afferi poteſt, cur reliqua vim indolemque legis habeant, hoc autem ſolum de euentu futuro ſit intelligendum. Idem euincit ſubiuncta ratio: *quia in imagine Dei fecit* (Deus) *hominem.* Quae verba fruſtra addita eſſent, ſi priora non legem aut praeceptum exhiberent. Accedit, quod falſum quid praedixiſſet Deus, ſi euentum indicare voluiſſet, cum ſaepiſſime contingat, vt homicidae vindictam in hac vita effugiant. Ceterum, quod ad omnes omnino homines ſanctio haec poenalis pertineat, itidem vel inde conſtat, quod Noacho, non Ebraeorum modo, ſed gentium omnium, quotquot poſt diluuium vixerunt, patri, data ſit. Id modo dubium alicui mouere poſſet, ad quam legum diuinarum ſpeciem poenalis haecce conſtitutio referenda ſit. Sunt quidem, qui & hanc ad leges diuinas poſitiuas vniuerſales referunt, quibus & ego olim adſtipulatus ſum. Sed cum ſupra dictum ſit, nulla ad eiusmodi leges admittendas cauſſa praegnanti nos vrgeri, citra ambages aſſero, ſanctionem hanc poenalem pertinere ad leges naturales. Ratio enim ipſa hoc dictitat, inter poenam & delictum debere eſſe proportionem, adeoque vita iterum priuandum eſſe, qui eam eripuit alteri. Vnde hoc fratricida Cainus ex accuſantis conſcientiae dictamine agnouit, *Gen.* IV, 14. Licet autem omnes homines ex ratione hoc intelligere poſſint, placuit tamen Deo, hoc iterata promulgatione repetere, haud dubio, quod ante diluuium homicidia fuiſſent frequentiſſima, eiusque obſeruantiam Noacho eiusque poſteris ſerio inculcare, neceſſarium duxerit. add. IO. SELDENVS, *de iur nat. & gent. iuxta diſcipl. Ebr. lib.* 4. *cap.* 1. Exinde quoque conſtat, ſummis imperantibus non fas eſſe, circa huius delicti poenam diſpenſare, ceſſareque hic ius, quod vocant, aggratiandi, quod pluribus demonſtrat ADAMVS RECHENBERGIVS Lipſienſis academiae theologus

theologus celeberrimus, in peculiari diſſertatione, de *iure prin ipis chriſtiani aggratiandi circa homicidium negato.*

** Triplex genus exciſionis ſtatuunt doctores Ebraei: primum, quo corpus tantum exciditur, alterum, quo anima tantum exciditur, tertium, quo corpus & anima ſimul exciduntur, qua de re prolixe diſſerit IO. SELDENVS, *de iur. nat. & gent. lib. 7. cap. 9. p. 872. ſeqq.* add. ISAACI ABARBANELIS diſſertatio, de *poena excidii*, in latinum ſermonem conuerſa a IO. BVXTORFIO, & addita eiusdem tractatui de *ſponſalib. & diuortiis*, item IO. HENRICVS HOTTINGERVS, in *iure Ebraeor. p.* 340. EDVARDVS POKOCKIVS, in *porta Moſis, n.* 158. *p.* 164.

§. XIX.

Poenae diuinae temporales, indeterminatae, vel *naturales* ſunt, vel *poſitiuae*, itemque vel *internae*, vel *externae*. Naturales voco, quae per naturalem conſequentiam vitia quandoque comitantur, vt morbi, contemptus, paupertas, mors praematura, morſus conſcientiae, & alia. Haec enim omnia quin apud improbos poenae rationem habeant, dubitari nequit, cum conſtet, talia ſine Numinis prouidentia hominibus non contingere. Quod vero ob peccata iis immittantur, vel ex iuſtitia Numinis recte colligitur. Poſitiuae ſunt, cum improbis grauiſſima quandoque immittuntur mala, quorum nullam inuenire licet cauſſam naturalem, vt tantum ad iuſtitiam diuinam recurrendum ſit. Id ſaepius contingere, exempla quamplurima docent.* Internae poenae ſunt, quae ad mentem pertinent, vt morſus conſcientiae:** externae quibus corpus adfligitur, aut res externae, quae ad vitae huius ſuſtentationem neceſſariae ſunt, hominibus adimuntur. Ad internas referre etiam licet ſpirituales, vt *deſertionem diuinam, traditionem in ſenſum reprobum, Rom. I, 28.* & alias.

* conf. IO. CONRADVS DANHAVERVS, in *theologia caſuali. p.* 215.

** Perſpectum hoc fuit ipſis ethnicis, dum agnouerunt, nihil eſſe miſerius conſcientia mala. HORATIVS, *lib. 1. epiſt. 1.*

hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Mitto reliqua, quae paſſim adferri ſolent.

§. XX.

Praeter temporales, alias adhuc poſt hanc vitam improbis imminere poenas, & ratio quodammodo dictitat,* & ſcriptura ſacra luculenter confirmat. Suntque iſtae poenae partim *priuatiuae*, in carentia bonorum omnium, quibus ſumma hominum beatorum felicitas abſoluitur, conſiſtentes, idque tum ratione *intellectus, Ioan. III, 36. Pſ. XLIX, 20. Matth. VIII, 12. XXII, 13.* tum ratione *voluntatis, Zach. IX, 11.* partim *poſitiuae*, prout priuatiuis opponuntur, cruciatus maximos, ſenſumque malorum acutiſſimum inferentes, idque iterum tum ratione *intellectus, Apoc. VI, 16.* tum ratione *voluntatis, ib. v. 17.* tum denique ratione

corporis

corporis, Eſ. LXVI, 24. Matth. III, 12. X, 28. XXV, 41. Aeternas quoque haſce poenas fore, nec habituras finem, ſcriptura diſerte teſtatur, *Eſ. LXVI, 24. Matth. III, 12. XXV, 41. Apoc. XX, 10.*

* Cum enim experientia docest, improbis ſubinde res ſuas ex voto fluere, cum piis contra & ſanctis hominibus cum variis calamitatum generibus conflictandum ſit, ſequitur, aut rerum humanarum cura Deum non tangi, aut praemia virtutis, pariter ac poenas peccati, dari poſt hanc vitam. Prius autem cum admitti nequeat, poſterius omnino admittendum, ratio ipſa dictitat. Hinc & nonnulli ethnicorum philoſophorum faſſi ſunt, de inferis, ſicut de diis, omnes homines communem habere notionem. Copioſe hac de re agit DANIEL CLASENIVS, *theol. gentil. part. 1. cap. 16. ſeqq.* add. PETRVS DANIEL HVETIVS, in *quaeſtionib. Alnet. lib. 2. cap. 24.*

§. XXI.

Interdum Deus & mediate homines ad legum ſuarum obſeruantiam compellit, idque per magiſtratus, quorum officium eſt, ad minimum ad externam legum diuinarum obſeruantiam homines inducere, * quippe, ſine qua nec conſiſtere vita ſocialis, nec hominum genus conſeruari poteſt.

* Fundamentum huius aſſertionis repetendum ex iis, quae ſupra diximus, in *prolegom.* huius partis, §. 8.

§. XXII.

Eſt vero magiſtratibus res aut cum ſubditis, aut cum aliis gentibus vel ſummis imperantibus, qui ab illorum imperio non dependent, & talia deſignant, quae cum publica humani generis tranquillitate conſiſtere non poſſunt. Si prius ſit, non tantum cogere illos, qui alios laeſerunt, queunt, vt iis ſatisfaciant, ne inpoſterum amplius laedant, ſed vt tum ipſi illi, qui peccarunt, tum alii rectius ſe in poſterum gerant, punire etiam illos poſſunt. Atque inde *ius puniendi*, magiſtratibus recte tribuitur. Puniri autem ſubditi poſſunt ac debent, non tantum ſi humanas, ſed & ſi diuinas leges migrent, prout harum quoque obſeruatio, ad tranquillitatem externam conſeruandam eſt neceſſaria. Ideoque & leges diuinae inter humanas repeti ſolent, addita quoque illis obligatione ciuili. *

* Lucem hic dabunt, quae dixi in *elem. philoſ. pract. part. 2. cap. 4. ſect. 13. §. 24.*

§. XXIII.

Ea vero poteſtas puniendi, quam ſummi imperantes habent, ſe omnino etiam ad ſupplicia capitalia extendit. Id ſalus namque & conſeruatio reipublicae poſtulat, cum coërceri interdum alia ratione homines improbi legumque contemptores nequeant, quam ſuppliciis capitalibus: immo quandoque ne ſic quidem coërceri queant.

Cumque ciues in omnia, quae ſalus reipublicae requirit, vt ab imperantibus ſuſcipi poſſent, conſenſiſſe merito credantur, in hoc quoque conſenſiſſe omnino exiſtimandi ſunt, vt magiſtratui fas eſſet, capitaliter punire immorigeros, ſi ſalus ac conſeruatio reipublicae, tranquillitasque publica hoc requireret. Accedit, quod a Deo ipſo ſupplicia quaedam capitalia ſint ſancita, *Gen. IX, 6. Num. XXXV, 31. 33.* Immo diſerte Paulus dicit, magiſtratui gladium datum, *quem non fruſtra gerat. Nam Dei*, inquit, *miniſter eſt, vindex ad iram ei, qui, quod malum eſt, fecerit, Rom. XIII, 4.* *

* Hoc ergo obſeruandum, contra Anabaptiſtas, inter quorum errores & hoc refertur, quod ſupplicia capitalia a chriſtianis exerceri poſſe, abnuant: quanquam MENNO SIMONIS, a quo Mennonitae nomen habent, alicubi facultatem, poenis capitalibus improbos afficiendi, magiſtratui conceſſerit. Fuerunt tamen etiam inter chriſtianos veteres, qui ſupplicia capitalia improbarent, immo, ne quidem iis ſibi intereſſe, fas eſſe putarent, tantum abeſt, vt ipſimet ea exercere poſſent. Qua de re extant teſtimonia ATHENAGORAE, *legat. pro chriſt. pag.* 28. TERTVLLIANI, de *ſpectaculis cap.* 16. LACTANTII, *inſtitut. diuinar. lib.* 5. aliorumque Egit etiam noſtra aetate hoc vir quidam doctus, qui ſub CLEMENTIS IVSTINIANI nomine latitare voluit, vt oſtenderet, ſecuritati reipublicae etiam alia ratione, quam ſuppliciis capitalibus conſuli poſſe, in peculiari ſchediaſmate, lingua germanica de hocce argumento ſcripto. Sed is eſt rerum humanarum ſtatus, tanta quorundam improbitas, vt ſecuritas externa ſine ſuppliciis capitalibus non ſperanda videatur. Nec eſt, quod dicas, ne ſic quidem homines improbos a grauiſſimis ſceleribus deterreri. Inuerti enim argumentum poteſt, vt dicatur, cum per ſupplicia capitalia hominum vix coërceri improbitas queat, quid quaeſo futurum erit, ſi eiusmodi ſuppliciorum metus ceſſaret? Quod autem iure diuino licita ſint, ex dictis abunde patet.

§. XXIV.

Quemadmodum vero extra dubium, ea delicta, quae capitaliter puniri Deus ipſe, aut generatim, aut ſpeciatim in gente Iſraëlitica, voluit, etiam hodie, ſi reipublicae ſtatus hoc requirat, itidem capitaliter puniri poſſunt: ita de reliquis, in quae poena capitalis a Deo ſtatuta non eſt, nonnulli ambigunt. Verum cum leges illae ſpeciales Iſraëlitarum nos hodie amplius non obligent, idoneo minime nituntur fundamento, qui, non alia delicta capitaliter puniri poſſe contendunt, quam in quae ſimilis poena in hac gente olim fuit ſtatuta. Hinc quaedam delicta mitius hodie puniri poſſunt, quam olim in gente Iſraëlitica punita fuerunt, quaedam autem acriorem poenam promerentur. Sunt enim poenae ſtatui reipublicae attemperandae: niſi lege vniuerſali certam poenam Deus ipſe conſtituerit, vti de poena homicidii conſtat. Sanctiones autem poenales, genti Iſraëliticae datae, hunc vſum habent, vt colligamus, delicta, quae Deus puniri capitaliter voluit, aut iis aequipollentia, rectiſſime & hodie capitaliter puniri,

ſi reipu-

ſi reipublicae ratio hoc requirat. At, quod non alia delicta capitaliter puniri queant, quam quae ita in gente Iſraëlitica punita ſunt, inde non ſequitur. Et hinc patet, quid de ſupplicio capitali, in furtis apud nos ſancito, ſentiendum ſit. *

* Si enim ſtatus & incolumitas reipublicae hoc exigat, reliquaeue poenae delicti huius frequentiam ſiſtere non poſſint, capitaliter quandoque puniri poteſt. Nec obſtat, quod nonnulli regerunt, inter vitam hominis & bona, quae fur abſtulit, nullam eſſe proportionem. Non enim cum bonis ſaltem, quae abſtulit, ſed cum incommodis reliquis & periculis, quae ex furandi licentia in totam rempublicam redundant, vita furis comparanda eſt, & tum poenam hanc, ſi eam neceſſitas requirat, nihil habere iniqui, patebit. conf. BALTHASAR MEISNERVS, *philoſ. ſobr. part.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 4. *qu.* 3.

§. XXV.

Quod ſi magiſtratibus cum aliis gentibus aut imperantibus, qui ea faciunt, quae publicam tranquillitatem turbant, res ſit, oritur inde *ius belli*. Bellum enim eo ſpectat, vt alii, qui violatis legibus diuinis vitam ſocialem turbant, cogantur, ea intermittere, & ita erga omnes ſe gerere, prout tranquillitas & humani generis conſeruatio id poſtulat. Vnde, quin bella, legitima de cauſſa ſuſcepta, licita ſint, dubitari nulla ratione poteſt * Accedit, quod bella in ſcriptura ſacra paſſim adprobentur. Quod docent exempla virorum ſanctorum, Abrahami, Ioſuae, Dauidis, qui bella geſſerunt; leges bellicae, quas Deus ipſe populo Iſraëlitico dedit; exempla militum, qui ob fidem & probitatem in nouo etiam teſtamento laudantur; *Matth. VIII, 9. 10. 13. Actor. X, 1. ſeqq.* quemadmodum & Ioannes Baptiſta milites, qui ad illum accedebant, vt baptizarentur, adhortabatur, vt iuſtitiae ſtuderent, & ſtipendio contenti eſſent; ſtatum ipſum illorum non damnat, *Luc. III, 14.*

* Fuerunt tamen tum ex veteribus, tum ex recentioribus, qui bella illicita eſſe crederent. Ex veteribus quidem ORIGENES atque TERTVLLIANVS, ille *lib.* 8. *contra Celſum, p.* 425. *ſeqq.* hic in *lib. de idololatria, cap.* 19. & de *corona milit. cap.* 2.. Ex recentioribus praeter Anabaptiſtas, quibus & Sociniani iungi ſolent, DESIDERIVS ERASMVS Roterodamenſis in libello de *milite chriſtiano*, IO. FERVS, in *lib. de pace tenenda*, apud SIXTVM SENENSEM, *biblioth ſanctae, lib.* 6. *annot.* 151. De Anabaptiſtis conf. IO. MVLLERVS, de *anabaptiſmo err.* 21. vbi ex inſtituto contra eos diſputat: add. diſſertatio noſtra, de *concordia religionis chriſtianae ſtatusque ciuilis, cap.* 5. §. 5. Veram ſententiam, quod bella licita ſint, recte quidem & erudite defendit HVGO GROTIVS, *de iure belli & pac. lib.* 1. *cap.* 2. & ad argumenta quoque diſſentientium reſpondet: ſed in eo ſubinde labitur, quod ius belli & ius puniendi inter ſe miſcet, cum tamen haec longe ſint diuerſiſſima. Sunt etiam, qui exiſtimant, bella defenſiua equidem licita eſſe, minime autem offenſiua. Sed non ſatis, vt puto, ſecum perpendunt, ad humanae ſocietatis tranquillitatem conſeruandam quandoque non minus neceſſarium eſſe, quae ſibi debentur, & ab aliis iniuſte denegantur, ſibi vindicare, quam ſua defendere. Interim lubens fateor, ad bellum, qualecunque demum ſit, ſiue defenſiuum, ſiue offenſiuum, nonniſi ex

cauſſis grauiſſimis, ſummaque velut vrgente neceſſitate, eſſe accedendum, vt deinceps monebitur.

§. XXVI.

Sed tum demum bellum licite geritur, ſi cauſſa iuſta adſit, & in ipſo modo illud gerendi, iuſtitiae & aequitatis ratio habeatur. Et ad cauſſam quidem quod attinet, neceſſe eſt, vt non tantum cauſſa iuſtifica, quam vocant, vere iuſta ſit, ſed vt cum cauſſa ſuaſoria etiam coincidat, * hoc eſt, vt nulla alia cauſſa ad bellum gerendum quis moueatur, quam ea, quam obtendit, hoc eſt, vt ea conſequatur, quae per iuſtitiae leges illi debentur. Ad modum autem quod attinet, cuncta, quae prolixe ab aliis diſputantur, huc tandem redeunt: quae, vt finem belli conſequamur, ſunt neceſſaria, ea ſunt licita: illicita contra omnia, quae ad finem belli parum faciunt. ** Recte vero & alii monent, in cauſſa etiam iuſtiſſima, non temere bellum ſuſcipiendum eſſe, ob mala plurima, quae illud comitantur, niſi ſumma nos ad hoc cogat neceſſitas. conf. *Matth. V, 39. ſeqq.* ***

* Cauſſas *iuſtificas* vocant, quibus efficitur, vt bellum iuſtum ſit, aut tale videatur: *ſuaſorias*, quibus impelluntur imperantes ad bellum ſuſcipiendum. Iam, quod cauſſae iuſtificae reuera iuſtae eſſe debeant, per ſe patet. Si ſpeciem enim iuſtitiae ſaltem habent, bellum quoque iuſtum eſſe nequit. Nec minus iuſtificae & ſuaſoriae coincidere debent. Si enim quis vel maxime cauſſam iuſtam belli habeat, ambitio tamen potius, aut vindictae cupiditas, quam cauſſa illa iuſta, ad bellum ſuſcipiendum eum impelleret, non recte ageret. Ad actionem enim iuſtam & bonam requiritur, vt intentio quoque bona ſit, vt ſupra probauimus. Patet hinc multiplici ratione, ſi cauſſam ſpectes, bellum aliquod iniuſtum eſſe poſſe. Primo, ſi nec iuſtifica nec ſuaſoria cauſſa adſit, cuiusmodi bella *ferina* recte dixeris. Ita quidem SENECA: *poſſum dicere, non eſſe hanc crudelitatem, ſed feritatem, cui voluptati ſaeuitia eſt; poſſumus inſaniam vocare*; *lib. 2. de clement. cap. 7.* Vix tamen videtur eiusmodi belli exemplum adferri poſſe, vbi non praedae cupiditas vel ſimile quid, hoſtes incitauerit ad crudelitatem ſuam exercendam. Deinde iniuſta ſunt bella, ſi tantum ſuaſoriae, non autem iuſtificae, cauſſae adfuerint, quae bella iudice AVGVSTINO a latrociniis non differunt, *lib. 4. de ciu. Dei, cap. 6.* Praeterea iniuſta bella ſunt, ſi cauſſae iuſtificae quidem adſint, ſed quae, ſi accuratius examinentur, iniuſtae ſint, vt iniuſtus metus ex potentia vicini, item ſpiritus acquirendi dominii aut imperii titulus, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, a me indicata in *elem. philoſ. pract. part. 2. cap. 5. ſect. 2. §. 14.* Denique, & iniuſta bella ſunt, ſi iuſtificae quidem eaeque iuſtae cauſſae adſint, ſed, qui bellum ſuſcipit, alias habeat ſuaſorias, & non tam ob cauſſas iuſtas, quam ob ſuaſorias, bellum gerat. Quanquam nonnulli obſeruent, tum non tam bellum ipſum *iniuſtum* reddi, quam *iniuſte geri.* Intentionem namque non ad iuſtitiam cauſſae, ſed actionum pertinere. Quaeri etiam ſolet, an bellum vtrinque iuſtum eſſe poſſit? At non eſſe poſſe, res ipſa docet, cum facultas moralis non detur ad contraria. Fieri tamen poſſe videtur, vt alter habeat cauſſam iuſtam, alter per ignorantiam inuincibilem neſciat, ſe habere cauſſam iniuſtam, & adeo vterque *iuſte* bellum gerat. Quorſum nonnulli referunt bellum inter Iſraelitas & Cananaeos, de quo vid. SERRARIVS ad *cap. 6. Ioſ. quaeſt. 2. & 3. prooemiali*, & IO. ADAM. OSIANDER ad *Grot. de iure belli & pac. lib. 2. cap. 23. §. 13.* Verum cum fieri

vix

vix poſſit, vt ignorantia, qua quis neſcit, ſe cauſſam iniuſtam habere, ſit inuincibilis, fruſtra quoque eiusmodi quid aſſeritur.

** Vt enim omnis agendi facultas ex fine limites ſuos accipit, ita & bellici iuris limites ex fine ſunt conſtituendi. Pluribus hoc declaraui in *elem. philoſoph. pract. part* 3. *cap.* 5. *ſect.* 5. §. 2. *ſeqq.* Ad ſpecialia deſcendere huius loci non eſt: fecerunt id alii, praeſertim HVGO GROTIVS, in opere ſaepe laudato de *iure belli & pac. lib.* 3. per integrum.

*** Diligenter hoc inculcat ipſe HVGO GROTIVS, de *iure belli & pac. lib.* 2. *cap.* 24. in quo continentur monita de non temere, etiam ex iuſtis cauſſis, ſuſcipiendo bello.

S. D. G.

SVMMA IVRIS DIVINI
SECVNDVM ORDINEM DECALOGI DISPOSITA.

De *decalogo in genere*, dictum *cap. 2.* huius partis, §. *6.* Immo huc tota fere ſpectat tractatio tum de legibus generatim, *cap. 1.* tum ſpeciatim de legibus diuinis, *cap. 2.* & quae de fine legum diuinarum diximus, in *prolegomenis* §. *7. ſeqq.*

Ad *praeceptum primum* pertinent, quae dicta ſunt *cap. 3. ſect. 1.* Addenda, quae tum de amore Dei, tum de abnegatione ſui, dicta ſunt, *part. 1. cap. 1. ſect. 4.*

Ad *praeceptum ſecundum*, quae diximus, *cap. 3. ſect. 2.* de glorificatione nominis diuini, *§. 1.* vsque ad *30.*

Ad *praeceptum tertium*, quae dicta ſunt eodem *cap. 3. ſect. 2. §. 30.* vsque ad *finem.*

Ad *praeceptum quartum*, quae de officiis parentum & liberorum diximus, *c. 3. ſect. 6.* §. *25.* vsque ad *33.* item de officiis dominorum & ſeruorum, *ibid.* §. *33.* vsque ad *finem*, & denique de officiis imperantium & ſubditorum, *cap. 3. ſect. 7.* per *integrum.*

Ad *praeceptum quintum*, quae de officiis hominum erga alios abſolutis ex inſtituto dicta, *cap. 3. ſect. 4.* Spectant huc etiam quodammodo, quae de vitae conſeruatione, deque moderamine inculpatae tutelae, & *αὐτοχειρία* dicta ſunt, *cap. 3. ſect. 3.*

Ad *praeceptum ſextum*, quae de officiis hominum erga ſeipſum dicta ſunt, *cap. 3. ſect. 3.* & de officiis coniugum, *ſect. 6.* huius capitis §. *1.* ad *26.*

Ad *praeceptum ſeptimum*, quae de dominio & pretio rerum, deque contractibus, & hominum circa haec omnia officiis dicta ſunt, *cap. 3. ſect. 5.* §. *14. ſeqq.*

Ad *praeceptum octauum*, quae de officiis hominum circa ſermonem in medium allata ſunt, *cap. 3. ſect. 5.* §. *2. ad. 14* conf. & §. *33. & 34.*

Ad *praeceptum nonum* & *decimum* quae dicta ſunt de lege diuina *cap. 2.* ſpeciatim §. 42. vbi demonſtratum, quod omnis concupiſcentia praua, habitualis & actualis, iure diuino prohibeatur. Iungenda tamen quae adhuc prolixius de concupiſcentia praua dicta ſunt, *part. 1. cap. 1 ſect. 4.* §. *39.* & *in annotationibus ad h. l.* vbi & de diſcrimine, quod inter praeceptum nonum & decimum intercedit, actum eſt.

INSTI-

INSTITVTIONVM
THEOLOGIAE MORALIS
PARS TERTIA.

Digitized by Google

Q. D. B. V.

PROLEGOMENA
DE
NATVRA ET INDOLE
PRVDENTIAE CHRISTIANAE
ET THEOLOGICAE
DEQVE ADMINICVLIS EO SPECTANTIBVS.

Σύνοψις.

Prudentiae chriſtianae & theologicae definitio, §. I.
Prudentia hic intelligitur non temporalis, ſed ſpiritualis, §. II.
Quae ab omnibus equidem chriſtianis, ſed ſpeciatim a doctoribus eccleſiae requiritur, vnde theologica prudentia cum chriſtiana hic coniungitur, §. III.
Cur dicatur ſcientia, & quidem practica, §. IV.
Subiectum eius eſt homo regenitus, ſpeciatim eccleſiae doctor, §. V.
Cauſſa efficiens eſt Deus, a quo per certa media eſt impetranda, §. VI.
Obiectum ſunt actiones, ita dirigendae, vt id, quod in ſpiritualibus reuera vtile ſeu optimum eſt, conſequamur, §. VII.
Finis eſt, conſequi in ſpiritualibus, quod reuera vtile ſeu optimum eſt, §. VIII.
Ad eam acquirendam praeter alia plurimum confert librorum huc ſpectantium, ſpeciatim ſcripturae ſacrae, lectio, §. IX.
itemque hiſtoria eccleſiaſtica, ſi rite tractetur, §. X.
ſcripta paſtoralia patrum, aliorumque, §. XI.
auctores, qui de prudentia chriſtiana, ſpeciatim eccleſiaſtica, egerunt, §. XII.
Methodus, & tractandi, qui hic obſeruabitur, ratio, §. XIII.

§. I.

Per prudentiam chriſtianam & theologicam, intelligo ſcientiam practicam, docentem quo pacto quilibet chriſtianus, ſpeciatim doctor eccleſiae, actiones ſuas ad commodum & ſalutem animae ſuae, & aliorum, inprimis fidei ſuae commiſſorum, promouendam, rite inſtituere debeat, vt remotis impedimentis, vbique finem optimum, eo certius obtineat.

§. II.

Prudentiae vox ita a nobis accipitur, vt denotet habitum practicum, actiones ſuas, habita ſingularum circumſtantiarum ratione, ita dirigendi, vt conſequamur vbique quod optimum, ſeu reuera vtile eſt. * Cumque hoc tum de rebus temporalibus, tum de ſpiritualibus intelligi queat, non de illis, ſed de his nobis ſermonem eſſe, res ipſa docet. Ideoque & hanc prudentiam *chriſtianam* vocamus, quae & alias *prudentia iuſtorum* dici ſolet, ex *Luc. I, 17.* conf. & *Matth. VII, 24. ſeqq.*

Digitized by Google

* Varias equidem vox prudentia habet ſignificationes, ſed ſpecialior illa, in qua eam hic adhibemus, longe eſt vſitatiſſima, praeſertim ſi abſolute & ſine additamento vox iſta vſurpetur, conf. *elem. philoſ. pract. part.* 1. *cap.* 1. §. 4. & 8.

§. III.

Licet autem omnes chriſtiani hac prudentia merito inſtructi eſſe debeant, doctores tamen eccleſiae ſpeciali quadam ratione eadem opus habent, quippe qui *diſpenſatores ſunt myſteriorum diuinorum, 1 Cor. IV, 1.* vt ſciant, quo pacto in domo Dei, quae eſt eccleſia, ambulare debeant. *1 Tim. III, 15.* Ideoque merito in hac tractatione cum chriſtiana, ſpeciatim theologicam prudentiam coniungimus. Etſi enim haec latius pateat, & ad plura ſe officia porrigat, ex iisdem tamen vtraque profluit fontibus, immo haec illam neceſſario ſupponit.

§. IV.

Dum eam *ſcientiam practicam* diximus, eadem hoc eſt intelligendum ratione, qua theologiam moralem ſpeciatim ſic dictam, itemque iurisprudentiam diuinam ita adpellitauimus. * Et licet hic praecipue ſingularum circumſtantiarum habenda ſit ratio, omnisque prudentiae vis in adplicatione principiorum ad actiones cum certis circumſtantiis conſideratas ſeſe exerat, ipſa tamen principia, quae hanc adplicationem rite inſtituendam docent, certa, firma, vniuerſalia & in ſcriptura ſacra, certo reſpectu etiam in ipſa ratione fundata ſunt, vt ea theologiae pars, quae de iis praecipit, non immerito *ſcientiae*, & quia hic quoque de actionibus hominum ſermo eſt, *practicae*, nomine veniat.

* Eſt enim prudentia chriſtiana & theologica pars quaedam theologiae moralis latius dictae, quae cum theologia morali, ſtrictiori ſenſu ſic adpellata, & iurisprudentia diuina, vnum integrum habitum conſtituit. Vnum ergo omnes iſtae partes merito habent genus: hinc & hic locum habent, quae in *prolegom. part.* 1. §. 4. *ſeqq.* dicta ſunt.

§. V.

Subiectum prudentiae huius, eſt homo chriſtianus, ſeu regenitus, ſpeciatim doctor eccleſiae. Homo irregenitus enim non eſt capax prudentiae ſpiritualis. Immo prudentia huius mundi, qualis eſt hominum irregenitorum, ſtultitia eſt apud Deum, *1 Cor. III, 18. 19. 20.* & homo ψυχικὸς non poteſt diiudicare τὰ πνευματικὰ *1 Cor. II, 14.* Neceſſaria autem haec prudentia eſt quibusuis chriſtianis ob periculorum, quibus obnoxii ſunt, magnitudinem, itemque ob hoſtium, quibuscum iis conflictandum eſt, potentiam atque aſtutiam. conf. *Epheſ. VI, 12.* Quod vero ſpecialiori quadam ratione a doctoribus eccleſiae verbique diuini miniſtris requiratur, iam ex antea dictis conſtat, add. *Matth. X, 16.*

§. VI.

§. VI.

Quemadmodum etiam omnia dona bona & perfecta, ſuperne deſcendunt, a patre luminum, *Iacob. I, 17.* ita prudentia quoque haecce chriſtiana & theologica eundem autorem habet, precibusque ab eo eſt impetranda, *Iacob. I, 5. 6.* * non tamen excluſis reliquis mediis & ſubſidiis, quae ad eam comparandam aliquid conferunt, de quibus deinceps.

* Sunt, qui putant, vocem σοφίας ibi poſitam eſſe pro voce φρονήσεως, ut & *Rom.* XVI, 19. *Eph.* V, 15. *Coloſſ.* IV, 5. Quidquid huius ſit, cum prudentia non minus donum Dei ſit, quam ſapientia, vtramque precibus a Deo impetrandam eſſe, patet.

§. VII.

Verſatur prudentia chriſtiana & theologica circa actiones, in quantum ita dirigendae ſunt, vt quod optimum atque vere vtile eſt, obtineatur. * Veram enim vtilitatem ab apparente, habita praeſertim ſingularum circumſtantiarum ratione diſcernere, id enimuero prudentiae opus. *1 Cor. VI, 12.* Vt vero per chriſtianam prudentiam ſuas quilibet actiones, ea, qua par eſt, ratione, dirigit, ita ad aliorum actiones quoque attendit prudentia theologica, idque tum intuitu ſingulorum, quorum cura illi demandata eſt, tum ratione totius eccleſiae, quae eſt domus Dei, 1 *Tim. III, 15.* add. *Ebr. III, 2.*

* Quo pacto itaque prudentia chriſtiana & theologica, cum a theologia morali ſtricte ſic dicta, tum a iurisprudentia diuina differat, hinc intelligere licet.

§. VIII.

Finis prudentiae tum chriſtianae, tum theologicae eſt, vbique, quod optimum, ad minimum quod reuera vtile eſt, in ſpiritualibus, tum intuitu ſingulorum hominum, tum intuitu eccleſiae, circumſtantiarum omnium habita ratione, conſequi, vt ita vera tum ſingulorum hominum, tum eccleſiae totius felicitas promoueatur. Hoc voce *aedificationis* etiam exprimi poteſt, qua & ſcriptura vtitur, quacue cum officio oeconomi, quales ſunt certo modo omnes fideles, ſpecialiori autem ratione verbi diuini miniſtri, bene conuenit. conf. *Actor. IX, 31.* add. *1 Petr. II, 5. Ephеſ. II, 19. ſeqq.*

§. IX.

Ad prudentiam hancce chriſtianam pariter ac theologicam comparandam, praeter alia * plurimum confert librorum, eandem inſtruentium lectio: cumprimis ſcripturae ſacrae, quae vt norma, ita fons vberrimus eſt omnis & ſapientiae & prudentiae. Cumque omnes & ſinguli ſcripturae libri hunc quoque vſum praebeant, ** ſpeciatim tamen eccleſiae doctorem inſtruit, & quo pacto prudenter & circumſpecte vbique ſe gerere debeat, condocet Paulus, in ſuis ad Titum

pariter ac Timotheum epiſtolis. Quas qui commentariis ſuis illuſtrant, *** varia huc ſpectantia attingere ſolent.

* Sunt, qui ad prudentiam ciuilem comparandam tria commendant, doctrinam, conuerſationem & vſum. conf IO. ANDREAS BOSIVS, de *comparanda prudentia ciuili*, §. 1. *ſeqq.* Quae facili negotio ad prudentiam chriſtianam & theologicam adplicari poſſunt. De doctrina res certa & extra dubium poſita. Experimentalia enim prudentia, doctrina omni, adeoque iuſtis principiis, deſtituta, & in ciuilibus & ſpiritualibus ac theologicis lubrica eſt, & vana. Ad doctrinam tamen ſi accedat vſus, inſigniter hinc augetur prudentia. Vſus enim gignit experientiam, experientiam autem prudentiae matrem dicere conſueuerunt. Idque & in ciuilibus & ſpiritualibus ita ſe habet. conf. *Rom.* v, 4. Ideoque & *νεοφύτις*, vtpote experientia adhuc deſtitutos, eccleſiis praefici noluit apoſtolus 1 *Tim.* III, 6. vt ſuo loco dicetur. Huc & pertinet, quod dici ſolet, non tantum orationem, & meditationem, ſed tentationem quoque facere theologum, quia ſcilicet multas variasque tentationes feliciter vincendo, experientiam rerum ſpiritualium hac ratione ſibi comparauit. Nec contemnenda conuerſatio cum hominibus piis, prudentibusque, & rerum ſpiritualium & eccleſiaſticarum peritia. Multum hinc proficere licet in vera & genuina prudentia, ſi modo conuerſatio recte inſtituatur. Namque & hoc neceſſe eſt, ut obſeruemus, ſi fructum inde capere velimus. Sunt equidem multi, qui de arte homiletica ſeu conuerſandi ex inſtituto ſcripſerunt, ſpeciatim de eruditorum conuerſatione non contemnenda ſunt, quae adfert GEORGIVS DANIEL MORHOFIVS, *polyhiſt. litter. lib.* 1. *cap.* 15. Nos autem ſpeciatim de illorum loquimur conuerſatione, qui in prudentia ſpirituali proficere cupiunt, & quo pacto ea ſecundum regulas prudentiae chriſtianae inſtitui debeat, quod argumentum ab illorum inſtituto, qui de ciuili aut erudita conuerſatione praecipiunt, alienum, dignum tamen eſt, quod excolatur. Ad conuerſationem ſpectant quodammodo peregrinationes: quae an & quousque ad prudentiam eccleſiaſticam & theologicam aliquid conferant, & quo pacto caute & circumſpecte ſint inſtituendae? quaeri poſſet: ſed hiſce nunc immorari non libet.

** Exempla enim pariter ac praecepta, quae prudentiam chriſtianam pariter ac eccleſiaſticam inſtruant, vbique occurrunt. Idem pluribus confirmat NICOLAVS VEDELIVS. *Ex hac*, inquit, de ſcriptura ſacra verba faciens, *vt ex fonte haurimus nobiliſſimam partem prudentiae eccleſiaſticae* multo (magis chriſtianae) *quae circa veram religionem adeoque Deum immediate verſatur; deinde ex ea actiones verae prudentiae ab actionibus falſae prudentiae diſcernimus. Quae enim verbo Dei conformes ſunt actiones, aut ei non repugnant, eae verae prudentiae ſunt, quae autem ei repugnant, illae aut ad verſutiam, aut ad imprudentiam pertinent; de prudentia veteris eccleſiae, prolegom. cap.* 3. *p.* 9.

*** Fecit hoc, quod ad vtramque Pauli ad Timotheum epiſtolam attinet, praeter alios ex pontificiis CLAVDIVS ESPENCAEVS, cuius tum in has, tum in eam, quae eſt ad Titum, commentarii proſtant. Commentario in priorem ad Timotheum ſubiunxit digreſſionum libros tres, in quibus de officiis eccleſiaſticis, porro de vitiis & virtutibus paſtorum, praeſertim libro ſecundo, multa ex antiquitate eccleſiaſtica & iure canonico diſſerit, quaedam etiam de naeuia, quae in ipſa eccleſia Romana conſpiciuntur, cordate monuit. Commentario in poſteriorem ad Timotheum epiſtolam itidem varias digreſſiones inſeruit, in quibus tamen talia tractat, quae ad noſtrum inſtitutum non pertinent. Ex reformatae eccleſiae doctoribus prae ceteris commemorandus IO. COCCEIVS, qui vt ceteroquin in explicanda ſacra ſcriptura magnum ſtudium induſtriamque poſuit, ita & vtramque ad Timotheum epiſtolam, commentariis ſuis illuſtrauit. Ex noſtratibus praecipue commendandus FRIDERICVS BALDVINVS, cuius *apoſtolica miniſtrorum eccleſiae inſtitutio, hoc eſt, apoſtoli Pauli epiſtolae ad Timotheum I. & II. commentatio*, Wittebergae anno MDCXXX. prodiit; itemque B. GERHARDVS noſter, cuius *commentarius in vtramque ad Timotheum*, Ienae MDCLXVI. lucem adſpexit publicam. Reliquos, quorum magnus adhuc eſt numerus, lubens praetereo. In epiſtolam ad Titum ex patribus commentatus eſt HIE-

Digitized by Google

eſt HIERONYMVS, ex noſtratibus FRIDERICVS BALDVINVS, GEORGIVS CALIXTVS, FRIDERICVS RAPPOLTVS, aliique quamplurimi, omnium autem recentiſſime IOACHIMVS ZENTGRAVIVS, cuius commentarius prodiit Argentorati MDCCVI. 4to.

§. X.

Hinc iungenda hiſtoria eccleſiaſtica, * cuius, ſi rite tractetur, inter alia hic quoque fructus eſſe debet, vt prudentiam chriſtianam & theologicam inſtruat. Varia enim tum integrae eccleſiae, tum ſingulorum hominum in ea nobis exhibentur fata, proſpera & aduerſa: quorum illa ſubinde prudentiam, haec imprudentiam hominum, arguunt: vt adeo capere hinc queamus, quae nobis profutura ſint, imitando quae recte & prudenter facta ſunt ab aliis, quae ſecus ſe habent, fugiendo & euitando.

* Pluribus hoc comprobat, quem iam laudauimus, NICOLAVS VEDELIVS, de *prudentia veteris eccleſiae, prolegom. cap. 3. p. 9. ſeqq.* qui & §. 4. *ſeqq.* rectiſſime monet, non omnes actiones omnium, vtut inſignium, & orthodoxorum, ſeruorum Dei, imitandas, nec omnes actiones diſſentientium condemnandas ac reiiciendas eſſe, idque memorabilibus exemplis Epiphanii, Theophili Alexandrini, Chryſoſtomi, & Siſinnii, Nouatianorum epiſcopi, confirmat.

§. XI.

Fuerunt etiam ex patribus ſcriptoribusque eccleſiaſticis, qui itidem eccleſiae doctores ſcriptis peculiaribus inſtruerent atque erudirent, quod ſpeciatim CYPRIANVM, * AMBROSIVM, ** IO. CHRYSOSTOMVM, *** HIERONYMVM, * GREGORIVM MAGNVM, ** ISIDORVM HISPALENSEM, *** aliosque feciſſe, conſtat: quod & poſt eccleſiae reformationem, feliciter a B. LVTHERO peractam, plurimi tum ex noſtratibus, * tum illis, qui placita a noſtris diuerſa ſequuntur, partim peculiaribus ſcriptis, partim in locis theologicis, vbi aut de eccleſia, aut de miniſterio eccleſiaſtico agunt, praeſtiterunt.

* *epiſt. 4. qui in antiſtites eccleſiae eligendi, & qua cura?* it. *epiſt. 5. qualis eſſe debeat vita ſacerdotum*, item, *de ſingularitate clericorum*, & alibi.

** Spectare huc praecipue AMBROSII librum *de officiis*, iam ſupra obſeruatum, *in prolegom. part. 2. ad* §. 17. Extat etiam inter Ambroſii opera liber de *dignitate ſacerdotali*; quem tamen Anſelmum potius, quam Ambroſium redolere pronuntiat THEOPHYLVS RAYNAVDVS, *erotem. de malis ac bonis libris, partit. 1. erotem. 10. p. 124* Gerberto eundem vindicat IO. MABILLONIVS, in *analectis*, vbi ſub titulo: *libri paſtoralis* extat, obſeruante LVD. ELIA DVPIN, *bibliothec. auctor. eccleſiaſtic. tom. 2. p. 291.*

*** In *libris 6. de ſacerdotio*, in quibus perfectam velut, omnibusque numeris abſolutam epiſcopi imaginem exhibere voluit. Extant *tom. 6. opp.* edit. Saulianae, & ſeorſim quoque anno proxime elapſo editi ſunt Cantabrigiae graece & latine a IO. HVGHES.

* in *epiſtola de vita clericorum ad Nepotianum*, alibique.

** in *libro paſtoralis curae ad Ioannem, Rauennae epiſcopum*, quem ineunte pontificatu ſuo ſcripſit, quique ab Anaſtaſio, patriarcha Antiocheno, in linguam graecam translatus fuit. Tantae autem hicce Gregorii liber olim auctoritatis celebritatisque fuit, vt in variis Galliae conciliis eius lectio epiſcopis atque paſtoribus iniungeretur. In concilio Turonenſi III.

 sub

ſub Carolo M. anno DCCCXII. habito *can.* 3. ſancitur: *nulli epiſcopo liceat canones aut librum paſtoralis curae a B. Gregorio papa editum, ſi fieri poteſt, ignorare, in quibus ſe debet vnusquisque quaſi in quodam ſpeculo aſſidue conſiderare.* Immo in concilio Cabilonenſi II. ſub eodem imperatore habito, velut norma quaedam credendorum atque agendorum epiſcopis commendatur: *epiſcopi canones intelligant, & librum beati Gregorii de cura paſtorali, & ſecundum formam ibidem conſtitutam doceant,* & praedicent. add. LVDOV. ELIAS DV PIN, in *noua bibliotheca ſcript. eccleſiaſt. tom.* 5. *p.* 134. 135.

*** in *epiſtola ad Ludifredum, epiſcopum Cordubenſem, de ſacerdotum in eccleſia officio.*

* In ipſis B. LVTHERI noſtri ſcriptis plurima occurunt, quae eccleſiae doctorem egregie ad munus ſacrum rite adminiſtrandum inſtruere poſſunt. Cum vero ea hinc inde diſperſa ſint, operae pretium fecit CONRADVS PORTA, dum *paſtorale Lutheri* concinnauit, in quo ex ſcriptis Lutheri, quae huc pertinent, coniunctim exhibet. Editio, quam ego poſſideo, anno MDCIV. in 4to prodiit. De hocce libro CONRADI PORTAE ita pronuntiat ABRAHAMVS CALOVIUS: *quod egregium opus omnibus ſacri miniſterii candidatis, ob ſpiritum entheum B. Lutheri, quo animatum eſt, merito eſſe debet quam commendatiſſimum:* in *paedia theolog.* circa finem. Fuerunt ceteroquin plurimi ex noſtratibus, qui hocce argumentum excolendum ſibi ſumpſerunt, ex quibus, ſi recentiores ſpectes, praecipui ſunt: IO. ANDREAS QVENSTEDIVS, in *ethica paſtorali, & inſtructione cathedrali*; IO. LVDOVICVS HARTMANNVS, in *paſtorali euangelico, ſeu inſtructione pleniori miniſtrorum verbi*, CHRISTIANVS KORTHOLTVS, in libello, cui titulus; *paſtor fidelis*, mole quidem exiguo, at ob rerum ſelectum lectu digniſſimo, IO. MICHAEL LANGIVS, in *inſtitutionibus paſtoralibus ad inſtitutionum medicarum methodum adornatis*, aliique. Iungendus his eſt IO. FRIDERICVS MAYERVS, in *muſaeo miniſtri eccleſiae*, tertia vice Lipſiae anno MDCCIII. recuſo, in quo itidem varia huc ſpectantia attinguntur, etſi de eo ceteroquin praecipue ſollicitus ſit, vt ſermones ſacros in variis caſibus ad populum rite facere verbi diuini miniſtrum condoceat. Reliquos, praeſertim, qui ex pontificiis, aut reformatae eccleſiae doctoribus idem argumentum tractarunt, nunc lubens mitto.

§. XII.

Nec defuerunt, qui de prudentia tum chriſtiana generatim, tum ſpeciatim eccleſiaſtica, diuerſo tamen ſcopo, diuerſaque tractandi ratione commentarentur, * quorum ſi rite adhibeantur ſcripta, lucem quandam accendent commodumque afferent illis, qui ad chriſtianae theologicaeque prudentiae laudem adſpirant. Libris autem hiſce non ita inhaerendum, vt non ad praxin atque vſum cuncta referantur, cum haec demum genuina ratio ſit prudentiae ſibi comparandi habitum.

* Extant quidem variorum de prudentia chriſtiana, item eccleſiaſtica & theologica commentationes, quos omnes recenſere huius loci non eſt. Notiſſimus inter noſtrae eccleſiae theologos eſt ANDREAS KESLERVS, cuius de *prudentia chriſtiana* libellus, lingua Germanica ſcriptus, prodiit Coburgi, anno MDCXXVIII. quo docet, quo pacto chriſtianus inter tot pericula, quae tum eccleſiae imminebant, fidem integram & ſinceram, vitaeque ſanctitatem illibatam ſeruare debeat, idque non ſcripturae ſaltem dictis, ſed cumprimis B. LVTHERI teſtimoniis comprobat. Ad doctrinae etiam cumprimis puritatem conſeruandam ſpectat CONRADI TIBVRTII RANGONIS *prudentia eccleſiaſtico-politica circa errores & haereſes*, anno MDCXCIV. edita. Pertinet huc quoque IO. FABRICII, theologi Helmſtadienſis, diſſertatio de *prudentia eccleſiaſtica*, quae extat in *amoenitatibus* eius *theologicis, pag.* 114. *ſeqq.* Ex reformatae eccleſiae doctoribus commemorandus hic eſt NICOLAVS VEDELIVS, cuius de *prudentia veteris eccleſiae libri tres*, varia eruditione referti, Amſtelodami prodierunt anno MDCXXXIII. Iungendus ei

IO.

IO. HENRICVS REITZIVS, ex aliis quoque ingenii monumentis notus, qui commentationi ſuae huncce titulum dedit: [illegible], ſiue *prudentia eccleſiaſtica, illuſtrata ex Matth.* X, 16. Heidelbergae anno MDCXCII. Ne quid nunc de DOROTHEO quodam SICVRO dicam, cuius *prudentiam theologicam explicatione commendatam*, editamque Amſtelodami anno MDCXCII. ab aliis ſubinde laudatam vidi. Et hi quidem omnes obſeruationes haud contemnendas ſuppeditant, nec tamen omnia ſine iuſta δοκιμασίᾳ dimittenda. Facere non poſſum, quin & hic VITI LVDOVICI SECKENDORFII, mentionem faciam, ob librum egregium, quem de *ſtatu chriſtianorum* lingua Germanica ſcripſit, anno MDCCVI. Lipſiae recuſum. Singulorum enim ſtatuum ſecundum indolem veri chriſtianiſmi emendatio & correctio inter praecipuos prudentiae chriſtianae & eccleſiaſticae merito referenda eſt fructus, quanquam ſubinde & alia adſpergat, quae noſtram mirifice illuſtrare tractationem poſſunt.

§. XIII.

Sed vt nos quoque paucis, iisque luculentis, praeceptionibus viam ad chriſtianam theologicamque prudentiam pandamus, & ita perficiamus, quae de morum doctrina iuxta diſciplinam chriſtianorum tradere incepimus, primo generatim de prudentia, tum chriſtiana, tum paſtorali, dicemus, & ad huius deinde partes praecipuas ſigillatim explicandas, deſcendemus.

CAPVT PRIMVM
DE
PRVDENTIA CHRISTIANA.

Σύνοψις.

Quaenam generatim ad prudentiam requirantur? §. I.
In ſpiritualibus quoque primo ad finem reſpiciendum eſt, §. II.
qui duplici ratione conſiderari poteſt, tum ratione ſtatus, in quo homines conſtituti ſunt, §. III.
tum ratione ſingularum actionum, §. IV.
Colligitur hinc, ſi plura bona ſe offerant, quaenam aliis ſint praeferenda, §. V.
Quotuplici ratione contra primam hancce prudentiae regulam peccetur? §. VI.
Prudentiae porro eſt, vt quis ſeipſum exploret, an ad finem aliquem obtinendum ſit idoneus? §. VII.
idque etiam in ſpiritualibus ita ſe habet, §. VIII.
vbi pro functionum diuerſitate, magna quoque donorum eſt varietas, §. IX.
Sunt ea vel miniſtrantia, vel ſanctificantia & illa vel extraordinaria, vel ordinaria, §. X.
haec vel a natura originem habent, vel a gratia, adeoque cum ſanctificantibus indiuulſo nexu ſunt coniuncta, §. XI.
quaenam ad priorem claſſem pertineant, §. XII.
quaenam ad poſteriorem, §. XIII.
Dona haecce rite inter ſe comparanda, & tum, num quis iis, quae ad finem conſequendum neceſſaria ſunt, inſtructus ſit, diſpiciendum, §. XIV.
Prudentiae denique eſt, de mediis, quibus finis obtineri poteſt, eſſe ſollicitum, §. XV.
vt eligantur media apta, & ſufficientia, §. XVI.
faciliora praeferantur difficilioribus, §. XVII.
tutiora minus tutis, §. XVIII.
Singularum hinc circumſtantiarum habenda eſt ratio, praeſertim circumſtantiae quis? §. XIX.
item, temporis, §. XX.
& loci, §. XXI.

impedi-

Digitized by Google

impedimenta quoque, quae obſtant, quo minus finis obtineri queat, ſunt remouenda: quid facto opus, ſi ſint inſuperabilia? §. XXII. ſi ſint ſuperabilia, & a nobis ipſis oriantur, §. XXIII. ſi ab aliis oriantur, §. XXIV.

§. I.

QVi prudentiae laudem conſequi cupit, ad tria cumprimis vbique attendere debet: primo, vt finem legitimum, & qui reuera commodum aliquod adferat, ſibi proponat; tum vt vires ſuas exploret, diſpiciatque, num ſufficiant ad finem iſtum conſequendum; & denique, vt media apta ad finem iſtum conſequendum adhibeat, non minus tamen de obſtaculis & impedimentis remouendis ſit ſollicitus. Atque ita ſe res quoque habet cum prudentia chriſtiana.

§. II.

Ad finem nimirum quod attinet, res ipſa docet, in ſpiritualibus quoque eligenda eſſe, quae ſunt optima & maxime conducibilia, docente ipſomet Paulo apoſtolo, *1 Cor. XIV, 1.*

§. III.

Qua de re vt recte ſtatuatur, obſeruandum, finem duplici ratione in chriſtianis conſiderari poſſe, tum quoad ipſum illorum ſtatum, tum quoad ſingulas actiones. Quoad ſtatum illorum ſi ſpectetur, finis proximus eſt reſtauratio imaginis diuinae per fidem in Chriſtum, *Epheſ. IV, 24.* ſeu, quod eodem recidit, fidei vitaeque ſpiritualis conſeruatio, corroboratio atque augmentum, *Epheſ. III, 16. 1 Petr. V, 10. 2 Petr. III, 18.* Ad huncce finem ſi ſerio homines contendant, per accidens inde commoda quoque varia ad vitam externam & ciuilem redundant,* ſi cuncta ſcilicet ad indolem veri chriſtianiſmi inſtituantur atque emendentur.

* Pleraque enim vitae externae & ciuilis, immo ipſorum ſtatuum, incommoda ex prauis hominum adfectibus oriuntur. Hi ergo quo magis emendantur, eo facilius etiam incommoda externa ſuperantur, aut, qui in variis ſtatibus hominum culpa deprehenduntur naeui, corriguntur. Exempla ſuppeditabit VITVS LVDOVICVS SECKENDORFIVS, libro ſupra iam laudato, de *ſtatu chriſtianorum.* Vnde patet, genuinam prudentiam ciuilem ſine prudentia chriſtiana eſſe non poſſe, ab ea tamen recte diſtingui, cum prudentia chriſtiana per ſe emendationem ſtatuum ad huius vitae felicitatem non intendat, quod facit prudentia ciuilis.

§. IV.

Finis ſingularum actionum, ſecundum prudentiae leges, ad finem priorem ſemper eſt referendus, vt ceu bonum eligatur, quod cum priori fine ceu generali conuenit, quod non conuenit ſeu repugnat, ceu malum reiiciatur. Hinc prudentiae chriſtianae lex generalis: πάντα

πρὸς

Digitized by Google

πρὸς οἰκοδομήν, tum in nobis ipſis, tum in aliis. conf. *1 Cor. VI, 12. XIV, 1. 12. Coloſſ. III, 2.*

§. V.

Atque hinc diiudicare licet, quaenam bona vera ſint, quaenam apparentia, quae a ſe inuicem diſcernere, vel maxime prudentiae opus eſt. Quae enim generalem iſtum & praecipuum finem reuera promouent, vera etiam bona ſunt; de reliquis autem aliter eſt pronunciandum conf. *Luc. XII, 16. 20.* Sed tamen cum bona, quae chriſtianis ſe offerunt, & circa quae ſubinde illis verſandum eſt, inter ſe comparata, alia aliis maiora ſint aut minora, certa alia, alia incerta, alia facilius aut difficilius obtineri queant, prudentiae eſt, maiora minoribus, incertis certa, praeferre. *Matth. XIII, 44. 45. 46. XVI, 26. 1 Tim. VI, 17.* Quae facilius obtineri poſſunt, tum demum praeferenda illis ſunt, quae difficilius obtinentur, ſi haec in ſe quoque ſpectata nulla ratione fuerint praeſtabiliora. Ceteroquin enim, ne difficultate bonum praeſtabilius obtinendi, nos deterreri patiamur, prudentia ſuadet. conf. *Matth. VII, 13. 14.*

§. VI.

Ex hactenus dictis ſequitur, imprudenter agere, qui nullum certum finem vitae ſibi proponunt, qui non legitimum & optimum ſibi proponunt, qui bona apparentia veris, minora majoribus, incerta certis praeferunt, qui finem, quem ſibi propoſuerunt, ſerio non concupiſcunt, nec conſtanter conſectantur, & quae reliqua ſunt eiusdem generis. *

* De imprudentia hominum, legitimum finem ſibi non proponentium, eleganter diſſerit HIERONYMVS CARDANVS, in *arcanis prudentiae ciuilis*, *p.* 50. *ſeqq.* quae haud inconcinne ad prudentiam chriſtianam, ſeu ſpiritualem, adplicari poſſunt.

§. VII.

Circa finem ergo ſi quis ita ſe gerat, prout prudentia ſuadet, tum porro requiritur, vt ad ſeipſum attendat, & num iis viribus inſtructus ſit, diſpiciat, quibus inſtructus eſſe debet, qui finem aliquem rite conſequi cupit. * Imprudentiae enim documentum eſt certiſſimum, ſi quis opus, quod vires ſuas ſuperat, adgrediatur. Conatibus namque euentus reſpondere nequit. conf. *Luc. XIV. 28. ſeqq.*

* Hoc ratio aperte docet, & intellexit quoque SENECA, hac de re ita praecipiens: *inſpicere autem debemus primum nosmet ipſos, deinde, quae adgredimur negotia, deinde, quorum cauſſa, aut eum quibus agendum eſt. Ante omnia neceſſe eſt ſeipſum aeſtimare, quia fere plus nobis videmur poſſe, quam poſſumus. Alius eloquentiae fiducia prolabitur, alius patrimonio ſuo plus imperabit, quam ferre poſſit, alius infirmum corpus laborioſo oppreſſit officio. Quorundam parum idonea eſt verecundia rebus ciuilibus, quae primam frontem deſiderant, quorundam contumacia non facit ad aulam, &c. de tranquill. animi, cap.* 4. Recte quoque idem monet, vires noſtras comparandas eſſe cum rebus, quas adgredimur. *Aeſtimanda*

manda ſunt, inquit, *ipſa, quae adgredimur, & vires noſtrae cum rebus, quas tentaturi ſumus, comparandae. Debet enim ſemper plus eſſe virium in vectore, quam in onere. Neceſſe eſt opprimant onera, quae ferente maiora ſunt, &c. l. c. cap. 5.* Principia haecce prudentiae ſunt vniuerſalia, quae ad quaeuis negotia, tum ciuilia, tum ſpiritualia, facile adplicari poſſunt.

§. VIII.

Sequitur inde, ad ſpiritualia parum prudenter ſe accingere, qui viribus gratiae non ſunt inſtructi. Iis vero cum homines irregeniti deſtituantur, inepte eos agere, manifeſtum eſt, ſi ea ſuſcipiant, aut ſibi vindicent, quae chriſtianorum, hoc eſt, hominum gratia diuina inſtructorum, ſunt propria. conf. *1 Cor. II, 14. ſeqq.*

§. IX.

Sed cum functionum & actionum, quae a regenitis requiruntur, magna ſit diuerſitas, & varia quoque ac diuerſa ſint dona, per quae quidam ad has, alii ad alias, apti redduntur, *1 Cor. XII, 4. 5.* ſequitur, vnumquemque ſuas explorare vires accurate prius debere, quam munus aliquod ſpeciale ſuſcipiat, aut functionem quandam ſibi imponi patiatur, num ad ea, quae ſibi adminiſtranda ſunt, idoneus ſit, & viribus ſufficientibus polleat. Hoc ſi non faciat, imprudentiae notam non effugiet.

§. X.

Dona, quibus ad certum munus in eccleſia obeundum aliquis aptus redditur, *miniſtrantia* vocari ſolent: a quibus *ſanctificantia* diſcernuntur, quae hominibus obtingunt, vt in vitae ſanctitate proficiant. Miniſtrantia vel *extraordinaria* ſunt, quae in primitiua eccleſia locum habuerunt, & de quibus Paulus apoſtolus agit, *1 Cor. XII, & XIV*, vel *ordinaria.* Non de illis, ſed de his nobis ſermo eſt, cum ex prudentiae praeſcripto poſtulamus, ne quis munus ſuſcipiat, cui adminiſtrando vires eius non ſufficiant.

§. XI.

Sunt autem dona miniſtrantia non vnius generis. Nonnulla namque a natura originem habent, & in irregenitis etiam deprehenduntur, in regenitis autem per Numinis diuini gratiam ſanctificantur, & ad legitimum vſum diriguntur. Alia autem, cum donis ſanctificantibus, nexum adeo neceſſarium habent, vt ſine illis eſſe nequeant, ideoque tantum in regenitis locum habent.

§. XII.

Ad priorem claſſem pertinent * ratione intellectus, omnes vires ac virtutes ingenii, iudicii, memoriae, quibus alii aliis praeſtant; ratione voluntatis, omnes virtutes naturales & politicae, ** per exercitationem

Digitized by Google

tationem, conſuetudinem, aliasue cauſſas comparatae, prout hiſce aliis inſeruire & illorum commoda promouere poſſumus; omnes praeterea habitus induſtria & exercitatione acquiſiti, vt linguarum artiumque vtilium peritia, eloquentia, & quae reliqua ſunt eiusdem generis; inmo corporis quoque vires, prout hiſce ad certum munus obeundum aliquem inſtructum eſſe decet.

* Quod haecce dona a natura originem habeant, vel inde patet, quod e. g. praeſtans ingenium, memoria felix, & reliqua, etiam in gentilibus, Turcis, Iudaeis, deprehenduntur. Horum ergo donorum omnes homines ſunt capaces. In regenitis autem ſanctificantur, & ad bonum finem diriguntur, iuxta ea, quae *part.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 1. §. 36. 37. alibique, diximus. Haec etiam, vt & reliqua dona, prout generatim in quibusuis chriſtianis ſpectantur, *miniſtrantia* vocamus, quia per ea non tantum ad certas functiones, ſed & ad officia quaedam aliis praeſtanda apti redduntur.

** Cumprimis & homileticae, quas vocant, modo illae intelligantur, quae hoc nomine dignae ſunt, quae circa decorum verſantur, & quarum non tantum in vita ciuili, ſed & chriſtiana, in commodis praeſertim aliorum, immo totius eccleſiae promouendis, vſus longe maximus eſt. *Phil.* ,v, 8. conf. *elem. philoſ. pract. part.* 3. *cap.* 5. *ſect.* 1. §. 8. *ſeqq.*

§. XIII.

Ad poſteriorem claſſem pertinent ea, quae ſpiritus ſancti gratiam inhabitantem in regenitis ſupponunt, vt, ſapientia & prudentia ſpiritualis, quae cum diſcretione, ſeu *δοκιμασία*, ſpirituum coniuncta eſt, *1 Ioan. IV, 1.* item omnes virtutes chriſtianae, prout regenitis ſunt propriae, ſed ſimul aliorum vſibus inſeruiunt, & ad exercitium ſacerdotii ſpiritualis, omnibus chriſtianis conuenientis, comparatae ſunt. *1 Petri II, 9.* conf. *1 Tim. III, 2.*

§. XIV.

Prudentiae eſt, primo dona haecce rite inter ſe comparare, tum ſeipſum accurate explorare, ne quid ſuſcipiamus, ad quod peragendum dona nobis neceſſaria, deſint. Comparamus ea rite inter ſe, ſi ſanctificantium praecipue habeatur ratio, iuxta monitum Pauli, *1 Cor. XIII, 1. 2. 3.* tum & miniſtrantium, *1 Cor. XIV, 1.* ea quidem ratione, vt quae vtiliora ſunt, & ad aedificationem magis faciunt, praeferantur reliquis. Tum vero, quibus quisque inſtructus donis ſit, accurate diſpicere debet, idque cumprimis intuitu functionis aut muneris, quod illi ſubeundum eſt.

§. XV.

Et haec quidem omnia ſi rite ſe habeant, de mediis ipſis ſollicitum eſſe oportet, qui rite ſuis conſulere rebus cupit. Haec vero vt ex cuiusque negotii indole petenda, ita, quae circa eorum electionem & vſum tradi ſolent, prudentiae monita neutiquam ſunt negligenda.

§. XVI.

Nimirum res ipſa docet, eligenda eſſe ex prudentiae praeſcripto media apta & ſufficientia. conf *1 Cor. IX, 24. ſeqq. Phil. III, 14.* Stultitiae itaque & imprudentiae notam non effugiunt, qui finem conſequi volunt ſine mediis, qui victoriam optant, nec tamen pugnare fortiter volunt, *2 Tim. II, 5.* qui media equidem adhibent, ſed inepta, aut qui media apta eligunt, at non ſufficientia, nec iis rite & conſtanter vtuntur. Quae omnia vt in ciuilibus hominum negotiis poſita ſunt extra controuerſiam, ita in ſpiritualibus itidem locum inueniunt.

§. XVII.

Faciliora quoque media praeferenda ſunt difficilioribus, modo faciliora iſta reuera ſufficiant. Ceteroquin in ſpiritualibus difficultate rei nemo deterreri debet, quo minus ſtrenue in coepto ſemel certamine, pergat, vt iam antea * monuimus. conf. *Matth. XI, 12. Ebr. XII, 1.* Vt autem intelligatur, quaenam media faciliora, quaenam difficiliora ſint, non tantum media inter ſe, ſed & cum fine ſunt comparanda.

* §. 5. huius capitis.

§. XVIII.

Tutiora media praeferenda eſſe minus tutis, itidem prudentia ſuadet. Nec tamen fingendum eſt periculum ſine neceſſitate, quem ignaui hominis characterem ponit rex ſapientiſſimus Salomo, *Prouerb. XXII, 13.* In prudentia eccleſiaſtica haecce regula vim ſuam maxime exerit: ſequiturque ex ea, vetera & vſitata praeferenda eſſe recentibus, ſi ex his periculum metuendum ſit. Interim tamen noua quoque, ſi meliora & praeſtabiliora ſint, & periculo careant, praeferri etiam debent vſitatis & receptis. *.

* Si enim vetera ſemper & ſine diſcrimine praeferenda eſſent nouis, nec Chriſtus corrigere Iudaeos debuiſſet, nec Lutherus pontificios. Non itaque quae noua ſunt, ſtatim vt noxia, periculoſa, & minus tuta reiicienda, ſed cuncta prius accurate exploranda, & quae vtilia ſunt, & neceſſaria, retinenda, ſiue vetera ſint, ſiue noua.

§. XIX.

Cumprimis prudentiae quoque chriſtianae eſt, ſingularum circumſtantiarum vbique diligenter habere rationem. * Pro harum enim diuerſitate vna eademque res, mox noxia, mox vtilis & ſalutaris fieri poteſt. Quae viris, hominibusque adultis proſunt, non ſtatim conducunt infantibus. In hoc vero diſcrimine & ratione fidei conſtitutos eſſe homines, conſtat, vid. *1 Cor. III, 1. 2. Ebr. V, 13. 14. 1 Ioan. II, 13. 14.* Quod recte & prudenter ſuſcipitur, ſi cum ſubditis nobis res ſit, non eandem ſtatim laudem meretur, ſi cum magiſtratibus & imperantibus ſummis

ſummis nobis negotium intercedat. Quae ethnicis ad externam vitae honeſtatem vtcunque conſeruandam proderunt, inutilia ſunt chriſtianis, melioribus praeſidiis inſtructis; & ſic porro.

* Solent a nonnullis prudentiae generatim ſpectatae quatuor partes ſeu proprietates conſtitui, *attentio, circumſpectio, prouidentia & diſcretio.* Dixi hac de re in *elem. philoſ. pract. part.* 1. *cap.* 4. §. 73. *ſeqq.* Quae quo pacto ad prudentiam eccleſiaſticam accommodari queant, oſtendit IO. HENRICVS REITZIVS, in *prudentia eccleſiaſtica, cap.* 11. *ſeqq.* Nec ratione, aut fundamento, qui ita incedunt, deſtituuntur. Vtique enim prudentis viri eſt, *attendere*, tum ad omnia, tum maxime ad ſcopum & finem, & hinc normam atque menſuram actionum ſuarum depromere; eiusdem eſt, circumſtantiarum omnium habere rationem, quod *circumſpectionis* eſt; euentum quoque actionis, & quid ex ea tum ſibi tum aliis futurum ſit, proſpicere debet, quod eſt *prouidentiae*; denique & bona a malis, noxia a profuturis diſtinguere debet, quod eſt *diſcretionis*. Haec autem omnia, etſi certo modo, & quoad finem, & quoad conditionem eius, qui aliquid perficere adgreditur; & quoad media locum habeant, ſpecialiori tamen ratione *attentio* ad finem, & ad conditionem eius, qui aliquid adgreditur, *diſcretio* ad media pertinet, *prouidentia* ad obſtaculorum remotionem, & *circumſpectio* ad ſingularum circumſtantiarum conſiderationem; quae tamen ſimul ad media referimus. Et ita quidem prudentiae iſta requiſita iuxta noſtram quoque tractandi rationem vim ſuam exerent, ſpeciatim *circumſpectio*, quae ſingularum circumſtantiarum accurate rationem habet. Nec tantum, cum de bonitate aut prauitate actionis quaeritur, circumſtantiarum in cenſum venit conſideratio, qua de re ſupra dictum, *cap.* 1. *part.* 2. §. 33. *ſeqq.* ſed vel maxime etiam, cum de actione ad prudentiae praeſcriptum componenda, conſultatio inſtituitur. De ſingulis circumſtanti[illegible] diſſerit IO. HENRICVS REITZIVS. *l. c. cap* 11. 12. *ſeqq.*

§. XX.

Non minus vero & in chriſtiana, quam ciuili prudentia *temporis* & *loci* habenda eſt ratio. Et *temporis* quidem, vt eo tempore, quo hoc quam facillime fieri poteſt, opus conuerſionis ſuſcipiamus. Quo citius autem hoc ſuſcipimus, eo rectius, eo facilius illud procedit. Omnis hic periculoſa mora eſt. conf. *Actor. XXIV, 25.* Vnde ſtultitiae arguuntur merito virgines ab ipſo ſeruatore, quae tempus opportunum intrandi ad nuptias, ignauia ſua neglexerunt. *Matth. XXV, 1. 2. ſeqq.* Sed in toto quoque vitae chriſtianae curſu temporis habenda ratio, ne vllam occaſionem proficiendi in bono, & peragendi, quae noſtri ſunt officii, praetermittamus, iuxta monitum Pauli: ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν *Epheſ. V, 16.* Speciatim id opera danda, vt parati ſimus ad quaeuis ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ *Epheſ. VI, 13.* Denique, ſi quid agendum, ſi quid dicendum eſt, quo aliorum promoueatur ſalus, temporis & occaſionis habenda ratio, quae ſola ſubinde efficit, vt euentum felicem, quae ſuſcipimus, ſortiantur, *Prouerb. XXV, 11.** Hinc εὐκαιρία, ſeu *tempeſtiuitas*, prudentiae verae aut filia, aut comes inſeparabilis, a viris ſapientibus merito praedicatur.**

* Nihil frequentius in ſcholis politicorum, nihil ſaepius inculcatur, quam, occaſionem non praetermittendam, eam fronte capillatam eſſe, tempori inſeruiendum, & quae reliqua ſunt

ſunt eiusdem generis. Quae quidem in ſe ſpectata, prudentiae ſunt axiomata, longe veriſſima. Nec reiicienda, quod iis ad mala perpetranda homines ſaepius abutantur. Immo annitendum potius, vt iisdem ad bona quaeuis promouenda vtamur. Filios enim lucis non minus prudentes eſſe decet, quam filios huius ſeculi, *Luc.* XVI. 8.

** Opponitur ei ἀκαιρία, de qua THEOPHRASTVS, in *characteribus morum*, *p.* 38. *ſeqq.* ad quem locum conferendus omnino ISAACVS CASAVBONVS, *p.* 256. *ſeqq.*

§. XXI.

Sed *loci* quoque habenda eſt ratio, idque tum maxime, cum nobis res eſt cum aliis hominibus, cum non perinde ſit, num publice aliquid an priuatim fiat, num in conſpectu aliorum hominum, an ſeorſim. conf. *Matth. VI, ſ. 6.* Quae priuatim innocenter ſaepius ſuſcipiuntur, ſcandalo non carent, cum fiunt publice: ſcandala autem quaeuis euitare, cuiusuis intereſt magnopere, idque charitas non minus, quam prudentia, requirit. conf. *1 Cor. XI, 22.*

§. XXII.

Prudentiae denique eſt, non tantum adhibere media ad finem conſequendum idonea, ſed ea quoque, quae obſtant, quo minus eius compotes fieri queamus, ſolerter remouere. * Diſpiciendum tamen, num ſuperabile ſit obſtaculum, an inſuperabile. Si hoc ſit, prudentiae erit, circa eius remotionem fruſtra non laborare. Quod ſi hoc tempore inſuperabile ſit, commodius & opportunius expectandum tempus, quo forte ſuperari atque remoueri poteſt. conf. *Actor. XVI, 6. 7. Matth. X, 14.* Interim cauendum, ne in iis, quae Deus omnibus hominibus promiſit, quaeue ad illorum ſalutem ſpectant, illis, qui media a Deo praeſcripta legitime vſurpant, quidnam inſuperabile, aut ἀδύνατον nobis eſſe perſuadeamus. Quae enim ἀδύνατα ſunt apud homines, non ſunt ἀδύνατα apud Deum. *Luc. I, 37. Matth. XIX, 26. Pſalm. CXXXV, ſ. 6. Epheſ. I, 19. Phil. IV, 13. 1 Ioan. V, 4.*

* Hoc ſpeciatim prouidentiae proprium eſt, iuxta ea, quae diximus ad §. 19.

§. XXIII.

Quodſi ſuperabile ſit obſtaculum, tum porro diſpiciendum, num difficultas, quae adeſt, forte a nobis ipſis, an ab aliis hominibus, quibuscum nobis res eſt, aut quorum nobis vtendum eſt opera, procedat. Namque plurima & maxima obſtacula ab ipſis hominibus, qui finem aliquem conſequi cupiunt, eorumque aut ignorantia, aut prauis adfectibus oriuntur. * Hinc eſt, quod plurimi aliquid ideo ἀδύνατον iudicent, quod ipſi reuera, ac ſerio ea agere nolint, quae poterant ac debebant. Horſum & id pertinet, quod alia ſimul agant, nec dimittere illa velint, quae cum opere primario non bene conſiſtunt. conf. *Matth. VI, 24. 2 Tim. II, 4.*

* Immo

* Immo ſaepius etiam contingit, vt homines pii, zelo intempeſtiuo, vel alio quodam in ſe minime malo adfectu, abrepti, talia ſuſcipiant, quibus ſine neceſſitate grauiſſimas ſibi attrahunt calamitates, euangeliique curſum, aut regni diuini amplificationem impediunt, atque ſufflaminant. Quod quia imprudenter ab illis fiat, dubium non eſt. Suntque omnino, qui omnem fere prudentiae eccleſiaſticae vim & neruum in eo conſtituunt, (nimis tamen arctis limitibus hoc ipſo eam circumſcribentes) vt quis actus ſuos & adfectus omnes, etiam bonos, ita moderetur, ne incommodum aliquod aut ſibi aut eccleſiae attrahat, & adeo incremento regni Chriſti obſtaculum ponat. Huc tota tractatio IO. HENRICI REITZII comparata eſt, de *prudentia eccleſiaſtica*, qui & ideo *cap.* 4. §. 12. prudentiam eccleſiaſticam ita depingit: *haec ſpecialior, apoſtolis, quin cunctis chriſtianis, demandata prudentia eccleſiaſtica vult, vt omnes noſtras virtutes & adfectus, pietatem, manſuetudinem, facilitatem, odium, iramque adverſus peccata, externum habitum, geſtus ac mores, vno verbo, quidquid amoris Dei & proximi impulſu vel omittimus, vel agimus, ita moderemur, ne Dei nomen profanetur, nec proximus arrepto ſcandalo a vera fide auertatur, inque nos arietet, ſed potius ſub ζυγὸν χρηστὸν iugum leve ac mite ſaluatoris noſtri flectatur.* Atque huc refert etiam *ſerpentinam* illam *prudentiam*, a Chriſto ſeruatore commendatam, *Matth. X*, 16. ſimulque *cap.* v. in genuinum dicti huius ſenſum inquirit.

§. XXIV.

Si vero obſtaculum ab aliis oriatur, opera danda, vt per media honeſta, legitima, ſpiritui & indoli chriſtianae religionis conuenientia vincantur, aut in noſtras trahantur partes. vid. *Actor. VIII*, 9. 10. Hic vero notitia & exploratio animorum, & latitantium adfectuum, vtramque facit paginam. Fluit vero hinc quod prudentiae etiam ſit, omnium genio, quantum illaeſa conſcientia fieri poteſt, ad bonum illorum ſpirituale promouendum, ſe accommodare, quippe qua maxima ſaepius remoueri obſtacula poſſunt, idque ad exemplum Pauli, *1 Cor. IX*, 19. 20. 21. * *ſeqq.* conf. & *Actor. XXI*, 20. 21. *ſeqq.*

* Verba apoſtoli ſunt: *cum enim ab omnibus liber eſſem, omnibus me mancipaui, quo plures lucrarer. Fuique Iudaeis, vt Iudaeus, quo Iudaeos lucrifacerem. Ex legibus, vt exlex (non quod Deo exlex eſſem, eram enim in lege Chriſto) quo exleges lucrifacerem. Fui infirmis perinde, vt infirmus, quo infirmos lucrifacerem: denique, quibusuis quiduis fui, vt omnino aliquos ſeruarem.* Quibus verbis non id ſibi vult apoſtolus, ac ſi promiſcue in omnibus, aliorum opinionibus, ingenio, moribus ſe accommodauerit, hoc enim & a prudentia, & a ſanctitate eius prorſus abhorret, multo minus, ac ſimulauerit, ſe mox cum Iudaeis, mox cum gentilibus facere, hoc enim cum eius ſinceritate pugnat. Non *mentiendo*, ſed *compatiendo*, non *ſimulantis aſtu*, ſed *commiſerationis adfectu*, omnibus omnia factus eſt Paulus, vt recte pronuntiat AVGVSTINVS, *epiſt.* 9. & 19. Neutiquam itaque in Iudaeis aut gentilibus probauit, quae erronea aut illicita erant, ſed in iis, quae ſalua pietate, ſalua veritate, fieri poterant, mox horum, mox illorum ingenio & indoli ſe magis accommodauit. Quo ipſo conſummatae nobis prudentiae citra controuerſiam, exemplum reliquit. Falluntur autem magnopere, qui in rebus illicitis ſe aliorum attemperant genio, quod ſubinde, tum in doctrina, tum in moribus, contingere poteſt. In doctrina quidem, ſi quis in chriſtianorum numerum eos recipiendos ſtatuat, qui errores cum fundamento doctrinae chriſtianae pugnantes fouent; in moribus, ſi quis in ea vitae ratione, quae cum Chriſti ſeruatoris diſciplina neutiquam conſiſtere poteſt, ſe aliorum attemperare indoli velit. Diiudicari hinc inter alia poteſt, quid de Ieſuitarum inſtituto cenſendum ſit, qui, vt Chinenſes ad Romanae eccleſiae obſequium adducant, eouſque illorum de Confutii & parentum mortuorum cultu, ſententiae ſe attemperant, ut talia admittant, quae cum religionis chriſtianae fundamentis e diametro pugnant. Quo ipſo pſeudo-prudentiae eccleſiaſticae exemplum luculentiſſimum praebent. conf. quae dixi in *diſſert. de ſuperſtitioſo mortuorum apud Chinenſes cultu, in*

ante-

analect. hiſt. philoſ. p. 263. ſeqq. Nec imitantur hac in re Paulum, ſed eius exemplum vel maxime deſerunt. Id quod de illis dicendum, qui quoad vitae rationem a recto tramite diſcedunt, etſi hoc ſub praetextu alios lucrandi fiat. Quo pacto autem legitima ratione miniſter eccleſiae, in omnibus miniſterii ſui partibus, omnibus omnia fieri queat, pluribus ediſſerit IO. ANDREAS SCHMIDIVS, Helmſtadienſis Academiae theologus celeberrimus, in diſſertatione theologica, cui titulus: *miniſter eccleſiae omnibus omnia &c.*

CAPVT SECVNDVM

DE

PRVDENTIA ECCLESIASTICA, ET PASTORALI IN GENERE.

Σύνοψις.

IN prudentia eccleſiaſtica, & paſtorali, primo ad finem eſt reſpiciendum, qui eſt aedificatio & conſeruatio eccleſiae, §. I.

Doctori itaque eccleſiae diſpiciendum, vt puritas doctrinae conſeruetur, haereſes repellantur, ſchismata euitentur, & ſanctitatis ſtudium promoueatur, §. II.

Circa doctrinae puritatem conſeruandam, quid ex prudentiae praeſcripto, obſeruandum? §. III.

item circa haereſes, tum repellendas, §. IV.

tum, ſi latitent, detegendas, §. V.

praeterea, circa euitanda ſchiſmata, §. VI.

& ſanctitatis ſtudium promouendum, §. VII.

Prudentiae eſt, in his omnibus non tantum totius eccleſiae, ſed & ſingulorum eius membrorum habere rationem, §. VIII.

Ex fine miniſterii eccleſiaſtici intelligitur quoque eius dignitas, §. IX.

Qui ergo eodem rite fungi cupit, ſeipſum explorare oportet, num dotibus ad eiusmodi munus neceſſariis, qua intellectum & voluntatem inſtructus ſit? §. X.

Quod ad intellectum attinet, oportet eum eſſe διδακτικόν, *§. XI.*

quorſum & naturales ingenii vires pertinent, §. XII.

& eruditio, ſtudio acquiſita, §. XIII.

ſpeciatim, accurata diuinarum litterarum notitia, §. XIV.

quae ea, qua decet, ratione tractandae, §. XV.

Quaenam hic quoad finem obſeruandae prudentiae regulae? §. XVI.

itemque quoad media, quibus eruditio comparatur, §. XVII.

Facultate quoque, veritatem perſpicue proponendi, eccleſiae doctorem inſtructum eſſe oportet, §. XVIII.

nec expertem donorum ſpiritualium, ſtricte ſic dictorum, quae ad intellectum pertinent, §. XIX.

Sed ratione voluntatis quoque iis debet ornatus eſſe virtutibus, quae ad munus hocce legitime adminiſtrandum requiruntur, §. XX.

Irreprehenſibilis namque, iuxta Pauli praeſcriptum, eſſe debet, §. XXI.

caſtitati deditus, §. XXII.

ſobrius, §. XXIII.

modeſtus, decori ſtudioſus, ac hoſpitalis, §. XXIV.

alienus contra ab omni intemperantia, contendendi pruritu, & auaritia, §. XXV.

vt domui quoque ſuae rite praeſit, neceſſe eſt, §. XXVI.

neque ſit νεόφυτος, *§. XXVII.*

qui denique ab exteris etiam, ſeu eccleſiae hoſtibus, honeſtae vitae teſtimonium referat, §. XXVIII.

qui hiſce requiſitis inſtructus non eſt, & nihilo ſecius munus ſacrum ſuſcipit, non tantum contra leges diuinas peccat, ſed & imprudenter agit, §. XXIX.

Legitimum etiam affectuum regimen, in eccleſiae doctore requiritur, ſpeciatim, ne circa zelum & manſuetudinem, aut in exceſſu, aut in defectu, peccet, §. XXX.

Zelus

Zelus omnino, ſed diuinus ac laudabilis, in doctore eccleſiae adeſſe debet, §. *XXXI.*
Vt autem intelligatur, quis diuinus aut carnalis, laudabilis aut vituperabilis ſit, ad principium eius eſt attendendum, §. *XXXII.*
item, ad obiectum, §. *XXXIII.*
vt & ad proportionem, quae inter illum & obiectum intercedit, *XXXIV.*
denique, ad modum, quo ſe tum in verbis, tum in factis exſerat: item, an vniformis ſit? §. *XXXV.*
Non minus in eccleſiae doctoribus laudanda quoque eſt manſuetudo, §. XXXVI.
Sed vt manſuetudo laudabilis a vituperabili lenitate diſcernatur, itidem ad principium eius attendendum eſt, §. XXXVII.
vt & ad obiectum, §. XXXVIII.
item, ad proportionem inter eam & obiectum, legitimumque eius & zeli temperamentum, pariter ac ad eius vniformitatem, §. *XXXIX.*
Decori porro obſeruans eſſe debet eccleſiae doctor, *XL.*
quaenam ſpeciatim circa ſermonem, geſtus, veſtitum, obſeruanda, §. *XLI.*
Aetatis quoque in eo habenda ratio, §. *XLII.*
& corporis, ne inſigni quodam vitio laboret, §. *XLIII.*
Si omnibus requiſitis, ad munus ſacrum adminiſtrandum neceſſariis, inſtructus & rite vocatus fuerit eccleſiae doctor, de mediis quoque, quibus finis obtineri queat, ſollicitus eſſe debet, eaque generatim indicantur, §. *XLIV.*
vt & de obſtaculis remouendis, praeſertim iis, quae a magiſtratibus quandoque oriuntur, §. *XLV.*
aut ab illis, circa quorum emendationem occupatur, §. *XLVI.*

§. I.

QVae de prudentia chriſtiana diximus, ſpecialiori quadam ratione in prudentia eccleſiaſtica & paſtorali* locum inueniunt. Namque & hic primo ad finem reſpiciendum, qui eſt, vt iam ſupra diximus, aedificatio eccleſiae. Huc itaque omnis paſtorum, doctorumque eccleſiae cura tendere debet, vt nondum conuerſi, conuertantur, & ita per Chriſtum Deo reconcilientur, *2 Cor. V, 20.* quo ipſo praeparantur, vt lapides fiant aedificio ſpirituali eccleſiae accommodati, *1 Petr. II, 5.* tum vero, vt qui conuerſi ſunt, in fide conſeruentur, augeantur, & creſcant, *Ephef. III, 16. 17. IV, 12. 13.*

* Vt diſcrimen, quod inter prudentiam chriſtianam & eccleſiaſticam intercedit, recte capiamus, obſeruandum eſt, pro diuerſis hominum ſtatibus, ſiue abſolutis, ſiue ex certis ſocietatibus, in quibus degunt, ortis, diuerſas eſſe prudentiae ſpecies, quae tamen rite ſibi inuicem debent ſubordinari. Secundum rationem itaque ſi homo conſideretur, idemque & vt homo, vt ciuis, vt maritus, pater, caput familiae ſpectari poſſit, & vero quilibet ſtatus certis regulis conſeruari debeat, totidem prudentiae inde oriuntur ſpecies, vt pluribus dictum, in *elem. philoſ. pract. part. 3. cap. 1. §. 3. ſeqq.* Sed in hiſce omnibus ita verſandum, vt vitae chriſtianae cumprimis habeatur ratio: quod ſi non fiat, prudentia non humana erit, ſed carnalis, ſed diabolica, immo ſtultitia potius, quam prudentia. Homines autem chriſtiani iterum duplici ratione conſiderari poſſunt, vel abſolute, vel relatiue, prout ſunt membra eccleſiae. Si abſolute ſpectentur, prudentia eorum eo tendit, vt rite omnia ea adhibeant media, quibus ſuam aedificationem promouere, adeoque in vita ſpirituali, remotis obſtaculis internis & externis, proficere queant. Hanc prudentiam nos ſpeciatim *chriſtianam* dicimus, deque ea *cap. praecedent.* egimus, etſi illuſtrationis cauſſa, quaedam adiecta ſint, quae ſpecialiori quadam ratione ad prudentiam eccleſiaſticam pertinent. Alii eam *ſpiritualem* & *coeleſtem* vocant, *chriſtianae* contra pruden-

tiae voce eam inſignientes, quam nos *eccleſiaſticam* vocamus, quod facit IO. HENRICVS REITZIVS, in *prudentia chriſtiana cap. 3. pag.* 10. Conſiderari nimirum porro quilibet chriſtianus poteſt, prout eſt membrum eccleſiae, & hinc ad eccleſiae ſtatum conſeruandum, eiusque felicitatem promouendam, obligatus eſt. Idque ea ratione, vt omnes vires potentiamque, quam ex ſtatu etiam ciuili, aut aliunde habet, eo conferat, ſed obſeruatis iterum prudentiae regulis, vt id, quod eccleſiae reuera conducit, aut vtile eſt, obtineat. Et hanc quidem prudentiae ſpeciem *eccleſiaſticam* vocare licebit, in generaliori quadam ſignificatione, vt adeo ea ab omnibus chriſtianis, in quocunque ſtatu conſtituti ſunt, requiratur. Sic & a principibus ſeu imperantibus prudentia non tantum politica aut ciuilis, nec tantum chriſtiana ſeu ſpiritualis, ſed & *eccleſiaſtica* requiritur, vt, pro muneris a Deo ſibi impoſiti ratione, eccleſiae res promoueant, eiusque ſtatum conſeruent. Quo ſenſu de prudentia eccleſiaſtica principum, & magiſtratus ciuilis, prolixe & ex inſtituto agit NICOLAVS VEDELIVS, de *prudentia vet. eccleſ. lib. 2. per integr. pag.* 129. *ſeqq.* Et poſſent ſane hac ratione, quot hominum fere in republica ſunt ſtatus, tot prudentiae eccleſiae ſpecies conſtitui. Sed, cum de his omnibus praecipere prolixum nimis minus etiam neceſſarium foret, ſufficit exemplo miniſtrorum, doctorumue eccleſiae, oſtendere, quo pacto praecepta generalia ad eos commode applicari queant. His itaque nunc ſpeciatim prudentiam eccleſiaſticam tribuimus, quo muneris eorum ratio praecipuo quodam modo, vt eccleſiae curam gerant, poſtulet. Idque cum ab omnibus, ſiue in ſcholis aut academiis doceant, ſiue eccleſiis praeſint, requiratur, ad vtrosque etiam hic, ſubinde tamen in ſpecie ad eos, qui eccleſiis praeſunt, ſeu in miniſterio eccleſiaſtico conſtituti ſunt, reſpicimus; & inde prudentia haec nobis quoque *paſtoralis* dicitur.

§. II.

Vt hicce finis, aedificatio ſcilicet, & conſeruatio eccleſiae, rite obtineatur, neceſſe eſt, vt doctrinae puritas conſeruetur; adeoque haeretici, qui eam corrumpere audent, repellantur, quiue latent, in apricum producantur; vt ſchiſmata, quibus vel maxime aedificatio eccleſiae impeditur, euitentur, conſopiantur, tollantur; & denique, vt vitae ſanctae ſtudium excitetur, foueatur, promoueatur. Et hi velut fines ſpeciales ſunt, prudentiae paſtoralis & eccleſiaſticae.

§. III.

In conſeruanda doctrinae puritate, tum maxime prudentia opus eſt, cum diſputationes oriuntur, & contentiones, ne ſub ſpecie veritatis nobis imponat error,* aut ex zelo inconſulto ceu falſum reiiciatur, quod tamen verum eſt, aut ne quis ex nimio contradicendi ſtudio in alterum prolabatur extremum, adeoque incidat in ſcyllam, qui vult vitare charybdin.**

* Doctrinae puritas duplici ratione in periculum adduci poteſt: primo, ſi ipſe qui eccleſiae praeeſt, in errorem, aut falſam doctrinam approbando, aut veram reiiciendo, inducatur; deinde, ſi illis, qui errores aut falſa dogmata ſpargunt, non ea, qua decet, ratione, ſe opponat. Quo pacto ipſe ſibi ab erroribus cauere debeat, hic oſtendimus: qua ratione aliis obuiam eundum ſit, in §. *ſequenti* exponimus.

** Quod exempla TERTVLLIANI, STEPHANI papae, DIONYSII ALEXANDRINI, ARII, MARCELLI, IOVINIANI, HIERONYMI, AVGVSTINI, PELAGII, FAVSTI RHEGIENSIS, EVTYCHIS, BERENGARII, AMSDORFII, FLACII, STANCARI, aliorumque

aliorum docent, de quibus IO. FABRICIVS, in *diſſert. de ſcylla theologica*, in *amoenitat. eius theolog. p. 232. ſeqq.*

§. IV.

Boni quoque atque cordati doctoris eſt, repellere haereticos, falſosque doctores. *Ioan. X, 12. Actor. XX, 28.* * Sed & hic prudentia non minus quam fortitudine, opus eſt. Namque non omnes eodem habendi ſunt loco, nec eodem tractandi modo. Sunt qui ex ſimplicitate errant, ſunt qui errori addunt malitiam. Quidam ſeueriorem promerentur cenſuram: alios lenitate facilius in rectam viam reduxeris, magna hoc ipſo eccleſiae incommoda euitaturus, ** cum aſperiori cenſura irritati homines ſaepius deteriores fiant, plurimosque nanciſcantur ſectatores, qui aliis durius quam par erat, habiti videntur. Sed in cauſſas quoque errorum inquirere prudentia iubet, *** & ea ad errantes conuincendos adhibere argumenta, quae habita omnium circumſtantiarum ratione, ſunt quam efficaciſſima.

* Exemplum quoque hic nobis praeiuere veteres eccleſiae doctores, IRENAEVS, DIONYSIVS, ALEXANDRINVS, ATHANASIVS, BASILIVS M. alibique doctrinae orthodoxae contra quosuis haereticos propugnatores fortiſſimi. Recteque de eccleſiae doctoribus pronuntiat NICOLAVS VEDELIVS: *eſt igitur officium eorum omnium, veritatem diuinam, quae in eccleſia orthodoxa docetur, tueri, propugnare, ac ſtrenue, defendere, nec pati vt quicquam ei quocunque praetextu detrahatur. In hunc finem debet, vt Damaſum, epiſcopum Romanum feciſſe, Theodoretus commemorat:* πάντα λέγειν καὶ πράττειν ὑπὲρ τῶν ἀποστολικῶν δογμάτων, *omnia dicere & facere pro apoſtolicis dogmatis*: de *prudentia vet. eccleſ. lib. 3. cap. 5.* vbi ſimul oſtendit, quantis periculis veritatis defenſores expoſiti ſint, & quaenam contra ea adhibenda ſint media.

** Magnopere hoc nomine Atticum, Conſtantinopolitanum epiſcopum, laudat SOCRATES, *hiſt. eccleſ. lib. 7. cap. 2.* *Vir*, inquit, *praeter magnam, quae in illo fuit, eruditionem, pietate quoque ac prudentia excellens. Vnde etiam eccleſiae ſub eius pontificatu maximum incrementum cepere. Neque enim ſolum domeſticos fidei tuebatur, verum etiam haereticos admiratione prudentiae ſuae percellebat. Et eos quidem nullatenus vexare cupiebat: ſed, cum eos terrere aggreſſus fuiſſet, mitem ſe poſthaec & placitum erga ipſos oſtendebat.* Ex eodem capite Proclum quoque, eiusdem eccleſiae epiſcopum, laudat, *lib. 7. cap. 41.*

*** Res hic eodem modo ſe habet, ac in morbis, quorum, ſi cauſſae perſpectae fuerint, curatio felicius procedit. De cauſſis errorum in theologicis nonnulla dixi in *praefat.* B. FRIDER. BECMANNI *theologiae polemicae* a me praemiſſa.

§. V.

Latitantes haereticos quandoque in apricum producendos, res ipſa docet. * Qua in re tamen caute incedit vir prudens, mediamque tenet viam, ne haereſes aut erroneas opiniones aliis imputando, & vel inuitis obtrudendo, opprimat innocentes, neue rurſus a callidis & verſutis haereticis ſibi imponi patiatur.

* Exemplum praebent Nicaeni patres, qui Arianos, ambiguis locutionibus ſe inuoluentes, in apricum produxerunt, dum poſtularunt, vt filium patri ὁμοούσιον confiterentur. vid. ATHANASIVS, de *decretis ſynodi Nicaenae, tom. 1. p. 427.* THEODORETVS, *hiſt. eccleſ. lib. 1. cap. 8. pag. 28.*

§. VI.

Quantopere eccleſiae, & ſingulorum aedificationi noceant ſchismata, vel experientia quemlibet condocet. Ea vero euitare, aut ſi enata fuerint, tollere & conſopire, id vero vel maxime prudentiae opus. * Cuius rei exemplum luculentisſimum reliquit Paulus apoſtolus, cum periculoſisſimum in Corinthiaca eccleſia ortum eſſet ſchisma, *1 Cor. I. II. III.*

* Attici itidem, atque Procli, epiſcoporum Conſtantinopolitanorum, exemplo hoc comprobari poteſt, qui ſchiſma, ob iniurias, Chryſoſtomo illatas, in eccleſia Conſtantinopolitana ortum, prudentia ſua compoſuerunt. Legendus hac de re SOCRATES, *hiſt. eccleſ. lib. 7. cap. 25. & 45.*

§. VII.

Doctrinae puritas, concordiaque eccleſiae ita conſeruanda, vt vitae quoque ſanctae ratio habeatur. * Namque & hoc vel maxime ad veram aedificationem requiritur. Parumque nobis prodeſſet veritatis cognitio, niſi eidem obſequi anniteremur ex toto corde, *Rom. VI. 17.* Prudentis itaque doctoris eſt, vitae quoque ſanctitatem ſtrenue vrgere, ſed media quoque legitima, ** quibus vitae ſanctae ſtudium promouetur, proponere, & quo pacto in eorum vſu caute & prudenter verſandum, oſtendere.

* Pluribus hoc oſtendit NICOLAVS VEDELIVS de *prudentia veteris eccleſ. lib. 1. cap. c.* Rectiſſime inter alia ſcribit: *immo non ſolum religio vera tota absque vitae ſanctitate ſubſiſtere non poteſt, ſed etiam nec altera pars, quae eſt veritatis diuinae theſaurus, absque ea conſeruari poteſt, aut propagari. Denuntiat enim dominus, ſe pro iuſto ſuo iudicio priuaturum verbi ſui poſſeſſione eos, qui vitae impietate & profanitate eam temerant, & inquinant. Ecce! dies venturi ſunt, dictum Iehouae, quibus immittam famem in hanc terram, non famem habendi panis, nec ſitim aquarum, ſed audiendi verba Iehouae, &c. Amos. VIII,* 11. 12. conf. & *Apoc II,* 4. 5.

** Illegitima enim, & quae ad ſuperſtitionem ducunt, plus nocent, quam proſunt. Poteſt etiam contingere, vt media legitima & innocentia, ſi tanquam opus, quod vocant, operatum adhibeantur, in ſuperſtitionis arripiantur occaſionem. Sic multa veteris eccleſiae inſtituta, minime vituperabilia, turpiſſimis ſuperſtitionum generibus, quae in Romana eccleſia conſpiciuntur, occaſionem praebuere.

§. VIII.

Prudentiae denique eſt, in his omnibus non totius tantum eccleſiae, ſed omnium quoque ac ſingulorum eius membrorum, habere rationem, & diſpicere, quid cuiuis, pro cuiusuis indole, ſtatu, conditione, conueniat. Hoc eſt, quod Chriſtus dicit, prudentis ſerui eſſe

τῦ

τῦ διδόναι αὐτοῖς τὴν τροφὴν ἐν καιρῷ *Matth. XXIV*, 45. quod Lucas ita exprimit: τῦ διδόναι ἐν καιρῷ σιτομέτριον, *cap. XII*, 42.

§. IX.

Ex fine miniſterii eccleſiaſtici intelligitur quoque eius dignitas atque difficultas. Atque hanc cognitam perſpectamque habere plurimum refert, ne quis munus, cui ferendo par non eſt, ſuſcipiat, quod ſummae eſſet imprudentiae. * Factum vero inde, vt nonnulli olim huic ſe oneri prorſus ſubtraxerint, & ad illud ſuſcipiendum, quodammodo cogi debuerint. ** Qui quidem hoc ipſo demonſtrarunt, longe maiori ſe prudentia inſtructos fuiſſe, quam illos, qui temere docendi munus ambiendo, non ſatis ſe ſuas exploraſſe vires, nec muneris iſtius grauitatem, praeſtationumque difficultatem recte ſe intelligere, nimis aperte produnt.

* Praeclare AVGVSTINVS: *nihil in hac vita, & hoc maxime tempore facilius, laetius, hominibusque acceptabilius, epiſcopi, presbyteri, diaconi officio, ſi perfunctorie & adulatorie res agatur: ſed nihil apud Deum miſerius, triſtius, damnabilius; nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter imperator iubet, epiſt.* 148. ad *Valerium presbyterum.* Legi de hocce argumento meretur, B. CHRISTIANI KORTHOLTI commentatio, de *grauiſſimo onere muneris eccleſiaſtici*, lingua germanica ſcripta, editaque MDCLXXI. ſed deinceps cum epiſtolarum aliquot BERNHARDI & AVGVSTINI acceſſione, & praefatione ſumme venerabilis abbatis, IOACHIMI IVSTI BREITHAVPTI, aucta, atque Halae MDCCIII. recuſa.

** Fecerunt hoc EPHRAEM SYRVS, SYNESIVS, GREGORIVS NAZIANZENVS, CHRYSOSTOMVS, AMBROSIVS, AVGVSTINVS aliique. Legi etiam meretur B. CASP. ZIEGLERI diſſertatio elegantiſſima, de *clerico renitente*, ſeu *muneris eccleſiaſtici fuga.*

§. X.

Ne quis ergo hic, & contra conſcientiae, & contra prudentiae dictamina quidquam agat, perſpectum, exploratumque habeat, neceſſe eſt, quibus inſtructum dotibus eum eſſe oporteat, qui eiusmodi muneri rite praeeſſe cupit. Idque tum ratione intellectus & eruditionis, qua hunc ornatum eſſe decet, tum ratione voluntatis, & virtutum, quibus eam inſtructam eſſe oportet, ſpeciatim & quoad adfectuum regimen, pariter ac ea, quae in conuerſatione & commerciis cum aliis hominibus, obſeruare par eſt.

§. XI.

Quod ad intellectum & eruditionem attinet, Paulus ipſe requirit, vt epiſcopus ſit διδακτικός, *1 Tim. III, 2* conf. *2 Tim. II, 24. Tit. I, 9.* Aptus ergo & idoneus ſit, ad informandos atque inſtituendos alios. Eumque in finem requiritur, vt naturales ingenii non deſint vires; vt induſtria eam rerum diuinarum cognitionem acquiſiuerit, vt alios docere iterum atque erudire queat; vt facultate inſtructus ſit, ordine &

Digitized by Google

diſtincte veritatem coeleſtem cum aliis communicandi: vt praeter naturalia, ſpiritualia quoque adſint, vt poſſit *πνευματικὰ πνευματικοῖς* diſcernere, *1 Cor. II, 14. 15.* verbum veritatis rite ſecare. *2 Tim. II, 15.* diſcernere denique atque probare ſpiritus, *1 Ioan. IV, 1.*

§. XII.

Quod de naturalibus ingenii viribus diximus, iis inſtructum eſſe debere, qui ad eiusmodi munus adſpirat, dubio caret. Quaenam etiam iſtae ingenii vires ſint, alibi explicatur.* Nunc ergo ſequentia ſaltem indicabimus, prudentiae monita, quae hic omnino obſeruanda: priusquam ſtudio theologico, aut officio paſtorali quis ſe addicat, probe ſe exploret, aut per alias explorari curet, ſitne iis ingenii viribus praeditus, quae ad tantum munus requiruntur;** ſi deprehendat, ſe iis plane non pollere, conſultum erit, vt aliud vitae genus eligat;*** nec tamen ſtatim ob qualemcunque ingenii defectum, mutandum eſt conſilium, cum non ab omnibus dona excellentiſſima requirantur, diuerſaque ſint in eccleſia munera, ad quorum quaedam, & mediocria ſufficiunt;* denique, vt in ſtudio theologico ea quisque maxime conſectetur, ad quae per naturales ingenii vires, praecipue eſt idoneus.

* Prolixe hac de re dictum, in *differt. de cultura ingenii, cap. 2. §. 8. ſeqq.* in *ſelectis iur. nat. & gent. p. 366. ſeqq.* vbi demonſtratum, nonnullos per ingenii defectum ad litterarum ſtudia plane eſſe ineptos, alios ad certa tantum ſtudiorum genera aptos eſſe. Exploratio itaque ita inſtitui debet, vt non tantum diſpiciatur, an quis ad litterarum ſtudia, ſed ſpeciatim ad ſtudium theologicum, per ingenii vires aptus ſit.

** Legi merentur, quae de delectu ingeniorum ad ſtudium theologicum differit GISBERTVS VOETIVS, in *exercitiis & bibliotheca ſtudioſi theologiae lib. 1. cap. 1.* add. *differt cit. cap. 2. §. 12.*

*** Etiamſi theologiae iam ſe conſecrauerit, non eſt nefas, mutato conſilio, aliam vitae rationem, aut aliud ſtudiorum genus eligere, modo prauae non ſubſint cupiditates, quibus virium ingenii defectus, aut alia cauſſa obtendatur, aut, ſi defectus aliquis ingenii adſit, ille tantus ſit, vt ad ſacrum officium plane ſit inidoneus. Saepius namque contingit, vt deſtinatione parentum, aut aliis rationibus inducti, adoleſcentes ad ſacras litteras adiungant animum, priusquam ſe explorent aut explorare poſſint, num ad eas perdiſcendas ingenii ſufficiant vires. Quod ſi ergo tandem deprehendant, ſe prorſus inidoneos eſſe ad ſacrum munus rite gerendum, nihil video quid obſtet, quo minus aliud vitae aut ſtudiorum genus eligant, etſi certum ſit, eiusmodi mutationem non temere eſſe ſuſcipiendam, vt recte euincit ANDREAS HYPERIVS, in commentatione pereruditа, de *ſacrarum litterarum ſtudiis non deſerendis*, quae extat inter opuſcula eius theologica, Baſileae anno MDLXX. iunctim edita.

* Referri huc a nonnullis ſolet, quanquam praeter mentem apoſtoli, locus 2 *Tim. II. 20. in magna enim domo non tantum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed etiam lignea, & teſtacea &c.* Quocum ſimile fere PLATONIS effatum, ex *lib. 3.* de *republ. pag. 472.* confert GVIL. BVDAEVS, de *ſtudio inſtituendo, cap. 21. p. 28.*

§. XIII.

Praeter *εὐφυΐαν*, requiritur etiam ſufficiens eruditio, vt aliquis ſit *διδακτικός*. Eruditio autem paſtoris, doctorisque eccleſiaſtici, praecipue

cipue conſiſtit in accurata ſcripturae ſacrae cognitione, ceu fonte omnis doctrinae & ſapientiae diuinae. Hinc Timotheum laudat Paulus, quod *ἀπὸ βρέφους ἱερὰ γράμματα* nouerit *2 Tim. III, 15.* ita vt eſſet *ἐντρεφόμενος*, *innutritus*, *τοῖς λόγοις τῆς πίστεως*, *1 Tim. IV, 6.* conf. & *verſ. 13. & 15.* item *Pſalm. I, 3. CXIX, 2.*

§. XIV.

Et ſane ratio officii, paſtoralis vel maxime aſſiduam ſcripturae ſacrae lectionem requirit. * Doctoris enim eſt, vt *poſſit de theſauro ſuo proferre vetera & noua, Matth. XIII, 52.* vt ſit *δυνατὸς*, *potens*, *& exhortari in doctrina ſana, & contradicentes arguere. Tit. I, 9.* vt ſit *δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς Actor. XVIII, 24.* Accedit, quod praecipuum munus paſtoris conſiſtat in verbi diuini tractatione, *Matth. XXVIII, 19. 20. Marc. XVI, 15.* Ipſius ergo eſt officii, diligenter verbum diuinum legere, meditari, ſuosque ad illud componere mores, exemplo Eſrae, *Eſr. VII, 10.*

* Hinc & AMBROSIVS ſcripturam ſacram eleganter vocat, *librum ſacerdotalem*, *lib. 3. de fide cap. 7.* & DIONYSIVS ille AREOPAGITA, vel quisquis ſub hocce nomine latitat, ſcripturam ſacram, ait, eſſe *ſubſtantiam ſacerdotii noſtri*, de *eccleſiaſt. hierarchia*, *cap. 1.* add. ZIEGLERVS, de *epiſcopis*, *lib. 2. cap. 4. §. 30. p. 342.* vbi vocem διδακτικός, qua Paulus vſus eſt, *1 Tim.* III. 2. ita explicat, vt ea praecipue ſignificari contendat, epiſcopum in ſcriptura ſacra debere eſſe verſatiſſimum, & memorabilem quoque concilii Nicaeni II. conſtitutionem refert, qua ſcripturae diligens lectio verbi diuini miniſtris iniungitur.

§. XV.

Circa ſcripturae ſacrae vero tractationem ita verſari eccleſiae doctorem decet, vt non tantum in eius ſenſum inquirat, * ſed argumenta quoque inde eruat, ſiue ad credenda, ſiue ad agenda pertineant, ſiue denique ad errores diſſentientium refellendos comparata ſint. ** Cumque ſcripturae accuratior interpretatio, ſine linguarum, hiſtoriae, antiquitatum, aliarumque artium praeſidio non rite procedat, *** hiſce, quantum ſcopi, quem quisque ſibi propoſuit, ratio permittit, eum imbutum eſſe, neceſſe eſt.

* Hoc pluribus exponunt, qui de theologia exegetica, & interpretatione ſcripturae ex inſtituto praecipiunt, vt ex noſtratibus, WOLFGANGVS FRANZIVS, IO. CONRADVS DANHAVERVS, AVGVSTVS PFEIFFERVS, aliique. add. AVGVSTI HERMANNI FRANCKII, ſumme reuerendi viri, *manuductio ad lectionem ſcripturae ſacrae.*

** Ex ſcriptura nimirum, ceu fonte, fluunt theologia, quam vocant, thetica, moralis, polemica &c. quippe quae velut concluſiones ex ſcriptura deſumtas continent, vnde, quod in his omnibus itidem ea, qua par eſt, ratione, eccleſiae doctor verſatus eſſe debeat, manifeſtum eſt.

*** Secus, qui exiſtimauerit, ſe rerum omnium ignarum eſſe, demonſtrabit. Sunt etiam plurimi, qui hoc ex inſtituto demonſtrarunt, ſed commendandus praecipue GEORGIVS CALIXTVS, in *apparatu theologico*, in quo luculenter, quem linguae, hiſtoria, philoſophia &c. in theologia vſum praeſtent, ediſſerit.

§. XVI.

§. XVI.

Sed in hiſce tamen omnibus certis prudentiae regulis opus eſt, quarum praecipuae ſequentes ſunt: vbique neceſſaria praeferenda ſunt minus neceſſariis, ſolida iis, quae tantum ad ornatum faciunt; * in ſtudiorum delectu quisque rationem habeat ingenii ſui, temporis, fortunarum, aliarumque circumſtantiarum, cum in eorum generibus ſecundariis diutius quibusdam immorari liceat & conſultum ſit, quam aliis; vbique ad caput cauſſae, hoc eſt, ſcripturae ſacrae intelligentiam & ſenſum, pariter ac praxin reſpiciendum, nec immorandum diu illis, quae huc non faciunt; ideoque & ad veritatis diuinae in ſcriptura ſacra inueſtigationem cuncta referantur, minime autem ad ſtultam & ineptam, quam in multis hodie obſeruare licet, oſtentationem.

* Licet itaque omnes eruditionis partes, quae encyclopaediam, quam vocant, abſoluunt, quodammodo vtiles eſſe theologo queant, non tamen omnes ſunt aeque neceſſariae. Non recte itaque ſentiunt, & ſui interdum potius commodi, quam veritatis, ſtudioſiores ſunt, qui omnes philoſophiae partes, ceu aeque neceſſarias, theologiae cultoribus commendant. Interim, etſi nonnullae ſacrarum litterarum cultori non ſint neceſſariae, inde illarum dignitati nihil decedit, cum alias vſum maximum in vita humana habere queant.

§. XVII.

Circa mediorum quoque, quibus eruditio theologica comparatur, vſum, cautione quadam & prudentia opus eſt. Viua namque inſtitutio praeferenda eſt ſtudio, quo quis tantum ſua induſtria ex librorum lectione proficere annititur, * praeſertim ſi obtingat doctor fidelis, prudens, διδακτικός; in librorum etiam lectione obſeruanda cautio, ne quis omnino nullos, aut nimis multos legat, item vt noxii ab vtilibus, & hi iterum a neceſſariis diſcernantur; ** porro, ne humanorum librorum lectioni plus tribuamus temporis, quam lectioni ſcripturae ſacrae; denique, ne neglectis veteribus, *** recentioribus tantum inhaereamus; interim veteres ita legamus, vt cuncta expendantur, & quod bonum eſt, retineatur.

* Dictum hac de re pluribus in *diſſert.* de *cultura ingenii*, *cap.* 3. §. 4.

** Dicendum hic eſſet, quinam libri in quauis theologiae parte prae reliquis commendandi eſſent, ſed hoc prolixum nimis foret, agiturque hac de re alibi ex inſtituto. Non deſunt equidem, qui bibliotheceas theologicas ſcripſerunt, notitiamque librorum theologicorum ſuppeditare conati ſunt: ſed, quod multa merito in iis deſiderentur, conſtat inter omnes. Interim ex noſtratibus conferri poſſunt ABRAHAMVS CALOVIVS, in *paedia theologica*, & CHRISTIANVS KORTHOLTVS, in *prodromo ingenui theologiae cultoris academico*. add. & IO. ANDREAS QVENSTEDIVS, in *ethica paſtorali*, *p.* 49. *ſeqq.* Sed illis, quae ab his monita aut indicata ſunt, multa addi poſſent, qua de re alibi.

*** Etſi antiqui eccleſiae doctores naeuos ſuos habeant, non tamen ideo ſpernendi ſunt, cum vſus illorum ampliſſimus eſſe queat. conf. IO. DALLAEVS, de *vſu patrum* &c.

§. XVIII.

Feliciter quoque officio ſuo functurus doctor eccleſiae, facultate pollere debet, ordine, perſpicue & diſtincte veritatem proponendi. Siue enim in academica, ſiue eccleſiaſtica cathedra docere debeat, vtramque hoc facit paginam, plurimumque confert, vt auditores veritatis cognitione rite imbuantur. Et in eo vera etiam & genuina eloquentiae laus poſita eſt, vt perſpicue & diſtincte animi noſtri conceptus cum aliis communicare queamus. Huc vero licet cuiusuis indoles & ingenium plurimum conferat, non tamen negligenda eſt exercitatio, * & reliqua, quae periti harum rerum magiſtri tradunt, per quae emendari atque perfici natura poteſt. Et id quidem vt prudentiae eſt, ita eadem iubet tumidam illam & theatricam eloquentiam fugere, ** quae rerum diuinarum tractationi, dedecori potius eſt, quam ornamento.

* Iuxta illud CICERONIS, *lib. 3. ad Herennium: in omni doctrina infirma eſt omnis artis praeceptio, ſine ſumma aſſiduitate exercitationis.*

** A qua etiam nonnulli ex ipſis patribus non fuerunt alieni, quos tamen hac in re minime imitari decet. conf. IO. CLERICVS, *art. crit. tom. 1. part. 2. ſect. 1. cap. 16. §. 3. ſeqq. pag. 486. ſeqq.* Dicetur etiam hac de re infra, cum de *prudentia circa formandas conciones*, verba faciemus.

§. XIX.

Spiritualium donorum, ſtricte ſic dictorum, vis, maxime ſe exerit in legitimo vſu legis & euangelii, & vtriusque cauta & circumſpecta ad ſingulos homines adplicatione, vt & ſpirituum diſcretione, aliisque, vt ſupra dictum. * Quae omnia vt praecipuam merito prudentiae eccleſiaſticae partem conſtituunt, vt iis vel maxime inſtructum eſſe verbi diuini miniſtrum oporteat, *Matth. X, 16. Luc. XII, 42.* ita precibus a Deo ſunt impetranda. *Iacob. I, 5. 6.* Impetrari quoque poſſunt, ſed pro cuiusque menſura & capacitate dona iſta recipiendi, & voluntate Dei diſpenſantis, qui pro ſua benignitate tantum cuique largitur, quantum nouit ei & eccleſiae vtile eſſe, atque ſalutare.

* *cap. 1. §. 13.*

§. XX.

Ita ergo cum eccleſiae doctor ex legis non minus, quam prudentiae praeſcripto eſſe debeat comparatus ratione intellectus, nunc de virtutibus etiam, quibus qua voluntatem eum ornatum eſſe decet, vt diſpiciamus, par eſt. Has autem paucis ediſſerit Paulus, *1 Tim. III, 2.* cuius hic ſequi ductum, placet.

§. XXI.

Generatim primo cuncta complectitur, cum docet, epiſcopum debere eſſe ἀνεπίληπτον: quod idem fere eſt, ac quod alibi docet, eum

debere eſſe *ἀνέγκλητον*, *Tit. I, 6. 7.* aut *ὅσιον*, *ib. verſ. 8.* * Vitae nimirum ſanctitas integritasque, qua pietati erga Deum, caſtitati & temperantiae erga ſeipſum, iuſtitiae erga alios epiſcopus ſtudet, hac voce exprimitur. Etenim ſi ab omnibus chriſtianis requiritur, vt ſint *ſancti*, *1 Petr. I, 15.* & *irreprehenſibiles*, *Epheſ. V, 27.* multo magis hoc requiritur a doctore, qui exemplum praebere debet ſuis, ad quod ſe componant. *1 Cor. IV, 16. XI, 1. Phil. III, 17.* Neque tantum leges diuinae ab eo hoc exigunt, ſed prudentiae quoque ratio iubet. Ineptum valde & rerum omnium ignarum eſſe oportet, qui fructum egregium ſibi in auditoribus ſuis promittit, quos vita moribusque ab eo tramite deterret, ad quem doctrina eius, ſi modo recte eam proponat, ducit.

* Etſi enim hoc intercedere videatur diſcrimen, quod *ἀνεπίληπτος* & *ἀνέγκλητος* magis ad externa referantur, certum tamen, quod, qui *ὅσιος*, ſeu ſanctus eſt, non quoque poſſit non eſſe *ἀνεπίληπτος* & *ἀνέγκλητος*. Vnde & per has voces eiusmodi deſignatur irreprehenſibilitas, quae non in externis ſubſiſtit, ſed, quantum fieri poteſt, ad internos animi motus ſe extendit. Fallitur autem omnino HVGO GROTIVS, dum hanc vocem de iis intelligit, *qui poſt baptiſmum lapſi non ſunt*, praeſertim ſi hoc de lapſibus regenitorum intelligat, de quibus Iacobus *cap. III, 2. in multis labimur omnes.* Ea enim ratione neminem temere inueniet, qui ad epiſcopatum ſit admittendus. Non enim apoſtolus dicit, quod aliquis plane ſine peccato eſſe debeat, ſed quod non eſſe debeat *reprehenſibilis.* Irreprehenſibilis autem eſt aliquis in foro humano, ſi nihil poena aut animaduerſione dignum admittat, in foro diuino, ſi contra prauas cupiditates ſtrenue pugnet, & eas per fidem vincat, & peccatorum, quae admiſit, veniam per meritum Chriſti impetret, quo ſenſu *οὐδὲν κατάκριμα* eſſe dicitur in illis, qui ſunt in Ieſu Chriſto, *Rom. VIII, 1.* Et ita AVGVSTINVS quoque *tract. 91. in Ioannem* hocce verbum explicat. Quaeritur autem, quid de illis cenſendum, qui per enorme aliquod peccatum gratia diuina exciderunt, ſed iterum egerunt poenitentiam? Neutiquam illis aditum ad officium ſacrum denegandum, exemplo Dauidis probat HIERONYMVS, in *cap. III. Michae*, idque ex *Pſalmo LI, 15. docebo iniquos vias tuas*; & exemplo Petri, GREGORIVS M. *lib. 7. epiſt. 53.* add. CALOVIVS ad *h. l.* De quaeſtione, an conſultum ſit, vt ſtudioſus theologiae, qui forte homicidium per modum moderaminis inculpatae tutelae commiſit, & in iudicio abſolutus eſt, ambiat officium ſacrum? vid. IO. FRIDERICVS MAYERVS, in *Muſeo verbi diuini miniſtri*, *p. 52. ſeqq.* Vt autem irreprehenſibilis eſſe debet, qui ad officium ſacrum adſpirat, ita, vt talis maneat, poſtquam illud adeptus eſt, omnino operam nauare debet, iuxta monitum Pauli: *γύμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν*, *1 Tim. IV, 7.* De quo epiſcopi in pietate exercitio, legi merentur, quae habet ZIEGLERVS, de *epiſcopis*, *lib. 4. cap. 2. p. 8. ſeqq.*

§. XXII.

Speciatim vero eum vult primo eſſe *caſtitati puritatique* deditum. Hinc addit: *μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα.* * Quod non poſitiue intelligendum, ac ſi neceſſario eligendus in epiſcopum vxorem habere debeat, ſed negatiue, quod non plures habere debeat. Cuius requiſiti ratio ex caſtitate epiſcoporum eſt repetenda, quae, vt ab omnibus chriſtianis, ita vel maxime a paſtoribus requiritur, & in matrimonio, ſecundum legum diuina-

diuinarum praeſcriptum inito, quam rectiſſime cuſtoditur, & conſeruatur. Confirmat idem apoſtolus, dum epiſcopum vult eſſe *ἐγκρατῆ*, *Tit. I, 8.* Per *ἐγκράτειαν* enim abſtinentia ab omni eo, quod impudicitiae, incontinentiae, ac intemperantiae ſpeciem praebere poteſt, intelligitur. **

* Quod ex hiſce apoſtoli verbis neutiquam colligi queat, polygamiam ſimultaneam eo tempore inter chriſtianos fuiſſe licitam, ſupra demonſtrauimus, *part. 2. cap. 3. ſect. 6. ad* §. 9. Nunc id ſaltem addimus, recte haecce apoſtoli verba opponi Romanenſibus, qui clericis coelibatum imponunt. Quod vt euitent telum, in omnes equidem ſe vertunt partes, ſed fruſtra. Nonnulli namque cum AMBROSIO, de *dignitate ſacerdotali cap.* 4. haec verba exponunt de ſpirituali coniugio epiſcopi cum eccleſia: ſed ſermo eſt de tali vxore, ex qua liberos ſuſcipere queat, quorum educationi rite inuigilare teneatur, *verſ.* 4. Alii in praeterito haecce verba capiunt, hoc ſenſu: *qui vnius vxoris vir fuit*, hoc eſt, qui ante ordinationem non plures, ſed vnam tantum habuerit vxorem. Sed cum reliqua requiſita epiſcopi citra controuerſiam de praeſenti tempore accipienda ſint, nulla nos ratio cogit, cur hoc de praeterito intelligamus. Nec meliora ſunt, quae alii, vt hinc ſe expediant, adferunt. conf. GEORGIVS CALIXTVS, *tract. de coniugio clericorum &c.*

** Immo *ἐγκράτεια* eousque a nonnullis extenditur, vt is vere *ἐγκρατὴς* dicatur, non tantum, qui intemperantiam & libidinem coërcere queat, ſed & in linguam, & manus, & oculos, imperium exerceat, ne quid, quod a caſtitate alienum, admittat, vt THEOPHYLACTVS ad *h. l.* commentatur. Legi etiam merentur, quae hac de re diſſert CLEMENS ALEXANDRINVS, *lib. 3. ſtrom. p.* 450.

§. XXIII.

Deinde & *νηφάλεον* eſſe cupit eccleſiae doctorem apoſtolus. Quae vox, etſi de corporis potius, quam mentis ſobrietate hic capienda ſit, * hanc tamen connotat, quemadmodum & ſobrietatem ac vigilantiam coniungit Petrus, *1 ep. V, 8.* Ebrietas nimirum obſtat vigiliis, & corda praegrauat. *Luc. XXI, 34.* Cumque grauiſſimum ſit ebrietatis vitium, ** *Eſ. V, 11. ſeqq.* a quo omnes chriſtiani maxime alieni eſſe debent, *Epheſ. V, 18.* eo magis hoc eccleſiae doctori *** fugiendum eſſe, palam eſt, quo minus & cum fructu & cum dignitate, muneri ſacro praeeſſe poteſt, qui eidem eſt deditus.

* CHRYSOSTOMVS hanc vocem expoſuit per *vigilantem*, qui non ſolum ſui, ſed & reliquorum, curam habeat, quo pacto & ERASMVS, & THEODORVS BEZA, aliique, eandem interpretantur. Vſitatior tamen ſignificatio eſt, qua *ſobrietatem* denotat, quo pacto eam hic capiendam eſſe, oppoſitum etiam, *πάροινος*, docet. Interim ſobrietatem cum vigilantia coniunctam eſſe, nec ſui aut aliorum rite curam gerere poſſe, qui non etiam ſit ſobrius, res ipſa docet.

** Id quod & gentiles fatentur. Recte SENECA: *multa faciunt ebrii, quorum poſtea ſobrios pudet*; *epiſt.* 84.

*** conf. CASPAR ZIEGLERVS, de *epiſcopis, lib. 4. cap. 5.* vbi ex inſtituto de ſobrietate & temperantia epiſcopi diſſerit.

§. XXIV.

Vult quoque, eundem eſſe *σώφρονα modeſtum*, vt nonnulli volunt,

ſunt, vel vt alii *moderatum*, qui adfectuum teneat imperium, quod quam neceſſarium ſit, deinceps dicetur.* Sed *κόσμιον* quoque, qui decori ſit ſtudioſus, & in externis moribus ita compoſitus & ornatus, ne quid admittat, quo offendat alios, aut contemptum ſibi attrahat:** *φιλόξενον* denique, ſeu *hoſpitalem*, cum hoſpitalitas, pro iſtorum temporum conditione, charitatis erga alios documentum eſſet longe luculentiſſimum, *1 Petr. IV, 9. Rom. XII, 13. Ebr. XIII, 2.* ***

* §. 30. *ſeqq.*
** Et hac de re deinceps dicetur, §. 40. *ſeqq.*
*** Dictum hac de re ſupra, *part. 2. cap. 3. ſect. 4.* §. 17.

§. XXV.

Virtutes hae ſunt praecipue, quibus ornatum eccleſiae doctorem eſſe oportet, quibus vitia quoque ſubiungit apoſtolus, quae maximopere & ſummo fugere ſtudio debet. Serio itaque praecipit, ne ſit *πάροινος*,* quod *verſ. 8.* explicat: *μὴ οἴνῳ πολλῷ προσέχοντας*, vitium ſobrietati & temperantiae oppoſitum deſignaturus; neue ſit *πλήκτης*, ad iniurias reipſa pariter ac verbis aliis inferendas pronus, *ἀλλὰ ἐπιεικής*, *aequus*, *mitis*, *lenis*, qui ſtricto iuri aequitatem praeferat, & de ſuo potius cedat, quam rigorem vrgeat, tantum abeſt, vt ad violenta & aſpera ſtatim progrediatur. Quorſum & pertinet, quod porro contendit, eum debere eſſe *ἄμαχον*, *litium abſtinentem*, quod repetit, *2 Tim. II, 24.* & Chriſtus ab omnibus chriſtianis requirit, *Matth. V, 40. ſeqq.*** Denique, & *μὴ αἰσχροκερδῆ* & *ἀφιλάργυρον* eccleſiae doctorem iubet eſſe apoſtolus. Quibus vocibus licet vnum idemque denotari videatur vitium, recte tamen diſtinguuntur, *** cum turpis lucri cupidus equidem ſit auarus, ſed non vice verſa, omnis auarus ſtatim turpis lucri ſit cupidus. Omnem ergo auaritiam, tum craſſiorem, tum ſubtiliorem, a verbi diuini miniſtris procul remotam voluit. *

* CHRYSOSTOMVS equidem & THEOPHYLACTVS vocem *πάροινος* exponunt per *ὑβριστήν*, qua voce homo ferox, aut ex vino ad iniuriam & contumeliam inferendam paratus, denotatur. Sed effectum temulentiae cum cauſſa ſimul hac ratione exprimere volunt.
** *Exempla*, grauiter inquit ZIEGLERVS, *veteris eccleſiae, & eorum maxime, qui inſigne in ea nomen meruerunt, & pro luminibus habentur, quoties intueor, toties fixus animo haeret dolor, inuentos inter eos fuiſſe, qui inuidia, aemulatione, ira, contentione, ſupplantatione, inimicitia, hoſtilitate, odio inflammati, ipſam ſaepe turbarunt eccleſiam, ſuisque affectibus perciti, ſcandalum maximo cum proximi damno dederunt. Perquam celebres eadem aetate fuerunt Ioannes Chryſoſtomus, Theophilus Alexandrinus, & Epiphanius, Cypri epiſcopus. Sed pudet referre, quantae inter eos ſeſe exercuerint ſimultates, & quam acerbe ſe inuicem inſectati fuerint*: de *epiſcopis, lib. 4. cap. 10.* in quo ex inſtituto de eo agit, quod *epiſcopus non debeat eſſe contentioſus, nec inimicus, nec irreconciliabilis.* conf. & CLAVDIVS ESPENCAEVS, *lib. 2. digreſſ. in 1. ad Tim. digreſſione 8.* in qua ſiſtit *epiſcopum ſeu clericum litigioſum.*

*** Nullum

** Nullum itaque hinc peti argumentum pro illorum ſententia poteſt, qui τὸ αἰσχροκερδῆ *1 Tim.* III, 3. ab aliena manu irrepſiſſe putant, cum αἰσχροκερδὴς & ἀφιλάργυρος vnum idemque ſint. Namque, quod differant, ex dictis patet. Hinc & non obſtat, quod in quibusdam codicibus Graecis, interpreteque Syro & Latino, vox αἰσχροκερδῆ non inueniatur. Hoc enim inde fieri potuit, quod perperam voces iſtae pro ſynonymis haberentur.

* Quam graue, quamque foedum ſit auaritiae vitium, aliunde conſtat. Dolendum itaque, ſacri ordinis viros adeo ab eo alienos non eſſe, vt nihil frequentius clericis obiiciatur, quam auaritia. conf. SALVIANVS *contra auaritiam*, ſpeciatim *clericorum*, in operibus eius *p. m.* 190. *ſeqq.* Sequitur inde etiam, negotiationem indecoram eſſe dignitati paſtorali, niſi forte nonnullos, vt paſtores paganos, neceſſitas cogat, frumentum & pecora ad ſui ſuſtentationem vendere. Hinc & Paulus prohibet, ne ſe implicet ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις, 2 *Tim.* II, 4. add. ZIEGLERVS. *l. c. lib.* 4. *cap.* 11. *&* 12. & CLAVDIVS ESPENCAEVS, *lib.* 1. *digreſſ.* 15. *&* 16. in *priorem epiſt. ad Timoth.*

§. XXVI.

De virtutibus epiſcoporum doctorumque abſolutis, ad ductum apoſtoli hactenus diximus: nunc de iis etiam quaedam adiungit, quae certum reſpectum ad externa quaedam inuoluunt. Vult itaque epiſcopum eſſe, ἰδίου οἴκου καλῶς προϊστάμενον, qui *domui ſuae rite praeſit*, operam praeſertim nauet, vt liberi recte inſtituantur in pietate & commonefactione domini, *Epheſ. VI, 4.* Cuius rei rationem praegnantiſſimam reddit ipſe apoſtolus *verſ. 5.* * Et ſane per ſummam imprudentiam, omnium ludibrio ſe exponit, qui hominibus perſuadere cupit, ſe eccleſiae, quae eſt domus Dei, *1 Tim. III, 15.* rite praeeſſe poſſe, cum tamen ſuae ipſemet praeeſſe domui nequeat.

* Eleganter BERNHARDVS; *miror audaciam plurimorum, quos videmus de ſuis vineis non colligere, niſi ſpineas & tribulos, vineis tamen cunctis ingerere ſe non vereri; ſerm.* 30. *in Cantic.*

§. XXVII.

Huc & illud pertinet, quod non debeat eſſe νεόφυτος, *recens implantatus*, tum reſpectu religionis chriſtianae, ad quam forte conuerſus fuit, tum reſpectu eorum, quae, vt quis rite ad officium eiusmodi ſacrum praeparetur, requiruntur. Non de naturali ergo, ſed de ſpirituali aetate * hoc loquitur Paulus, dum eccleſiae doctorem non amplius puerum aut iuuenem, ſed virum & patrem eſſe cupit, qui filios ſpirituales per verbum veritatis generare queat, *1 Cor. IV, 15.* 1 *Ioan. II, 13.* Rationem praegnantem adiicit: ἵνα μὴ τυφωθεὶς εἰς τὸ κρίμα ἐμπέσῃ τοῦ διαβόλου. Facile namque inflantur, qui ſubito ad honores perueniunt.**

* Quod enim ad aetatem naturalem attinet, iuuenes ab hoc officio non plane excludi, conſtat ex 1 *Tim.* IV, 12. Qua de re deinceps dicetur. Vox νεόφυτος etiam eleganter quadrat in eos, qui primum ad religionem chriſtianam conuerſi ſunt. Et hoſce ſane non temere muneri epiſcopali admouendos eſſe, variis veteris eccleſiae canonibus ſancitum fuit. vid. ZIEGLERVS, de *epiſcopis, lib.* 2. *cap.* 4. §. 73. *p.* 368. *ſeqq.*

* Κρῖμα itaque διαβόλου, ſeu *iudicium diaboli*, eſt poena, qualis diabolo euenit, qui de coelo deiectus eſt, 2 *Petr. II*, 4. nempe ob ſuperbiam, *Eccleſiaſt.* x, 15. conf. HVGO GROTIVS, ad *h. l.* Alii calumniatorem in genere intelligunt, ſed prior videtur praeferenda interpretatio.

§. XXVIII.

Eodem denique ſpectat, quod ſubiungit: *δεῖ γὰρ αὐτὸν καὶ μαρτυρίαν καλὴν ἔχειν ἀπὸ τῶν ἔξωθεν* hoc eſt, ab iis, qui non ſunt in eccleſia. vid. *1 Cor. V, 12. 13. 1 Theſſal. IV, 12.* Vitae namque antea actae quoque habenda eſt ratio. * Quod apoſtolus grauiſſima ratione probat: ne incid. εἰς ὀνειδισμὸν, ne aliquando ei exprobretur vita prior, & ita contumeliis notatus quaerat ſe vlciſci, quo ipſo incidere poteſt *εἰς παγίδας διαβόλου*, qua loquendi formula omnes peccandi occaſiones denotantur. conf. *1 Tim. VI, 9. 2 Tim. II, 26.*

* Non itaque, quod hic apoſtolus dicit, idem eſt, ac quod antea dixerat, eum debere eſſe irreprehenſibilem. Irreprehenſibilitas enim illa ad ſtatum praeſentem, teſtimonium autem bonum, quod ἀπὸ τῶν ἔξωθεν habere debebat, praeteritum reſpicit. Cum enim etiam grauiſſimi peccatores in numerum chriſtianorum reciperentur, modo veram agerent poenitentiam, non tamen conueniebat ad epiſcopatum admittere, niſi tales, qui & ante conuerſionem vitae honeſtae fama apud exteros floruerant. Horum enim apud exteros maior erat auctoritas, adeoque & ad illorum plus conferre poterant conuerſionem.

§. XXIX.

Et haec quidem epiſcopi doctoriſque eccleſiae requiſita, quae praeeunte apoſtolo expoſuimus, ita comparata ſunt, vt, ſi quis iis inſtructus non ſit, & nihiloſecius munus ſacrum ſeu doctoris officium ſuſcipiat, contra leges diuinas grauiſſime peccet, ſimulque imprudentiae ſummae notam merito incurrat. Inter prudentiae enim regulas vniuerſaliſſimas, omniumque conſenſu adprobatas, hanc haud vltimam eſſe, quod nemo quidquam, quod vires ſuas ſuperat, ſeu ad quod aptus non eſt, in ſe ſuſcipere debeat, ſupra docuimus. * Ea autem, quae enarrauimus, doctoris eccleſiae requiſita, ſi ad munus eiusmodi adminiſtrandum non eſſent neceſſaria, iis epiſcopum praeditum eſſe debere, non dixiſſet apoſtolus.

* *cap.* 1. §. 7.

§. XXX.

Supereſt, vt de prudenti adfectuum regimine aliquid dicamus, quod vel maxime in eccleſiae doctore requiritur, ſi ſuo rite fungi officio velit, & in quo pars haud vltima prudentiae paſtoralis conſiſtit. Quorſum & nonnulli referunt, quod apoſtolus epiſcopum iubeat eſſe *σώφρονα*. * Id vero cum ad omnes omnino adfectus pertineat, quorum modera-

moderamen omnibus chriſtianis incumbit, in *zelo* tamen, & *manſuetudine*, quae zelo quodammodo opponitur, praecipue ſe exerit, ne ille in iram aut odium vituperabile, haec in nimiam degeneret lenitatem.

* vid dictum §. 4.

§. XXXI.

Zelum diuinum in paſtore in laude poni, patet exemplo Chriſti, *Ioan. II, 17.* Pauli, *2 Cor. XI, 2.* Apollos, *Actor. XVIII, 25.* aliorumque. * Accedit, quod zelus, qui laudabilis eſt, cum amore coniunctus ſit, vnde defectus zeli quandoque arguit defectum amoris. ** Ex zelo itaque & ſummum ſtudium oritur, quo pacto vox ζηλοῦτε vſurpatur, *1 Cor. XIV, 1.* & conatus quiduis potius patiendi, quam perdendi id, quod concreditum nobis, quodue amore ſincero proſequimur, cuiusmodi quid omnino in paſtore requiritur. conf. *Ioan. X, 12.*

* Pluribus hoc comprobat, & totam hanc tractationem illuſtrat GEORGIVS NITSCHIVS, Gothanarum eccleſiarum ſupremus antiſtes venerabilis, in commentatione, cui titulum fecit: *Myſta feruidus, ſeu disquiſitio theologica de zelo, quo miniſter eccleſiae in ſuo calere debet officio, &c.*

** conf. quae ſupra diximus, *part. 1. cap. 1. §. 21.*

§. XXXII.

Sed, ne quis hic fallatur, & iram carnalem pro zelo legitimo venditet, attendendum eſt ad principium veri zeli, quod eſt amor ſincerus Dei, & hominum aliorum, quorum ſalus nos ſollicitos tenet. Vnde apoſtolus: *ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς θεοῦ ζήλῳ, Dei zelo, 2 Cor. XI, 2.* Hinc & non naturae, ſed gratiae effectus eſt, a ſpiritu accenſus, *2 Chron. XXIV, 20.* Multum itaque diuerſus eſt hic zelus a naturali quodam impetu, licet forte intentio non adeo mala cum eo coniuncta ſit, *Luc. IX, 55.* Eſt quoque legitimus zelus cum ſcientia & cognitione coniunctus, nec niſi re bene cognita & explorata erumpit, cum falſus haud raro ex ignorantia procedat, *Rom. X, 2. Gal. I, 14.* Plane vero execrabilis eſt ille zelus, qui non ex ſtudio promouendi gloriam Dei aliorumque ſalutem, ſed honorem ſuum, commodumque proprium tuendi, aut amplificandi, proficiſcitur, qualis erat zelus Phariſaeorum, *Matth. XXIII, 15.* conf. *Actor. XXIII, 12. ſeqq.*

§. XXXIII.

Attendendum nimirum etiam eſt ad obiectum zeli, quod eſt gloria Dei & aliorum hominum ſalus. Quae ergo huc faciunt, promouere, remouere contra, quae iis repugnant, annititur, cuiusmodi ſunt mala quaeuis tum doctrinae, ſeu errores, tum vitae, ſeu peccata, *Exod. XXXII, 19. 20. Num. XXV, 7. 9. Ioſ. XXII, 11. ſeqq.* Eodem ſenſu dicitur, zelum

lum diuinum verſari circa domum Dei, *Ioan. II, 17.* tum vt erigatur & aedificetur, *2 Sam. VII, 2.* tum vt incolatur & habitetur, *Pſalm. XXVII, 4.* denique, ut purgetur ac reformetur. *Ioan. II, 15. 16.*

§. XXXIV.

Res ipſa & generatim natura atque indoles adfectuum poſtulat, vt iuſta hic obſeruetur proportio, neue modum excedat zelus. Studium ſane diuini nominis gloriam promouendi limites non habet, ſed vltra tendit. In quantum zelus autem vt adfectus conſideratur, limitibus certis circumſcribendus eſt, cum modus in adfectibus excedens non diuinus ſit, ſed corruptae naturae documentum. * Diuerſa quoque cum ſint zeli obiecta, diuerſo etiam gradu ſe exercere debet, cum alia maiorem indignationem promereantur, alia minorem.

* Et ita capienda ſunt, quae docet IO. HOORNBECKIVS, qui ceteroquin haud contemnenda hac de re profert, & quorum nonnulla nobis vſui fuere, *theol. pract. lib. 8. cap. 16. p. 125.* dum dicit: *quod zelus diuinus nullum ſibi, niſi quem Deus, modum conſtituat, ſemperque vltra progrediatur, & nitatur alios ſuperare atque ſeipſum, &c.*

§. XXXV.

Qui diuino zelo inducti aliquid ſuſcipiunt, ita etiam ſe gerunt, ne immemores ſint charitatis, immo vt haec vbique eluceat; nec modeſtiae, ne in facta aut verba indecora zelus erumpat; reuerentiae denique erga maieſtatem Numinis, ne quid ea indignum admittant. Atque ex hiſce, vt & reliquis, quae hactenus diximus, quinam veri falſiue zeli ſint characteres, intelligere licet: quibus adhuc addendum, verum atque diuinum zelum eſſe vniformem, ſeu quouis ſtatu, tempore & conditione ſemper eundem, expertemque omnis προσωποληψίας, *Iacob. II, 1.* Quod in falſo atque carnali zelo, aliter ſe habet. conf. *2 Reg. X, 28. 31. Gal. IV, 17.* *

* Hiſce plures adhuc zeli veri & falſi characteres addi poſſent, ſed legi de illis meretur IO. HOORNBECKIVS, *l. c.*

§. XXXVI.

Non minus in eccleſiae doctoribus laudatur *manſuetudo*, quae zelum quodammodo temperat. Denotat enim manſuetudo moderamen aliquod adfectuum, qui vitiis & pertinacia hominum facile concitari poterant, ſpeciatim irae. Cum vero manſuetudo ab omnibus hominibus exigatur, *Tit. III, 2.* multo magis a doctore eccleſiae requiritur, idque exemplo ipſius Chriſti, *Matth. XI, 29.* add. *2 Tim. II, 24.* Eſtque in improbis & impoenitentibus corrigendis, alliciendisue, ad concordiam alendam, & ſchiſmata euitanda, virtutis huius fructus longe ampliſſimus. Vnde, in *manſuetudine eſſe ſapientiam*, recte pronuntiauit Salomoh, *Prouerb. XIX. 11.* add. *Iacob. III, 13.*

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Ne vero & hic a recto aberremus tramite, de tali nos hic loqui manſuetudine, obſeruandum, quae ſit fructus gratiae. Vt enim ira eſt opus carnis, ita inter *fructus ſpiritus* collocatur *manſuetudo*, & *longanimitas*, *Gal. V, 22.* conſ. *Gal. VI, 1. 1 Cor. XIII, 4. 5. 2 Tim. III, 10. Epheſ. IV, 2.* Hinc naturalis lenitas & timiditas, multo magis peccatorum ex intuitu proprii commodi orta tolerantia, fruſtra ſpeciem manſuetudinis chriſtianae mentiuntur.

§. XXXVIII.

Verſatur manſuetudo iſta circa res omnes, omnesque homines, qui ad iram ac indignationem aliquem concitare poterant. Hinc generatim quoslibet Chriſtianos Paulus vult eſſe πᾶσαν ἐνδεικνυμένους πρᾳότητα πρὸς πάντας ἀνθρώπους, *Tit. III, 2.* conf. & *1 Theſſal. V, 14.* Ita quidem vt iniuriis aliorum non commoueantur, aut irritentur, aliorum contra defectus & infirmitates patienter ferant, *Gal. VI, 1.* idque omni tempore, *2 Tim. II, 24. 25.* *

* Quaeritur, quinam hic intelligantur per τοὺς ἀντιδιατιθεμένους? Obſervantque nonnulli, in quibusdam codicibus verſionis vulgatae addi vocem *veritati*: vt ſpeciatim, qui per errores doctrinae verae ſe opponunt, intelligantur. Sed, cum haecce reſtrictio in textu graeco non habeatur, non eſt, vt haec nos morentur. Res ipſa equidem & contextus docet, apoſtolum loqui de haereticis ſui temporis, quibus ita obuiam ire debeat epiſcopus, ne tamen manſuetudinis ſit immemor, idque recte obſeruat IO. ANDREAS QVENSTEDIVS, in *ethica paſtorali mon. 40. p. 262.* Nihil tamen obſtat, quo minus ſimul ad homines, quorum improbi mores ſunt, hancce vocem extendamus, quod AVGVSTINVM feciſſe, idem auctor indicat, addita ratione: *cum pauciſſimi contradicant linguis, plurimi male viuendo.*

§. XXXIX.

Quemadmodum vero in manſuetudine pariter ac in zelo obſervanda eſt proportio, ita, ne per eam iuſto zelo quidquam decedat, diſpiciendum; quod quidem ſeueritatis ac lenitatis temperamentum longe difficillimum eſſe, iampridem viri harum rerum periti iudicarunt. Verae autem manſuetudinis, & lenitatis vituperabilis, quinam characteres ſint, ex dictis colligere licet. Id ſaltem addendum, etſi vera manſuetudo hactenus vniformis ſit, quod ad omnia ſe extendat, magis tamen ſe exerit in iniuriis & incommodis ad nos ipſos ſpectantibus, vti contra in iis, quae ad gloriam Dei & aliorum ſalutem pertinent, zelo iuſto ſuum concedit locum, quod plerumque in lenitate vituperabili aliter ſe habet.

§. XL.

Vt reliqua denique perſequamur, quae requiruntur, vt paſtor

eccleſiaeque doctor, ſuo rite praeeſſe muneri queat, decori quoque, atque aetatis, immo & corporis eiusque virium, hic habenda eſt ratio. Et ad *decorum* quidem quod attinet, Paulus ipſe epiſcopum iubet eſſe *κόσμιον*, *1 Tim. III, 2.* quam vocem de decoro, ſeu *de eo, quod decet*, recte capiunt praeſtantiſſimi interpretes. * Cumque decori pro diuerſis hominum ſtatibus diuerſa ſit ratio, quoad paſtores tamen, doctoresque eccleſiae praecipue in grauitate conſiſtit, ** quam, memores vbique dignitatis & excellentiae officii ſui, ſedulo ſeruare debent. Sunt enim *ſal terrae, lux mundi, Matth. V, 13. 14.* interpretes, internuntii, & *legati Numinis, 2 Cor. V, 20, ſerui Chriſti, 1 Cor. IV, 1.* Nihil ergo factis, dictis, geſtibus, admittere debent, quod perſona iſta, quam ſuſtinent, indignum ſit.

* Sic HVGO GROTIVS interpretatur: *qui omnia facit κατὰ τὸ πρέπον*, ad *h. l.* eodemque collimat verſio B. LVTHERI. Vulgatus reddit: *ornatum*, quia compoſiti mores ſunt maximum hominis ornamentum, iudice B. IO. GERHARDO, *loc. de miniſterio*, §. 238. Conſentit HIERONYMVS, *ep.* 83. ad *Oceanum*, vbi ex Cicerone docet, ornatum vocari, qui decorum ſeruat in motu, inceſſu, habitu, & ſermone. Et hae ſunt partes praecipuae decori, vt alibi ex inſtituto docetur.

** Huc non immerito nonnulli referunt, quod diaconi, 1 *Tim.* III, 8. iubeantur eſſe *σεμνοί*, quae vox, etſi quandoque in malam partem accipiatur, vt idem ſit, ac *tumidus*, *odioſe & immodice grauis*, hoc loco tamen in laude ponitur, pro eo, qui eſt cum auctoritate & modeſtia grauis, qui in verbis, factis, vita & moribus ita ſe gerit, vt reuerentiam quandam erga ſe in animis auditorum & ſpectatorum ſibi conciliet, vt bene obſeruat B. IO. GERHARDVS, *loc. de miniſterio*, §. 238.

§. XLI.

Obſeruari ſpeciatim decorum, ſeu *τὸ πρέπον*, ſolet in *geſtibus*, *ſermone*, & *veſtitu*. * In quibus omnibus vt eccleſiae quoque doctor, ita vt decet, ſe gerat, par eſt. In geſtibus ſcilicet, vt cum grauitate modeſtia eluceſcat; ** in ſermone, ne quid inconſiderate, improuide, intempeſtiue proferat, aut talia loquatur, quae animi leuitatem arguant; *** in veſtitu, ne aut luxus aut vanitatis ſuſpicionem ſibi attrahat, vel ſordidus videatur, * vel ſingularia ſectando ſuperſtitionis ** incurrat notam. Idque omnino prudentiae poſtulant leges, cum decori veri & chriſtiani *** neglectus, vitiorum variorum praebeat ſuſpicionem, aliorumque hac ratione ludibrio & contemptui expoſitus eccleſiae doctor inſigni ſaepius laborum ſuorum fructu ſe priuatum videat. Quo ipſo cum eccleſiae damnum & incommodum attrahitur, hoc euitare, prudentiae eſt.

* conf. *elem. philoſ. pract. part. 3. cap. 5. ſect. 1. §. 10. ſeqq.*

** Quo pacto decorum in geſtibus, quorſum & inceſſus ſpectat, obſeruandum ſit, iam ipſe docuit CICERO, de *officiis lib. 1. cap. 35. pag.* 314. qui ſummam rei in eo ponit, *ne quid* (in iis) *effoeminatum aut molle, aut ne quid durum aut ruſticum ſit.* Quo pacto cum

omnium

omnium hominum morem comparati eſſe debeant, multo magis a ſacri ordinis viris, quos clericos vocant, hoc requiritur. *Illorum epiſcoporum vitam deteſtabilem putes*, inquit PETRVS BLESENSIS, *quorum inceſſus erecta ceruice, quorum facies torua, truces oculi, minae terribiles, dominantes in clero, non forma gregis in populo, quorum Deus venter eſt, quorum vita in morte ſepulta eſt, mendaces, vaniloqui, ſuperbi. &c. epiſt.* 15. BASILIVM contra ſine triſtitia grauitatem prae ſe tuliſſe, in *vita eius*, auctor eſt GREGORIVS NAZIANZENVS. Et de CYPRIANO, Carthaginenſi epiſcopo, diaconus eius PONTIVS refert: *quod ei grauis fuerit vultus & laetus, nec ſeueritas triſtis, nec comitas nimia, ſed admixta vtrinque temperies, vt eſſet ambiguum, vereri plus, an diligi mereretur, niſi quod vereri & diligi merebatur, &c.*

*** In ſermone quoque τὸ πρέπον ſeu decorum obſeruandum eſſe, ipſimet agnouere gentiles. Hinc de eo praecipit CICERO, *lib.* I. *de officiis, cap.* 37. Quid chriſtianos circa ſermonem deceat, pauca complectitur Paulus: ὁ λόγος ὑμῶν πάντοτε ἐν χάριτι, ἅλατι ἠρτυμένος, *Coloſſ.* IV, 6. Id vero praecipua quadam ratione ab illis, qui reliquis vitae exemplum praeire debent, requiri, res ipſa docet, add. IO. LVD. HARTMANNVS, in *paſtor. euangel. lib.* 2. *cap.* 7. *p.* 275. vbi & de reliquis decori paſtoralis partibus agit.

* Per veſtitum quoque animi vitia prodi, philoſophia iamdudum obſeruatum eſt. In eo itaque vt modeſtia & grauitas elucelcat, operam dare, viri ſapientis, multo magis autem epiſcopi eſt, eccleſiaeque doctoris. Recte conſtitutum fuit in concilio *Carthagin.* 4. *can.* 45. *Clericus profeſſionem ſuam & in habitu, & in inceſſu probet, & nec veſtibus, nec calceamentis decorem quaerat*; decorem, hoc eſt, elegantiam affectate nimis & delicate excultam. Tanta autem omni tempore quorundam clericorum fuit animi leuitas, per luxum & mollitiem in veſtibus ſe prodens, vt eam per variorum conciliorum canones coërcere neceſſe fuerit: qua de re legendus, quem ſaepe citauimus, ZIEGLERVS, de *epiſcopis, lib.* 4. *cap.* 7. vbi de *epiſcopi habitu decenti*, agit, *p.* 47. *ſeqq*

** Quales clericorum veſtes, ſi formam ſpectes, eſſe debeant, lege quadam vniuerſali determinatum non eſt, nec determinari commode poteſt. Vſu tamen fere receptum eſt, vt veſtitus illorum a veſtitu reliquorum diſtinctus ſit. Nec id reprehendendum, modo hoc non fiat ex ea ratione, quod ſacerdotum veteris teſtamenti veſtitus a reliquorum fuerit diſcretus, hoc enim nihil ad rem facit, ſed quod per peculiare veſtitus genus eo adduci debeant, vt, omni leuitate in veſtitu euitata, decentem contra grauitatem ſectentur. Et hac quidem ratione receptam quilibet merito ſequitur conſuetudinem. Sed, qui certis veſtimentorum generibus neſcio quam ſanctitatem tribuunt, aut cum pontificiis maxima inſuper myſteria in iis quaerunt, vel omnem clericorum ἐξοχὴν in certo veſtimentorum genere collocant, nihil aliud agunt, quam vt hypocriticam ſuam, ineptamque, immo ridiculam ſuperſtitionem prodant.

*** Decorum enim vel verum, vel apparens, ſeu pſeudo-decorum eſt. Illud nititur iudicio hominum ſapientum, hoc iudicio hominum ſtultorum, vana quaeuis conſectantium. Ad hocce pſeudo-decorum pertinet etiam τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου, a quo homines chriſtiani procul ſunt remoti, iuxta monitum Pauli, *Rom* XII, 2. Sapientia autem cum iterum vel diuina, vel humana ſit, decorum, quod iudicio hominum diuina ſapientia praeditorum nititur, hoc demum illud eſt, quod chriſtianorum eſt proprium: de quo & illud Pauli: καθὼς πρέπει ἁγίοις. *Ephef.* V, 3. eſt intelligendum. conf. & *Phil.* IV, 8. Cuius quidem decori fundamentum ipſae virtutes in animo latentes praebent, quae hac ratione per τὸ πρέπον in verbis, geſtibus, veſtitu, aliaque ratione vim ſuam exerunt. Vnde & ſequitur, decorum verum non poſſe eſſe ſine virtutibus: cetero quin ſaltem hypocriſis & virtutum quaedam eſt ſimulatio: qua de re alibi.

§. XLII.

Quod ad aetatem attinet, ea certis quidem annis circumſcribi nequit, * cum quibusdam ſapientia veniat ante annos. Timotheum

quoque, etſi iuuenem, epiſcopali praefuiſſe muneri, nouimus. *1 Tim. IV, 12.* Prudentiae interim eſt, non temere iuuenes, & qui per aetatem nondum idonei cenſentur, muneribus ſacris praeficere, niſi plane nobis conſtiterit, virili prorſus robore eos praeditos eſſe: quemadmodum & imprudenter agit, qui ſuae aetatis, ſuarumque virium immemor, ipſe eiusmodi officium affectat.

* In iure quidem canonico, triginta anni praefiguntur, antequam quis epiſcopus fiat, quod tempus & presbytero praefinitur, *can. ſi quis diſt.* 28. idque exemplo Chriſti ſeruatoris, atque Ioannis Baptiſtae, comprobari poſſe autumant. Eandemque legem annariam in Leuitis veteris teſtamenti obſeruatam fuiſſe, nonnulli colligunt ex *Num.* IV, 3. Verum, vti exemplum Chriſti, in hocce quidem capite, pro lege allegari nequit, ita aut ab ipſo, aut ab apoſtolis annorum numerum in illis, qui ad verbi diuini miniſterium eligendi ſunt, determinatum eſſe, non legimus. Res tamen ipſa docet, caute admodum hic agendum, nec eligendos, qui per aetatis rationem, tam graue ſacri muneris onus, ſuſtinere nequeunt. conf. IO. CONR. DANHAVERVS, *theol. conſcient. tom* 1. *part.* 2. *ſect.* 2. *dial.* 3. *p.* 940. *ſeqq.* & IO. BRVNNEMANNVS, in *iure eccleſ. lib.* 1. *cap.* 5. §. 11. & quae B. SAM. STRYKIVS, ad *h. l.* annotauit, *p.* 78.

§. XLIII.

Qui corporis inſigni quodam vitio laborant, recte interdum & ſuis & eccleſiae rebus conſulunt, ſi a ſacro ſe abſtineant munere. Namque & hoc eſt prudentiae, praeſertim, ſi hac ratione ad finem officii conſequendum parum idonei fuerint. Sed non ſemper, nec quodlibet corporis vitium obſtat, * quo minus ſacrum ſuſcipere munus liceat, cum praeſtet miniſtrum carere oculo alterutro, quam eccleſiam idoneo miniſtro.

* Corporis inſigni quodam vitio laborantes non vocandos eſſe ad miniſterium eccleſiaſticum, ſancitum eſt in iure canonico, *c. poenitentes, diſt.* 5. & in *c. vlt. de vnoculo &c.* Suntque, qui legem Iſraëlitis *Leuit.* XXI, 17. datam, huc quoque trahunt. Sed, vt iuris canonici exigua apud nos eſt auctoritas, ita leges quoque particulares Iſraëlitis datas, nos hodie non amplius obligare nouimus. Sunt &, qui, per corporis defectus, *Leuit.* XXI, 17. indicatos animi vitia denotari contendunt. vid. ABRAH. CALOVIVS, ad *h. l.* Interim, ne temere & ſine neceſſitate ſacro muneri admoueantur, qui vitio inſigni corporis laborant, res ipſa poſtulat, & prudentiae quoque leges exigunt. Facile enim fieri poteſt, vt impedimenta hinc oriantur, quo minus ſingulis officii ſui partibus cum fructu exoptato fungi queant, conf. B. IO. GERHARDVS, *loc. de miniſt. eccleſ.* §. 187. add. BRVNNEMANNVS & STRYKIVS, *l. c. p.* 80.

§. XLIV.

Idoneum itaque ſi quis ſe nouerit, ad doctoris munus in eccleſia obeundum, ſique tum rite vocatus fuerit, * nihil aliud ſupereſt, quam vt de mediis, quibus eccleſiae & auditorum ſuorum aedificatio promoveri poteſt, rite adhibendis, ſit ſollicitus. Media vero haecce cum non alia ſint, quam verbi diuini diligens tractatio, *1 Tim. IV, 13. Actor. XX, 27.* vnde a paſcendo paſtores dicti ſunt, *1 Petr. V, 2. Ioan. XXI, 15. 16.* cum appli-

a dplicatione caute & circumſpecte inſtituenda, *1 Tim. V, 20. 2 Tim. II, 15.* vt & ſacramentorum & clauium, ligantis atque ſoluentis, legitima adminiſtratio, *1 Cor. XI, 23. Ioan. XX, 22. 23.* haec ipſa quoque ita adhibenda ſunt, prout prudentiae leges poſtulant, de quibus in ſequentibus ſpeciatim & ex inſtituto dicetur. Nec tamen negligenda eſt ſeria pro eccleſiae conſeruatione & incremento, oratio, cum *Paulus quidem ſerat, Apollo irriget, ſed Deus det incrementum*, *1 Cor. III, 6.* add. *Actor. VI, 4. IV, 29. Rom. I, 9. 10. 1 Cor. I, 4. Epheſ. VI, 18.*

* Quo pacto vocatio legitima comparata eſſe debeat, dictum eſt ſupra *part.* 2. *cap.* 3. *ſect.* 8. §. 2. *ſeqq.* Qua ratione autem prudenter vocatio oblata ſit acceptanda, exponetur *cap. ſequenti.*

§. XLV.

Nec deſunt obſtacula, per prudentiam e medio remouenda. Primo namque ſaepius contingit, vt in muneris ſui exercitio impediantur eccleſiae doctores, prohibeanturue aut libere docere euangelium, aut redarguere pertinaciter errantes, aut caſtigare improbos ac refractarios. Quod cum non niſi a magiſtratibus, aut per magiſtratus fieri queat, non tantum precibus, vt Deus corda illorum ad meliora flectat, *1 Tim. II, 1. 2. 3.* & conſtantia, ne minis eorum ſtatim cedamus, ſed prudentia quoque opus eſt, ne intempeſtiuo zelo & rigore illos, qui veritatis dilatationem ſufflaminare poſſunt, irritemus, doctrinae contra ſinceritate pariter ac vitae innocentia eorum nobis conciliemus animos.

§. XLVI.

Deinde, ab aliis quoque, circa quorum emendationem eccleſiae doctores laborant, obſtacula oriuntur. Horum nonnulli cum omne conſilium Dei de ſalute ſua reſpuant, *Luc. VII, 30.* vt nulla amplius ſpes eos lucrandi ſuperſit, obſeruanda eſt regula Chriſti: *ne date rem ſacram canibus, neue margaritas veſtras porcis apponite*, *Matth. VII, 6.* Ad reliquos vero quod attinet, de quibus ſpes aliqua ſupereſt, obſtacula, quae conuerſionem impediunt, diligenter inueſtiganda, qualia ſunt varia praeiudiciorum genera, itemque vitia quaeuis, praeſertim dominantia, quae aut pro vitiis non habent, aut ea ſe exuere non poſſe putant, itemque, quae quiuis fere hominum ſtatus vitaeque genus quodlibet ſecum vehunt, impedimenta, *Luc. XIV, 18. 19. 20.* Haec tum ſimiliaue obſtacula, poſtquam detecta ſunt, argumentis ſolidis, ex ſcriptura ſacra petitis, indoli & captui cuiusuis accommodatis, ſolerter remouenda ſunt. Id namque prudentiae opus eſt.

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM

DE

PRVDENTIA ECCLESIASTICA, ET PASTORALI IN SPECIE.

Σύνοψις.

IN munere ſacro rite ſuſcipiendo vnusquisque prudenter ſeſe gerere debet, §. *I.*

Vocatio ſcilicet ad illud patienter expectanda, §. *II.*

oblata non temere recuſanda, §. *III.*

caute tamen acceptanda, §. *IV.*

Sacri muneris adminiſtratio officio docendi, & adminiſtrandi ſacramenta, abſoluitur, §. *V.*

Docendi officium, generatim ſpectatum, itidem variis conſtat partibus, §. *VI.*

ſpeciatim conſideratum, tum in concionibus, tum in catechiſationibus peragitur: catechiſationum neceſſitas, §. *VII.*

Prudentiae monita circa catechiſationes rite instituendas: tractanda ſcilicet in illis eſſe tantum maxime neceſſaria, §. *VIII.*

ad indolem & captum diſcentium cuncta eſſe accommodanda, §. *IX.*

non tantum memoriae, ſed cumprimis intellectus habendam eſſe rationem, §. X.

operam dandam, ne quis temere a ſubeundo examine catechetico deterreatur, §. X*I.*

cuncta denique ad vitae chriſtianae praxin dirigenda, §. X*II.*

Concionum ſacrarum vtilitas, & neceſſitas, §. X*III.*

Quid generatim de illis iuxta prudentiae leges obſeruandum. §. X*IV.*

Supponitur, oratorem ſacrum ipſum orationis ſuae eſſe auctorem, §. X*V.*

Quid ſpeciatim itaque iuxta prudentiae praeſcriptum obſeruandum, circa textus explicandi electionem, §. X*VI.*

circa diſpoſitionem, §. X*VII.*

& explicationem, §. X*VIII.*

item, circa applicationem ad ſtatum auditorum, §. X*I*X.

& denique circa ſtylum. §. XX.

circa quem & ſpecialius adhuc quaedam ex prudentiae lege monentur, §. XX*I.*

Quaenam circa pronunciationem, & actionem, ſeu geſtus obſeruanda, §. XX*II.*

Didaſcalicum officium, ſpeciatim ita dictum, excipit elenchticum, cuius demonſtratur neceſſitas, §. XX*III.*

Quo vt prudenter quis fungatur, diſpiciendum, quinam redarguendi: quid circa haereticos veteres & abſentes obſeruandum, §. XX*IV.*

item, circa praeſentes, §. XX*V.*

Diſtinguendi quoque ſunt a ſeductoribus ſeducti, §. XX*VI.*

In quo vera & genuina ratio elenchi conſiſtat? §. XX*VII.*

Vt prudenter elenchus inſtituatur, debet dirigi ſpiritu veritatis, manſuetudinis, zelique diuini, §. XX*VIII.*

Loci quoque, & temporis, aliarumque circumſtantiarum eſt habenda ratio, §. XX*IX.*

In publico elencho certi obſeruandi gradus, §. XXX.

Interdum etiam adhibendum eſſe elenchum nominalem, §. XXX*I.*

non tamen temere, nec ſine ſumma neceſſitate, §. XXX*II.*

Quotuplici ratione in officio elenchtico contra prudentiae regulas peccetur, §. XXX*III.*

Officium paedeuticum in quo conſiſtat? §. XXXIV.

eius neceſſitas; item quo animi adfectu, & erga quos adminiſtrandum ſit, §. XXX*V.*

ad regenitos ſcilicet praecipue pertinet, §. XXX*VI.*

Quaenam circa illud obſeruanda prudentiae monita, §. XXX*VII.*

Quotuplici ratione contra ea peccetur, §. XXX*VIII.*

Epanor-

Digitized by Google

Epanorthoſis in quo conſiſtat, eius neceſſitas: quo animi adfectu, & erga quos inſtituenda, §. XXXIX.

Quo pacto prudenter in ea verſandum, ſi nobis res ſit cum irregenitis, §. XL.

item, cum illis, qui ex infirmitate lapſi ſunt, §. XLI.

In cauſſas quoque peccatorum inquirendum: an omnia omnium hominum peccata redarguenda? §. XLII.

Quaenam porro circa peccata ipſa obſernanda prudentiae monita, & quidem, ſi occulta ſint? §. XLIII.

item, ſi ſint manifeſta, §. XLIV.

Cumprimis in delictis, quibus ipſe paſtor laeſus eſt, redarguendis, caute admodum verſandum, §. XLV.

Circa modum epanorthoſeos quaenam obſeruanda, §. XLVI.

Certi quoque & hic obſeruandi ſunt gradus, §. XLVII

Quotuplici ratione contra haecce prudentiae monita peccetur, §. XLVIII.

Officii paracletici neceſſitas: in quo conſiſtat, quoue animi adfectu ad illud accedendum, §. XLIX.

Quinam ſolatio erigendi? §. L.

Quidnam ſpeciatim circa adflictiones ſpirituales & temporales obſeruandum, §. LI.

Prudentiae monita circa argumentorum, quae adhibeantur, ſelectum, & adplicationem, §. LII.

Quotuplici ratione contra haecce prudentiae monita peccetur, §. LIII.

Non tantum totius eccleſiae, ſed ſingulorum quoque eius membrorum in officio paſtorali habenda eſt ratio, §. LIV.

Qua ratione hoc fieri debeat, §. LV.

Reliqua huc ſpectantia ſummatim indicantur, §. LVI.

Ad alteram paſtoralis officii partem, quae in legitima ſacramentorum conſiſtit adminiſtratione, fit tranſitus, cui nonnulla de claue ſoluente & ligante praemittenda, §. LVII.

Quinam abſoluendi? §. LVIII.

quibus contra abſolutio deneganda? §. LIX.

circa peregrinos quid obſeruandum, §. LX.

item, circa modum abſolutionis, §. LXI.

vt & circa ſigillum confeſſionis, §. LXII.

Excommunicationis ratio & indoles in quo conſiſtat, §. LXIII.

eſt vel minor, §. LXIV.

vel maior, §. LXV.

quaenam circa minorem excommunicationem obſeruanda prudentiae monita, §. LXVI.

Quid factu opus, ſi quis, per rumorem delatus, facinus neget, aut coram eccleſiae miniſtro fateatur, quod coram iudice negat, aut, ſi quis neget, cuius miniſter eccleſiae aliunde certus eſt, §. LXVII.

Quotuplici ratione & hic tum contra leges diuinas, tum contra prudentiae regulas peccetur, §. LXVIII.

Quaenam circa baptiſmi adminiſtrationem ex prudentiae praeſcripto ſint obſeruanda: ſpeciatim quinam baptizandi, §. LXIX.

Occaſio infantes baptizandi non temere negligenda: quid factu opus, ſi incertum, an infans baptizatus ſit? §. LXX.

Circa baptiſmum adultorum quid obſeruandum? §. LXXI.

itemque, circa formam & materiam baptiſmi? §. LXXII.

vt & circa ſuſceptores ſeu patrinos, §. LXXIII.

& denique, circa ritus baptiſmales, §. LXXIV.

In ſacrae coenae adminiſtratione diſpiciendum, ne admittantur indigni, §. LXXV.

Quo pacto circa contemptores ſacrae coenae verſandum, §. LXXVI.

Quid de illis cenſendum, qui praeter culpam ſuam ſacrae coenae vſu priuantur, §. LXXVII.

Circa materiam, formam, & ritus ſacrae coenae, quid obſeruandum? §. LXXVIII.

Sed generatim quoque ceremoniae & ritus eccleſiaſtici hic in cenſum veniunt, §. LXXIX.

Quid ex prudentiae praeſcripto, ſi aut noui ritus introducendi, aut veteres abrogandi ſint, obſeruandum, §. LXXX.

Speciatim cauebit paſtor, ne ritus ſacri in ſuperſtitionis occaſionem arripiantur, §. LXXXI.

aut ne luxui, ambitioni, aliisque cupiditatibus mortalium inſeruiant. §. LXXXII.

§. I.

VT quis doctoris paſtoriſque munere rite in eccleſia fungi queat, neceſſe eſt, vt non tantum dotibus neceſſariis ſit inſtructus, ſed vt rite quoque ſit vocatus. Hoc vero vt nunc, ceu euictum alibi,* ex *Ierem. XIV, 15. XXIII, 21. XXVII. 15. Ioan. III, 27. Rom. X, 15* ſupponimus, ita paucis, quo pacto circa vocationem prudenter quiſque ſe gerere debeat, exponere, huius loci eſt.

* *part. 2. cap. 3. ſect. 8. §. 2. ſeqq.*

§. II.

Primo itaque vocatio ad doctoris munus patienter eſt expectanda.* Hoc requirit indoles & natura, immo ipſa vox, *vocationis*. Qui enim ſua ſponte venit, non vocatur. Idque exemplis etiam virorum diuinorum, quae in ſcriptura ſacra occurrunt, Moſis, prophetarum, & apoſtolorum comprobari poteſt. Sed prudentia quoque hoc requirit, quia, qui ita expectat vocationem, inde, ſi & reliqua conſpirent, de voluntate diuina eo certior eſſe poteſt, qua in re maximum contra quaeuis aduerſa inuenit praeſidium.

* Nec obſtat locus 1 *Tim.* III, 1. Iſtud enim deſiderium, de quo ibi apoſtolus loquitur, vel ſanctum eſt & ſpirituale, ex ſincero Numinis amore ortum, & tantum ad eius gloriam amplificandam, aliorumque ſalutem promouendam, comparatum: ita non poteſt non coniunctum eſſe cum humillima ſubiectione, qua quis diuinae voluntati ſe ſubmittit, & diuinam patienter expectat vocationem. Quaeri equidem ſolet, an omnis petitio a vocatione abeſſe debeat? Suntque, qui exiſtimant, quae legitime quaerenti offeratur, non pro illegitima habendam vocationem. vid. IO. LVD. HARTMANNVS, in *paſtoral euangel. lib.* 1. *cap.* 7. §. 1. *pag.* 115. Nec abnuo, eiuſmodi rerum ſtatum quandoque eſſe poſſe, vbi non ſit nefas, legitimo modo vocationem petere, ſi v. g. nemini alias aditus ad munus ſacrum concedatur, animuſque ab omni prauo adfectu ſit immunis. Interim tutius & prudentius agit, qui, quantum fieri poteſt, ab omni petitione abſtinet, cum de vocatione ſua, quod diuina & legitima ſit, tum eo certior eſſe queat.

§. III.

Nec tamen temere vocatio oblata recuſanda. Quod de illis praecipue intelligendum, qui nondum in officio publico ſunt conſtituti. Qui enim ab vno officio ad aliud vocantur, niſi grauiſſimae rationes mutationem ſuadeant, vocationem recte repudiant.* Sed illi quoque, qui in officio publico non ſunt conſtituti, recte prudenterque vocationem recuſant, cum muneri, quod illis offertur, ſuſtinendo, vires illorum non ſufficiunt, aut vocationi vitium adhaeret, vt non tam diuina, ſed ex humano conſilio profecta, cenſeatur. Haec autem omnia ſi rite ſe habeant, nullaque adſit praegnans ratio vocationem recuſandi, eam acceptare & officii eſt, & prudentiae. Officii quidem, quia Deo vocanti eſt obediendum. conf. *Exod. IV, 10. 11. Ionae I, 2. 3. Eſ. VI, 8.* Prudentiae,

quia

quia nulla occaſio, quae Deus in nos contulit dona, in aliorum iterum vſus diſpenſandi, eſt praetermittenda. Qui vero ob cauſas in ſe prauas ** vocationem recuſant, ne digni quidem ſunt, qui hic in cenſum veniant.

* Non plane nefas eſſe, vt ab vno officio ad aliud quis tranſeat, conſtat. Interdum namque eccleſiae hoc requirit ſalus: nec praetermittenda occaſio, plures ad ſalutem aeternam perducendi. Si ergo vberior campus, in alia eccleſia regnum Chriſti amplificandi, verbi diuini miniſtro aperiatur, quam in ea, cui hactenus praefuit, perperam ageret, ſi Deo aliorſum vocanti obedire nollet. Quo ipſo tamen illis, qui commodorum huius vitae intuitu, ab vna eccleſia, temere ad aliam tranſuolant, neutiquam patrocinamur. Certum namque, hoc non recte, nec prudenter fieri, ſi gloriae diuini Numinis amplificatio, & regni Chriſti dilatatio hoc non aperte ſuadeat. Sequitur inde, nec ad incommoda quaedam ſubterfugienda, nec ad collegae, moribus parum compoſitis praediti, praeſentiam declinandam, aut ob ingratos ac immorigeros auditores, mutationem temere ſuſcipiendam. Aliter tamen ſentiendum, ſi omni prorſus fructu careat labor, rite & diligenter in eccleſia quadam ſuſceptus.

** e. g. ob minus pingue ſalarium, ob laborum difficultatem, ob periculorum magnitudinem, &c. Quod ſi quaeras, an inuitis & reluctantibus, ex quacunque demum hoc fiat cauſſa, ſacrum munus imponendum ſit? id minime conſultum exiſtimauerim. Spontaneam enim ſequelam a nobis exigit ſeruator, *Matth*. X, 37. 38. ſeruitiaque coacta Deo non placent, *Pſalm*. CX, 3. 1 *Petr*. V, 2. Ad exempla eorum, quos Deus & eccleſia renitentes etiam ad officia ſacra adhibuiſſe videntur, vt Moſis *Exod*. IV, 1. 11. Ieremiae *cap*. I, 6. 7. Ionae III, 1. facile reſponderi poteſt. Agit hac de re ex inſtituto CASP. ZIEGLERVS, in commentatione ſupra iam laudata, de *clerico renitente*.

§. IV.

Interim caute tamen vocatio acceptanda. Conſiderandus ſcilicet ſcopus & conſilium vocantium cum ipſa vocatione, ne quid vitii ſubſit, ſpeciatim, num abſolute, an ſub conditione offeratur, & cuiusmodi ea ſit conditio? * Vires quoque ſuas, qui vocatur, exploret, non tantum generatim, an ad officium aliquod eccleſiaſticum idoneus ſit, ſed an ſpeciatim ad illud, quod offertur, rite obeundum vires ſuppetant? Eum in finem ſtatum eccleſiae, cui praeficiendus eſt, conditionemque auditorum cognitam vtcunque & perſpectam habeat, neceſſe eſt. Tum vero ardentiſſimis precibus Numen ſupremum inuocet, vt animum ad ea flectat, quae quam maxime e re eccleſiae fuerint.

* Huc celebris pertinet quaeſtio, an vocatio, ſub conditione, de ducenda vel vidua, vel filia defuncti paſtoris, oblata, ſit acceptanda? Non vero acceptandam, res ipſa docet. Legitimus enim finis, tum ex parte offerentis, tum ex parte acceptantis, eiusmodi vocationem, locum habere nequit. Ne quid de ſcandalo dicam, quod praebetur; itemque, quod hac ratione illi, qui magis idonei ſunt, ſaepius poſtponantur.

§. V.

Iam, ſi rite muneri ſacro admotus fuerit eccleſiae doctor, praecipua eius cura merito eſt, vt eodem rite atque prudenter fungatur. Cumque duabus praecipue partibus officium eius abſoluatur, vt eos,

qui fidei ſuae concrediti ſunt, doceat, & in iis, quae creditu & factu neceſſaria ſunt, inſtruat, tum vt ſacramenta legitime adminiſtret, vt vtrobique ſuo ſatisfaciat muneri, prudentiae in his omnibus monita non negliget.

§. VI.

Docendi officium aut generatim conſiderari poteſt, aut ſpeciatim, quoad adplicationem ad ſingulos. Priori modo ſpectatum, complectitur iterum iuxta praeſcriptum Pauli, *2 Tim. III, 16.* & *Rom. XV, 4.* *διδασκαλίαν*, ſpecialiori ratione ita dictam, *ἔλεγχον*, *παιδείαν*, *ἐπανόρθωσιν* & *παράκλησιν*. Quae omnia ordine nobis conſideranda erunt.

§. VII.

Docendi officium, ſeu *διδασκαλία* hoc modo ſpectata, tum in *concionibus*, tum in *catechiſationibus*, quae rudiorum praecipue informationi inſeruiunt, peragitur. Catechiſationum namque nonminor neceſſitas eſt, quam concionum, ob ſummam plerorumque hominum ignorantiam, cui non aliter, quam hac ratione, medela adferri poteſt. Per interrogationes enim cum & profectus & defectus, ingeniique vires intelligantur, rectius ſane, ſermone ad cuiusuis captum adcommodato, de ſingulis, quae ſcitu neceſſaria ſunt, informari poſſunt. Suffragatur praxis apoſtolorum, rudiorum, ſeu qui adhuc infantes in Chriſto erant, vel maxime rationem habentium, *1 Cor. III, 1. 2. Ebr. V, 12. 13. 14. VI, 1.* quorum deinceps exemplum diligenter imitati ſunt, veteris eccleſiae doctores reliqui. *

* conf. BALTHASAR BEBELIVS, in *antiquitat. eccleſiae euangelicis ſec. 2. p. 200.* & *ſec. 5. p. 520.* add. MICHAELIS WALTHERI *diſſertatio de catechiſatione veterum, maxime ex antiquitate eccleſiaſtica*, & IO. BENEDICTI CARPZOVII *diſſertat. ad Auguſtini librum de catechiſandis rudibus*; VALENTINI ALBERTI *diſſertatio theologico-practica de catecheſi*, IO. ANDR. SCHMIDII *diſſertat. de catechiſatione*, aliique. Sed agitur quoque hac de re a nobis alibi.

§. VIII.

Sed, vt cuncta rite in catechiſationibus procedant, ſequentia obſeruanda prudentiae monita: primo, in catechiſationibus neceſſaria tantum, & maxime vtilia tractanda ſunt. Cum rudioribus enim ibi praecipue nobis res eſt, quorum intellectus & memoria cum neceſſariis capiendis & retinendis vix ſufficiat, a ſcopo magnopere aberraret, qui non neceſſariis aut ſuperfluis eos diſtinere vellet. * Ea autem maxime neceſſaria, quae ad fundamentum fidei directe aut indirecte pertinent, quae ita inſtillanda eorum, quos erudimus, mentibus ſunt, vt non tantum doctrinam coeleſtem recte capiant, ſed eandem ſcripturae quoque teſtimoniis adſtruere condiſcant.

* Maxime

* Maxime neceſſaria doctrinae capita neruoſe, eleganter, & perſpicue in *catechiſmo minori* complexus eſt B. MARTINVS LVTHERVS, cui merito ita inhaerendum, vt ab eo nunquam diſcedatur, ſed, quae aut breuiter aut obſcure dicta ſunt, explicentur, illuſtrentur, ſcripturae dictis confirmentur, & ad vitae fideique vſum, adplicatione rite inſtituta, deducantur.

§. IX.

Deinde, ad indolem & captum diſcentium cuncta ſunt accommodanda. Praecipua haec in omni prudentia didactica regula eſt. Quaeſtiones igitur ea, qua poteſt fieri, facilitate formandae atque proponendae ſunt. Iuuabit etiam eas ita formare, ne fuſiori ſermone, ad eas reſpondendum ſit, ſed vt affirmatione vel negatione, vel ſaltem paucis verbis ſenſus ab interrogato expediri queat. Iuuabit pluries rem eandem diuerſis quaeſtionibus, & verbis variatis proponere, vt ita conſulatur hebetioribus. Iuuabit, non ſemel, ſed ſaepius eandem rem repetere, vt conſulatur illis, qui equidem celeriter propoſita capiunt, ſed difficulter retinent. Iuuabit denique, datam reſponſionem clare repetere, vt tota concio inde vtilitatem quandam capiat.

§. X.

Praeterea non tantum memoriae, ſed praecipue intellectus in catechiſationibus habenda eſt ratio. Memoria tenere, quae non intelligimus, parum prodeſt. Ita enim homines a pſittacis non differunt. Facilius quoque retinentur, quae intelligimus, cum verba contra non intellecta cito memoria effluant. Non temere ergo certis verbis & formulis adſtringendi ſunt diſcentes, ſed adſuefaciendi ſunt, vt quisque ſuis verbis mentem ſenſumque ſuum exprimat, vt intelligatur, num recte tradita perceperint. Qua in re exemplum illis praeire debet, qui eos inſtituit. Si quae autem memoriae mandanda ſunt, eligantur praecepta maxime neceſſaria, & ſcripturae dicta, quibus praecipua coeleſtis doctrinae capita confirmari ſolent. Sed ea tamen hoc fieri conditione debet, vt recte prius intelligantur, quam tradantur memoriae.

§. XI.

Opera quoque danda, ne quis temere a ſubeundo examine catechetico deterreatur. Tractandi ergo qui examinantur, quam humaniſſime, nec ob ignorantiam acriori ſtatim cenſura notandi. Quare & reſponſa minus congrua vtcunque excuſanda, &, ſi fieri poteſt, verba ad ſaniorem aliquem ſenſum reducenda, ſimulque vera & adcurata reſponſio ſubminiſtranda. Cumque adultiores interdum vix adduci queant, ut ad eiusmodi examina ſe ſiſtant, opera nauanda, vt alliciantur, & ſaltem ceu auditores eisdem interſint. Quod fieri poterit, ſi

cuncta ita tractentur, vt, qui interſunt, ſtatim intelligant, quantum ex iis proficere queant. Vnde deinceps, ſalutis ſuae promouendae ſtudio, ſua ſponte accedent.

§. XII.

Cuncta denique * ad vitae chriſtianae praxin dirigenda. Huc enim omnis doctrina chriſtiana tendere debet. Eiusmodi ergo formandae & proponendae quaeſtiones, ex quibus dogmatum fidei vtilitas in vita chriſtiana pateſcat, nec intermittenda adplicatio ad ſtatum illorum, qui hac ratione inſtituuntur, aut in quorum gratiam eiusmodi labor ſuſcipitur, ſubiuncta paraeneſi, & precibus ad rem ipſam accommodatis.

* De iis, quae hactenus de ratione catechiſandi diximus, vt & de reliquis, quae adhuc addi poſſent, vid. SPENERVS, in *praefatione*, quam *tabulis* ſuis *catecheticis* praemiſit: item in *reſponſis theolog. german. part. 1. p. 686. ſeqq.* & alibi paſſim.

§. XIII.

Alter docendi modus, quo in erudiendo grege ſibi commiſſo verbi diuini miniſtri vtuntur, in *concionibus*, ſeu *ſermonibus*, quos ad populum habent, conſpicitur. Quae quidem docendi populumque erudiendi ratio, vt antiquiſſima, * ita ſimul vtilisſima eſt, & ad eccleſiae aedificationem prorſus neceſſaria. Prudentia tamen & hic eo magis opus eſt, quo grauiores abuſus pasſim in hodiernis concionibus notari ſolent.

* De origine concionum, ſpeciatim textualium, quae hodie in vſu ſunt, vid. FRANCISCVS BERNHARDINVS FERRARIVS, de *ritu ſacrarum concionum*, IOACHIMVS HILDEBRANDVS, in *diſſertat. de veterum concionibus*: item in *ſacris publicis veteris eccleſiae*, *p. 95. ſeqq.*

§. XIV.

Caput cauſſae, & ſumma rei in eo conſiſtit: in concionibus, ſiue ſermonibus ſacris, non adplauſum hominum ſectandum, aut ad vanam gloriam, * ſed vnice ad auditorum aedificationem reſpiciendum. In eo quidem & officiorum circa ſermones habendos ſumma conſiſtit, ſed non minus id eſt prudentiae. Apud paucisſimos finem, ad quem eiusmodi ſermones comparati eſſe debent, obtinebit orator ſacer, ſi auditores animaduertant, aut in eam inducantur opinionem, nihil aliud, quam eruditionis aut eloquentiae laudem, eum quaerere. Omnis itaque eruditionis, artis, ingenii, eloquentiae, oſtentatio procul in ſacris ſermonibus abeſſe debet, *1 Cor. II, 1. 2.* ** Cumque in re tanti momenti nihil ſibi ſuisque viribus iure orator tribuat, *1 Cor. III, 7.* hoc ſibi praeci-

praecipue datum recte credit, ut diuini ſpiritus auxilium precibus ardentiſſimis a Deo impetret, *Iac. I, 17.*

* Vnde non male iudicarunt, qui ſtatuerunt, oratoris ſacri praecipuam virtutem eſſe abnegationem ſui. Per eam enim gloriae quoque omnis ac vanitatis ſtudio nuntium mittere debent, qui in numerum diſcipulorum Chriſti referri, & exempla apoſtolorum imitari cupiunt. Lectu digna ſunt, quae hac de re adfert RENATVS RAPINVS, *dans ſes reflexions ſur l' eloquence de la chaire*, §. 23. p. 83. *ſeqq.*

**) Quaeſitum fuit, quid de concionibus, quas vocant, artificioſis ſentiendum? Sed dubium nullum ſubeſſe poteſt, ſi modo explicetur, quid per conciones artificioſas intelligatur. Quod ſi enim hoc nomine veniant, in quibus orator operam nauat, vt ſecundum regulas artis hermeneuticae textum recte explicet, tum vt diſtincte, perſpicue, ordinate, cuncta proponat, porro, vt, quae probanda ſunt, argumentis ſolidis auditorumque animos convincere & commouere aptis demonſtret, denique, vt ſermonis genere decenti, & inſtituto ſuo accommodato, vtatur, eas nemo ſapiens vituperauerit. Eum enim in finem dona divina quaeuis, & litterarum quoque ſtudia comparata ſunt, vt aliorum aedificationi inſerviant. At, ſi per artificioſas conciones eas intelligas, in quibus per ingenii, eloquentiae turgidae, profanaeque eruditionis, oſtentationem, vana & inanis gloria quaeritur, eas quidem fruſtra in ſe defendendas aliquis ſuſceperit. Pluribus hoc demonſtrauit IOACHIMVS LANGIVS, theologus Hallenſis celeberrimus, in *oratoria ſacra ab artis homileticae vanitate repurgata.*

§. XV.

Ad ſpecialia priusquam deſcendamus, ſupponimus merito, oratorem ſacrum ſui ſermonis auctorem eſſe. Qui enim ex aliorum commentationibus ſua ſaltem ſurripiunt, nec ſuopte Marte aliquid componere didicerunt, vt miſerrimi ſunt mortalium, ita hiſce prudentiae monitis locum vix relinquent, cum in eorum hoc poſitum non ſit poteſtate. Non enim, quae volunt, & debent, ſed quae poſſunt, quorumve ex aliorum lucubrationibus copia ſuppetit, proponunt. *

* Videtur quidem AVGVSTINVS, *lib. 4. de doctrina Chriſtiana, cap. 29.* illorum haud improbare inſtitutum, qui, cum ipſimet nihil excogitare queant, aliorum ſermones memoriae mandant, & ad populum proferunt. Verum, ſi per naturalem ingenii defectum nihil excogitare poſſunt, aliud debebant eligere vitae genus. Sin per ignauiam ingenii vires intendere nolunt, maximopere hoc nomine ſunt culpandi. Ideoque grauiter merito ab aliis reprehenduntur, qui eiusmodi quid faciunt, & ex poſtillis quas vocant, depromunt, quae pro ſuis venditant, & saepius a ſtatu & captu auditorum ſunt alieniſſima. conf. AEGIDIVS HVNNIVS, in *methodo concion.* ſtatim ab initio IO. ANDREAS QVENSTEDIVS, in *ethica paſtorali, mon. 13. p. 90. ſeqq.* IO. CONRADVS DVRRIVS, *theol mor. part. ſpec. cap. 3. p. 275. ſeqq.*

§. XVI.

Cum ſermonem ſacrum ad populum facturus, primo de eo ſollicitus eſſe debeat, vt textum, quem explicaturus eſt, eligat, mòdo hoc in eius poſitum ſit poteſtate, nec per conſuetudinem, aut magiſtratus conſtitutionem, aut alias cauſſas, certa ſcripturae loca explicare teneatur, prudentiae leges requirunt, vt eiusmodi textum eligat, qui argumentum arduum, idque pleno, quantum fieri poteſt, ſenſu, * contineat, quodue tempori & loco, & ſtatui auditorum ſit conueniens.

Praeſtat quoque textum eligere ex libris ſcripturae ſacrae canonicis, quam apocryphis. **

* Perperam igitur agunt, qui pauca verba textus loco eligunt, idque ſaepius eum ſaltem in finem, vt ingenium oſtentent, quod ex paucis, aut vnico interdum verbo, integram formare concionem queant.

** Ex libris apocryphis, aut ſcriptore quodam eccleſiaſtico, vel hymno quodam eccleſiaſtico, textum deſumere, fas eſſe negat IO. HENRICVS HEIDEGGERVS, in *enchirid. bibl. lib.* 2. *cap.* 1. affirmat B. GEORGIVS GOEZIVS noſter, ſed ea lege, vt analogia cum libris canonicis iugiter oſtendatur, in *rhetor. eccleſ. part.* 1. *p.* 1. Prudentia poſtulat, ne id fiat temere, cum libri canonici textus, qui explicari queant, abunde ſuppeditent, conf. & IO. HOORNBECKIVS, de *ratione concionandi*, *p.* 7. qui & *p.* 8. erudite diſquirit, quid de pericopis illis dominicalibus & feſtiualibus, euangelicis & epiſtolicis, ſit ſentiendum.

§. XVII.

Ex textu vt argumentum, quod quisque pertractandum ſibi ſumit, rite proponatur, *diſpoſitione* opus eſt. Haec vero cum partim analytica, partim ſynthetica methodo inſtitui queat, circa vtramque, ſequentia prudentiae obſeruare monita iuuat: analytica methodus, vt ſimplicior, praeferenda quidem in ſe eſt methodo ſyntheticae, at, ſi ſynthetica forte magis ad aedificationem faciat, haec illi eſt praeferenda; * in analytica methodo opera danda, ne a ſcopo principali & primario textus aberremus; ** in ſynthetica itidem ſedulo diſpiciendum, ne thema a ſcopo principali textus nimis ſit remotum, & vt argumenta ſolida, & ſufficientia ex textu erui queant, quibus demonſtretur; in partitione id curandum maxime, vt totum textum, praeſertim in methodo analytica, ſaltem thema, quod tractandum nobis ſumpſimus, habita textus ratione, exhauriat; tota denique diſpoſitio eo tendat, vt ſummam dicendorum plane, perſpicue, ſimpliciter exhibeat. Omnis itaque ſubtilitatis artisque oſtentatio procul hinc ſit remota. ***

* Praeſertim, ſi iuxta methodum analyticam notiſſimae hiſtoriae tantum ſint repetendae, aut in variis circumſtantiis hiſtoricis enarrandis tempus inutiliter ſit perdendum, cum contra ſynthetica methodus vberiorem campum, dogmata ſalutaria & captui auditorum accommodata, proponendi, ſuppeditet.

** Pertinet huc, quod nonnulli monent, diſpiciendum eſſe, ad quodnam cauſſarum genus, didaſcalicum, an elenchticum, &c. textus biblicus referendus ſit? Sed recte alii monent, ſuperflua eſſe, quae vulgo de diſtinctis cauſſarum generibus dicuntur, cum raro textus occurrat, qui vnius ſaltem ſit generis. conf. IO. LVD. HARTMANNVS, in *paſtorali euangelico*, *lib.* 3. *cap.* 7. *p.* 366. *ſeqq.*

*** Patet hinc, allegoricas diſpoſitiones non temere adhibendas, niſi forte ſcriptura ſacra ſub tali ſchemate dogmata iſta proponere ſoleat, aut textus ſua ſponte eo nos manuducat.

§. XVIII.

Textus ipſius explicatio etſi pro diuerſitate methodi analyticae aut ſyntheticae diuerſimode inſtituenda ſit, * generatim tamen ſequentia obſeruanda ſunt prudentiae monita: vt ſenſus genuinus eruatur, fontium, hoc eſt, linguae Ebraeae in veteri, & Graecae in novo teſtamento,

mento, vt & regularum hermeneuticarum, vt par eſt, habeatur ratio, ſed ita, vt veritas hoc modo eruta nude & ſimpliciter proponatur, procul faceſſere iuſſis omnibus iis, quae ad vanam & ineptam ſaltem eruditionis oſtentationem faciunt; vocum, quae in textu originali occurrunt, emphaſes quaerendae, ſed ſobrie & caute hac in re verſandum; *** verſio recepta non temere corrigenda, idque ad euitandam omnem oſtentationis ſuſpicionem, nec tamen illi ita inhaerendum, vt non, vbi res poſtulet, paucis indicetur, quo pacto textus originalis adcuratius exprimi queat; ad ſtatum, indolem, adfectum perſonarum, qui loquuntur, aut de quibus ſcriptura loquitur, ſedulo eſt reſpiciendum; in ipſis vero dogmatibus proponendis diſpiciendum, vt vtilia ſaltem & neceſſaria confectemur, eorum vbique habentes rationem, quae ad aedificationem faciunt; argumenta denique, quibus dogma aliquod probatur, adhibeantur ſolida, ſelecta, efficacia, captui auditorum accommodata; dubiaque ſimul, quae ſuboriri poterant, adcurata & ſolida reſponſione remoueantur.

* Hoc pluribus explicant, qui praecepta hermeneutica aut homiletica ex inſtituto tradunt.

** Controuerſiae itaque & ſubtilitates criticae, philologicae, variarumque ſententiarum, ad oſtentationem comparatae allegationes, procul hinc faceſſant. Haec enim ad aedificationem non faciunt.

*** Saepius enim contingit, vt homines artis criticae ignari in vocibus quibusdam emphaſin quaerant, vbi tamen nulla eſt emphaſis. Legi merentur, quae hac de re diſſerit IO. CLERICVS, *art. crit. part.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 4. *p.* 233. *ſeqq.*

§. XIX.

In adplicatione ad ſtatum auditorum ſequentia obſeruare, prudentia iubet; vt in qualibet concione vſus, quos vocant, quoad omnia cauſſarum genera tractentur, neceſſe non eſt, ſed conſultius interdum eſt, vni themati ita inhaerere, vt auditores pleniſſime conuincantur; argumenta tum itidem adhibenda ſolida, ſelecta, conuincentia, captui auditorum adcommodata; defectus auditorum indicentur cordate, cauſſae tamen ſimul inueſtigentur ſolerter, & remedia ingenue ſubiungantur; remoueantur praeiudicia, obiectionesque & argumenta, quibus aut errores aut vitia defendere ſolent, diligenter refellantur; * diſcrimen inter regenitos & irregenitos vbique adcurate obſeruetur, atque oſtendatur, quaenam ad hos, quaenam ad illos pertineant, cum ὀρθοτομία verbi diuini hoc vel maxime requirat; denique, cum hic adfectus auditorum praecipue commouendi ſint, omnis & affectatio & ſimulatio procul abſit, idque eo magis, quod is demum adfectus movere queat, qui ex adfectu loquitur, ** qualis autem in ſacro oratore adfectus eſſe debeat, res ipſa docet.

* Huc varia quoque hominum plebeiorum praeiudicia admodum communia, de impoſſibilitate vitae chriſtianae, de neceſſaria & ineuitabili quorundam vitiorum cum certis vitae generibus connexione, & reliqua eiusdem commatis ſpectant, quae diligenter refellenda, & illis eximenda ſunt.

** Rhetorum itaque praecepta in commouendis adfectibus parum proderunt, niſi zelo diuino atque amore ſincero accenſus ſit, qui verba facit. Sed qui ita comparatus eſt, adfectus auditorum concitabit, etſi de regulis, quae praeſcribi ſolent, nunquam cogitauerit.

§. XX.

Miſſis, quae circa introitum & exordium * moneri poterant, de ſtilo ſaltem obſeruamus, quod ſemper meminiſſe orator ſacer debeat, ſe homines informare ad ſalutem, non verba facere ad oſtentationem, aut ingenii vel eloquentiae laudem captandam; conſtareque verbo diuino ſuam vim, ſuamque dignitatem, etiamſi abſint λόγοι ἀνθρωπίνης σοφίας *1 Cor. II, 4.* Sit itaque ſtilus ſimplex, grauis, clarus, perſpicuus, dignusque diuino iſto, quod in ſacris ſermonibus tractatur, argumento.

* Si rectae rationis ductum ſequi vellemus, vnius concionis vnicum debebat eſſe exordium. Videnturque conciones, introitu & exordio conſtantes, ſimiles monſtro bicipiti. Sed dandum hic aliquid eſt conſuetudini ſemel receptae. Quod autem exordium non debeat eſſe longius petitum, aut anxie quaeſitum, ſed potius ſimplex, congruum, appoſitum, ἐνεργητικόν, res ipſa docet, & prudentia ſuadet.

§. XXI.

Eumque in finem conueniens fuerit, ſtilo, quantum fieri poteſt, vti biblico, eosque imitari ſcriptores, quorum probata eſt in hoc genere auctoritas; verborum ſequendus eſt delectus, ſed ut profanus abſit ornatus; * verba formulaeque loquendi nimis quotidianae, vulgares, adagiales, multo magis ludicrae & obſcoenae, quouis modo fugiendae, quippe quae cum dignitate & grauitate argumenti, quod tractatur, e diametro pugnant; id quod etiam de vocibus peregrinis & exoticis cenſendum; abſint quoque argutiae & acuminum conſectationes, ad ingenii ſaltem oſtentationem comparatae; itemque termini technici, vocesque Ebraeae, Graecae, Latinae; allegationes auctorum, hiſtoriae, emblemata, ſimiliaque, eo vnice comparata, vt eruditionis laudem orator conſequatur, quamuis apud prudentiores nihil aliud obtineat, quam vt inſigni eum iudicii defectu laborare credant.

* *Cogites euangelicus doctor*, inquit, IO. ANDR. QVENSTEDIVS, *ſe miniſtrum & legatum Chriſti eſſe, non hiſtrionem, non comoedum, non oratorem gentilem, laudem eloquentiae & plauſum popularem captantem. Cogites, ſe in eccleſia, non in foro, verba facere, ac proinde orationem ſuam non modo ad ſapientum iudicia accommodet, ſed multo magis ad popularem captum atque intelligentiam attemperet*, &c. in *ethic. paſtorali monit.* 107. *p.* 635. qui & in praecedentibus *monit.* 99. *ſeqq.* multa ſubinde tradit, quae noſtris monitis lucem

adferre

adferre poſſunt. Lectu quoque digna ſunt, quae hic praecipit RENATVS RAPINVS, *dans les reflexions ſur l' eloquence de la chaire*, §. 32. p 98.

§. XXII.

Supereſt, vt de externis, ſeu actione, vt vocant, aliquid dicamus, quorſum *pronunciatio* atque *geſtus* pertinent. De hiſce multa quidem rhetores praecipiunt; ſed prudentiae tamen eſt, ea diligenter euitare, quae finem, propter quem ſermones ſacri habentur, impedire poſſunt; itemque, quae animi quandam leuitatem aut aliud aliquod vitium arguunt. Ceteroquin naturae impetus, qui in hiſce vtramque fere paginam facit, ita dirigendus, ne quid contra eum temere agamus. * Inde enim contingit, vt nonnulli in turpem & ridiculam *affectationem* incidant, quae plerumque ex inepta aliorum oritur imitatione, aut cum ea coniuncta eſt, cum, quae in aliis probari aut laudari vident, ſtatim inuita natura imitari geſtiunt. ** Temporis denique etiam habenda eſt ratio, ne breuitati nimis ſtudentes, argumentum non exhauriamus, aut nimia prolixitate taedium creemus auditoribus.

* Recte & ſapienter hac de re pronuntiat DESIDERIVS ERASMVS Roterodamenſis: *eſt ſecundum naturam a iqua vocis mutatio non indecora grauibus viris: qua quidem iure naturam ſequi optimum eſt, modo, quod naturae deeſt, aut ſupereſt, aut vitiatum eſt, cura corrigatur. Quidquid autem notabiliter a natura recedit, vtut delectet, tamen fide caret*: in *eccleſiaſte p. 541.*

** Obſeruauit id iam QVINTILIANVS, dum *error*, inquit, *eſt, ſeſe totum in alios transferre, ipſeque populus, haec facile intelligens, quae in auctore probat, ridet contemnitque in hiſtrione*; *inſtit. orator. lib. 10. cap. 1.* Ceterum de ratione rite formandi habendique conciones, de qua hactenus diximus, plura dabunt, qui ex inſtituto praecepta homiletica conſcripſerunt, vt IO. BENEDICTVS CARPZOVIVS, in *hodegetico*, cuius explicationem dedit IO. BENEDICTVS CARPZOVIVS iunior, additam eiusdem *theologiae exegeticae*; IO. HVLSEMANNVS & CHRISTIANVS CHEMNITIVS, in *methodo concionandi*, GEORGIVS GOEZIVS, in *rhetorica eccleſiaſtica*; quibus ex reformatae eccleſiae doctoribus IO. HOORNBECKIVS, LVDOV. WOLZOGIVS, DAVID KNIBBES, SALOMO VAN TIL, aliique, iungendi. Sed hi omnes ita legendi, vt cuncta ad prudentiae regulas exigantur. Scopulos in hocce mari occurentes euitare docet IOACHIMVS LANGIVS, in *oratoria ſacra ab artis homileticae vanitate repurgata.*

§. XXIII.

Didaſcalicum officium excipit *elenchticum*, cuius neceſſitas ex ipſa indole officii paſtoralis fluit. Paſtoris enim eſt, non tantum paſcere gregem, ſed & contra lupos defendere, & oues aberrantes quaerere, ac in viam reducere; conf. *Ioan. X, 12. 13. Actor. XX, 28. 29. 2 Tim. II, 25. Tit. I, 9. 10.* Sed, vt & hic cuncta rite peragantur, prudentia opus eſt, nec eius ſpernenda ſunt monita.

§. XXIV.

Diſpiciendum ſcilicet, primo, quinam redarguendi, probeque obſeruandum diſcrimen inter haereticos *veteres* & *recentiores*, *prae-*

ſentes & *abſentes*, *ſeductores* & *ſeductos*. In veteribus haereticis, quorum hodie nemo errores adprobat, refutandis, tempus conſumere velle, cum ſermonem ad populum facimus, ſumma eſt imprudentia. Ecquid enim iuuat, refutare errores, qui auditoribus plane ſunt ignoti? * Ad recentiores quod attinet, ſeu eos, quorum erroribus hodie adhuc turbatur eccleſia, ſi abſentes fuerint, diſpiciendum iterum, num ab illis gregi noſtro periculum immineat, an non? Si non immineat, & haereticorum iſtorum dogmata noſtris auditoribus non ſint nota, multo minus metuendum ſit, quod ea ſint adprobaturi, conſultius eſt, tempus rectius collocare, quam iſtorum errores refellere. **

* Nec aliud fere quid ſpectant, qui pro concionibus cum Marcionitis, Cerdonianis, Valentinianis, Pſychopannychitis, nunquam non congrediuntur, quam vt eruditionis opinionem apud plebeculam rudem captent. Hunc ergo morem iam & alii atro notarunt lapillo. conf. VIL. ZEPPERVS, in *polit. eccleſiaſt. lib.* 2. *cap.* 7.

** Parum itaque prudenter agunt, qui in Germania, in erroribus Muhammedanorum refutandis, aut controuerſiis Ianſeniſticis, vel aliis, quae aut in Belgio, aut Anglia ventilantur, enarrandis prolixi ſunt, cum ad homines plebeios, quorum ſcire talia non refert, nulla inde redundet vtilitas. Ad cathedram Academicam iſta referenda ſunt: in eccleſiaſtica alia, & magis neceſſaria, quae agamus, praeſto ſunt.

§. XXV.

Quod ſi praeſentes, hoc eſt, in ipſa eccleſia, cui quis praeeſt, ſunt, contra quos elenchus ſit vſurpandus, diſpiciendum rurſus, ne temere alicui erroris & haereſeos nota inuratur. Hoc enim ſi ex praecipitantia quadam fiat, leuis & inconſiderati animi eſt indicium, ſin omnino ex malitia & per calumniam, grauiſſimum cenſeri debet peccatum. Primo itaque adcurate in ſententiam, quae ceu erronea defertur, inquirendum, auctor eius ipſe audiendus, rationes eius ponderandae, priuatim ipſe admonendus, & argumentis ſolidis conuincendus, & ſi hiſce omnibus nihil proficiatur, ſitque error capitalis, tum demum publice elenchus adhibendus.

§. XXVI.

Sed diſtinguendi quoque a ſeductoribus ſunt ſeducti. Hi, cum ex imbecillitate errent, * mitiorem cenſuram promerentur, quam illi, qui plerumque ex malitia veritatem corrumpunt; conf. *2 Theſſal. III, 15*. Cumque ab illis etiam eccleſiae maius periculum immineat, eo citius elencho publico redarguendi, tandemque prorſus, ſi reſipiſcere nolint, reprobandi & reiiciendi ſunt. Per ſeductores autem non tantum publicos eccleſiae doctores, ſed priuatae etiam ſortis homines intelligo, qui veritatem coeleſtem pertinaciter impugnant.

* Id iam

* Id iam pridem praeeunte AVGVSTINO *epiſt* 162. noſtrates monuerunt theologi, qui & hoc addunt, refutationem haereſium ita inſtituendam, ne integrae temere damnentur eccleſiae: quorſum & proteſtatio maiorum noſtrorum pertinet, in *praefat. form. concord.* §. *ad condemnationes &c.* add. FRID. BALDVINVS, *diſſert. de anathematiſmis*; IO. GERHARDVS, de *miniſt. eccleſ.* §. 263.

§. XXVII.

Vt intelligamus, quomodo haeretici & a recta via aberrantes redarguendi ſint, attendendum ſaltem ad vocem ἔλεγχος, qua apoſtolus vtitur, *Tit. I, 9.* Elenchus autem ſignificat demonſtrationem & conuictionem per rationes ſolidas. Vnde elenchticum officium in eo conſiſtit, vt erroris conuincantur reluctantes, & veritas ita in aprico ponatur, vt ab omnibus agnoſcatur. Atque hoc eſt ἐπιστομίζειν *Tit. I, 11.* vti Chriſtus ἐφίμωσε Sadducaeos, *Matth. XXII, 34.*

§. XXVIII.

Hoc autem vt prudenter & legitime fiat, debet elenchus dirigi ſpiritu *veritatis*, *manſuetudinis*, *zelique diuini.* Veritatis, ne aduerſariis error tribuatur, qui illis in mentem non venit, neue verbis illorum alienis affingatur ſenſus, nec dicta illorum mutilentur, aut deprauentur. Nec rationes illorum diſſimulandae, ſed ingenue proponendae, ſimul tamen ſolide refutandae ſunt. Sed ſpiritus quoque manſuetudinis adeſſe debet, vt omnes intelligant, non prauo impulſos adfectu, ſed amore ſincero & ſtudio veritatis inductos, non redarguere diſſentientes. Immoderatus adfectus, qui non niſi tonitrua & ſpicula linguae in aduerſarios iaculatur, ad iram concitat homines, non conuincit. Simul tamen zelus diuinus adeſſe debet, qui cum manſuetudine bene conſiſtere poteſt, * vt omnes intelligant, ſerio rem nos agere, nec pati vlla ratione velle, vt doctrinae puritati labes vlla adſpergatur conf. *Matth. XXIII, 13. ſeqq. 1 Cor. XV*, per integr. *2 Tim. II, 16. 17. 2 Petr. II, 10. ſeqq.*

* Zelum iuſtum commendat Paulus, dum peruerſa docentes dogmata ita vult reprehendi, vt *os illis obturetur*, *Tit.* I, 11. Immo vt ἀποτόμως redarguantur, ἔλεγχε αὐτοὺς ἀποτόμως, *rigide, ſeuere*, vt omnis elabendi via praecidatur, omnisque neruus obiectionum incidatur; *ib.* 13. Sed alibi tamen idem apoſtolus, *ſeruum Dei*, inquit, *non oportet pugnare*, *ſed manſuetum eſſe erga omnes*, *&c. cum lenitate corripientem eos*, *qui reſiſtunt*, 2 *Tim.* II, 24. 25. Quae apoſtoli verba de haereticis quoque eorumque doctoribus intelligenda eſſe, iam ſupra *cap.* 2. *ad* §. 38. obſeruauimus, add. IO. HVLSEMANNVS, de *iure & moderat. corrept. fraternae*, §. 10. *n.* 152. *p.* 73. Rem omnem paucis complectitur GREGORIVS NAZIANZENVS, dum *aeque*, inquit, *inutiles ſunt*, *iners & ſupina ſegnities & imperitus feruor*; *orat.* 26.

§. XXIX.

Ad modum etiam pertinet, vt loci & temporis, * omniumque circumſtantiarum, ratio habeatur. Hinc, ſi praeſentes ſint, qui redargui debent, (contra abſentes enim ſcriptis, ſi res poſtulet, agendum)

diſpiciendum, num conſultius ſit, priuatim ſaltem eos conuincere, an ad aliorum praecautionem, publice eos redarguere. Ad publicum enim elenchum tum demum progrediendum, ſi hoc exigat neceſſitas, & metuenda ſit auditorum ſeductio, idque tum maxime, ſi textus ipſe occaſionem praebeat, ſiue quod eo abuti ſoleant haeretici, ſiue nobis contra, ad eos refellendos, egregie inſeruiat.

* Nec obſtat illud ἀκαίρως, 2 *Tim.* IV, 2. Perpetuum enim ſaltem & indefeſſum ſtudium verbum diuinum praedicandi, hiſce verbis Timotheo ſuo commendare voluit apoſtolus. Sunt tamen, qui & aliter haec verba interpretantur, vt videre licet apud IO. HVLSEMANNVM, de *iure & moderat. corrept. frat.* §. 11. *num.* 182. *p.* 87. *ſeqq.*

§. XXX.

In publico elencho hi porro obſeruandi ſunt gradus, vt primo perſonis parcatur, tum denique, ſi neceſſitas iuſſerit, hae quoque nominatim increpentur. Diſputari equidem ſolet, an & quousque elenchus nominalis contra haereticos adhibendus, aut intermittendus ſit? ſed diſpiciendum, quid eccleſiae ſtatus, temporisque praeſentis conditio poſtulet aut permittat, itemque, quo animo, quoue conſilio, & qua intentione aliquid aut fiat, aut intermittatur.

§. XXXI.

Generatim elenchum nominalem adhibendum quandoque eſſe, docet exemplum Chriſti, Phariſaeos & Sadducaeos redarguentis, *Matth. XXIII*, & alibi, itemque Pauli, Hymenaeum & Philetum, *2 Tim. II, 17.* & Alexandrum, *2 Tim. IV, 14.* increpantis, ſuntque omnino, ſi res poſtulet, auditores condocendi, quosnam cauere debeant. *Matth. VII, 15. 1 Theſſ. V, 21. 1 Ioan. IV, 1.*

§. XXXII.

At id tamen ſimul manifeſtum, non debere id fieri ſine graui cauſſa, & tum demum, ſi eccleſiae ſaluti non aliter conſuli queat. Praeterea conſiderandum quoque, quo fine, quoue conſilio elenchus nominalis aut adhibeatur, aut intermittatur. Si enim intermittatur, ſaltem vt hominibus placeamus, atque haereticis gratificemur, peccatum erit grauiſſimum, a quo & vir prudens ſibi cauebit. conf. *Gal. I, 10.* * Impietatis tamen pariter ac imprudentiae reus erit, qui eum adhibuerit, vt odio ſuo erga alios, aut vindictae cupiditati, vel aliis prauis adfectibus ſatisfaciat, aut auditores erga diſſentientes irritet. Hinc vero etiam diiudicandum, quid factu opus ſit, ſi magiſtratus elenchum nominalem omittere iubeat. **

* Exemplum praebere poteſt famoſiſſimus ille libellus, *interim*, qui ſedulo decimo ſexto tot in Germania motus dedit. Cum enim eius patroni eum ſaltem in finem nominalis elenchi omiſſionem

Digitized by Google

omiſſionem vrgerent, vt Romanenſibus occaſio proteſtantes opprimendi ſuppeditaretur, recte omnino & laudabiliter egerunt, qui maſcule & cordate eidem ſe oppoſuerunt.

* Si enim is rerum ſtatus ſit, vt eum ſalua conſcientia omittere nequeamus, *Deo magis obediendum, quam hominibus. Actor.* IV, 19. Sed diſpiciendum tamen, ne quis per opinionem erroneam hic in transuerſum agatur. Quod ſi eccleſiae ſtatus nominalem elenchum non requirat, voluntati magiſtratus obediendum eſt.

§. XXXIII.

Patet ex dictis, quaenam circa elenchum euitanda ſint vitia. Peccant namque nonnulli in defectu, qui ex metu intempeſtiuo, aut aliis cauſſis, ſaepius carnalibus, elenchum plane intermittunt, aut frigide tractant; peccant tamen rurſus in exceſſu, qui toti in elencho ſunt, inſuper habitis iis, quae ad informandos rudiores, aut vitam recte inſtituendam pertinent. Peccant porro quoad modum, qui ex diſputandi pruritu, aut oſtentandi ingenii cauſſa controuerſias multiplicant, obſoletas & iamdudum conſepultas, & a quibus nullum amplius eccleſiae metuendum eſt periculum, reuocant, quiue non tam argumentis momentisque rationum, quam contumeliis, dicteriis, ſarcaſmis, exclamationibus, & inani verborum ſtrepitu cauſſam ſuam agunt. Pertinet huc etiam ſcandaloſa repetitio eorum, quae vix ſine blaſphemia ex aduerſariorum ſcriptis adduci poſſunt. *

* Cuiusmodi apud Scholaſticos, item Socinianos, aliosque, occurrunt.

§. XXXIV.

Vt officium verbi diuini miniſtri didaſcalicum & elenchticum eo comparatum eſt, vt doctrina coeleſti rite auditores imbuantur, eiusque puritas conſeruetur, ita ad mores chriſtiano homine dignos induendos, ſpectat παιδεία & ἐπανόρθωσις. Et per παιδείαν quidem intelligimus blandam & paternam caſtigationem & ſuaſionem, vt, qui in Chriſtum credunt, fidem quoque ſuam fructibus demonſtrent, & in vitae ſanctitate ſtrenue pergant, quotidieque proficere annitantur. *Epheſ. III, 16. 17.*

§. XXXV.

Officii paedeutici neceſſitas vel ex fine chriſtianae religionis intelligitur, qui eſt, vt per fidem imago diuina in vita ſancta reſplendeſcat, *Ephеſ. IV, 24.* & ita beatitudo noſtra iterum inchoetur, in altera vita demum conſummanda. conf. *Tit. II, 11. 12.* Patet ſimul, quo pacto adfectus eſſe debeat, qui paedeutico rite fungi cupit officio, vt ſcilicet animo hoc faciat vere paterno. conf. *1 Cor. IV, 15. 16.* Patet vero etiam, quinam iſti ſint, qui per paediam ad virtutis exercitium, incremen-

 tumque

tumque vitae ſpiritualis, excitandi ſint, illi ſcilicet, quos eccleſiae doctor filiorum loco habere poteſt.

§. XXXVI.

Nimirum, etſi ex paedia ad irregenitos etiam & reluctantes vtilitas quaedam redundare poſſit, cum virtutis verae ſanctitatisque indolem, commoda, praemia, promiſſiones, commendari tantopere audientes, contingere queat, vt ſtatus ſui miſeriam agnoſcant, & hinc de vita emendanda cogitationes ſuſcipiant, proprie tamen ad credentes ſeu regenitos ſpectat. Eos enim, qui viribus gratiae nondum pollent, fruſtra ad vitam ſanctam adhortatus fueris: & vbi fides non eſt, ibi quoque non poſſunt eſſe fructus fidei. conf. *2 Petr. I, 5.* Atque hoc diligenter obſeruaſſe, prudentiae eſt.

§. XXXVII.

Prudentia porro ſuadet, ſi publice officio paedeutico eccleſiae doctor fungatur, vt ad ſtatum auditorum ſuorum attendat, & interdum, ſi neceſſitas hoc poſtulauerit, ſpeciatim ad ſingulos quosdam paediam accommodet; vt argumenta proferat a captu auditorum non aliena; vt chriſtianarum virtutum indolem adcurate repraeſentet, eumque in finem naturam a gratia, virtutes ciuiles a chriſtianis & naturalibus, probe diſtinguat; vt oſtendat, virtutes indiſſolubili vinculo eſſe inter ſe connexas, vtque adeo error vulgaris, ac ſi vna virtus ſine alia eſſe poſſit, hominibus eripiatur; * porro, vt neceſſitatem virtutum, argumentis ſolidis & propriis, ** euincat; impedimenta quoque, & praeiudicia varia, quae ſtudio ſanctitatis & incremento vitae ſpiritualis obſtant, ſolerter remoueat; & denique, vt in his omnibus, oratione vtatur vere paterna, ad exemplum Pauli *1 Cor. IV, 14. 2 Cor. V, 11.* & Ioannis, *1 Ioan. II, 1.* alibique.

* De his omnibus in parte prima huius operis abunde & ex inſtituto dictum.

** Propriis & domeſticis argumentis oppono peregrina, qualia ſunt philoſophorum, quibus virtutes ſuadere, & a vitiis homines abſtrahere ſolent. Quae etſi in ſe ſpectata non contemnenda ſint, & hominibus nondum regenitis, vitiisque grauioribus immerſis pudorem incutere queant, non tamen confundenda ſunt cum propriis & domeſticis, vtpote ad flectendos regenitorum animos longe efficacioribus.

§. XXXVIII.

Contra haecce prudentiae monita ſaepiſſime peccari, ipſa docet experientia. Sunt, qui officium paedeuticum plane negligunt, aut frigide nimis tractant; ſunt, qui diſcrimen inter eos, qui per paediam caſtigandi ſunt, & reliquos, qui fidei adhuc ſunt expertes, inſuper habent; ſunt denique, qui varia & multiplici ratione, contra reliqua prudentiae monita, antea allata, peccant.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Grauiorem increpationem promerentur reluctantes & impoenitentes. Vnde ἐπανόρθωσις, qua voce ſignificatur, cum aliquid, quod ex ſua ſede dimotum fuit, in priſtinum locum reſtituitur. Vnde ſtatim indoles atque natura epanorthotici officii intelligitur. Sed neceſſitas quoque huius officii inde conſtat, quae & ex ipſo munere paſtorali eluceſcit. Paſtoris enim eſt, non tantum paſcere gregem, & arcere lupos, ſed oues aberrantes quaerere, & in viam reducere. conf. *Ezech. III, 17. XIII, 18. 19. Actor. XX, 31. 2 Tim. IV, 2. 2 Theſſal. III, 15. Tit. III, 10.* Vnde ſimul patet, quo animi adfectu ad ἐπανόρθωσιν accedere paſtor debeat. Quod autem ad eos attinet, qui hac ratione in viam reducendi ſunt, praecipue quidem ad irregenitos, aut eos, qui ex ſtatu gratiae per peccata mortalia exciderunt, pertinet, ſed & ad eos, qui ex infirmitate quadam in peccata quaedam prolapſi ſunt: licet diuerſa erga vtrosque ratione, paſtor ſe gerere debeat.

§. XL.

Si cum irregenitis in officio epanorthotico nobis res ſit, oſtendendum illis eſt, eos vitae ſpiritualis expertes, filiosque irae eſſe, nec aliter iis conſuli poſſe, quam vt reſipiſcant. Oſtendendum illis eſt, eos, quamdiu in hoc ſtatu manent, perperam nomen chriſtianorum ſibi vindicare, nec veram eos habere fidem, eam vero, quam forte iactitant, eſſe meram hypocriſin. Quod ſi ob enorme aliquod delictum ſpeciatim redarguendi ſint, eius quidem foeditas prae reliquis demonſtranda, ſimul tamen oſtendendum, non ſufficere ad veram poenitentiam, ſi ab eiusmodi delictis in poſterum ſibi caueant, ſed totam vitae, quam hactenus tenuerunt, rationem, corrigendam eſſe atque emendandam.

§. XLI.

Quod ſi vero illi, qui per infirmitatem in peccata quaedam prolapſi ſint, redarguendi nobis veniant, oſtendendum illis, in quanto verſentur periculo, & quam facilis ad ſecuritatem ſit relapſus. Recte quoque explicanda diſtinctio inter peccata venialia & mortalia, errorque hominibus eximendus, ac ſi peccatum aliquod per ſe veniale ſit,* aut ac ſi leuium peccatorum rationem Deus non habeat. Nec praetermittenda peccatorum inter ſe connexio, ſed oſtendendum, quam facile a leuioribus ad grauiora quis prolabatur, & quo pacto ex decremento vitae ſpiritualis interitus, ſeu mors ſpiritualis, facili negotio conſequi queat.

* Errorem

Digitized by Google

* Errorem huncce, quod quaedam peccata per ſe ſint venialia, in pontificiis ſaepiſſime iam, ſolidiſſimeque, confutarunt noſtrates. Ad eum tamen in praxi vitae admodum proclines ſunt mortales, vt adeo peccata quaedam extenuare & eo ſecurius committere queant. Hinc vt illis eximatur, omnis paſtori nauanda eſt opera.

§. XLII.

Vt in cauſſas peccatorum, quod itidem prudentiae eſt, rite inquiramus, vtrobique ad diuerſum hominum ſtatum, *ſecuritatis* & *ſeruitutis*, * reſpiciendum. Non tantum enim irregeniti in alterutro horum ſtatuum ſunt conſtituti, ſed & infirmitates ac imbecillitates regenitorum ex alterutro eorundem oriuntur. Specialior cauſſarum inueſtigatio, in priuata potius, quam publica correctione locum habet. Redarguenda ceteroquin ſunt omnia peccata, nullo excepto, in quantum nobis innotuerunt. Hoc finis & ſcopus officii paſtoralis, ſpeciatim epanorthotici, poſtulat. Fieri id quoque debet erga quosuis homines, in quocunque ſtatu degant, ſiue pauperes ſint, ſiue diuites, ſiue nobiles, ſiue ignobiles, ſiue in dignitate conſtituti, ** ſiue plebeii. Omnis enim ſedulo hic cauenda eſt προσωποληψία, *Iacob. II. 1. 2. ſeqq.*

* De vtroque dictum, *part. 1. cap. 1. ſect. 1.* §. 15. *ſeqq.*

** De magiſtratu, praeſertim ſupremo, diſquiri ſolet, an & quousque erga illum epanorthoſi locus concedendus ſit? Vbi quidem, quod ad eum quoque epanorthoſis ſe extendat, poſitum eſt extra controuerſiam. Cum enim generatim & omnium hominum ſalutem quaerere epiſcopus ſeu paſtor debeat, adeoque & omnium redarguere vitia iubeatur, *Eſ.* LVIII, 1. 1 *Tim.* V, 20. quod magiſtratus hic non ſit excipiendus, patet. Cum enim & qui hacce dignitate fulgent, aeternae ſalutis compotes fieri velint, in rectam vtique viam reducendi ſunt, ſi ab ea aberrauerint. conf. & *Exod.* VI, 11. *Ierem.* XIII, 18. *Ezech.* XIX, 2. Comprobant idem exempla prophetarum, Chriſti, Ioannis baptiſtae, aliorumque; 1 *Sam.* XV, 2 *Sam.* XII, 7. 1 *Reg.* XVIII, 18. *Eſ.* 1, 10. *Mich.* III, 1. *Matth.* XIV, 4. *Ioan.* XIX, 11. Immo magiſtratus correctio tanto magis eſt neceſſaria, quanto grauius ab illorum exemplo, ad quod imitandum ſubditi admodum proni ſunt, eccleſiae imminet periculum. Interim & hic prudentia & moderatione opus eſt, quod vel Nathanis exemplum docet 2 *Sam.* XII, 1. & prophetae anonymi 1 *Reg.* XX, 39. Nec tantum gradus admonitionis ſedulo ſunt obſeruandi, nec temere ac ſine neceſſitate ad cenſuram publicam accedendum, ſed ſeveritate ita vtendum, ne reuerentiae ſummis imperantibus debitae ſimus immemores; a vitiis quoque perſonarum diſtinguendum eſt officium; multo vero minus ſubditi irritandi ſunt contra imperantes: cumprimis & loci, temporis, aliarumque circumſtantiarum diligenter habenda ratio. De actibus quoque ciuilibus, modoque adminiſtrandi rempublicam, iudicium ferre, paſtoris non eſt; vnde, qui talia agunt, muneris ſui tranſiliunt limites, prudentiaeque pariter ac iuſtitiae leges violant, niſi in hisce peccata aperta & manifeſta occurrant, quae redarguere, adhibitis admonitionis gradibus, officii ratio poſtulat.

§. XLIII.

In epanorthoſi praeterea, tum ad peccata ipſa, quae redarguenda ſunt, tum ad modum, quo redarguenda, attendendum. Quod ad prius attinet, iuxta prudentiae praeſcriptum, ſequentia obſeruanda: cum peccata quaedam ſubinde pro peccatis non habeantur, * homines

nes recte informandi ſunt, vt ea quoque peccata eſſe intelligant, quae pro peccatis non habent; peccata plurima, quae leuiſſima ſaepius eſſe videntur, ** in ſe grauiſſima eſſe, demonſtrandum eſt; cumque peccata ſingulorum hominum vel *occulta* ſint, ita tamen vt paſtori innotuerint, vel *manifeſta*, quorum notitia ad plures aut integram eccleſiam peruenit, in illis quidem, quamdiu occulta manent, priuata ſufficit admonitio, vt qui peccauit, emendetur, & in rectam reducatur viam. Hoc & prudentiae eſt, tum vt ſcandalum euitetur, tum vt peccantis exiſtimationi conſulatur.

* Occaſio hinc viris quibusdam doctis ſuppeditata fuit, de *peccatis incognitis*, peculiares commentationes conſcribendi. Exemplum ſingulare praebere poſſunt *peccata hypothetica*, quae vocantur, de quibus dixi, *part.* 1. *cap.* 1 *ſect.* 5. §. 29.

** Exempla varia in contractibus, in denegatione aut defraudatione onerum a magiſtratu impoſitorum, ſimilibusue conſpiciuntur. Huc ſpeciatim & peccata certo vitae generi & ſtatui propria ſpectant, & quae vulgo pro ineuitabilibus habentur.

§. XLIV.

Si peccata pro manifeſtis vel notoriis habeantur, diſpiciendum iterum, vnde eorum notitia ad nos peruenerit, num per iudicium magiſtratus, aut iudicis, vel alia ratione. Si prius ſit, nullum eſt dubium, quin publice etiam redargui poſſint & debeant, idque non ad infamiam ei, qui peccauit, inurendam, neque per modum poenae, ſed partim ad emendationem eius, qui peccauit, partim ad deterrendos alios, atque euitandum ſcandalum. Sin ex rumore & fama publica delictum conſtet, prudentiae eſt, non cuilibet rumori ſtatim adhibere fidem, aut ſi cauſſae vel circumſtantiae accedant, quae famam iſtam valde probabilem reddant, rationesque praegnantes adſint, cur publice eiusmodi delictum redarguendum ſit, hactenus tamen caute incedendum, ne eiusmodi quid pro certo venditetur, ſimul admonendi auditores, ne quis innocens temere calumniis & falſis narrationibus oneretur. Quod ſi omnino fama iſta falſa deprehendatur, innocentia eius, qui in ſuſpicionem venit, publice quoque vindicanda, & maligni obtrectatores grauiter redarguendi ſunt.

§. XLV.

Cumprimis magna prudentia & cautione opus eſt, ſi delicta redarguenda ſint, quibus paſtor ipſe laeſus eſt. Facillime enim in ſuſpicionem tum deduci poteſt, ac ſi non gloriam Dei, aut ſalutem illorum, quos reprehendit, ſed proprium commodum pro ſcopo habeat. Hanc ergo vt euitet ſuſpicionem, ſi diſſimulare, quae facta ſunt, non liceat, modeſtiſſime in eo negotio verſandum, ne aut auarus,

vel ambitioſus, vel vindictae cupidus videatur, iuxta monitum apoſtoli: *ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχεσθε*, 1 *Theſſ. V*, 22.

§. XLVI.

Iam quod ad modum *ἐπανορθώσεως* attinet, eadem fere hic recurrunt, quae iam ſupra * de regimine adfectuum in eccleſiae doctoribus, diximus. Hoc enim vel maxime in officio elenchtico & epanorthotico ſeſe exerit. Scilicet, ſi zelus diuinus, ex amore fluens, lenitate fuerit temperatus, cuncta recte procedent. ** Speciatim itaque a contumeliis & verbis formulisque iniurioſis prorſus abſtinendum: argumentis enim & rationibus, non conuitiis in rectam viam, qui ab ea aberrarunt, reducendi ſunt. Imprecationes itaque etiam procul abeſſe debent, quae animum iratum & malignum indicant. Verbis contra formulisque ſcripturae, quantum res patitur, vtendum, *** ſed vt in harum quoque adplicatione caute verſemur. Quod ſi ad certam perſonam *ἐπανόρθωσις* dirigenda ſit, fieri hoc debet ſine contumelia, ironia, ſarcaſmis, quippe quae omnia cum grauitate & modeſtia veri eccleſiae doctoris non conueniunt.

* *cap.* 2. §. 30. *ſeqq.*

** *Talis ſit eccleſiaſtae reprehenſio, vt charitas, non ira, loqui videatur*, recte inquit ERASMVS, *in eccleſiaſte, lib* 3. *p.* 891.

*** Id bene quoque ERASMVS obſeruat *l. c. profuerit*, inquit, *hoc quoque, ſi concionator, deteſtaturus crimen aliquod, ſcripturam ipſam loquentem adducat, ſic: audiant, qui talium ſcelerum ſibi conſcii ſunt; non me, ſed ſcripturam, immo ſimul omnes audiamus Deum, per os apoſtoli ſui loquentem*, &c.

§. XLVII.

Denique & certi hic obſeruandi ſunt gradus, vt non tantum leuiora delicta leuius, grauiora grauius redarguantur, ſed vt priuatae primum reprehenſioni locus concedatur, & ad publicam, contra certam perſonam ſpeciatim dirigendam, non niſi ex cauſſis grauiſſimis accedatur, & ſi hac quoque ratione parum proficiatur, is, qui ſuos neutiquam emendare mores cupit, ceu inutile membrum a corpore eccleſiae remoueatur. conf. *Matth. XVIII*, 15. *ſeqq.*

§. XLVIII.

Quaenam itaque & hic euitanda ſint vitia, patet Peccant in defectu, qui impios & immorigeros plane non redarguunt, aut non eo id faciunt zelo, quo facere debebant. Nec procul hinc remota *προσωποληψία* turpiſſima, qua nonnulli miſſis diuitibus, potentibus, auctoritate florentibus, in pauperes tantum vel viliores inuehuntur. Peccant rurſus in exceſſu, qui nihil fere aliud agunt, quam vt peccata mortalium perſtringant, ob leuiſſimos defectus, ſaepe vltra quam decet excande-

excandeſcentes, idque verbis ſaepius prorſus indecoris, & a grauitate officii, quo funguntur, alienis. Saepius etiam contingit, vt ex muſca elephantem faciant, camelum deglutientes, & excolantes culicem, *Matth. XXIII, 24.* Reliqua ex dictis facile intelligere licet.

§. XLIX.

Ceterum in infinita illa calamitatum, quae homines circumſtant, multitudine, piis quoque atque vitam chriſtianam ſectantibus, quibus praeter eas, quae illis cum aliis communes ſunt, etiam propriae quaedam ac peculiares adflictiones obtingunt, ſolatio ſaepius opus eſt, ne animum abiiciant. Vnde officium *paracleticum*, quo Deus ipſe per miniſtrum verbi adflictos alloquitur, & per promiſſiones verbi ſui erigit, vt de gratia diuina certi, patienter cuncta ferant, & in numinis voluntate placide acquieſcant. Hinc Paulus Timotheum iubet attendere *παρακλήσει*, *1 Tim. IV, 13.* conf. *2 Cor. I, 3. 4.* Animus hic requiritur in doctore amoris & commiſerationis plenus, vnde blanda, ſimilemque adfectum ſpirans, oratio.

§. L.

Prudentiae hic eſt, primo attendere ad eos, qui conſolandi ſunt. Etſi enim hoc ad omnes, qui in calamitatibus conſtituti ſunt, pertinere videatur, alia tamen hic eſt ratio impiorum, alia piorum. Illorum iterum quaedam eſt diuerſitas. Nonnulli namque, etſi aduerſa patiantur, immo mortem inſtare ſentiant, ſolatium tamen ex verbo diuino non deſiderant. His itaque offerre ſolatium, abſonum eſſet. Alii ſolatium deſiderant, ſed illicito modo. Si enim forte conſcientiae morſus ſentiant, intelligantque, ſe adhuc alienos eſſe a vita, quae in Deo eſt, & hinc triſtitia quadam afficiantur, ſtatim ſolatio quodam erigi cupiunt, cum nondum tamen veram egerint poenitentiam. Hi adhortandi ſunt, vt prius reſipiſcant, ſi remiſſionem peccatorum, verumque ſolatium conſequi velint, iuxta ordinem ab ipſo Chriſto praeſcriptum, *Luc. XXIV, 47.* add. *Ezech. XIII, 10. Matth. VII, 6.* Saepiſſime tamen contingit, vt temporale potius, quam ſpirituale ſolatium eiusmodi homines expetant. Et hoc ipſo demonſtrant, ſe indignos eſſe vero ſolatio, eiusque incapaces. Paucis: eiusmodi homines ſolatium ex verbo diuino non cupiunt, & quale cupiunt, in verbo diuino non inueniunt. Regeniti itaque ſunt, ad quos ſolatium pertinet, quorum tamen cum hic quoque, qua calamitatum varietatem, qua alias cauſſas, magna ſit diuerſitas, in adplicatione ad ea, quae in cuiusque ſtatum quadrant, diligenter reſpiciendum eſſe, res ipſa docet.

§. LI.

Vt in ipſa conſolatione rite verſemur, ſupponendum, adflictiones aut *ſpirituales* eſſe, aut *temporales*. Illae alias & *tentationes* vocari ſolent, quarum vt magna eſt varietas, * ita generatim prudentia poſtulat, cum tentationes iſtae cum infirmitate quadam coniunctae ſint, vt ſolatium ita ſuppeditemus, ne praetermittatur admonitio, neue extenuando malum, quo quis premitur, prauis cupiditatibus laxemus habenas. Circa temporales obſeruandum, quod in regenitis eae habeant rationem crucis, ceu characteris diſcipulorum Chriſti, vnde commoda ac effectus, qui crucem ſequi ſolent, hic vel maxime in cenſum veniunt, & efficaciſſimum eos conſolandi argumentum praebent.

* Quod ſatis ſuperque demonſtratum, *part.* 1. *cap.* 2. §. 32. *ſeqq.*

§. LII.

Quaenam remedia & argumenta in ſingulis calamitatum generibus adhibenda ſint, aliunde conſtat. * Prudentiae eſt, eligere ſolida, propria, ſtatui eorum, qui ſolatio erigendi ſunt, convenientia. Nec ex philoſophorum fontibus haurienda, ** quae longe rectius ſcriptura ſacra ſuppeditat. Cumque & publice & priuatim officium paracleticum aliquando exercendum ſit, ſi publice id fiat, prudentia rurſus poſtulat, ſermonem ita inſtituere, vt illi tantum ad ſe ſolatium adplicare queant, ad quos pertinet, ne impiis lata ad ſecuritatem via pandatur; in priuata conſolatione, vt adplicatio ſpecialiori ratione inſtitui poteſt, ita opera quoque danda, vt dubia & ſcrupuli, quibuscum haud raro adflictis colluctandum eſt, animis eorum eximantur. Vtrobique generatim ſedulo cauendum, ne quid adferatur, quo homines ad ſecuritatem carnalem abuti queant.

* Patetque ex iis, quae *part.* 1. huius operis *cap.* 2. diximus. Iungendi, qui ex inſtituto libellos conſolatorios ſcripſerunt, vt B. IO. GERHARDVS, in *enchirid. conſolator.* B. IO. OLEARIVS, in *gymnaſio patientiae*, & alii eiusdem generis.

** Cum vitae huius incommoda variasque calamitates & gentiles quotidie experirentur, ſapientiores illorum de ſolatio fuere ſolliciti. Vnde praeter alios ipſum CICERONEM, *conſolationem ſuper Tulliae obitu*, ſcripſiſſe, conſtat, quanquam non amplius extet: qui enim hodie ſub hocce titulo legitur, librum, CAROLVM SIGONIVM potius agnoſcere auctorem, iampridem eruditis obſeruatum eſt. Sic & SENECA tres de *conſolatione* reliquit libros, vnum ad Heluiam matrem, alterum ad Polybium, & ad Marciam tertium. Horum deinceps exemplum imitatus eſt ANICIVS MANLIVS TORQVATVS, SEVERINVS BOETHIVS, in *libris* 5. *de conſolatione philoſophiae*. Verum cum gentiles veros & genuinos ſolatii fontes ignoraverint, rudes eorum, quae de ratione, peccatorum veniam apud Deum per Chriſtum impetrandi, deque myſterio crucis, de ſtatu animae poſt hanc vitam, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, ſcriptura ſacra tradit, & quae ſcire illos oportet, qui non vana perſuaſione, ſed ſpe certa & viua, animum in aduerſis erigere & confirmare cupiunt, ineptum plane eſſet, ex illorum potius ſcriptis, quam ex ſcriptura ſacra,

Digitized by Google

ſacra, haurire velle, quae ſolatium verum adferre poſſunt, aut contemnere argumenta vera & genuina, quae ſcriptura ſuppeditat, & ſpuria potius illa, vana & vaga adhibere, quae in philoſophorum ſcriptis reperiuntur, &, ſi recte conſiderentur, animum equidem aduerſus mala quaeuis obfirmare docent, ſed nihil, quod eum vero ſolatio perſuadere queat, continent.

§. LIII.

Vitia hiſce oppoſita ex dictis facile intelliguntur. In exceſſu contra prudentiae regulas peccant, qui in conſolationibus propinandis nimis liberales ſunt, easque dignis & indignis offerunt; in defectu, qui eas plane intermittunt, alia agentes, aut eorum, qui in calamitatibus conſtituti ſunt, miſeriam non curantes. Peccant etiam ſaepius per imprudentiam, dum ad eorum, qui conſolandi ſunt, ſtatum non attendunt, talia afferentes, quae illis parum conueniunt, & quae reliqua ſunt eiusdem generis.

§. LIV.

Quae hactenus expoſuimus, ad eam docendi rationem, qua verbi diuini miniſter publice plures ſimul, aut integram eccleſiam inſtruit, praecipue pertinent. Qua in re ſi vel maxime vt decet, & vt prudentiae regulae requirunt, verſetur, ſuo tamen nondum ſatis fecit muneri, niſi ſpeciatim ſingulorum quoque, qui fidei ipſius concrediti ſunt, curam in ſe ſuſceperit. * Id ſane officii paſtoralis ratio atque finis requirit. conf. *Luc. XV, 4. ſeqq.* Taceo, quod ita longe rectius multorum ſaluti conſuli queat, quam ſi generatim ſaltem proponantur, quae ad omnes aut plures pertinent.

* Pluribus hoc & egregie confirmat B. CHRISTIANVS KORTHOLTVS, in *paſtore fideli, cap. 8. poſit. 3. p. 265. ſeqq.* Cum enim prolixum & memorabilem hac de re ex GREGORIO NAZIANZENO locum adduxiſſet, haec porro ſubiicit: *ex quibus prudentiſſimi praeſulis verbis inter alia apparet, non exiſtimaſſe ipſum, ſolis concionibus, quae ordinarie & publice ad populum habentur, expediri poſſe omnia, quae quidem fideli miniſtro, tanquam eccleſiae doctori, expedienda ſunt. Etenim, ſi pro tanta ingeniorum diuerſitate diuerſimode etiam cum auditoribus agendum, vtique praeter ordinarias publicasque conciones inſuper priuato opus erit labore. Vnde etiam de ſe teſtatur apoſtolus, quod docuerit auditores ſuos publice & domatim* (κατ᾽ οἴκους) *nec ceſſauerit cum lacrymis admonere vnumquemque, Actor.* XX, 20. 31. *item, quod, tanquam pater filios ſuos, vnumquemque Theſſalonicenſium hortatus fuerit & conſolatus 1 Theſſal.* II 11. *Similiter eo tendit inſtructio Timothei: ſeniorem ne increpato, ſed hortare vt patrem, iuniores vt fratres, &c. 1 Tim.* V, 1. *Nam de priuata exhortatione ſermonem heic eſſe, palam eſt. Atque haec expendens* S. CHRYSOSTOMVS, *in epiſt. ad Ebr. hom.* 34. *omnium,* inquit, *& ſingulorum, qui curae tuae ſunt commiſſi, mulierum, virorum, & puerorum, tibi reddenda erit ratio. Cogita in quanto verſeris periculo. Mirum, ſi ſacerdos ſaluetur!* Sed & reliqua, quae idem auctor hac de re habet, legi merentur.

§. LV.

Eum in finem neceſſe eſt, & prudentia quoque poſtulat, vt

paſtor accuratam notitiam eccleſiae ſuae & ſingulorum eius membrorum ſibi acquirat, cuiusque ſtatum diligenter exploret, &, ſi, defectus illorum, qua intellectum, qua voluntatem intelligat, iis emendandis corrigendisque, nulli labori parcens, omnem impendat operam. Optandum quoque eſſet, vt ſaepius viſitationes domeſticae inſtituerentur, * & in vitam domeſticam, moresque patrum familias, liberorum, ſeruorum, &c. inquireretur. Maximus enim inde ad eccleſiam redundaret fructus.

* Iungenda, quae ex inſtituto de viſitatione domeſtica diſſerit IOACHIMVS LANGIVS, in *oratoria ſacra ab artis homileticae vanitate repurgata, append part. 2. membr. 3. pag. 236. ſeqq.*

§. LVI.

Ad ſpecialia ſi deſcendere liberet, oſtendi poſſet, quomodo cura priuata circa ſingulos, pro diuerſo hominum ſtatu, gerenda? quo pacto in ea ſingulae partes officii paſtoralis, didaſcalici ſcilicet, elenchtici, paedeutici, epanorthotici, paracletici, exercendae? ſpeciatim, quaenam iuxta prudentiae praeſcriptum hic obſeruanda circa aegrotos, pauperes, melancholicos, obſeſſos, moribundos, maleficos, vltimo ſupplicio deſtinatos, ſagas & veneficos, &c. Verum haec ex principiis, quae poſuimus generalibus, & monitis, quae hinc inde iam inſperſimus, facile diiudicari queunt, * vt diutius hiſce immorari neceſſe non ſit.

* Interim legi poſſunt, quae de plerisque horum, copioſe diſſerit IO. LVD. HARTMANNVS, in *paſtorali euangel. l. 3. cap. 54. 58. 59. 60. &c.*

§. LVII.

Ad alteram itaque officii paſtoralis partem * progredimur, quae in legitima ſacramentorum conſiſtit adminiſtratione. Vbi tamen nonnulla de audiendis confeſſionibus, deque vſu clauis ligantis & ſolventis praemittenda fuerint, cum hic quoque magna circumſpectione opus ſit. Supponentes itaqe, quae alibi de natura & indole abſolutionis, de eius miniſtro, deque abſolutione & confeſſione priuata, & eius neceſſitate, de claue ligante & excommunicatione, eiusque indole, neceſſitate, gradibus, ex inſtituto traduntur, ** nunc ſaltem, quae hic obſeruanda prudentiae monita, paucis indicabimus.

* vid. ſupra §. 5.
** De his omnibus in theologia thetica agi ſolet.

§. LVIII.

Vt ergo circa abſolutionem caute quis procedat, diſpiciendum primo, quinam abſoluendi? Non enim omnes, qui abſolutionem expetunt,

tunt, eodem habendi ſunt loco. Si qui ergo hoc ea faciant ratione, vt verae ſimul poenitentiae edant ſigna, ex quibus paſtor morali ratione colligere queat, ſerio eos peccatorum poenitere, eos demum dignos eſſe, qui abſolutionem impetrent, palam eſt. Externum, quod inter homines intercedit, diſcrimen, in ipſa abſolutione nihil mutat, etſi in abſolutionis formula ad vitia pariter ac officia, ſingulis hominum ſtatibus propria, haud immerito reſpiciatur. *

* Exemplum praeclarum nobis praeiuit ipſe Ioannes baptiſta, ſpeciatim hominibus plebeiis, publicanis, militibus, indicans, quo pacto fructibus vitaeque ratione, cuiuis conuenienti, euitatis vitiis ſingulis ſtatibus propriis, poenitentiam ſuam ſeriam fuiſſe, demonſtrare deberent, *Luc.* III, 10. *ſeqq.* Idem & nobis faciendum, ſiue cum principibus, ſiue aliis magiſtratus dignitate fulgentibus, ſiue cum eruditis, ſiue cum mercatoribus, ſiue cum aliis nobis res ſit.

§. LIX.

Impoenitentibus itaque, & de quibus nulla ſpes eſt, eos vitam moresque mutaturos, abſolutio prorſus deneganda. Neque tantum in huncce referendi numerum, adulteri & ſcortatores, aut qui ira & vindictae cupiditate erga alios flagrant, * ſed & qui ebrietati, auaritiae, ſimilibusque vitiis dediti ſunt, etſi ea apud homines huius ſeculi pro peccatis non reputentur. Patet hinc etiam, abſolutionem recte denegari illis, qui eandem ab ordinario ſuo confeſſionario, ex odio, rancore, aut aliis cauſſis iniuſtis, petere renuunt. **

* Solenne eſt, vt cumprimis abſolutio illis denegetur, qui in litibus coram magiſtratu verſantur. Nec id vituperandum, ſi odio vindictae cupiditati, aliisque prauis adfectibus eos indulgere conſtet, aut inde colligi queat. Sed non minus tamen & illis abſolutio deneganda eſt, qui ebrietati, auaritiae, aut aliis vitiis aeque vituperabilibus ſunt dediti. Interdum tamen etiam contingere poteſt, vt homo innocens praeter omnem culpam ſuam litibus, a magiſtratu componendis, inuoluatur, quem ſi ab omni vindictae cupiditate, aut aliis prauis adfectibus, alienum eſſe certo conſtet, nulla adeſt ratio, cur abſolutio illi ſit neganda.

** Circa confeſſionarios variant eccleſiae noſtrae mores. Alicubi receptum eſt, vt vnicuique licitum ſit, mox ab hoc, mox ab illo abſolutionem petere, prout hoc conueniens, aut rebus ſuis conducibile exiſtimauerit. Alibi aut conſuetudine introductum, aut lege ſancitum eſt, vt, quem quis ſemel confeſſionarium elegit, eum ſemper retineat, nec ſine praegnanti cauſſa ab eo diſcedat. Si quis ergo in eccleſia viuat, vbi hoc receptum ſit, non licet alicui pro lubitu ab uno confeſſionario ad alium tranſire, cum, quem deſerit, in ſuſpicionem adducat, ac ſi ſuo non rite fungatur munere. vel aliud quid animadverſione dignum in eo deprehenderit. Quod ſi omnino ex odio aut rancore hoc faciat, aut quod eius admonitiones iuſtas & rectas ferre nolit, grauiſſimo citra controuerſiam ſe obſtringit crimine, amorisque pariter ac ordinis, qui in eccleſia ſeruari debet, leges, proterue migrat. At, ſi quis iuſtas cauſſas habeat, cur confeſſionarium, cuius miniſterio hactenus vſus eſt, cum alio permutet, aliter pronunciandum. conf. CHRIST. KORTHOLTVS, in *paſtore fideli cap.* 4. *poſit.* 5. *p.* 168. *ſeqq.*

§. LX.

Si homo peregrinus eam a nobis expetat, caute itidem incedendum. Inſtituendum namque prius eſt colloquium, vt de eius religione, animae ſtatu, moribus, quantum fieri poteſt, certiores reddamur. Quod ſi idiomate nobis ignoto vtatur, nihil obſtat, quo minus confeſſionem eius per interpretem audiamus, & eadem ratione illi reſpondeamus. Si quis autem criminis cuiusdam ſit ſuſpectus, priuatim is primo admonendus, &, ſi hoc inficietur, in rei veritatem, quantum licet, inquirendum.

§. LXI.

Modus abſolutionis ex eius natura & indole, & ſtatu illorum, qui eam a nobis expetunt, definiendus eſt. Non itaque vna vtendum eſt formula, ſed cuncta ad ſtatum eius, quocum nobis res eſt, prudenter ſunt accommodanda. An autem abſolutio aliquando hypothetice fieri queat? quaeri ſolet. Sane, ſi ſenſum abſolutionis ſpectes, omnis abſolutio tacitam conditionem inuoluit, & certo modo eſt hypothetica. Cum enim verbi diuini miniſtro conceſſum non ſit, in intimos cordium receſſus introſpicere, non aliter, quam ſub tacita hac conditione: *ſi confeſſio vera fuerit*, abſolutionem impertire poteſt, nec vllum hac de re eſt dubium. Sed, num conditio expreſſe quandoque adiici queat? de eo non omnes idem ſentiunt. Non temere quidem, & ſine neceſſitate ſumma hoc faciendum eſſe, res ipſa docet, & prudentia ſuadet: * quod ſi tamen is, qui abſolutionem expetit, valde ſit ſuſpectus, nec tamen cauſſae tam apertae, vt abſolutio ei denegari queat, nihil obſtat, quo minus hac ratione confeſſionarius conſcientiae ſuae conſulat. **

* Eorum enim, qui abſolutionem quaerunt, vel maxime intereſt, vt de praeſenti gratiae ſtatu certiores reddantur. Ne itaque ſpe haecce atque voto excidant, opera danda, ſi ſigna, quae animum contritum vereque poenitentem, ſufficienter produnt, adſint.

** Non tantum conſcientiae ſuae, ſed ſaluti quoque eius, qui abſolutionem petit, hac ratione conſulet confeſſionarius. Si enim veram poenitentiam non egit, excitari hac ratione poterit, vt de vita emendanda ſerio ſit ſollicitus, vnde maximum in illum redundabit commodum Sin egerit poenitentiam, praeterque rationem confeſſionario ſuſpectus fuerit, ſollicitam confeſſionarii curam grato merito agnoſcet animo, ipſe autem vt turbetur, neceſſe non eſt. Impleta enim conditione, adplicatio abſoluta ſua ſponte ſequitur. conf. B. SPENERVS, in *reſponſ. theolog. German. part. 4. p. 570. ſeqq.*

§. LXII.

Cum etiam interdum contingat, vt delicta quaedam ſingularia confiteantur, qui abſolutionem expetunt, confeſſionarii eſt, ſacro hoc premere ſilentio, ne inde, qui eiusmodi quid ad exonerandam conſcientiam faſſus eſt, incommodum aliquod accipiat. Hoc *ſigillum*

con-

Digitized by Google

confeſſionis vocari ſolet. * Idque iterum & ipſa officii paſtoralis ratio, & prudentia poſtulat, cum nemini vitio verti queat, quod aperire, quae conſcientiam onerant, nolit, ſi in publicum ea iterum proferenda ſciat. Hinc magno muneris ſui fructu ſeipſos priuant, qui ſilentio premere, quae illis aperiuntur, non didicerunt.

* Sancto ſilentio premenda eſſe, quae confitentur, qui abſolutionem expetunt, poſitum eſt extra controuerſiam. Non enim tam homini, quam Deo, cuius vicibus hic eccleſiae miniſter fungitur, fit confeſſio. Sed quid? ſi quis talia confiteatur, quae ſine aliorum, aut omnino ipſius reipublicae damno, aut praeſenti periculo reticeri nequeant? Demonſtrandum ei, qui talia fatetur, poenitentiam eius non eſſe ſeriam, nec placere Deo, niſi vel cum ſuo incommodo damna aliis imminentia auerti velit, eiusque adeo eſſe officii, vt talia ipſe indicet. Si hoc facere renuat, abſolutio deneganda, & ab eccleſiae miniſtro indicium eorum, quae ad periculum euitandum ſcitu neceſſaria ſunt, faciendum. Reliqua, quae hic ſcitu neceſſaria ſunt, ſuppeditabit IO. ANDR. QVENSTEDIVS. in *diſſert. de ſigillo confeſſionis.*

§. LXIII.

Quod ad excommunicationem attinet, ſupponendum, eam in ſe ſpectatam neutiquam eſſe poenam proprie ſic dictam, cuius infligendae poteſtas ſoli magiſtratui competit, ſed tantum declarationem, ab eccleſia, vel nomine eccleſiae factam, aliquem qui emendationem omnem reſpuit, nec a peccatis ſuis vult deſiſtere, non poſſe haberi pro vero & viuo eccleſiae membro, donec reſipiſcat. * Vnde & patet, excommunicationem per ſe neutiquam infamiam ciuilem ſecum trahere. conf. *Matth. XVIII, 15. 16. 17.* Id quod tum de minori, quam vocant, tum de maiori excommunicatione eſt intelligendum. **

* Excommunicationem apud Ebraeos olim quoque in vſu fuiſſe, ſatis conſtat. Praeter multos alios, qui hac de re egerunt, conferendus CONSTANTINVS L' EMPEREVR, ad *Bonauenturam Cornelium Bertramum, de rep. Ebr. pag.* 380. item diſſertatio noſtra poſterior de *ritibus eccleſiae latinae iudaicis*, §. 4. in *parergis hiſtorico-theolog. pag.* 121. *ſeqq.* An vero tempore captiuitatis Babylonicae, cum magiſtratibus ordinariis, adeoque facultate puniendi, Iudaei deſtituerentur, originem coeperit, vt adeo ea poenarum loco vſi ſint, quod nonnullis placet, incertum eſt, nec dum ſatis demonſtratum. Saltem, cum reſtituta republica facultas poenas tum ciuiles, tum capitales infligendi penes Iudaeorum magiſtratus eſſet, excommunicatio non potuit habere rationem poenae proprie ſic dictae; etſi ceteroquin, ob corruptum populi huius ſtatum, vitia quaedam & abuſus inſtituto huic, per ſe innocenti, adhaererent. A Iudaeis ad chriſtianos hunc ritum tranſiiſſe, viri quidam docti ſibi perſuadent, habentque hac in re quosdam ex ipſis patribus praeeuntes: quibus tamen quo minus prorſus ſuffragari queam, obſtat locus *Matth.* XVIII, 15. 16. 17. in quo Chriſtus ipſe diſcipulos ſuos a communione ſua homines inpoenitentes & reluctantes, omniumque admonitionum contemptores, remouere iuſſit. Quidquid huius ſit, ſi vel maxime a Iudaeis mos excommunicandi deriuandus ſit, non tamen inde ſequetur, excommunicationem eſſe poenam proprie ſic dictam, cum nec dum euictum ſit, apud Iudaeos eam poenae habuiſſe indolem, & chriſtianos, ſi huncce morem a Iudaeis acceperunt, ea, quae per abuſum ei adhaerebant, ſimul recepiſſe, probabile non ſit. Sed obſeruandum, excommunicationis diuerſa fuiſſe in eccleſia chriſtiana fata, quaeue initio tota eccleſia, innocenti conſilio, ad ſalutem illorum, qui ſe eccleſiae adiungebant, adminiſtrabatur, deinde ſue-

ceſſu temporis ſolis epiſcopis vindicabatur, tandemque a Romanis praeſertim praeſulibus in dominandi & tyrannidis inſtrumentum conuerſa fuit. Legi hac de re meretur ex ipſis pontificiis LVD. ELIAS DV PIN, de *antiqua eccleſiae diſciplina*, *differt.* 3. *cap* 1. *pag.* 247. *ſeqq.* add. IO. SELDENVS, de *ſynedr. lib.* 1. *cap.* 8. Vera itaque excommunicationis indoles ex Chriſti ſeruatoris inſtitutione, & primitiuae eccleſiae praxi aeſtimanda. Eo enim, non alio, modo in noſtra quoque eccleſia locum inuenire debet. Hac vero ratione ſi ſpectetur, eam poenae proprie ſic dictae rationem non habere, manifeſtum eſt. Nec obſtat locus 1 *Corinth.* v, 3. 4. 5. quippe qui non de excommunicatione, ſed de poteſtate extraordinaria corporis adflictiones peccatoribus immittendi, apoſtolis conceſſa, intelligendus eſt.

** Diſcrimin[illegible], quod inter excommunicationem minorem & maiorem intercedit, exemplum iam apud Ebraeos nonnulli inuenire voluerunt. Dixi hac de re in *differt.* antea *citata*, §. 4. *p.* 123. Quidquid ſit, in veteri eccleſia diſcrimen inter eos, qui, acta rite poenitentia, iterum in eccleſiam recipiendi erant, & inter illos, qui ceu refractarii & pertinaces penitus erant reiiciendi, obſeruatum fuiſſe, conſtat. Illi ab vſu ſacramentorum excludebantur, & ſatisfactionibus canonicis ſubiiciebantur, hinc *excommunicatio minor*: hi vt putrida & inutilia eccleſiae membra corpore velut abſcindebantur, vnde *excommunicatio maior.* Vtriusque in canonibus conciliorum, & iure canonico, paſſim mentio iniicitur.

§. LXIV.

Minoris nimirum excommunicationis nomine venit ſuſpenſio a ſacra coena. Haec vero in eo conſiſtit, vt a verbi diuini miniſtro declaretur, eum, qui veram peccatorum ſuorum poenitentiam non egit, quod ex certis documentis conſtare debet, non poſſe ſalutariter & cum fructu, ſacra coena vti. Quo ipſo non magis ſibi imperium in eum, qui abſolutionem expetit, arrogat, quam medicus in aegrotum, dum illi oſtendit, quid noxium ei ſit, aut ſalutare. Cumque miniſter verbi diuini, ſit diſpenſator myſteriorum diuinorum nomine eccleſiae, *1. Cor. IV*, *1.* nullum eſt dubium, quin haec ei poteſtas competat.*

* Denegari ſane haec poteſtas verbi diuini miniſtris nequit, niſi ſimul ſcripturae ſacrae aperte contradicere velimus. Quod enim Petro dictum eſt, *Matth.* XVI, 19. *quodcunque ligaueris in terra*, *ligatum quoque erit in coelo, &c.* id omnibus quoque apoſtolis, adeoque eorum ſucceſſoribus, verbi diuini miniſtris rite & legitime vocatis, dicitur, *Matth.* XVIII, 18. *Ioan.* XX, 23. Ideoque & *claues coelorum* illis tribuuntur, *Matth.* XVI, 19. vt indicetur, eos oeconomos & diſpenſatores eſſe myſteriorum Dei. Suprema equidem eccleſiae adminiſtratio Chriſto competit, qui in omni domo Dei fidelis fuit, *Ebr.* III, 2. qui ideo etiam habere dicitur clauem Dauidis. *Apoc.* III, 7. Cum vero ipſe alios ſub ſe oeconomos habere vellet, dedit illis ad munus hocce ſuſtinendum, claues regni coelorum, quibus claudere & aperire poſſent: eodemque ſenſu ligandi ſoluendique poteſtatem illis conceſſit, vt ex dictis patet.

§. LXV.

Excommunicatio maior eſt declaratio a tota eccleſia, * re prius cum omnibus, aut praecipuis eius membris, communicata, publice facta, aliquem ob admonitiones omnes reiectas, & quod pertinaciter in impro-

in improbo vitae genere pergat, nec ſpem emendationis relinquat, non amplius pro membro eccleſiae habendum. Huc pertinet, quod Chriſtus dicit, talem hominem *pro ethnico & publicano habendum*, *Matth. XVIII, 17.* hoc eſt, non pro fratre, ſeu membro eccleſiae, ſed pro infideli, vt ethnici extra eccleſiam erant, *Epheſ. II, 12.* quo loco & communi Iudaeorum iudicio habebantur publicani, *Matth. IX, 10. 11. Luc. XV, 1. 2.* ** Cum vero haec excommunicatio ſecundum mores hodiernos infamiam ciuilem ſecum vehat, *** interdum etiam poenam graviorem plerisque conducibilius videtur, ſimulare poenitentiam, quam pertinacia ſua extrema experiri. Mirum igitur non eſt, quod maioris excommunicationis vix exemplum apud nos occurrat.

* Hoc non tantum ex effato Chriſti ſeruatoris conſtat, *Matth.* XVIII, 17. ſed ex praxi etiam primitivae eccleſiae. GABRIEL equidem ALBASPINAEVS haud obſcure aſſerit, ſolis epiſcopis in veteri eccleſia competiiſſe facultatem ligandi atque ſoluendi peccata, *obſeruationum de veteribus eccleſiae ritibus*, *lib. 2. obſeru. 32. n. 6.* Sed fallitur, ſecusque rem ſe habuiſſe, tum ab aliis demonſtratum eſt, tum & ab ipſo LVD. ELIA DV PIN, de *antiquae eccleſiae diſciplina*, *diſſertat. 3. cap. 1. p. 247.*

** Non itaque excommunicationis vis eousque extentenda, vt iuribus ſocietatis ciuilis aliquis per eam priuetur. Recte hoc ex ipſis pontificiis obſeruat, quem aliquoties iam laudavimus, LVD. ELIAS DV PIN. Cum enim verba Chriſti: *ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*, ita bene explicaſſet: *iam non habeatur vt frater & chriſtianus, ſed quemadmodum ethnicus & publicanus*, ſubiicit: *ſicut ergo ſocietas ciuilis ſeruatur cum ethnicis & publicanis, ita per excommunicationem non excluduntur homines a ſocietate ciuili, nec iis priuantur officiis, adiumentis & bonis, quae ipſis tanquam hominibus & ciuibus, iure naturali, gentium & ciuili, debentur; itaque primus & praecipuus effectus, imo, ſi ſtricte & proprie loqui velimus, vnicus excommunicationis effectus, eſt priuatio officiorum ſpiritualium; de antiqua eccleſiae diſciplina diſſert. 3. cap. 1. p. 294.* vbi pluribus hoc comprobat, quod & ſubinde ex noſtratibus cum theologi, tum iurecconſulti demonſtrare ſolent. conf. B. SAMVEL STRYCKIVS ad *Io. Brunnem. ius eccleſ. lib. 2. cap. 19. §. 10.*

*** Id quidem contra indolem & naturam excommunicationis, pariter ac morem & conſuetudinem veteris eccleſiae, vt ex dictis patet.

§. LXVI.

Interim circa minorem excommunicationem, ſeu clauis ligantis vſum, ſequentia obſeruanda ſunt prudentiae monita: etſi quilibet paſtor habeat poteſtatem arcendi impoenitentes ab vſu ſacrae coenae, ob abuſum tamen huius poteſtatis * tutius eſt, ſi hoc fiat cum conſenſu totius presbyterii, aut ſuperiorum; ſuſpenſio haec ſe extendit ad omnes, qui in peccatis contra conſcientiam pergunt, & ab iis deſiſtere nolunt; etiam ad magiſtratus, & eos, qui in magnis conſtituti ſunt dignitatibus; idque extra omnem controuerſiam, ſi de vita emendanda admoniti, aperte profiteantur, ſe non poſſe aut velle a peccatis, aut certo peccatorum genere, deſiſtere; ſin polliceantur emendationem, certum tempus conſtituendum, vt experimentum capiatur, an

 ſerio

Digitized by Google

ſerio eam polliciti ſint? quod ſi euentus doceat, ſpem emendationis vanam eſſe atque irritam, in iſta ſuſpenſione pergendum, donec certo, eos reſipuiſſe, conſtet.

* Saepius enim contingit, ut in poteſtatis huius exercitio adfectibus prauis indulgeant verbi diuini miniſtri, occaſionem hinc captantes, vexandi, quibus male cupiunt, reliquos impune dimittentes. Hinc conſultius, vt cuncta fiant cum conſenſu ſuperiorum, quanquam & per hos interdum viri cordati in vſu clauis ligantis impediri queant, quod itidem experientia docet. Sed ex duobus malis minimum eſt eligendum.

§. LXVII.

Praeterea, ſi quis rumoribus incertis deferatur, nec inueſtigatione adhibita, certi quid adpareat, delatus etiam factum conſtanter neget, ſuſpenſio locum non habet, grauiter tamen admonendus eſt, ne facinus negando, ſe indignum ſacra coena reddat, & peccata peccatis cumulet. Quod ſi quis coram eccleſiae miniſtro fateatur delictum, quod coram iudice conſtanter negat, non videtur abſoluendus, * eo quod pertinax facti coram iudice negatio, quae pro mendacio, adeoque peccato grauiſſimo habenda, cum vera poenitentia conſiſtere nequit. Denique, ſi aliunde certus de delicto ſit verbi diuini miniſter, non abſoluet reum, quamdiu id non fatetur, etiamſi teſtimonium innocentiae adferat, cum experientia conſtet, non multum ſaepius eiusmodi teſtimoniis tribuendum eſſe.

* *Sunt equidem, qui ſecus ſentiunt, eo quod paſtor hic non verſetur in foro politico, ſed eccleſiaſtico. Sed obſtat, quod pertinax facti coram iudice negatio, cum vera poenitentia nullatenus conſiſtere queat.*

§. LXVIII.

Diuerſa ratione & hic contra legum diuinarum pariter ac prudentiae praeſcripta, peccatur. In defectu peccant, qui in vſu clauis ſoluentis nimis liberales, & in vſu ligantis nimis parci ſunt; quiue promiſcue omnibus peccatorum remiſſionem annuntiant, poenitentia eorum an ſeria ſit, non ſatis explorata, idque aut ex metu, aut ſpe lucri, & ignauia quadam, aut aliis cauſſis vituperabilibus, conf. *Ezech. XIII, 19. Zach. V, 3.* In exceſſu rurſus peccant, qui in exercitio clauis ligantis nimis ſunt rigidi, eum omnino in occaſionem aut inſtrumentum imperii, quod in alios adfectant, conuertentes, * contra monitum Petri, *1 Petr. V, 3.* Denique quoad modum peccant, qui peccatorum aut perſonarum diſcrimen aut negligunt, aut non ea, qua decet, ratione obſeruant. Cum primis vero omnis procul abeſſe debet *προσωποληψία*, quae, vt alias, ita vel maxime in vſu clauis ſoluentis ac ligantis, ſummopere eſt deteſtanda.

* Quod

* Quod vt craſſiori quadam ratione Romani fecerunt pontifices, quibus excommunicatio, ad imperium in reges principesque orbis chriſtiani ſibi aſſerendum, olim multum profuit, priusquam illorum fraudes detegerentur, ita non deſunt, qui hodie illud ſubtiliori quadam ratione faciunt. Vocari hoc vitium ſolet *papa-caeſaria*.

§. LXIX.

Iam, quod ad ſacramenta eorundemque adminiſtrationem, ſpeciatim baptiſmum, attinet, ſupponentes iterum, quae de eorum natura, indole, cauſſis & effectibus, alibi traduntur, quae hic iuxta prudentiae quoque leges obſeruanda, paucis indicabimus. Primo ergo extra controuerſiam poſitum ſit, eos baptizandos, qui effectus baptiſmi compotes fieri poſſunt, & quos baptizandos Chriſtus iuſſit, hoc eſt, homines veros, ſiue infantes, ſiue adultos. Quod ſi probe teneatur, variae hinc facili negotio ſolui quaeſtiones poſſunt, patebitque, quid de infantibus nondum perfecte natis, de monſtris, de iis, qui per abortum in lucem editi ſunt, & quod ad adultos attinet, de amentibus, ſimilibusque, cenſendum ſit.

§. LXX.

Ad baptiſmum nemo cogendus, * nec tamen occaſio, infantes, qui in noſtra ſunt poteſtate, ſi nemo ſit, qui repugnet, baptizandi, temere praetermittenda eſt. Vtrumque & officii eſt, & prudentiae. In caſu dubio, vbi incertum, an infans baptizatus ſit, tutiſſimum eſt, eum baptizare. ** Nec enim tum iteratur baptiſmus, ſed ſupponitur, eum non baptizatum eſſe.

* Sic infantes Iudaeorum, qui inter chriſtianos habitant, illis neutiquam vi abripiendi ſunt, vt baptizentur, qui parum etiam illis profuturus eſſet baptiſmus; ſi a parentibus in erroribus patriis educarentur. Qui vero per captiuitatem bellicam, aut alia ratione in noſtram poteſtatem venerunt, infantes infidelium, omnino baptizandi ſunt. conf. B. CHRIST. KORTHOLTVS, in *paſtore fideli*, *cap.* 5. *poſit.* 3. *p.* 195. *ſeqq.* qui & *poſit.* 2. illis, quae in §. *praecedenti* diximus, lucem adfundet.

** Quid vero, ſi ſchedam affixam habeat, quae de baptiſmo collato teſtetur? Nihilo ſecius baptizandum eſſe eiusmodi infantem, plerique cenſent, cum eiusmodi ſcheda nullam mereatur fidem. Quod ita intelligendum, niſi indicatum ſit, vbi & a quonam baptiſmus ſit collatus. Si enim hoc ſit, paſtor de veritate rei mox certus fieri poterit.

§. LXXI.

Vt vero in infantibus fides per baptiſmum incenditur, ita eadem in adultis iam ſupponitur. Circa baptiſmum itaque adultorum, qui forte a Iudaiſmo, aut Mahumedaniſmo, ad nos tranſeunt, magna cautione opus, ne externa fidei profeſſione nos decipiant, * cum tamen corde adhuc a Deo plane ſint auerſi, adeoque verae fidei expertes.

* Diligenter & recte quidem hoc inculcat B. SPENERVS, in *reſponſis theolog. Germ. part.* 4. *pag.* 96. *ſeqq.*

§. LXXII.

Prudens verbi diuini miniſter, diligenter quoque ſibi cauet, ne circa materiam aut formam baptiſmi peccet. Hinc nec pro aqua alium liquorem ſubſtituet, neca formula baptiſmi, ab ipſo ſeruatore praeſcripta, vlla ratione diſcedet. Quod ſi per imprudentiam aut caſu quodam hic aberratum ſit, infans non recte baptizatus eſt, meritoque adeo baptiſmus ei eſt conferendus. In reliquis, quae ad eſſentialia baptiſmi non pertinent, receptos mores merito ſequitur, quorſum & illud pertinet, quod loco immerſionis, olim vſitatae, hodie adſperſio obtineat. *

* Non deſunt, qui optant, vt hodie adhuc immerſio obtineret. Legi & expendi merentur, quae hac de re habet PH. SPENERVS, in *reſponſ. theolog. Germ. part. 1. cap. 2. p. 143. ſeqq.* Adſperſio autem, ſiue fiat in capite, ſiue in fronte, aut pectore, perinde eſt, ideoque hac in re cuiusque loci ſequenda eſt conſuetudo.

§. LXXIII.

Prudentiae quoque, immo officii paſtoralis eſt, diſpicere, ne quiuis ſine diſcrimine, vt ſuſceptorum, ſeu patrinorum munere in actu baptiſmi fungantur, admittantur. Cum enim ſuſceptorum officium ſit, non tantum teſtari de baptiſmo infanti rite collato, ſed & curare, vt in fide vera, & vita homine chriſtiano digna educetur, non alios, quam qui ratione aetatis, pietatis, aliarumque virtutum chriſtianarum, ad hoc idonei ſunt, admittendos eſſe, palam eſt. *

* Excludendi ergo ab hocce munere ſunt haeretici, hominesque impii, & quotquot ita comparati ſunt, vt illorum curae & inſpectioni infantes committi nequeant. Quantopere hac in re quotidie peccetur, ipſa quemuis docere poteſt experientia.

§. LXXIV.

Circa ritus baptiſmales, ab hominibus introductos, nec a Deo inſtitutos, diſpiciendum primum, an aliquid ſuperſtitioſi contineant? Si enim hoc ſit, repudiandi omnino, & vt abrogentur, omnis impendenda opera. Sin innocentes ſint, nec vitii quid ſecum trahant, non temere quidquam mutandum, nec a recepta conſuetudine ſine neceſſitate recedendum, * praeſertim ſi ſine aliorum ſcandalo mutatio fieri nequeat.

* Ergo nec exorciſmus omittendus, cum hicce ritus, in ſe ſpectatus, nihil vitii inuoluat, & de ſumma hominis, in qua per naturam conſtitutus eſt, miſeria, quodue filius irae, & captiuus infernalis genii ſit, nos admoneat.

§. LXXV.

Alterum noui teſtamenti ſacramentum eſt ſacra coena, quae vt rite atque legitime adminiſtretur, ſequentia non negligenda ſunt prudentiae

dentiae monita: praecipua cura ſit, ne indigni ſint, qui ad eius participationem admittuntur. Hoc enim ſi per culpam aut negligentiam paſtoris fiat, grauiſſime peccat & contra officii ſui rationem, *Matth. VII, 6.* & contra illum, quem hac ratione admittit. *1 Cor. XI, 29.* Quinam autem indigni ſint, vel ex fine ſacrae coenae patet, qui eſt, vt commemoratione mortis Chriſti fides corroboretur. Vbi ergo non eſt fides, ibi corroborari nequit. Fides autem cum ex fructibus agnoſcenda ſit, palam eſt, eos, qui in peccatis proaereticis viuunt, fidem non habere, indignosque adeo eſſe, qui ad ſacram coenam admittantur.

* Manifeſte itaque flagitioſos, impoenitentes, criminis cuiusdam ſuſpectos, &c. ad ſacram coenam non eſſe admittendos, ſequitur. Recurrunt hic fere eadem, quae ſupra §. 58. *ſeqq.* de abſolutione diximus. Non enim in noſtris eccleſiis ad ſacram coenam aliquis admittitur, niſi abſolutionem prius rite impetrauerit.

§. LXXVI.

Ad vſum ſacrae coenae nemo inuitus cogendus eſt. Non minus enim peccant, qui, cum indigni minusque praeparati ſint, ad eam accedunt, quam qui eam contemnunt. Cultus quoque omnis chriſtianorum ſpontaneus eſſe debet, *Pſalm. CX, 3. LI, 12.* Recte interim legitimus ſacrae coenae vſus oſtenditur, eiusque neceſſitas demonſtratur, vtilitas, ad dignos conuiuas redundatura, commendatur, vt tamen ſimul addatur, eos qui indigne ſacro hocce cibo & potu vtuntur, reos fore corporis & ſanguinis Chriſti, *1 Cor. XI, 27.* * Contemptores namque ſacrae coenae, admonitionibus eo adducendi ſunt, vt peccata ſua agnoſcant, & reſipiſcant, & tum demum ad ſacram coenam admittendi ſunt.

* Sermo hic de eo eſt, quid verbi diuini miniſter facere queat, aut debeat. Quodnam enim magiſtratus circa eiusmodi homines officium ſit, aliunde conſtat. Qui cogi homines ad ſacrae coenae vſum poſſe, exiſtimant, ad loca *Luc.* XIV, 13. *Ioan.* VI, 44. provocare ſolent. Sed in iſtis de externa & violenta compulſione aut coactione ſermo non eſt, quod & res ipſa docet, & pluribus oſtendit B. FRIDEMANNVS BECHMANNVS, *theolog. conſcient. de offic. miniſtr. eccleſ. circa ſacr. coenam*, *caſ.* 19. *p.* 214. *ſeqq.*

§. LXXVII.

Prudentiae quoque eſt, receptam iſtam theologorum obſeruare regulam: non priuatio, ſed contemtus damnat. Hinc enim intelligere licet, quo pacto eccleſiae miniſter erga eos ſe gerere debeat, qui praeter ſuam culpam impediuntur, quo minus aut omnino, aut non ea qua decet ratione, * ad ſacram accedere coenam poſſunt. Quod ſi quis aliunde non impediatur, ad minimum diſpiciendum, an ſeipſum explorare queat, iuxta monitum Pauli, *1 Cor. XI, 28.* Qui

enim

enim per virium ſiue naturalium, ** ſiue ſpiritualium, defectum, hoc facere nequeunt, admittendi ad ſacram coenam non ſunt.

* Patet hinc, quo pacto circa abſtemios verſandum. Hi rectius ab vſus ſacrae coenae plane ſe abſtinent, quam vt ſub vna tantum communicent ſpecie. Patet hinc quoque, nunquam a laicis adminiſtrationem ſacrae coenae recte ſuſcipi. conf. IO. LVD. HARTMANNVS, in *paſtor. euangel. lib.* 3. *cap.* 37. *p.* 764. 769. Diiudicandus hinc etiam caſus a B. FRIDEM. BECHMANNO propoſitus, in *theol. conſcient. de offic. miniſtr. eccleſ. circa ſacr. coen. caſ.* 28. *p.* 224. *ſeqq.*

** Iudicare hinc licet, quid ſentiendum de communione mutorum, ſurdorum, aegrotorum, agonizantium, itemque infantum, furioſorum & obſeſſorum, vid. KORTHOLTVS, in *paſtore fideli, cap.* 6. *poſit.* 3. De furioſis & inſanibus, add. B. BECHMANNVS, *theol. conſcient. l. c. caſu* 21. *&* 30. *p.* 217. *&* 228.

§. LXXVIII.

Quod de baptiſmo monuimus, de ſacra quoque coena obſeruandum, circa materiam & formam huius ſacramenti nihil prorſus mutandum, * nec ab inſtitutione diuina ſeruatoris, quoad eſſentialia, vel latum vnguem diſcedendum. In accidentalibus vero, & ritibus humano conſilio introductis, ſi nihil in illis, quod cum verbo diuino pugnat, contineatur, prudentiae eſt, receptam loci cuiusque ſequi conſuetudinem, ** niſi eccleſiae ſalus aliud quid poſtulet.

* Non itaque licet pro vino aquam, vel alium liquorem, & pro pane aliud cibi genus ſubſtituere. conf. diſſertatio noſtra de *ſymbolis euchariſticis*, quae extat in *parergis hiſtorico-theologicis.* Diiudicandi quoque hinc caſus varii B. BECHMANNO propoſiti, in *theol. conſcient. l. c. caſu* 31. *ſeqq. p.* 228. *ſeqq.*

** Exemplum vide apud IO. LVD. HARTMANNVM, in *paſtorali euangelico part.* 3. *cap* 40. *pag.* 829.

§. LXXIX.

Supereſt, vt generatim quoque quaedam de ritibus ſacris, & quae prudentia circa eos obſeruare iubeat, addamus. Quod quidem non de diuinis, in quos homini nihil iuris competit, ſed de humanis intelligimus. Hos autem praeſcribendi & conſtituendi pariter ac abrogandi poteſtas, etſi ſummo imperanti competat, vt alibi iam euictum, ** paſtoris tamen eſt diſpicere, ne quid temere conſtituatur, vnde eccleſia detrimentum capere queat.

* Quae generatim noſtrae eccleſiae de ritibus eccleſiaſticis ſententia, conſtat *ex Auguſtana confeſſione artic.* 15. *de ritibus eccleſiaſticis docens, quod ritus illi ſeruandi ſint, qui ſine peccato ſeruari poſſunt, & proſunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in eccleſia, ſicut certae feriae, feſta, & ſimilia, &c.* Praecipuos ritus ſpeciatim diligenter enarrat CASPAR CALVÖRIVS, *in rituali eccleſiaſtico, &c.*

** *part.* 2. huius operis, *cap.* 3. *ſect.* 7. §. 31.

§. LXXX.

Prudentiae itaque pariter ac officii eſt, ſi forte noui ritus introducendi

ducendi ſint, omnem adhibere operam, ne alii introducantur, quam qui neceſſarii ſunt, vt omnia *εὐσχημόνως* fiant & *κατὰ τάξιν 1 Cor. XIV, 40.* & quibus internus Dei cultus non impediatur, ſed promoueatur. Si ritus abrogandi, aut in iis aliquid mutandum, diſpiciendum ſedulo, ne abrogentur, qui vtiles ſunt & ſalutares, adeoque retineri potius debebant; nec committendum temere, vt eccleſiae libertas peſſundetur, & aliquid ceu illicitum abrogetur, idque inuita eccleſia, quod tamen, ceu licitum vel indifferens, retineri aut tolerari poterat.* Quod ſi in ritibus receptis ſuperſtitioſi aut incommodi quid deprehendatur, aut quod praxi verae pietatis impedimentum adferat, id paſtor quidem propria auctoritate mutare nequit, interim apud eos, in quorum hoc poſitum eſt poteſtate, horum rituum abrogationem, aut mutationem recte vrgere poteſt, idque vt faciat, prudentia quoque poſtulat.

* Huc pertinet celebris illa, multisque ſcriptis vtrinque agitata controuerſia *de exorciſmo*: de qua alibi. conf. quae dicta ſunt ad §. 74.

§. LXXXI.

Cum etiam nihil ſit frequentius, quam vt ritibus & ceremoniis ſacris ſuperſtitioſe adhaereſcant miſeri mortales, omnemque fere cultus diuini rationem in iis conſtituant, ſaltem maiorem ſaepius eorum quam debebant, neceſſitatem eſſe credant,* hoc ſibi merito datum fidelis & prudens paſtor putat, vt frequenter auditores ſuos, quid de ritibus & ceremoniis externis ſtatuere debeant, condoceat diligenterque inculcet illud apoſtoli: *non eſt regnum Dei cibus & potio, ſed iuſtitia & pax, & gaudium in ſpiritu ſancto, Rom. XIV, 17.*

* Hinc recte in *Auguſt. confeſſ. artic.* 15. dicitur: *de talibus rebus tamen admonentur homines, ne conſcientiae onerentur, tanquam talis cultus ad ſalutem neceſſarius ſit.*

§. LXXXII.

Vt vero ritus & ceremoniae, ad totam eccleſiam ſpectantes, in ſuperſtitionis ſaepius arripiuntur occaſionem, ita in iis, qui in actibus ad ſingulos pertinentibus adhibentur,* ſubinde vana mortalium ambitio, per luxuriam, pompam, oſtentationem, aliaque ratione ſe exerit. Huic ergo non minus vt obuiam eatur vitio, quam illi, & paſtoralis muneris ratio poſtulat, & prudentia ſuadet, idque tum omnem occaſionem hominibus, ad illicita pronis, adimendo, tum vitia iſta coërcendo & ſupprimendo, ne iis ad vetita & ſcandalum praebitura, mortales abripiantur.

* Per ritus ad totam quandam eccleſiam ſpectantes intelligo eos, qui adhiberi & obſeruari ſolent, in conuentibus ſacris totius eccleſiae; quorſum pertinent tempus, locus, perſonae,

a quibus ſacra adminiſtranda, actiones ipſae, vt conciones, lectiones, cantiones & muſica, & quae alia ſunt eiusdem generis. Ad ſingulos autem homines, aut vnum vel aliquot eccleſiae membra illi ſpectant, qui in certis actibus, in quibus tota eccleſia non concurrit, obſeruantur, vti ſunt ritus nuptiales, qui circa ſponſalia & nuptias obſeruari ſolent, item ſepulchrales, certo modo etiam baptiſmales, & qui circa hominis natiuitatem ſolent obſeruari. De poſterioribus certum eſt, & experientia conſtat, quod aliquando ita comparati ſint, vt ambitioni & luxui mortalium alendae & fouendae inſeruiant, vt priores ſuperſtitioni occaſionem praebere poſſint. Hiſce ergo vitiis hominum vt quauis ratione obuiam eat, merito ſibi datum credit prudens & fidelis eccleſiae doctor.

S. D G.

I N D E X

RERVM MAXIME MEMORABILIVM.

Numerus primus ſignificat partem, ſecundus caput, tertius paragraphum, quartus ſi adeſt, indicat ille paragraphum, tertius vero ſectionem, & Pr. Prolegomena.

ABNEGATIO ſui, quid ſit? I. 1. 4. 98. eius cauſa efficiens principalis ib. minus principalis ib. obiecta ib 95. 98. neceſſitas ib. 94. modus, fiat libere ib. 96. ſerio, ib. 97. conſtanter ib. 99. indicium ib. 100. effectus ib. 101. eſt comes perpetuus amoris Dei ib. 90.

ABSOLVTIO caute circa illam procedendum, III. 3. 58. quibus deneganda? ib. 59. it. 67. quinam abſoluendi? ib. 58. it. 62. quomodo peregrini abſoluendi? ib. 60. modus abſolutionis ib. 61. vitia circa illam in defectu & exceſſu ib. 68.

ACCESSIONES cui competant? II. 3. 5. 18.

ACTIONES, earum norma eſt lex diuina II. 1. 2. it. leges, conſilia & pacta humana ib. ſunt bonae & malae ib. 32. neceſſariae & indifferentes ib. 29. an dentur indifferentes? ib. 30. earum moralitas a lege diuina repetenda ib. 29. quid de vanis ſtatuendum? ib. 30. bonae cum omnibus legis circumſtantiis conueniant ib. 33. ſeqq. finis & intentio ſola non faciunt actiones bonas ib. 35. ſeq. circa omnes obſeruandae circumſtantiae, quis? ib. 37. quid? ib 38. quibus auxiliis? ib. 39. quomodo? ib. ſeqq. ex fide proficiſcantur ib. 41. ſint iuſtae, ſanctae &c. ib. 42. de aliorum moralitate iudicium ferre, difficillimum eſt ib. 36. noſtrarum exploratio, ſintne ex natura an gratia, neceſſaria eſt. ib. 4. 11. iniuriarum ſunt illicitae. II. 3. 4. 22.

ADFECTVS, quid ſint? I. 14. 29. mentales a ſenſualibus caute diſcernendi, ib. it. I. 1. 6. 5. & non ſtatim pro ſpiritualibus habendi ib. * quotuplices ſint? ib. 5. it. I. 1. 4. 29. eorum ſedes eſt in voluntate I. 1. 6. 6. ſunt commotiones pasſiuae & actiuae ib. 7. quo ſenſu paſſiones dicantur? ib. * eorum gradus ſeu motus ib. 8. terminus a quo & ad quem? ib. 9. ſemper in bonum aut malum aliquod futurum tendunt. ib. eorum cauſa proxima, ib. 10. ſeq. effectus in corpore ib. 13. mente ib. 14. it. 29. ſeq. commoda & incommoda ib. 15. quinam primitiui & principes? ib. 16. deriuatiui? ib. horum claſſis prima. ib. 17. ſecunda ib. 18. tertia ib. 19. ſeq. quarta ib. 21. quinta ib. 22. eorum diuerſitas ratione obiectorum ib. 17. it. 23. ſigna ib. 13. & 29. coniunctio quorundam & mixtura. ib. 24. ſeq. ſunt indicium corruptae naturae. ib. 27. ſeq. carnales damnantur in ſcriptura S. ib. 28. vitia, quae ex adfectibus oriuntur ib. 30. an omnes ſint mali? ib. 31. ſeq. ſintne eradicandi, an corrigendi? ib. an omnes indifferentes ſint? ib. I. 1. 6. 32. irregenitorum ſemper mali ſunt. ib. 33. regenitorum ſiunt boni. ib. 34. impediunt hominis conuerſionem. ib. 35. praecipue explorationem ſui ipſius, ib. 35. ſeq. quomodo ſe habeant ſecundum gratiam? ib. 37. in regenitis eſſe poſſunt ib. 41. ſunt in illis ſanctificati ib. 40. ſpirituales non nocent, ſed proſunt, ib. * naturae fallacia circa adfectus ſedulo eſt attendenda. ib. 42. ſeqq.

Ἀδυναμία hominis in ſpiritualibus & naturalibus I. 1. 1. 7. ſeqq.

ADFLICTIONES ſunt ſpirituales & temporales III. 3. 51. ſolatium contra illas. ib. 52.

ADORATIONIS vox late & ſtricte ſumitur II. 2. 1. 26.

ADPETITVS SENSITIVVS, quid ſit? I. 1. 6. 2. differt a voluntate. ib. 3. eius pugna cum ratione ib. 4. eſt indicium corruptae naturae ib. 26.

ADVLTERIVM matrimonii vinculum ſolvit. II. 3. 6. 10.

AEMVLATIO quid? I. 1. 6. 21. an ſit vitium? ib. 30.*

AEQVALITAS eſt inter homines obſeruanda II. 3. 4. 8. in quo conſiſtat? ib. cur ſit ſeruanda ib. quomodo? ib. 9. humanitatis non ponit aequalitatem poteſtatis. II. 3. 6. 33.*

AEQVIVOCATIO quid? II 3. 5. 33. eius varia genera ib.**

AETATIS ratio habenda in eligendis Eccleſiae miniſtris. III. 2. 42.

AGENDA a credendis non ſunt ſeparanda I. Pr. 2. ſeq. interim tamen ſeparatim conſiderari poſſunt. ib. 4.

AGNITIO DEI ex Scriptura S. non ex ratione eſt haurienda. II. 3. 1. 3. it. 12. ſit efficax & explicita, ib. 4. ſufficiens it. 5. eius obiectum eſt Deus ipſe quoad exiſtentiam ib. 6. *Eſſentiam ib. 7. attributa ib. 8. opera ib. 10. voluntatem ib. 11. huius agnitionis obligationem requirit, principium primum iuris diuini ib. 13. it. praeceptum primum ib. 14. requiritur ab omnibus Chriſtianis ib. 15. eam impedit ignorantia ib. 16. errores Anti-ſcripturariorum, ib. 17. Atheorum, ib. 18. Haereticorum & infidelium ib. eſt neceſſaria II. 3. 1. 7.**

Ἀκρίβεια in vita Chriſtiana I. 3. 15.

AMBITIO, quid ſit? I. 1. 4. 55. diuerſimode accipitur, ib. eſt philautiae filia & mater reliquorum vitiorum ib. 40. ſeq. eſt inſatiabilis, ib. 56. inepta & ridicula, ib. 57. craſſior & ſubtilior, ib. ſpiritualis, ib. eius obiecta varia ſunt. ib. & 58. in illa fruſtra animi quies quaeritur, ib. 59. impedit Chriſtianiſmum. ib. 83.

AMBITIOSVS, quomodo ſe gerat in officiis erga Deum & res diuinas? ib. 60. ſeq. ſeipſum ib. 62. alios ib. 63. in ſtatibus certis. ib. 64.

AMOR, quid ſignificet? I. 1. 6. 16. quomodo differat ab odio? * eius ſpecies ib. 18. * it. I. 14. 116. concupiſcentiae, quid? ib. 118. complacentiae, ib. 119. amicitiae, ib. 120. obedientiae, 121. eius obiectum praeſtantiſſimum eſt Deus. ib. 33.

AMOR DEI, in quo conſiſtat? I. 1. 4. 110. eius cauſa efficiens, ib. 111. non eſt nudus actus, ſed propenſio habitualis, ib. 111. naturalis non datur. ib. ** eius obiectum. ib. 112. modus ib. cauſa impulſiua, 113. it. 117. effectus & conſequens ib. 114. it. 125. indicium 115. incitamentum. 117. variae ſpecies, ib. 117. 124. eſt purus atque impurus ib. 123. eſt omnium reliquarum virtutum mater. ib. 125. it. 135. praeſupponit agnitionem Dei. II. 1. 1. 2. ſpecialis, II. 3. 1. 35. ſeqq. huius fundamentum & effectus. ib. 38. ſeqq. obligatio ad illum, ib. 80. it. 40. oppoſita, ib. 80. media 95. impedimenta, ib. 99. ſeqq.

AMOR proximi, eius deſcriptio. II. 3. 4. 1. ſeq. obiectum ib. 3. ordo, ib. 4. fundamentum 5. & 25. gradus. ib. 6. obligatio, ib. 20. contraria, ib. 21. ſeq. media, ib. 26. impedimenta, ib. 27.

AMOR SVI ordinatus & licitus eſt fundamentum officiorum hominis erga ſe ipſum. II. 3. 3. 8. ſeq. it. I. 14. 32. illicitus eſt fons omnium vitiorum, ib. 36. ſeqq.

ANABAPTISTARVM errores circa iuramenta. II. 3. 5. 10. rerum dominia. ib. 17. contractus ib. 85.** ſupplicia capitalia II. 4. 23. bella. ib. 25.

ANGELVS, officia erga Angelos quo referenda? I. 1. 4. 137. it. II. 2. 56.

ANIMAE facultates & potentiae I. 1. 2. 2. it. I. 1. 6. 2. * ſunt purae & mixtae, ib.

ANIMI emendatio, in quo conſiſtat? II. 3. 3. 5. ſeqq. media illi inſeruientia. ib. 21. impedimenta ib.

ANTHROPOMORPHITARVM error II. 3. 1. 19.

Ἁπλότης, quid ſit? I. 1. 4. 133.

APPROXIMATIO ſubſtantiae diuinae in vnione myſtica an ſtatuenda? I. 1. 4. 88.*

Ἀπάθεια Stoicorum I. 1. 6. 31. it. 41. quomodo irrepſerit in eccleſiam? ib. * eſt capitalis doctrina pſeudo-domeſticae Theologiae. ib.*

ARBOR VITAE, it. cognitionis boni & mali, fuit inſtitutum Paradiſiacum. II. 2. 23.

ARISTOCRATIA, quid? II. 3. 7. 13.

ARMATVRA SPIRITVALIS. I. 2. 70.

ARTES, diuinatoriae ſunt ſpecies idololatriae, II. 3. 1. 79. ** non omnes artes ſunt vtiles. II. 3. 3. 7. * non omnibus conueniunt. ib. ** earum cognitio non impediat profectus in ſpiritualibus. ib.*

ASCETICI SCRIPTORES, I. Pr. 25. eorum lectio, quomodo & quando rite inſtituenda? I. 5. 16.

Ἀσκήσεις Philoſophorum. I. 5. 1.

ASTROLOGIAE vanitas I. 1. 4. 23.

ASYLA prorſus ſunt ſuperuacanea, II. 4. 16.**

ATHEISMVS, eius diuerſa ſunt genera, II. 3. 1. 18. quomodo differat a deiſmo? ib. 79.

ATTRIBVTA, Dei ſunt vel naturalia vel moralia, II. 3. 1. 8. ſeq.

AVARITIA, eius definitio. I. 1. 4. 65. Obiecta ſunt fere innumera ib. 67. ſeq. eſt inſatiabilis, ib. 66. non cadit in bruta & ſpiritus ib. eſt ſubtilior, ſubtiliſſima & craſſior. ibid. 68. in illa

fruſtra animi quies quaeritur, ib. 69. impedit Chriſtianiſmum. I. 1. 4. 84.

AVARVS, quomodo ſe gerat in officiis erga Deum & res diuinas, I. 1. 4. 71. ſe ipſum, ib. 72. alios ib. 73. in ſtatibus certis. ib. 74.

AVDACIA, quid ſit? I. 1. 6. 21.

AVDITORVM verbi diuini officia, II. 3. 8. 20. obligatio ad illa, ib. 22. contraria peccata ib 23. media. ib. 24. impedimenta. ib.

Αὐτάρκεια, quid? II. 3 3. 26.

Αὐτοχειρία, eſt crimen longe maximum, II. 3. 5. 16.

BAPTISMVS, eſt inſtitutum Diuinum N. T. II. 3. 2. 17. quo ſenſu dicatur ſtipulatio? I. 5. 18. eius foederis ſemper ſimus memores. ibid. quinam baptizandi? III. 3. 69 ſeq. quid faciendum, ſi incertum, an infans ſit baptizatus? ib. 70. ad hunc nemo eſt cogendus, ib. circa adultorum baptiſmum quid obſeruandum? ib. 71. aqua non alia materia eſt baptizandum ib. 72. circa ritus nihil temere mutandum. ib. 74. non quilibet ad patrini munus admittendus ib. 73.

BELLVM punitiuum fruſtra fingitur. II. 4. 7. an ſit licitum? ib. 25. ſeq. quando illicitum? ib. 26.

BENEDICTIO SACERDOTALIS circa matrimonii conſummationem eſt ritus antiquiſſimus, II. 3. 6. 28. lege tamen diuina non praeſcriptus. ib. interim a magiſtratu adprobatus. ib. eius effectus ciuiles ib. 18.

BENEFICIA, quid ſint? II. 3. 4. 17.

BONA FORTVNAE, quid ſint? II 3. 5. 22. ſunt neceſſaria, ib. 23. valde tamen periculoſa ib. officia circa illa, ib. 24. obligatio ad illa officia, ib. 25. oppoſita ib. 26. media & impedimenta. ib. 33.

BONA OPERA non accurate media ſanctitatis appellantur. I 5. 8.

BONVM SVMMVM, in quo conſiſtat? I. 1. 4. 85.

BRVTA, officia erga illa quo referenda? I. 1. 4. 137. it II. 2. 56.

CALENDARIVM, quid de Biblicis ſentiendum? I. 5. 14.

CANONES Conciliorum an hodie vim obligandi habeant? II. 1. 17.

CARO noſtra quomodo nos tentet? I. 2. 29. quid per carnem intelligatur in Scriptura S. ib. 58. it. I. 1. 6. 39. eius inſultus in lucta cum Spiritu ib. 65. ſeqq.

CASTITATIS, ſtudium, II. 3. 3. 31. eius impedimenta. ib. media ib. 29.

CASVS CONSCIENTIAE, qui ſcripſerint? I. Pr. 25. II. Pr. 19. eorum vſus in Theol. Morali. II. Pr. 19.

CATECHISATIONES, earum neceſſitas III. 3. 7. modus prudens, ib. 8. ſeqq.

CEREMONIAE SACRAE, II, 3. 2. 21.

CHARITATIS officia, quae imperfectionem habent, denotat. I. 1. 4. 79. it. I. 5. 41.

CHOREAE, quid de illis ſentiendum? II. 3. 3. 31.

CHRISTIANA DOCTRINA praeſtat philoſophia gentilium. I. 1. 4. 114.

CHRISTVS non fuit nouus Legiſlator. II. 1. 11. it. 17. vocatur lux I. 1. 2. 49. * it. ib. 51. *

CIVITATES, earum origo ante diluuium, II. 3. 7. 2. poſt illud, ib. 3. cauſa principalis Deus, ib. 4. inſtrumentalis homines, ib. impulſiua, ib. finalis, ib. 5.

CLARITAS, commodum ſanctitatis, I. 3. 17.

CLERICI a poteſtate ſummorum imperantium non ſunt exemti, II. 3. 7. 12. eorum coniugium eſt licitum. III. 2. 22.

CLAVIS ſoluens & ligans quid? III. 3. 57. quomodo circa eius vſum peccetur? ib. 63.

COACTIO, quomodo pactum & promiſſum reddat irritum? II. 3. 4. 12.

COELIBATVS Clericorum Pontificiorum, quid de illo ſtatuendum? III. 2. 22. *

COENA SACRA, eſt inſtitutum diuinum N. T. II. 3. 2. 37. eſt medium ſanctitatis, I. 5. 19. quis ea vti poſſit? ib. 20. quando & quoties ea vtendum? ib. 21. qua praeparatione? ib. 22. qua fide? ib. 23. eius fructus & effectus. ib. 24. quinam ad illam admittendi? III. 3. 75. ſqq. nemo ad illam cogendus ib. 76. eius contemtus non priuatio damnat. ib. 77. circa materiam & formam nihil mutandum. ib. 78.

COGNATI, in amore proximi reliquis ſunt praeferendi. II. 3. 4. 4.

COGNATIO naturalis. II. 3. 4. 20.
ſpiritualis, ib.

COGNITIONIS errores & defectus. I. 1. 2. 8.

COGNITIO SVI eſt neceſſaria. I. 5. 43. * quomodo inſtituenda? ib.

COMOEDIAE, quid de illis cenſendum? II. 3. 3. 31.

COMMISERATIO quid? I. 1. 6. 28.

COMMODA aliorum ſunt promouenda, II. 3. 4. 14. tum indefinite, ib. 15. tum definite & quidem varia ratione. ib. 15. & 16.

COMMVNIO cum Deo I. 1. 4. 89. fidelium inter ſe, ib. rerum. II. 3. 5. 17.

CONCILIA, eorum conuocatio & directio cui competat? II. 3. 7. 29. eorum finis. ib.

CONCIONES publicae, earum antiquitas, III. 3. 13. neceſſitas, ib. vtilitas, ib. finis, ib. 14. autor ſit ipſe concionator, ib. 15. textus, ib. 16. diſpoſitio, ib. 17. explicatio textus, ib, 18. applicatio, ib. 19. exordia, ib. 20. * ſtilus, ib. 21. ſeq. pronuntiatio & actio, ib, 22. quantitas, ib. artificioſae, quid de his iudicandum. III. 3. 14. it. 17. non ſunt negligendae I. 5. 12.

CONCV-

Digitized by Google

CONCVPISCENTIA prava eſt fons omnium vitiorum I. 1. 4. 34. ſeq. non tantum actualis, ſed etiam habitualis eſt prohibita I. 1. 4. 39.

CONFESSIO delicti coram iudice, an ad illam teneatur reus? II. 3. 5. 9. ** fidei, cui, quando & quomodo reddenda? II. 3. 2. 5.

CONFESSIONARIVS, an liceat ab vno ad alium tranſire? III 3. 59. **

CONGRATVLATIO, quid? I 1. 6. 22.

CONIVGVM officia. II. 3. 6. 24. it. 38. obligatio ad illa. ib. 39. media, ib. 40. impedimenta, ib. 41.

CONSCIENTIA inter reliquas intellectus operationes maxime inſignis eſt. I. 1. 3. 1. eius definitio ib. 2. Synonyma, ib. ſitne actus, an habitus an potentia fruſtra diſputatur. I. 1. 3. 3. falſum eſt, quosdam non habere conſcientiam, ib. * quomodo expergiſcere, dormire & excitari dicatur? I. 1. 3. 3. quomodo de Deo dicatur? I. 1. 3. 4. ** pro norma habet praecipue leges diuinas: I. 1. 3. 4. quo reſpectu dicatur liber, regula, iudex, &c. I. 1. 3. 5. vera ſ. recta. I. 1. 3. 6. ſeq. erronea, dubia, ib. 8. it. 10. * certa, probabilis, I. 1. 3. 6. it. 20. antecedens & conſequens, ib. 7. * it. 23. ſuadens & diſſuadens, ib. adprobans & reprobans, ib. bona & mala ib. 9. quomodo ſe habeat ſecundum naturam, cum in regenitis, tum irregenitis, ib. 10. ſeqq. quomodo ſecundum gratiam, ib. 20. laxa ſ. dormiens, ib. 15. cauteriſata, ib. ſtupefacta, ib. anguſta. ib. 16. eius imaginaria tranquillitas impedit rem Chriſtianam, I. 1. 3. 17. ſeqq. ſcrupuloſitas, ib. tranquillitas eius vera. I. 1. 3. 22. ſeq. reluctantis, I. 1. 3. 27. obligatio II. 1. 24. Examen ſ. praxis I. 5. 5. quid pura & bona? I. 1. 3. 20. ſeqq. infirma? ib. 21.

CONSENSVS, quid ſit? II. 3. 4. 12. quomodo declaretur? ib. requiſita. ib. impedimenta. ib.

CONSILIA, differunt a lege, II. 1. 3. quid de conſiliis Euangelicis Pontificiorum ſentiendum? II. 1. 14.

CONSISTORIA, ius illa conſtituendi cui competat? II. 3. 7. 33. illorum finis. ib. ex quibus perſonis conſiſtant? ib.

CONSTERNATIO, quid ſit? I. 1. 6. 19.

CONSVETVDO, quid valeat? I. 1. 4. 79.

CONTEMTVS aliorum eſt peccatum contra amorem proximi. II. 3. 4. 23.

CONTRACTVS inire Chriſtianis non eſt prohibitum II. 3. 5. 25. oneroſi iuxta iuſtitiae leges exiguntur. ib 6. benefici charitatis Chriſtianae normam obſeruant. ib. qui aliquid aleae continent pro illicitis habentur. ib. officia circa illos ib. 30. obligatio ad haec, ib. 31. contraria. ib. 32. media, ib. 36. impedimenta, ib.

CONTRITIO, ob peccata quomodo recte inſtituenda? I. 5. 6.

CONVERSATIO cum aliis, quid valeat, quidque noceat? I. 1. 4. 79. it. I. 5. 41.

CONVIVIA, an & quomodo recte inſtituantur? II. 3. 3. 30.

CORDIS nomine interdum in ſcriptura S. conſcientia venit, I. 1. 3. 2. interdum voluntatem ſignificat, I. 1. 4. 4.

CORPVS, officia erga illud. II. 3. 3. 10. eius conſtitutio auget voluntatis corruptionem naturalem. I. 1. 4. 79. & plurimum confert ad animi propenſiones I. 1. 7. 2. an per illam peccatum in animum deriuetur? I. 1. 4. 79. it. I. 1. 7. 5. in eligendis Miniſtris Eccleſiae eſt obſeruanda. III. 2. 43. ad certos motus corporis certi ſequuntur motus mentis I. 1. 7. 4.

CORREPTIONES fraternae differunt a poenis, II. 4. 6. iis alterius commodum promouetur. II. 3. 4. 16.

CREATIO, errores circa eam, II. 3. 1. 20.

CREDVLITAS voluptatis & auaritiae filia, ſuperſtitionis vero mater eſt. I. 1. 2. 18.

CREDENDORVM & AGENDORVM nexus, 1 Pr. 1.

CVLTVRA mentis in quo conſiſtat? II. 3. 3. 5. ſeqq.

CVLTVS NVMINIS, quid ſignificet? II. 3. 1. 24. it. 26. eius obiectum vnicum eſt tota ſancta Trinitas, ib. 27. ſeqq. etiam humana Chriſti natura. ib. 29. ſeqq. it. Spiritus S. ib. 31. ad illum requiritur fides in Chriſtum, ib. 34.

CVLTVS DEI INTERNVS in quo conſiſtat? II. 3. 1. 25. it. 32. abſoluitur amore Dei ſpeciali, ib. 34. ſeqq. timore, ib. 41. ſeqq. ſpe & fiducia, ib. 48. ſeqq. obedientia, ib. 54. inuocatione mentali ib. 61. gratiarum actione mentali, ib. 61 ſeq. fide ſpeciali. ib 73. ſeqq. eius oppoſita, ib. 79. obligatio ad illum obſeruandum ib. 79. it. 49. & 59. media, 95.

CVLTVS DEI EXTERNVS, num ex lumine naturae demonſtrari queat? II 3. 2. 2. nititur legibus diuinis abſolutis & hypotheticis. ib. 1. iuxta leges abſolutas quid ſit? ib. 2. declaratur verbis ſeu ſermonibus de Deo ib. 3. confeſſione fidei, ibid. 4. votorum obſeruatione ibid. 7. iureiurando. ibid. 14. glorificatur factis, nim. obſequio, II. 3. 2. 15. confeſſione, ib. obligatio ad hunc cultum, ib. 17. ſeqq. media ſunt cultus externus verbi diuini, ib. 19. ſeq. ieiunium religioſum, ib. ceremoniae ſacrae, ib. 21. preces publicae: ibid. 25. oppoſita & contraria ſunt profanatio nominis diuini, ibid. 26. ſeqq. impedimenta ibid. 30. iuxta leges hypotheticas quid? ib. 31. ad hunc pertinet Sabbathum. ib. 22. Sacramenta ib. 37. obligatio ad hunc cultum, ib. 39. contraria. ib. 40. media & impedimenta. ib 41.

Digitized by Google

CVPIDITATES, quomodo illis reſiſtendum? I. 5. 42.
CVRIOSITAS adfectibus eſt annumeranda, I. 1. 6. 21. * intempeſtiua eſt vitium grauiſſimum II. 3. 1. 21.
DAMNVM, laeſio interdum ita dicitur, II. 3. 4. 6. quomodo reſtituatur? ib. 7.
DEBITA, quid ſint? I. 5. 33.
DECALOGVS eſt ſumma legum diuinarum vniuerſalium II. 2. 9. eius promulgatio directa ſpeciatim ad Iſraëlitas. ibid. de eius diuiſione multa diſputari ſolent. ib.
DECORVM in geſtibus, ſermone & veſtitu. III. 2. 40. ſeq. eſt vel verum vel apparens, ib. 41. **
DEFENSIO ſui violenta num ſit licita? II. 3. 3. 20.
DEISMVS quid ſit? II. 3. 7. 79. differt ab Atheiſmo, ibid.
DEMOCRATIA, quid ſit? II. 3. 7. 13.
DESERTIO malitioſa vinculum matrimonii ſoluit. II. 3. 6. 10.
DESPERATIO, quid ſit? I. 1. 6. 19.
DEVS, eſt praeſtantiſſimum amoris obiectum, I. 1. 4. 34. eſt ſummum bonum. I. 1. 4. 85. eius vnitas & trinitas II. 3. 1. 7. eius concurſu & praeſcientia homo ſua libertate non priuatur, I. 1. 4. 22. quomodo ab hominibus tentetur? I. 2. 22. tentationes de Deo ib. 37. ſeq. cur Chriſtus Deum nomine Patris compellandum docuerit? I. 5. 31. ** Dei nomen, ib, regnum, ib. voluntas, ib.
DIABOLVS, quomodo tentet homines? I. 2. 27. eius ſtrategemata in lucta carnis & ſpiritus. I. 2. 62. ſeqq.
DIES DOMINICA, quo iure ſucceſſerit in N.T. in locum Sabbathi? II. 3. 2. 35. an Apoſtolorum tempore loco Sabbathi cultui ſacro deſtinatus fuerit? ib. eius ſanctificatio in quo conſiſtat? ib. 36. conſeratur merito inter alias exercitationes ſpirituales lectioni biblicae. I. 5. 15.
DIGNITATES pertinent ad bona fortunae. II. 3. 3. 22. officia circa illa. ib 24. obligatio ad illa, ib. 25. oppoſita. ib. 26. an receptare & vſurpare liceat? ib. 27.
DISCIPLINA ECCLESIASTICA cui competat? II. 3. 7. 28.
DISCRETIO SPIRITVVM quid? I. 4. 11. eſt etiam doctrinae ib 13. morum & hominum, ib. extraordinaria & ordinaria ib.
DISPENSATIO, an eam ius naturae admittat? II. 2. 14. * differt a tolerantia ib.
DISPVTATIONES de Deo rebusque diuinis quomodo inſtituendae? II. 3. 2. 3. it. III. 2. 3.
DISSIMVLATIONES, quae ſint licitae? II. 3. 5. 9.
DIVITIAE, quomodo vitam Chriſtianam impediant? I. 1. 7. 22.
DIVINATORIAE ARTES ſunt ſpecies Idololatriae. II. 3. 1. 79.
DIVORTII cauſae. II. 3. 6. 10.
DOLVS, quomodo pactum reddat irritum? II. 3. 4. 13. it. iuramentum? II. 3. 5. 10.
DOCTRINAE puritas, qua ratione conſeruanda? III. 2. 2. quomodo in periculum adduci poſſit? ib. 3.
Δοκιμασία ſpiritualis, vid. Exploratio.
DOMINVS, eius in ſeruos poteſtas, II. 3. 6. 35. ſeqq. officium. ib. 37. obligatio ad illud. ib. 38.
DOMINIVM RERVM, ſumitur, late & ſtricte. II. 3. 5. 14. eius origo, ib. eſt vniuerſale & particulare, ib. & 15. particulare occupatione introductum ib. * an Chriſtianis poſſidere liceat? ib. 16. modi acquirendi illud, originarii, ib. 18. deriuatiui, ib. 19. officia circa illud obſeruanda, ib. 23. contraria, vitia, ib. 35. an in ſtatu integritatis fuiſſet? II 2. 31. it. 46. poſt lapſum neceſſarium erat. ib.
DONA ſpiritualia ſunt vel miniſtrantia, vel ſanctificantia. III. 1. 10. illa vel extraordinaria, vel ordinaria, ib. it. naturalia & ſupernaturalia. ib. 11. ſeqq. quomodo inter ſe comparanda? ib. 14.
DVBIA circa doctrinae coeleſtis capita, quomodo remouenda? I. 5. 42.
DVBITATIO eſt imbecillitas intellectus. I. 1. 2. 43.
EBRAEORVM ſcripta, quem in Theologia morali praeſtent vſum? II. Pr. 14. ſeq.
EBRIETAS eſt magnum peccatum II. 3. 3. 12. it. III. 2. 23. facit pactum irritum II. 3. 4. 12.
ECCLESIA, illi competit ius eligendi paſtores, II. 3. 7. 22. eius viſitatio cui competat? ib. 25. ſeq. eius corruptelae quomodo corrigendae, tum quoad mores, tum quoad doctrinam? ib. 27. & 28. ritus, ib. 31.
ECCLESIASTICA DISCIPLINA, quid? ib. 28.
ECCLESIASTICA BONA, eorumque diſpenſatio, ib. 32. ſeculariſatio, ib. **
ECCLESIASTICVM REGIMEN, quaenam fuerit eius in Veteri & Apoſtolica Eccleſia ratio? II. 3. 8. 15.
ECSTASIS, quid? I. 1. 5. 18. differt ab Enthuſiaſmo. ib. **
EDVCATIO mala auget corruptionem hominis naturalem* I. 1. 4. 79. hodierna eſt valde corrupta, ib.
ELEEMOSYNAE, quid ſint? II. 3. 4. 16. ad illas nos iure naturali ſ. vniuerſali diuino ſumus obligati, ib.
ELENCHVS publicus, eius neceſſitas, III. 3. 23. obiectum, ib. 24. ſeqq. modus, ib. 27. gradus, ib. 30. nominalis quando adhibendus? ib. 31. ſeq. vitia in exceſſu & defectu, ib. 48.

Digitized by Google

Ἐντελέχεια Peripateticorum, I. 1. 6. 21.

ENTHVSIASMVS, quid? I. 1. 5. 17. ſumitur in bonam & malam partem, ib. * dicitur alias Ecſtaſis ib. eſt verus & fictus, ib. 18. varias habet ſpecies, ib. ** diuinatorius, ib. contemplatiuus ſeu Philoſophicus, ib. rhetoricus, ib. 18. naturalis eſt morbus mentis humanae ib. *** eius cauſae ib. 19. ad omnes mentis facultates ſe extendit ib. 20. eſt fructus imaginationis, I. 1. 2. 31. character certiſſimus, I. 1. 5. 21.

EPANORTHOSIS, quid? III. 3. 39. eius obiectum perſonale & reale, ib. 40. ſeq. modus, ib. 46. ſeq. gradus, ib. 47. vitia in exceſſu & defectu, ib. 48.

Ἐπιφώνημα quid ſignificet? I. 5. 18.

EPISCOPOS inter & Presbyteros nullum fuit diſcrimen. II. 3. 8. 15. eorum origo, 16. Epiſcopos iuriſdictione & poteſtate gaudentes ſcriptura ignorat II. 2. 7. 21.

Ἐπιούσιος, quid ſignificet? I. 5. 33. **

ERROR, quomodo pactum faciat irritum? II. 3. 4. 12.

ERVDITI, non omnes ſunt ſapientes, I. 1. 2. 66. *

ERVDITIO, vera quid? I. 1. 2. 56. quomodo vox ſumatur? ib. * ſaepe ſapientia dicitur. ib. 66. * improbis & irregenitis non deneganda ib. * eſt vana & ſtolida ſine ſapientia, ib. 67.

ETHICAE vox quomodo ſumatur? I. Pr. 4.

EVNVCHVS, cum hoc matrimonium non ineundum. II. 3. 6. 6.

EXAMEN conſcientiae quotidianum, quid? I. 5. 5. eſt neceſſarium, ib. Ethnicis etiam quibusdam cognitum, ib. * iuxta Scripturam S. eſt inſtituendam ib. **

EXCANDESCENTIA, quid? I. 1. 6. 21.

EXCOMMVNICATIO quid? III. 3. 63. eſt minor & maior, ib. it. 64. ſeq. an infamiam ſecum trahat ciuilem? ib. eius origo ib. *

EXEMPLORVM vſus in Theol. morali I. Pr. 35.

EXPLORATIO ſpiritualis ſui ipſius, eius neceſſitas I. 4. 1. it. 3 alia eſt irregenitorum, alia regenitorum, alia conuertendorum, ib. 2. eius difficultas ib. 4. requiſita, ib. ſigna ib. 5. ſeqq. modus, ib. 9 & 12. certitudo, ib. 13. ** vtilitas, ib. 17. aliorum, I. 4. 12. ſeqq. dicitur alias diſcretio ſpirituum, ib. eius obiectum ſunt extraordinaria in homine, ib. 4. 14. ordinaria & quidem tum naturalia, ib. 15. tum ſpiritualia, ib. 16. vtilitas ib. 17.

FALSILOQVIVM, quid ſit? II. 3. 5. 9.

FANATICISMVS, quid? I. 1. 5. 22. differt ab Enthuſiaſmo ib. alius theologicus, alius Philoſophicus, ib. eius cauſae, ib. 23. eſt corruptae imaginationis nota, I. 1. 2. 31. innocenti non temere obiiciatur, I. 1. 5. 23. **

FATVM STOICVM. I. 1. 4. 23. II. 3. 1. 20.

FAVOR, quid? I. 1. 6. 22.

FICTIONES, non omnes ſunt illicitae II. 3. 5. 9.

FIDES, varie accipitur tum apud Philoſophos, tum apud Theologos I. 1. 2. 5. primum virtutum fundamentum & principium eſt, I. 1. 4. 125. omnibus eſt ſeruanda II. 1. 3. 4. 13.

FIDES ſalvifica, eius actus, I. 5. 7. effectus, ib. 8. ſpecialis in Chriſtum requiritur ad cultum Dei, II 3. 1. 34. it. 73. eius contraria, ib. 93. media, ib. 95. it. 98. impedimenta, ib. 99. it. 106. obligatio ad illam, III. 3. 1. 34. it. 74. it. 76. in ſacrae coenae vſu vtramque facit paginam I. 5. 23.

FIDEI SOCII in amore proximi reliquis hominibus ſunt praeferendi, II. 3. 4. 4.

FIDVCIA, quid? I. 1. 6. 19. an inter adfectus ſit referenda? ib.

FIDVCIA ERGA DEVM, quid? II. 3. 1. 48. eius obiectum, ib. 50. ſeq. fundamentum, ib. 52. obligatio ad illam, ib. 53. contraria, ib. 88. media, ib. 95. ſeq. impedimenta, ib. 103.

FOEDERA, quomodo differant a pactis? II. 3. 4. 10. * ſunt ſeruanda, ib. an cum atheis & infidelibus poſſint iniri? ib. 13.

FOEMINEI SEXVS mores, I. 1. 7. 9.

FORTVNA, quid fuerit apud gentiles? II. 3. 3. 22. quid ſit apud Chriſtianos? ib.

FVGA, quando ſit licita vel illicita? II. 3. 2. 5.

FLAGELLATIONES, Pontificiorum, I. 5. 1.

FVROR, an pactum ſ. promiſſum faciat irritum? II. 3. 4. 12.

FVRTVM, quid? II. 3. 5. 35. cur capitali ſupplicio puniatur? II. 4. 24.

GAVDIVM conſtans cum animi tranquillitate coniunctum eſt ſanctitatis commodum I. 3. 18.

GENIVS Socratis, I. 1. 3. 7.

GESTVS ab omnibus praeprimis Eccleſiae miniſtris ad decorum componi debent, III. 2. 41.

GRADVS prohibiti ratione conſanguinitatis & affinitatis, II. 3. 6. 11. an in lege naturali abſoluta fundamentum habeant? ib. ** eorum ratio eſt proximitas ſanguinis, ib. 12. eorum regulae, ib. 13.

GRATIA, quid? I. 1. 1. 39. eius cauſa efficiens, ib. 42. it. 43. ſubiectum, ib. 44. ſeqq. obiectum, ib. 46. variae operationes, 49. conſideratio ratione ſtatus & actionum hominum I. 1. 2. 53. eſt operans, & cooperans, ib. 40. & 49. efficax & inefficax, ib. 52. illuminans, ib. 48. eius dona & opera naturae donis & operibus caute ſunt diſtinguenda? I. 1. 2. 75.

GRATIARVM ACTIO, in quo conſiſtat? II. 3. 1. 67. ſeq. eius fundamentum, ib. 68. ſeq. pertinet ad cultum diuinum, ib. 69. eius formalis ratio, ib. 70.

Digitized by Google

ib. 70. obligatio. ib. 71. ſeq. contraris ib. 92. medis, ib. 95. & 97. impedimenta, ib. 99. & 105.

GRATITVDO, in quu conſiſtat? I. 1. 6. 22. it. II. 3. 4. 19.

HABITVS intellectuales quinam ſint? I. 1. 2. 6. quomodo ſe hsbeant ſecundum naturam & gratiam? ib. 19.

HAERESIS quid ſit? I. 1. 2. 31. ſeqq. inepte & impie a pontificiis deſcribitur, ibid. diuerſimode ſumitur, ib. 33. requiſita ratione intellectus, ib. ratione voluntatis, ib. 34.

HAERETICVS, quis? II. 3. 1. 18. diſcrimen inter haereticos & infideles, ib. quomodo corrigendus? III 2. 4. ſeq.

HERILIS ſtatus, an ſit licitus? II. 3. 6. 33. eius fundamentum ib. it. 34. finis. ib. 35. poteſtas, ib.

HEROICA VIRTVS, quid de illa cenſendum? I. 1. 4. 77.

HISTORIA ECCLESIASTICA, inſeruit prudentiae Chriſtianae, I. 1. 7. 22. III. Pr. 10.

HISTORIARVM vſus in Theol. morali, I. Pr. 35.

HOMICIDIVM capitaliter eſt puniendum, II. 4. 18. corporis, II. 3. 4. 21. animae, ib.

HOMO duabus conſtat partibus I. 1. 2. 1. ſibi relictus in ſpiritualibus nihil poteſt, I. 1. 4. 17. ſq. regenitus aliquid operari poteſt, I. 1. 1. 44. eius conditio in ſtatu integritatis II. 2. 20. poſt lapſum 24. ſeq. reſtitutionis, ib. 34. ſqq. praeſtantia prae L*tis I. 1. 7. 1. eius officis erga ſe ipſum in genere, II. 3. 2. 1. in ſpecie ratione intellectus & voluntatis ſeu animae, ib. 5. ſeq. corporis, ibid. 10. ſeqq. bonorum fortunae, ib. 22. ſeqq.

HONORES, pertinent ad bona fortunae, II. 3. 3. 22. officia circa illa, ib. 24. obligatio ad illa officis ib. 25. oppoſita ſ. repugnantia his officiis, ib. 26. an acceptare & uſurpare Chriſtianis liceat? ib. 27.

HORAE CANONICAE Romanenſium, quid de illis cenſendum? I. 5. 31.

HOSPITALITAS, quid? II. 3. 4. 18. eius ius, ib.

HVMANITATIS officia, II. 3. 4. 17.

HVMILITAS oritur ex abnegatione ſui, I. 1. 4. 101. ſeq. in quo conſiſtat? ib. 103. eius obiectum, ib. 104. eſt comes omnium virtutum, ib. 105.

HYPOCRISIS, eius origo I. 1. 1. 28. deſcriptio, ib. 29. oppoſita, ib. claſſes ſ. genera, ib. 30. ſeqq. cauſae, ib. 35.

IDOLOLATRIA, erat circa obiectum cultus diuini, II. 3. 1. 79. eſt craſſior & ſubtilior, ib.

IEIVNIA, II. 3. 2. 19. quid de illis obſeruandum? I. 5. 37.

ILLVMINATIO, quid ſit? I. 1. 2. 46. eius cauſa efficiens principalis, ib. 47. minus principalis, ib. 49. ſubiectum quod, ib. 50. quo, ib. 51. effectus, ib. 53. incrementum & decrementum, ib. 54. eſt actiua & paſſiua, ib. 57. * eius modus, ib. 52. per omnes intellectus facultates ſe extendit, ib. 55. quo ſenſu impius & irregenitus illuminatus dici queat? ib. 57.

IMAGINATIO, quid ſit? I. 1. 5. 1. pertinet ad facultates mentis mixtas, ib. eius obiectum, ib. 1. perturbatio, ib 8. vis & imperium in intellectum & voluntatem, ib. 10. ſenſus externos, ib. corpus, ib. 11. alios homines, ib. communicatio, ib. * imputatio, ib. 15. ſecundum naturam conſideratio, ib. 16. corruptio, ib. directio, ib. 17. vitia, ib. 29. ſecundum gratiam conſideratio, ib. 32. ſeqq. differt ab intellectu, ib. 5. memoria, ib. 6. ſenſibus externis, ib. 7. quomodo corpus ad eum concurrat? ib. 2. quomodo mens? ib. 3. & 4. naturae corruptae eſt indicium, ib. 25. ſeqq. eius & adfectuum nexus impediunt Chriſtianiſmum, ib. 28. & 29. emendatio, ib. 33.

IMAGINATIONES & figmenta ſunt peccata hypothetica, I. 1. 5. 29.

IMAGINVM aſſociatio, I. 1. 5. 9. in illa naturae corruptae ſe produnt veſtigia, I. 1. 5. 24.

IMITATIO, eſt adiumentum ſanctitatis, I. 5. 39. quomodo recte inſtitui debeat? ib. Chriſti, ib. ** aliorum hominum, ib. 40. quid proſit, & quid noceat? I. 1. 4. 79.

IMPERANTES SVMMI eorum poteſtas, II. 3. 7. 5. ſq. non tenentur legibus humanis, ib. 7. leges tamen fundamentales accurate obſeruare debent, ib. ſunt inuiolabiles, ib. 8. obſtricti ſunt ad ciuium ſuorum aeternam ſalutem promouendam, ib. 18. habent ius circa ſacra, ib. 21. ſeq. erigendi ſcholas, ib. 23. condere leges Eccleſiaſticas, ibid. 24. viſitandi ſcholas & Eccleſias, ib. 25. praeſcribendi ceremonias eccleſiaſticas, ib. 31. diſpenſandi bona eccleſiaſtica, ib. 32. diſputationibus theologicis certos limites praeſcribendi, ib. 30. reformandi eccleſiam, ib. 26. non temere pro Tyrannis habendi, ib. 10. an illis reſiſtendum, ib. 9. eorum officis, ib. 35. obligatio ad haec, ib. 38. oppoſita ſeu contraria ib. 39. media, ib. 40.

IMPERIVM SVMMVM, eius origo, II. 3. 7. 4. poteſtas, ib. 5. eſt independens, ib. 6. immune a legibus humanis, ib. 7. inuiolabile, ib. 8. ſeq. illi ſubiacent homines eorumque actiones & bona, ib. 11. etiam Clerici, ib. ſubiectum eius varium eſt, ib. 13. acquirendi modus, ib. 14. hodie mediate a Deo eſt, ib. 15 eius iura maieſtatica, ib. 16. praecipue ius circa ſacra, ib. 17. ſeq.

IMPERFECTIONES regenitorum, earum origo, 1. 2. 1. conſideratio quoad ſtatum hominis, ib. 2. probatio, ib. 3. conſpiciuntur in omnibus mentis facultatibus, ib. 4. immo in omnibus actionibus, ib. 5. differunt ab eorum infirmitatibus. ib. 6.

IMPOSSI-

Digitized by Google

IMPOSSIBILITAS, quomodo pactum & promiſſum reddat irritum? II. 3. 4. 12.

IMPRECATIONES, quae licitae? 3. 2. 28.

IMPVRITAS, eſt peccatum grauiſſimum. II. 3. 3. 18.

INCREDVLITAS, quid ſit? II. 3. 1. 93.

INDIFFERENTISMVS, quid? I. 2. 27. varias habet ſpecies. ib. 29. craſſior eſt genitor atheiſmi ibid. ** Religionum, I. 1. 4. 10. actionum. II. 3. 30.

INDIGNATIO, quid? I. 1. 6. 21.

INFIDELES, quinam ſint? II. 3. 1. 18.

INFIRMITATES regenitorum, differunt ab eorum imperfectionibus, I. 2. 6. quomodo ſe habeant? ib. ſeq contrahuntur vel ſine, vel cum eorum culpa, ib. 9. ſeq. quomodo in illis glorietur Paulus? ib. 11. ſupponunt luctam carnis & ſpiritus ib. 12. interdum etiam ignorantiam, ib comitantur ſeria deteſtatione, ib 13. quomodo in applicatione earum procedendum? ib. 14. an omnia peccata fidelium ſint infirmitates? ib. 16. earum gradus, ib.

INGENIVM, diuerſimode accipitur I. 1. 5. 12. ſq. eius varietas, ib. 14. defectus naturales, ib. 27. emendatio, quomodo inſtituenda? ib. 37. ſeqq.

INGRATITVDO quid ſit? II. 3. 4. 19. an detur actio ingrati? ib.

INIMICVS, eſt amandus, II. 3. 4. 3. gentilium teſtimonia de hoc amore, ib.

INIVRIAE, ſunt reales & verbales, II. 3. 4. 21. earum actiones prorſus ſunt improbandae, ib. 22.

INOBEDIENTIA erga Deum, II. 3. 1. 87.

INSVLTATIO, quid ſit? I. 1. 6. 22.

INSTITVTA DIVINA, paradiſiaca, II. 2. 23. poſt lapſum, ib. 29. in ſtatu reſtitutionis quae remanſerint? ib. 43. quae acceſſerint? ib. 47. quomodo differant a legibus? ib. 48. eorum obligatio, ib. 50. ſeq. ſunt varia, II, 2. 23. it. 29 ſeqq. it. 43. ſeqq. it. II 3. 2. 31. N. T. ſunt baptiſmus & ſacra coena, II. 3. 2. 37. quomodo obſeruanda? ib. 38. obligatio ad illa, ib. 39. oppoſita. ib. 40. media & impedimenta, ib. 41.

INSTITVTA HOMINVM uniuerſalia, II. 3. 5. 1. eorum obligatio, ib.

INSTITVTA MONASTICA, quid de illis cenſendum? I. 5. 1.

INTELLECTVS, eius operationes variae ſunt, I. 1. 2. 2. ſeq. quomodo in Scriptura ſacra exprimantur? ib. 4. per inſtitutionem & exercitationem perfici poteſt ib 6. eius vitia in genere. ib. 7. ſeq. in ſpecie in prima eius operatione, ib. 9. ſeq in altera, ib. 12. gignunt multa Chriſtianiſmi impedimenta, I. 1. 2. 40. ſeq. ſecundum gratiam conſideratus ib. 45. eius ſigna, I. 4. 5. virtutes, quae in Scriptura Sacra commemorantur, I. 1. 2. 69. emendatio quomodo inſtituenda? ib. 70.

INVENTIO rerum. II. 3. 18. theſauri, ib.*

INVIDIA, quid ſit? I. 1. 6. 22.

INVOCATIO Dei, quid ſit? II. 31. 61. ſeq. eius cauſa impulſiua, ib. 63. ſeq. formalis ratio, ib. 65. contraria, ib. 90. media, ib. 95. it. 97. impedimenta, ib. 99. it. 105.

IRA, quid ſit? I. 1. 6. 21. an omnis ſit mala? I. 1. 6. 32.

IRRISIO, quid? I. 1. 6. 22.

IRREPREHENSIBILITAS, quid ſit? I. 3. 8.

IVDICIVM, diuerſimode ſumitur, I. 1. 5. 13 eius defectus naturales, ib. 27. errores I. 1. 2. 13. ſeq. emendatio I. 1. 5. 37. ſeq. iudicia falſa & peruerſa multa conuerſioni adferunt impedimenta, I. 1. 2. 42.

IVS, varias habet vox ſignificationes, II. Pr. 2. circa ſacra II. 3. 7. 21. Epiſcopale, II. 3. 7. 21. cui competat? ib. it. 17. erigendi ſcholas & conſtituendi Praeceptores, condendi leges, ib. 24. reformandi eccleſiam, ib. 26 ſepulturae. II. 3. 4. 16. neceſſitatis, II. 3. 3. 21. Eccleſiaſticum, II. 3. 7. 33. Canonicum, II. 1. 18. Romani ſata II. 1. 20. puniendi, II. 4. 22. ſeq. belli, ib. 25.

IVS NATVRAE, eius ſcriptores, II. Pr. 20. an diſpenſationem admittat? II. 2. 14. eius principium, ib. 53. ſeqq.

IVS IVRANDVM. quid? II. 3. 5. 10. an Chriſtianis licitum ſit? ib. differt ab adiuratione, ib. * Dei improprie tale eſt, ib. per ſolum Deum verum iurari poteſt. ib. 11. an formulae per propriam aut aliorum ſalutem etiam vim iuramenti habeant? ib. * per falſum Deum an deferre aut acceptare liceat? ib. ** quid de Iudaeorum cenſendum? ib. quis praeſtare poſſit? ib 12. intentio adeſſe debet. ib. eius obligatio, ib. per vim extortum an obliget? ib. * non obligat, ſed obligationem iam antea exiſtentem confirmat, ib. ** eius finis, 13. remiſſio, ib. eius ſpecies ſunt variae, ib.

IVRISPRVDENTIA DIVINA, eius exiſtentia, II. Pr. 1. it. 3. eſt ſcientia practica, ib. 4. certa, ib. naturalis & vniuerſalis, ib. 2. obiectum eius reale & perſonale, ib. 5. & 6. finis tum ante, tum poſt lapſum, ib. 7. norma, ib. 10. ſeqq. adminicula, ib. 13. ſeqq. methodus, II. Pr. 21.

IVSTITIA, a charitate quomodo differat? II. 3. 4. 14. correctrix, I. 1. 4. 132. actionum differt a iuſtitia hominum. II. 1. 42.

LACRYMAE ſunt effectus triſtitiae, I. 1. 6. 20.

LAESIO, ab omni laeſione abſtinendum eſt, II. 3. 4. 6. fit externe & interne, ib. in fama & exiſtimatione, ib. in fructibus noſtris ib. ſcandalo, ib. qua ratione dicatur damnum? ib. *** quomodo reſtituatur? ibid. 7.

Digitized by Google

LAETITIA, eius origo, I. 1. 6. 19. effectus ib. 20. an & qua ratione a ſpe & fiducia differat? ib. 19. **

LEX, quid ſignificet? II. 1. 3. differt a conſilio, ib. ab inſtituto, II. 2. 48. vocatur alias decretum, II. 1. 6. non poteſt praeſcribi, niſi ab eo, qui imperio praeditus eſt, ib. 7. & qui iuſtas habet cauſas, ib. ** eius obligatio, ib. 8. it. 21. ſeqq. interpretatio, ib. diſpenſatio, ib.

LEX diuina vniuerſalis, quid ſit? II. 2. 1. ſeqq. * eius promulgatio, ib. 4. omnium mentibus inſita eſt, ib. repetita per Decalogum, ib. 6. ſeq. etiam gentibus nota fuit, ib. ** eius obligatio, ib. 8. ſeq. obiectum, ib. 10. finis, ib. 11. affectiones, ib. 12. ſeqq. cognitio in ſtatu integritatis, ib. 15. lapſus, ib. II. 2. 24. ſeqq. reſtitutionis, ib. 34. eius ſumma, II. 2. 40.

LEGES proprie ſic dictae ſemper coniunctae ſunt cum vi coactiua, II. 4. 1. an admittenda diſtinctio inter leges perfectas & imperfectas? ib. fundamentales, quid ſint? II. 3. 7. 7. reſpectu Autoris vel humanae vel diuinae, II. 1. 9.

LEGES DIVINAE, II. Pr. 3. naturales ſunt, vel abſolutae, vel hypotheticae, ib. 2. it. II. 1. 10. ** non pro monitis tantum paternis habendae ſunt, ib. 4. ſeq. earum promulgatio. ib. 6. neceſſitas, ib. 4. ſeqq. poſitiuae vniuerſales an admittendae, II. 1. 12. ſeq. ceremoniales N. T. admittendae? ibid. 12. particulares genti Ebreae datae hodie neminem obligant II. 1. 15.

LEGES humanae ſunt vel Eccleſiaſticae, vel ciuiles, ib. 16. Pontificis & Epiſcoporum neminem obligant. ib. 18. Principum tum Eccleſiaſticae, tum ciuiles obligant, ib. 19. principes vero non obligant, ib. 21.

LEGES Eccleſiaſticae, ius eas condendi Imperantibus competit. II. 3. 2. 24.

LIBELLI famoſi, II. 3. 4. 21.

LIBERORVM imperium Parentibus competit, I. 3. 6. 27. eorum officia. ib. 32.

LIBRI impuri non legendi, I. 5. 38.

LIBERTAS, quid? I. 4. 1. eius ſpecies, ib. * it. 21. hominis qualis & quanta ſit in ſpiritualibus, ib. 15. ſeqq. in ciuilibus. ib. 19. ſeqq. eius reſtauratio, ib. 21. ea homo extra ſe non poteſt priuari, ib. 22.

LINGVARVM origo, II. 3. 5. 2. varietas, ib. * neceſſitas, ib. 4. prima fuit Ebraea, ib. 2.

LVCTA carnis & ſpiritus, eius origo, I. 2. 58. differt a pugna rationis & appetitus ſenſitiui, ib. ſeqq. it. I. 1. 6. 42. hoſtes in hac lucta, ib. 61. cauſae, ib. 62. ſeqq. milites, ib. 70. armatura, ib. modus pugnae & euentus, ib. 71.

LVDI, qui ſortem ſupponunt, an ſint liciti? II. 3. 5. 26. an qui per ludum aliquid acquiſiuit, ad reſtitutionem teneatur? ib. **

LVMEN gratiae a lumine gloriae & naturae eſt diſtinguendum. I. 1. 2. 48. innatum & immediatum fruſtra fingitur. ib. 49.

LVX, per eam quid innuatur? I. 1. 2. 45. eius origo a Deo eſt ib. 47. Chriſtus in Scriptura S. paſſim lux vocatur. I. 1. 2. 49. ſpiritualis amitti poteſt. II. 2. 54.

MACHIAVELLISTAE, II. 3. 7. 6.

MAGIA eſt ſpecies idololatriae, II. 3. 1. 79. **

MAGISTRATVS, quid illi incumbat circa miniſtrorum verbi conſtitutionem? II. 3. 8. 6. an & quomodo epanorthoſis erga illos vſurpanda ſit? III. 3. 42. **

MAIESTAS, diſtinctiones inter maieſtatem realem & perſonalem, it. regis & regni, omni deſtituuntur fundamento. II. 3. 7. 6.

MALI origo, I. 1. 4. 78.

MANICHAEORVM error, II. 3. 1. 19.

MANSVETVDO, quid ſit? I. 1. 4. 78. miniſtri Eccleſiae, III. 2. 36. ſeqq.

MARITVS, eius imperium in vxorem fundatur in Scriptura S. II. 3. 6. 5. an etiam ex iure naturae poſſit probari? ib. an in ſtatu integritatis fuiſſet? ib.

MARTYR, quis? II. 3. 2. 6.

MARTYRIVM, quid? II. 3. 2. 6. it. II. 4. 5. quando & cur ſubeundum? ib.

MATRIMONIVM, in ſtatu integritatis inſtitutum, II. 2. 23. it. II. 3. 6. 3. manſit poſt lapſum, II. 2. 30 etiam in ſtatu reſtitutionis, 45. an in primaeua eius inſtitutione conſanguinitatis prohibitio contenta? II. 3. 6. 4. etiam poſt lapſum ineundum, ib. 6. ſed deliberato conſilio, ib. 7. an cum furioſo, eunucho, ineundum? ib. 7. ſenum eſt illicitum, ib. an inter perſonas diuerſae religionis ſit licitum? ib. ad illud ineundum omnes ſunt obligati, ib. 8. eſt indiſſolubile ib. 10. quando eius vinculum ſoluatur, ib. conſobrinorum it. compriuignorum, num ſit licitum? ib. 13. ** cum fratris vidua, it. cum vxoris defunctae ſorore an ſit licitum? ib. * cauſae, cur ineundum? ib. 14. eius definitio, ib. 15. conſenſus, non concubitus, illud facit ib. 16. & 20. ad id requiritur benedictio ſacerdotalis, ib. 21. inter perſonas diuerſae conditionis & dignitatis initum non repugnat legi diuinae, ib. 23. clandeſtinum non eſt probandum, ib. multa in honorem matrimonii minus accurate fiunt, ib. 20. * & 30. *

MEDIA ſanctitatis, I. 5. 1. ex parte Dei, ib. 3. hominum, ib. eorum applicatio quomodo inſtituenda? I. 5. 43. coactiua ſunt vel legalia, vel euangelica, II. 4. 2.

MEDITATIO, quantum valeat in acquirenda eruditione, I. 5. 17. * circa verbi diuini lectionem & auditionem non eſt negligenda. ib.

Μεθοδίας, quid ſit? I. 2. 64.

MEMORIA

Digitized by Google

MEMORIA, eſt intellectualis, corporea & ſenſualis, I. 1. 5. 15.

MENDACIVM, II. 3. 5. 33.

MENS, in Scriptura S. interdum idem eſt ac conſcientia, I. 1. 4. 2. in hac mali origo quaerenda I. 1. 4. 79. eius directio in imaginatione, I. 1. 5. 3. it. 17. vnio cum corpore, I. 1. 6. 1. eleuatio, I. 5. 26.

METVS, vnde oriatur? I. 1. 6. 19. quomodo pactum reddat irritum? II. 3. 4. 12.

MINISTER Eccleſiae, eius vocatio, II. 3. 8. 3. ſqq. electio, ib 5. praeſentatio, ib. ordinatio. ib. & 6. inveſtitura, ib. poteſtas ſpiritualis eſt, non temporalis, ib. 9. & 14 11. III. 3. 64. aequalitas miniſtrorum Eccleſiae & inaequalitas, II. 3. 8. 15. officia quoad muneris ſuſceptionem, ib. 16. adminiſtrationem, ib. 17. vitam, ib. 19. obligatio ad haec officia, ib. 21. contraria peccata. ib. 22? media, ib. 24. impedimenta.. ib. *dotes & requiſita*, quibus inſtructus miniſter Eccleſiae eſſe debet, III. 2. 10. quoad intellectum, ib. 1. & 18. ſqq. quoad voluntatem ſ. virtutes & mores, & quidem in genere ib. 21. ſq. ſpecie, ib. 22. ſqq. quoad adfectuum regimen, ib. 30. quoad decorum, ib. 40. aetatem ib. 42. corporis conſtitutionem. ib. 43. circa media rite munus adminiſtrandi, III. 2. 44. circa obſtacula remouenda ib. 45. ſeq. eius *prudentia in genere* circa doctrinae puritatem, III. 2. 2. ſq. haereticos, ib. 4. ſeq. ſchiſmata ib. 6. vitae auditorum ſanctitatem, ib. 7. ſingulos in ſpecie. ib. 8. *in ſpecie* circa vocationem ad munus, III. 3. 1. 2. ſeqq. ab vno ad aliud officium, ib. 3 circa muneris adminiſtrationem publicam in *docendo*, in catechiſationibus, ibid. 4. ſeqq. concionibus, tum elaborandis, ib. 15. ſeqq. tum habendis, ib. 22. in *redarguendo* haereticos, ib. 23. ſeqq. in *admonendo*, ib. 34 *increpando*, ib. 35. *conſolando*, ib. 49. circa adminiſtrationem muneris priuatam quomodo prudenter ſe gerat? ib. 54. ſeqq. circa Sacramentorum adminiſtrationem? III. 3. 57. it. 69. circa abſolutionem? ib. 58. circa ſigillum confeſſionis? ib. 62. circa excommunicationem, ib. 65. circa baptiſmum. ib. ſeqq. circa ſacram coenam, ib. 75. circa ritus ſacros, ib. 79.

MINISTERIVM Eccleſiaſticum, quid ſit? II. 3. 8. 1. eius neceſſitas, ib. origo & inſtitutio, ibid. 2. eius finis, ib. 9. dignitas, III. 2. 9. quid illi incumbat circa conſtitutionem miniſtrorum Eccleſiae? ib. 6.

MODERAMEN inculpatae tutelae quomodo rite inſtituatur? II. 2. 3.

MONARCHIA, quid ſit? II 3. 7. 13. an ſemper in gente Iudaica obtinuerit? ib.

MONARCHOAMACHI, II. 3. 7. 6.

MORBI, an poenae rationem habeant? II. 4. 1 **

MORES, quid ſint? I. 4. 27. eorum *diuerſitas* ib. 28. ratione temperamentorum. I. 1. 7. 8. ſexus ib. 9. aetatis. ib. 10. ſenſuum externorum, ib 11. temporis, ib. 13.* loci, ib. quoad integras gentes, ib. 13.** ſtatus. ib. 14. eorum *corruptio*. ib. 15. & quidem quoad temperamenta, ib. 16. aetates. ib. 17. res externas, ib. 18. ſenſus externos, ib. 19. impedimenta, quae ex hac corruptione oriuntur, ib. 20. ratione temperamentorum, ib. aetatum ib 21. rerum externarum. ib. 22 ſtatuum, ib. 23. ſenſuum externorum, ib. 24. eorum *emendatio* per gratiam, quomodo fiat, tum ratione inclinationum, ib. 25. aetatum ib. 26. rerum externarum, ib. 27 gentium, ib ſtatuum, ib. diuitiarum, ib. honorum, ib. & ſenſuum externorum, ib. 28.

MORGANATICA, quid ſit? II. 3 6. 23.

MORS naturalis, an ſit poena? II. 4. 5.

MVNDVS, eius nomine quid intelligatur I. 2. 29.

NATVRA, quid ſit? I. 1. 1 1. ſeqq. corruptae & reſtitutae conſideratio plurimum iuuat in ſtudio Theologiae moralis, I Pr. 17. eius indoles in regenitis. I. 1. 1. 36. eſt gratiae imitatrix, I. 1. 2 71. ſeqq. I. 1. 3. 24. eius *corruptio* in ſpiritualibus, I. 1. 1. 7. & 9. & naturalibus. ib. 10. peccati originalis nomine venire ſolet, 11 it. variis nominibus in Scriptura S. inſignitur, ib. 12. conſpicitur in hominum actionibus, ib. 13. & eorum ſtatu, ib 14 eius *fallacia*, quoad ſapientiam. I. 1. 2. 71. ſeqq. prudentiam, ib. 74. conſcientiam, I. 1. 3. 24. ſeqq. voluntatem, I. 1. 3. 144. abnegationem ſui, ib. ſeqq. humilitatem ib 146. ſeq. patientiam ib. amorem numinis ib. 148. ſq. pſeudovirtutes, ib. 150. ſeqq. imaginationem I. 1. 5. 39. ſeqq. pugnam rationis & adfectuum, I. 1. 6. 42. ſeq. emendationem morum, I. 1. 7. 29. ſeqq. naturae dona & opera a gratiae donis & operibus caute ſunt diſtinguenda, I. 1. 2. 75.

NATVRALISMVS, quid ſit? I. 1. 2. 32. eius ſpecies, ib.

NECESSITAS, eius ius & fauor, II. 1. 3. 21. quae leges ei cedant? ib. *

NOMEN DEI, quid ſit? I. 5. 33. quomodo ſanctificetur? ib.

NOTITIA DEI inſita non eſt neganda II. 3. 2. 6.*

NVMMI ob commercia introducti ſunt, II. 3. 5. 24. iiſdem hodie carere non poſſumus; ib. inde non ſunt abrogandi, ib. an I hara eorum inventor? ib.

OBEDIENTIA, quid ſit? I. 1. 4. 13. erga Deum, II. 3. 1. 54. ſeq interna, quomodo differat ab externa? ib 55. eius fundamentum, ib. 56. effectus, ib. 57. modus 58. ſeq. obligatio, ib. 60. contraria, ib. 87. media, ib. 95. it. 97. impedimenta, ib. 99. it. 104.

OBLIGATIO, eius requiſita, ib. II. 1. 21. conſcientiae, quomodo ſe habeat? ib. 24. ignoran-

 tis,

tis, ib. 26. regeniti & irregeniti, ib. conſuetudinis, ib. affectuum. ib. ebrii, ib. eſt perfecta & imperfecta. II. 3. 4. 14.

OBLIVIO, eſt naturalis, I. 1. 5. 15. voluntaria ſeu conuentionalis, ib.*

OCCVPATIO, rerum, II. 3. 5. 18. quid circa illam obſeruandum? ib.** eius ſpecies, ib.

ODIVM, quomodo differat ab amore? I. 1. 6. 16.

OFFICIVM, quid ſit? II. Pr. 5. eius vſus apud Stoicos & Chriſtianos, ibid. officia a Theologis vocantur bona opera, I. 1. 4. 141. it. II. Pr. 5. differunt a virtutibus, I. 1. 4. 141. eorum obligatio, II. 3. 6. 38. ſeq. erga Deum II. 3. 1. erga ſe ipſum, II. 3. 3. 1. ſeqq. erga alios, II. 3. 4. 1. erga mortuos, ib. 16. humanitatis. ib 17.

Ὀφειλήματα, quid ſignificent? I. 5. 33.***

OPERA diuina, I. 3. 1. 10. & 20.

ORATIO, eſt medium ſanctitatis, I. 5. 24. eſt eleuatio mentis, ib. 25. ſeq. in ſpiritu & veritate, quid? ib. 25.* fiat etiam clara voce, ib. 27. ad illam non omnes ſunt idonei, ib. 28. peccatorum non exauditur, ib.* ad ſolum Deum eſt dirigenda, ib. 29. animo praeparato fiat, ib. 30. quando & quoties inſtituenda? ibid. 31. quid a Deo petendum, ib. 32. ſumma rerum petendarum continetur in Oratione Dominica, ibid. 33 quid de aliorum orationum ſeu precum formulis obſeruandum? ibid. 34. quibus verbis orandum? ib.* orationis vtilitas. ib. 35. neceſſitas, ib. efficacia, ib. exauditio ib. 36.

ORATIO DOMINICA, eſt formula omnium perfectiſſima. I. 5. 33. eius analyſis, ib. autor eſt Chriſtus, ib.* cur in illa phraſibus & ſententiis Iudaeis alias vſitatis vſus fuerit? ib.* eius concluſio a quibusdam non pro authentica habetur. ib. omnium hominum ſtatui. conditioni & neceſſitatibus eſt accommodata, ib. 43. merito retinetur, ib.* eius fata, ib.

ORDINATIO miniſtrorum Eccleſiae, quomodo fiat? II. 3. 8. 8. an rite apud Proteſtantes fieri poſſit? ib.

ORIGO mali, I. 1. 4. 78.

OTIVM vituperabile, II. 3. 3. 26. literarium, quid de illo ſentiendum? ib. 27.

PACTA, quid ſint? II. 3. 4. 10. ſunt ſeruanda, ib. ſeqq. quomodo de Deo dicantur, ib eorum requiſita ib. 12. cum atheis non ſunt facienda, ib quomodo cum infidelibus &c. ineunda? ib quomodo interpretanda, ib.

PAEDEVTICVM OFFICIVM, eius neceſſitas. III. 3. 34. obiectum ib 35. ſeqq. modus, ib. 3[illegible]. & 37. vitia. ib. 38.

Παιδεία conſcientiae, II. 1. 3. 25.

PANIS QVOTIDIANVS, I. 5. 33.

PARACLETICVM OFFICIVM, eius neceſſitas III. 3. 49. obiectum afflictum, ib. 50. ſeq. modus, ib. 52. vitia, ib. 53.

PARENTES, eorum imperium in liberos. II. 3. 6. 27. eius limites, ib. 29. an ius vitae & necis in liberos ipſis competat? ib.* quamdiu duret imperium eorum? II. 3. 6. 30. conſenſus eorum ad matrimonia liberorum, an ſit neceſſarius? ib. eorum officia, ib. 31.

PASTORALIA SCRIPTA, III. Pr. 11.

PASTORES ECCLESIAE, ius illos eligendi competit Eccleſiae. II. 3. 7. 22.

PATERNVS STATVS, eius neceſſitas II. 3. 6. 25. fundamentum ex lege naturae & ſcripturae, ib. 26.

PATIENTIA, oritur ex abnegatione ſui, I. 1. 4. 106. in quo conſiſtat? ib. 107. eſt comes reliquarum virtutum ib. 108. eius neceſſitas, ib.

PATRINI munus, ad illud non quiuis admittatur, III. 3. 73.

PATRONATVS IVS, eius origo, II. 3. 8. 7. an id Eccleſiis Euang. tolerandum ſit? ib.*

PATRONVS, quis? II. 3. 8. 7.

PATRVM SCRIPTA inſeruiunt Prudentiae Chriſtianae, III. Pr 11. ſeqq. II. Pr. 1. 2.

PECCATVM non facere & non peccare poſſe quomodo de regenitis dicatur? I. 2. 3. peccatorum agnitio, I. 5. 5.

PECCATVM ORIGINIS quid ſit? I. 1. 1. 2 eſt cauſa corruptionis humanae, ib. 38. it. I. 1. 4. 78.

PECCATA INFIRMITATIS, quaenam ſint? I. 2. 11. ſeqq. quomodo in adplicatione cum illis procedendum? ib. 14. an omnia peccata fidelium ſint peccata infirmitatis, ib. 16. ex infirmitate non peccat, qui deſtinato animo peccat ib. 17. peccata infirmitatis reiterantur ſaepius, ib. 18. cur regeniti non omnis infirmitatis ſint immunes? ib. 19. eorum peccatorum origo, ibid. 20. quaedam tentationum nomine veniunt, ib. 21.

PECCATA MALITIAE, quaenam ſint? I. 2. 15. vocantur etiam mortalia, ib. malitiae & infirmitatis quomodo differant? ibid. 11. an detur tertium aliquod inter peccata malitiae & infirmitatis, ib. 16.*

PELAGIANORVM error, II. 3. 1. 2.

PERFECTIO CHRISTIANA, quid? I. 3. 8. quotuplex? ib.

PERFIDIA, II. 3. 4. 24.

PERIVRIVM, II. 3. 5. 34.

PHILAVTIA, quid ſit? I. 1. 4. 31. quae licita? ib. 32. illicita ib. 33. haec eſt omnium vitiorum fons & origo ib. 36. ſeqq. praecipue auaritiae, ambitionis & voluptatis, ib. 40. ſeqq. eius effectus. ib. 81.

PHILOSOPHIA Gentilium, ea praeſtat doctrina Chriſtiana, I. 1. 4. 184. moralis quomodo tractari debeat? I. Pr. 36. eius vſus in Theol morali, ib.

PHY-

PHYSIOGNOMIA, I. 4. 5. *
PIETATIS vox, quid denotet? II. 3. 2. 25. I. 1. 4. 1 8.
PICTVRAE ad libidinem exeitandam comparatae, II. 3. 3. 31.
PINGENDI ARS, an licita? II. 3. 3. 31.
PLAGIVM LITTERARIVM, II. 3. 5. 35.
POENITENTIA quotidiana, I. 5. 9. eſt medium ſanctitatis ib. 4. eius Synonyma. ib. terminus a quo & ad quem ib. requiſita ſunt agnitio peccatorum ib. 5. contritio ib. 6. fides, ib. 7. incommoda, ib. 9.
POENAE, earum neceſſitas, II. 4. 3. it. 8. conceſſio a Deo, ib. 4. definitio, ib. 5. differunt a martyrio, ib. item ab admonitionibus & caſtigationibus; ib. earum poteſtas competit tantum ſuperioribus, ib. * an gens vna alteram punire queat? ib. 7. an poenae ad iuſtitiam commutatiuam an diſtributiuam pertineant? ib. 8. ** earum finis, ib. 9. capitales cur & quando locum habeant? ib. * quinam puniri queant? ib. 10 cur omnes homines primorum Parentum poenis ſint obnoxii ib. ob alterius delictum quando quis puniri queat? ib. 11. ſeqq. differt poena a damno & incommodo, ib. 12. obiectum poenarum reale ib. 3. proportio inter poenam & delictum eſt obſeruanda, ib. 14. exaſperari & mitigari poſſunt poenae, ib. 15. impediri poſſunt, 16. ſunt vel diuinae, vel humanae. ib. 17. temporales & aeternae. ib. 18. ſeqq. determinatae & indeterminatae; ib. ordinariae & extraordinariae, ib. poena excidii, ib. puniendi ius, ib. 21. ſeqq. poenae & praemia cur locum habeant? I. 1. 4. 20.
POLYGAMIA ſimultanea non eſt licita, II. 3. 6. 9.
πολυθεότης gentilium, II. 3. 1. 19.
πονηρὸν, quid in ſeptima petitione ſignificet? I. 5. 31.
PONTIFEX ROMANVS perperam ſibi imperium aliquod in orbem Chriſtianum vindicat, II. 1. 18. it. ius circa ſacra, II. 3. 7. 21.
PRAECEDENTIA prae aliis, an, quomodo & quando quis ſibi vindicare poſſit? II. 3. 4. 8.
PRAECEPTORES, an aequiparandi parentibus? II. 3. 6. 28. quouſque eorum imperium extendendum? ib. *
PRAEIVDICIA ſunt cauſa corrupti intellectus & voluntatis, item multorum errorum in ſpiritualibus, I. 1. 2. 39.
PRECES publicae, II. 3. 2. 25.
PRESBYTERI, quinam? II. 3. 8. 15. inter illos & epiſcopos olim nullum fuit diſcrimen, ib.
PRETIVM rerum, eius deſcriptio, II. 3. 5. 24. eſt commune ib. ** eminens, ib. *** quaenam res pretium admittant? ib.
PRIMOGENITORVM praerogatiua, quo iure nitatur? II. 3. 5. 21. **
PRINCIPIVM iuris naturae uniuerſale II. 2. 53. ſubordinatum, ib. 56.
PRINCIPIA practica, I. 1. 3. 4. an eorum notitia innata ſit admittenda? ib.
PRINCIPES legibus humanis ſunt ſoluti, II. 2. 53. eorum leges tum eccleſiaſticae, tum ciuiles ſubditos obligant. II. 1. 19. 20.
PRODIGALITAS, II. 3. 3. 26.
PROFANATIO nominis diuini, II. 3. 2. 26. *
PROMISSA, eorum requiſita, II. 3. 4. 12. quomodo interpretanda, ib. 13. ſunt ſeruanda, ib. 10. & 13.
PROMVLGATIO legum neceſſaria eſt, II. 1. 16.
PRONVNTIATIO in concionibus III. 3. 22.
PROPENSIONVM tum naturalium, tum ſpiritualium ſigna, I. 4. 10.
PROPOSITVM animi non intra votum tantum ſubſiſtat, ſed etiam actus accedat, I. 5. 8.
προσωποληψία eſt deteſtanda, II. 3. 4. 23.
PROVIDENTIA diuina, errores de ea, II. 3. 1. 20.
PROTOPLASTIS Deus ſe non tantum vt patrem, ſed etiam vt legiſlatorem & iudicem manifeſtauit, II. 1. 5.
PRVDENTIA, quid? I. 1. 2. 68. eius officium ib. eſt diuina & humana, ib humana ſaepe pro diuina vult haberi, I. 1. 2. 74. eius diuerſae ſunt ſpecies, III. 2. 1. *
PRVDENTIA Chriſtiana, quid? III. Pr. 1. it. III. 2. 1. quomodo vox accipiatur? ib. 2. dicitur alias prudentia iuſtorum, ib. eius ſubiectum, ib. 3. & 5. genus, ib. 4. neceſſitas, ib. autor ib. 6. obiectum. ib. 7. finis, ib. 8. adminicula. ib. 9. ſeq. requiſita, III. 1. 1. ſeqq. differt a Theologia Morali & iuriſprudentia diuina, III. Pr. 7.
PRVDENTIA Paſtoralis, III. 2. 1.* Eccleſiaſtica, ib.
PSALMI graduales, quo ſenſu ita dicantur, I. 3. 13. *
PVDOR, quid? I. 1. 6. 23. pudorem amittere quid? ib. ** non eſt argumentum iuſti & honeſti, ib. eius obiectum, I. 1. 6. 22.
PVGNA rationis & appetitus ſenſitiui, I. 1. 6. 4. & 9.
PVNIENDI poteſtas, qui eam habeat? II. 4. 6.
PVSILLANIMITAS. I. 1. 6. 21.
QVIES ANIMI, quouſque extendenda? I. Pr. 33 in ſolo Deo inuenitur, I. 1. 4. 114.
RATIO, quid? I. 1. 2. 20. diuerſimode accipitur ib. 21 ſeqq. eius vires 22 corruptio, ib. 23. ſeq. principia. ib. 25. aeſtimatio theologica, ib. 26. vitia, ib. 27. pugna cum appetitu ſenſitiuo non habeatur pro lucta carnis & ſpiritus, I. 6. 4. 2. vſus, quando ſe exerat? II. 3. 4. 12.
RATIOCINATIO, quid? I. 1. 5. eius corruptio ib. 15. ſeqq.
RATIOCINIA, falſis homo naturaliſtotus ſcatet, I.

Digitized by Google

tet, I. 1. 2. 14. his impeditur Chriſtianiſmus, ib.
RECONCILIATIO, eiusdem detrectatio eſt contra amorem proximi, II. 3. 2. 22.
REGENERATIO, eius ſigna, I. 4. 7. & 9.
REGNVM Dei quid & quotuplex? I. 5. 33. eius aduentus, ib.
RELIGIO, eius cura imperantibus incumbit, III. 2. 7. 17. directio legitima ad felicitatem reipubl multum confert, ib 19. eſt neceſſaria, ib. per externa promoueri poteſt, ib. 20. per vim ad eam nemo cogendus ib. tolerantia & ceremoniae, ib. it. III. 79. ſeq. ſimulatio & diſſimulatio, II. 3. 2. 15. indifferentiſmus religionum I. 1. 4. 10.
RENOVATIONIS ſigna, eorumque applicatio I. 4. 8. ſeqq.
RES, earum dominia, II. 2. 32. pretium, II. 3. 5. 84. externarum abuſus, I. 1. 7. 18. it. 22.
RESPVBLICAE, earum origo. II. 3. 7. 2. ſq. cauſa efficiens principalis, ib. 4. inſtrumentalis, ib. impulſiua. ib. 1. finalis, ib. 5. formae variae, ib. 13. ſqq.
RESERVATIONES MENTALES quid ſint? II 3 5. 23. quomodo differant ab aequiuocationibus, ib.*
RESPONSA THEOLOGICA, I. Pr. 23. vſum praeſtant in iuriſprudentia diuina, II Pr. 19.
RESTITVTIO, ad hanc tenetur, qui alteri damnum dedit. II. 3. 4. 7. quomodo inſtituatur? ib.
RISVS, quid? I. 1. 6. 5.
RITVS SACRI, eorum ſumma, II. 3. 7. 31. eos praeſcribere & abrogare quis poſſit! ib. quid circa illos miniſter Eccleſiae obſeruet? III 1. 79. ſeq.
SABBATHVM, in ſtatu integritatis eſt inſtitutum, II. 2, 23. it. II. 3. 2. 33 * remanſit poſt lapſum ib. 30. etiam in ſtatu reſtitutionis, ib. 44. lex de Sabbatho ad leges naturales, qua tales referri non poteſt, ib. 32. quid de gentilium cenſendum? ib. nominis mutatio, ib. 35. eius ſanctificatio, ib. 36. in eius locum ſucceſſit in N. T. Dies Domini, ib. 35.
SABELLIANORVM error, II. 3. 1. 19.
SACRAMENTORVM vſus ad media ſanctitatis pertinet, I. 5. 18.
SALOMONIS ſcripta inſignem in moralibus habent vſum, I. Pr. 16.**
SALTATIONES, quid de illis cenſendum? II. 3. 3. 31.
SANCTITAS, eſt finis Theologiae Moralis, I. 3. 1 quid vox ſignificet? ib. 2. eius deſcriptio ib. 3. ſq. cauſa efficiens. ib. 5. ſubiectum ib. 6. finis proximus, ib. 7. Synonyma, ib. 8. neceſſitas ib. 10. difficultas, ib. 11. poſſibilitas, ib. imperfectio, ib. 1. & 12. incrementum. ib. 13. gradus Pontificiorum, ib.* inaequalitas, ib. 14. ſingularitas, ib. 15. commoda, ib. 16. ſeqq. media, I. 5. 1. imputata a propria probe diſtiguatur, ib. 6.*
SANGVIS, ex eius conſtitutione & motu temperamenti ratio aeſtimanda I. 1. 7. 2. per illa certae propenſiones animi produci poſſunt, ib. 4.
SANITAS, eius impedimenta, II. 3. 3. 32.
SANITAS, ſpiritualis, I. 3. 1.
SAPIENS aliquis eſſe poteſt, qui non eſt eruditus, I. 1. 2. 66.*
SAPIENTIA, quid ſit? I. 1. 2. 51. diuerſimode accipitur, ib. 57. alia eſt hypothetica, ib. & 58. alia habitualis, ib. 59. ad intellectum proprie pertinet, ib. & 60. voluntatis emendationem ſupponit, ib. 61. eius officium, ib. 62. eſt diuina & humana, ib. 63. ſeq. gradus, ib. 66.* incrementum & decrementum ibid. 65. ſpiritualis omnes regeniti ſunt capaces, ib. 66. humana haud raro pro diuina vult haberi, I. 1. 2. 93.
SATISFACTIO, quomodo fiat? II. 3. 4. 7.
SATYRICA SCRIPTA, II. 3. 4. 21.
SCANDALVM, quid? II. 3. 4. 6. quotuplex? ib. quando imputari poſſit? ib.
SCALA PARADISI, Io. Sinaitae, quid de illa iudicandum? I. 3. 13.*
SCEPTICISMVS theologicus, I. 1. 2. 28. varia habet genera, II. 3. 1. 21.
SCHOLA, ius illas erigendi cui competat, II. 3 7. 23. earum neceſſitas, ib. vtilitas, ib. varii naeui ib.
SCHOLASTICI ſcriptores, quid conferant ad ſtudium Theologiae Moralis? I. Pr. 21.
SCIENTIA, non omnes ſcientiae ſunt vtiles II. 3. 3. 7.* non omnes omnibus conueniunt, ib.** earum cognitio non impediat profectus in ſpiritualibus, ib.*
SECVLARISATIO bonorum Eccleſiaſticorum II. 3. 7. 38. II. 3. 6. 36.
SENSVS externi, I. 1. 7. 11. it. 19.
SENSATIO, ex defectu ſenſationis in ſpiritualibus non ſtatim colligendus defectus rei ipſius, I. 4. 9.
SEPVLTVRA, ius eius cui competat? II. 3. 4. 16.
SERMO, minus recte ad inſtituta hominum vniuerſalia refertur, II. 3. 5. 2. eius origo, ib.* varietas, ib. neceſſitas, ib. 4. officia circa illum in genere ib. 3. & 6. finis, ib. 3. officia in ſpecie, ib. 7. ſqq. contraria, ib. 23. ſeqq.
SERVITVS, peccati quomodo & quando tollatur in homine? I. 1. 4. 21. poteſt eſſe perpetua, II. 3. 6. 36. quomodo ſoluatur? ib.
SERVVS, an herus ius vitae & necis in illum habeat? II. 3. 6. 35* an vendi poſſit? ib. 36. eius officia. ib. 37. ſeqq.
SIGILLVM confeſſionis, III. 3. 62.
SIGNA, quibus mores & propenſiones hominum tum ſpiritualia, tum naturalia innoteſcunt, I. 4. 5.
SILENTIVM, officia hominis circa illud, II. 3. 5. 9.
SIMONIA, quid? II. 3. 5. 24.** ib. 35.*

SIMVLA-

SIMVLATIONES, quae illicitae II. 3. 2. 16. licitae, II. 3. 5. 9. quotuplices ſint? ib. *

SIMPLICITAS, quid ſit? I. 3. 4. 31.

SINCERITAS, quid? I. 1. 4. 134.

SINGVLARITAS in vita Chriſtiana, I. 3. 15.

SOCRATIS GENIVS, I. 1. 3. 4.

SPES, eius origo, I. 1. 6. 19. in Deum quid ſit? II. 3. 1. 48 eius obiectum, ib. 50. ſeq. fundamentum, ib. 52. neceſſitas ſ. obligatio, ib. 53. contraria, ib. 84. media ib. 95. impedimenta, ib. 103.

SPIRITVS, opponitur carni, I. 2. 58 diſcretio ſpirituum, quid? I. 4. 12. ſeq. eſt ordinaria & extraordinaria, ib. ſolis regenitis propria, ib.

SPONSALIA, ſunt vel de praeſenti, vel de futuro, II. 3. 6. 16. ſeq. conditionata, valida, inualida ib. quomodo differant a reliquis pactis, ib. 18. ſeq. cur diſſolui poſſint, ib. 19.

STATVS hominis, quotuplex? II. 3. 6. 1. ſeq. integritatis, II. 3. 16. ſeqq. lapſus, ib. 24. reſtitutionis, ib. 34. naturalis, I. 1. 14. ſeqq. gratiae, ib. beſtialis, humanus & Chriſtianus, ib. 26. habet ſuos tranſitus, ib. 24. regenerationis, quomodo explorari poſſit? I. 4. 7.

STILVS, qualis ſit in concionibus? III. 3. 20. ſqq.

STVLTITIA ſpiritualis, eius origo, I. 1. 2. 35. differentia, ab inſania, ib. 36. indicium, ib. 37.

STOICORVM fatum, I. 1. 4. 23. indifferentis ib. 95. ἀπάθεια, I. 1. 6. 31. ſeq.

SVBDITI, qui ſint? II. 2. 7. 34. eorum officia. ib. 35 ſeq. obligatio ad illa, ib. 38. contraria ib. 39. media, ib. 40.

SVCCESSIO ab inteſtato, eius fundamentum II. 3. 5. 20. ordo, ib. ***

SVMMVM BONVM, I. 1. 4. 23.

SVPERSTITIO, aberrat circa modum cultus diuini, II. 3. 1. 79. ** auaris propria eſt, I. 1. 4. 71.

SVSPICIO, I. 1. 2. 18.

Συντήρησις & συνείδησις, I. 1. 3. 4.

TEMPERAMENTVM plurimum ad animi propenſiones confert, I. 1. 7. 2. eius ratio ex ſanguine potiſſimum aeſtimanda, ib. it. ex parentum conſtitutione, ib. 3. Phlegmaticum in morum doctrina non in cenſum venit, I. 1. 4. 42. temperamentorum vis & efficacia, I. 17. 6. & 8. numerus, ib. 7. it. I. 1. 4. 42. mores ib. 8.

TEMPERANTIA, quid ſit? I. 1. 4. 139. officia erga ſe ipſum complectitur, II. 2. 42. eius impedimenta, II. 3. 3. 30. eſt neceſſaria ad ſtudium virtutis & ſanctitatis, I. 5. 37.

TENTATIONES, quid? I. 1. 21. it. I. 5. 33. ſunt bonae & malae, I. 2. 21. ſeq. internae & externae ib. 24 earum cauſae, Diabolus, ib. 27. caro, ib. 28. mundus, ib 29. earum vſus & commodum, ib. 31. varietas. ib. 32. ſqq. Theoreticae circa credenda, nimirum de Scriptura S. ib. 35. ſeq. de Deo, ib. 37. ſeqq. circa prouidentiam diuinam, ib. 40. ſq. circa vltima hominis. ib. 42. de peccato, ibid. 43. ſeq. circa media ſalutis, ib. 45. ſeq. quomodo in hiſce procedendum? ib. 47. Practicae circa agenda ib. 48. ſeqq. contra primam tabulam decalogi, ib. 53. ſeqq. ſecundam. ib. 56. ſeqq. ob res aduerſas, ib. 57. tentationes ſunt infirmitatis humanae documenta, ib. 30. iis regeniti & irregeniti obnoxi ſunt, ib. 25. ſeq. Spirituales, cui imputandae? ib. 30. *

TERROR, quid? I. 1. 6. 19.

TESTAMENTA, ſunt iuris naturalis. II. 3. 5. 21. in Scriptura Sacra adprobantur, ib. etiam minus ſolennia obligant, ib. * officia circa illa obſeruanda. ib. 23.

TESTIMONIVM, falſum, II. 3. 5. 34.

TEXTVS, quid obſeruandum circa illius electionem? III. 3. 16. diſpoſitionem, ib. 17. explicationem, ib. 18. applicationem, ib. 19.

THEOCRATIA, quid ſit? I. 1. 6. 19.

THEOLOGIA, occupata eſt circa credenda & agenda, I. Pr. 1. ſeqq. eius ſtudium an poſſit mutari cum alio ſtudio, vel vitae genere III. 2. 12. ***. quomodo rite inſtituendum? ib. 13.

THEOLOGIA MORALIS, ſumitur late & ſtricte, I. Pr. 1. ſeqq. eſt ſcientia, ib. 5. vera, ib. 6. certa, ib. 7. viua & efficax, ib. 8. cum experientia ſpirituali coniuncta, ib. 9. practica ib. 4. & 10. habitualis, ibid. 11. differt a Philoſophia morali, ibid. * licet illa ei miniſtret, ib. 36. eius principium, ib. 11. Obiectum, ib. 12. Subiectum, ibid. Cauſſa efficiens principalis, ib. 13. inſtrumentalis, ib. finis, ib. 14 ſubſidia, ib. 15. ſeqq. Scriptores, ib. 23. ſeq. it. II. Pr. 18. triplici methodo tractari ſolet, I. Pr. 35. qua methodo ab Auctore tractetur? ib. 37.

THEOLOGIA MYSTICA, eius conuenientia cum Morali, I. Pr. 26. definitio, ib. origo, ib. ſeqq. commixtio cum Philoſophia Platonica, ib. 28. in vnum corpus a Dionyſio Areopagita redacta eſt, ib. 29. in occidentali Eccleſia efflorEſcere coepit, ib. 30. Scriptores, ib. 31. ſqq.

THEOLOGIA POLEMICA, eius vſus & abuſus, II. 1. 7. 30.

THEOLOGIA SCHOLASTICA, occaſionem dedit Theologiae myſticae diligentius excolendae, I. Pr. 31.

THEOLOGIA SYSTEMATICA, eius origo & progreſſus, I. Pr. 21. ſeq. differentia ab Aſcetica ib. 25.

TIMOR DEI, quid ſit? II. 3. 1. 41. ſeq. quotuplex? ib. 43. eius fundamentum, ib. 44. effectus, ib. 46. neceſſitas ſeu obligatio, ib. 47. contraria, ib. media, ib. 95. ſeq. Impedimenta, ib. 101.

TITV-

TITVLI, an illos expetere & vſurpare liceat? II. 3.3. 27.

TRISTITIA, quid ſit? I. 1.6.19.

TYRANNVS, quis? II.3.7.9. ſeq. quando & quomodo illi reſiſtere ſubditi poſſint? ib.

VERBVM DEI inter media ſanctitatis refertur, I.5.10. legitima eius tractatio, ib. ſeq. auditio non eſt negligenda, ib. 12. quando & quomodo lectio inſtituenda? ib. 13. ſeq.

VERBA OBSCOENA, ſunt contra officia ſermonicantium & caſtitatem, II 3.3.19.

VESTITVS, ad decorum ſit compoſitus, III. 2. 41. praecipue miniſtri Eccleſiae, ib.

VIGILANTIA ſpiritualis in quo conſiſtat? II. 5.38. eſt neceſſaria, ib.

VINDEX SANGVINIS, ius eius, II.4,6.

VINDICTA, vox varie ſumitur, II,3.4.22. illicita eſt, ib. 7.

VIRTVS, quid? I.1.4.125. ſeq. vnica tantum eſt ib. 136. diuerſas habet denominationes, ib. eius obiectum perſonale, 137. requiſita. ib. 127. proprietates, ib. 129. modi, ib. primitiuae virtutes, ib. cardinales, ib. 137. differunt ab officiis. ib. 141. ſunt inſeparabiles ib. 142. falſae, quaenam? ib. 150. earum cauſae ib 158. virtus heroica, quomodo ita dicatur? ib. 77. virtutum omnium fundamentum. ib. 125.

VISITATIONES Eccleſiarum & Scholarum cui competant? II. 1.7.25. quomodo inſtituendae? ib. 26. ſeqq. domeſticae, quomodo a miniſtris Eccleſiae inſtituendae? III.1.55.

VITIA, interdum virtutum ſpeciem induunt, I.1. 4. 77. hominum non ſunt imputanda ſtatui alicui, I. 1. 7. 27.* tria cardinalia, I. 1. 4. 40. omnibus hominibus natura inſunt, ib. 45. ex eorum coniunctione & commixtione infinita oritur inclinationum varietas, ib. ſeqq.

VIVA VOX, quantum inſtitutione commodi adferat? I. 5. 12.

VNIO MENTIS ET CORPORIS, I. 1.6.1.

VNIO CVM BONO adparenti, in illa ſumma hominis conſiſtit miſeria, I.1.4. 85.

VNIO CVM DEO, ſumma hominis felicitas eſt I. 14. 85. eius initium, ib. 86. media ib. cauſa efficiens, ib. ſubiecta, ib. 87. modus, ib. 88. non eſt eſſentialis, ibid. ſubſtantialis ratione termini a quo, ib. effectus, ib. 89 eſt ſumma iuris diuini, 2. 40. ex ea officia hominis commode deriuari poſſunt. II, 2. 41.

VOCATIO miniſtrorum Eccleſiae eſt neceſſaria. II. 3. 8. 1. it. 3. * ſit hodie mediate ibid. 3. competit Eccleſiae ib. etiam particulari, ib. 4. etiam Eccleſiis Proteſtantium, ib. ad illam Clerici & laici concurrunt, ib. & 5. eſt expectanda, III. 3. 2. non temere recuſanda, ib. 3. caute tamen acceptanda ib. 4.

VOLVNTAS, quid ſit? I. 4. 1. differt ab intellectu. ib. 2. it. 11. ab adpetitu ſenſitiuo, I. 1.6. 3. cordis nomine in Scriptura S. venit. I. 1. 4. 4. eius obiectum, ib. 5. ſeqq. varia eſt, ib. 6. conſideratio ſecundum naturam, ib. 31. ſecundum gratiam, ib 85. it. 143. corruptio, eiusque cauſae & effectus, ib. 78. it. 80. ſeq. emendatio. ib. 8. ſeq. it 91. libertas in ſtatu integritatis ib. 12. ſeqq. vita aeterna, ib. 14. poſt lapſum ib. 15. in ſpiritualibus ib. 16. ſeq. ciuilibus & moralibus ib. 19. imperium in reliquas mentis facultates & motus corporis quosdam, ib. 24. ſeqq. ſigna propenſionum & affectuum I. 4. 5.

VOLVNTAS DEI quid? 5.33. quomodo fiat? ib.

VOLVPTAS, quid? I. 1. 4. 45. varie accipitur, ib eſt naturalis & habitualis, ib. 47. eius obiectum ib. 48. eſt varia. ib. eius vanitas ib. 49. impedit Chriſtianiſmum, ib. 50. ſeqq.

VOLVPTVOSVS, quomodo ſe gerat in rebus ad religionem ſpectantibus? I. 1. 4. 50. cultu numinis? ib. 51. erga ſe ipſum? ib. 52. erga alios? ib. 53. in ſtatibus certis? ib. 54.

VOTVM, quid? II.3.2.7. votorum varia genera occurrunt in V. T. 5. in N. T. vero nullum extat exemplum, ib. 8. eorum requiſita, ib. 10. obſeruatio religioſa ib. 11. quit de votis de re iniuſta aut impoſſibili conceptis ſentiendum? ib. 12. quid de votis monaſticis Papiſtarum ib. 13. ti. II. 3. 4 15. an diſtinguendum inter vota communia & particularia? ib. 9.

VSVRAE, an ſint licitae? II. 3. 5.27. qua ratione in Scriptura S. prohibeantur? ib. 28. quantum accipere liceat? ib. 29.

VXORIS officia, II. 3. 6. 24.

ZELOTARVM ius, II. 4. 6.*

ZELOTYPIA, quid? I. 1. 6. 24. differt a zelo. ibid.*

* ZELVS, quid? I. 1. 6. 21. Paſtorum, quid circa illum obſeruandum? III. 2. 31. ſeqq. naturalis non pro ſpirituali habendus, I.1.6. 45.

S. D. G.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005676475

Digitized by Google

Digitized by Google